4° H. ref. 661

Digitized by Google

<36619766530016

<36619766530016

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

Ex Libris J. N. Weislinger. A. 1721.

VITI LUDOVICI a SECKENDORF

Eqvitis Franc. Consiliarii Intimi Saxonici,

COMMENTARIUS

HISTORICUS ET APOLOGETICUS

De

LUTHERANISMO,

Sive

DE REFORMATIONE RELIGIONIS

ductu

D. MARTINI LUTHERI

In magna Germaniæ parte, aliisqve regionibus, & speciatim in *Saxonia* recepta & stabilita:

In qvo

LUDOVICI MAIMBURGII Jesuitæ HISTORIA LUTHERANISMI

Anno M DC LXXX Parisiis Gallice edita,

Latine versa exhibetur, corrigitur, & suppletur;

Simul & aliorum qvorundam Scriptorum errores aut calumniæ examinantur:

Auspiciis Seren.mi & Pot.mi Electoris & Seren.mm

DUCUM SAXONIÆ,

Eo fine,

Ut ad veram & exactiorem notitiam rei gestæ, & ad depulsionem calumniarum, ex fide dignis monumentis, denuo via pateat:

Pro honore Dei, & pace Ecclesiæ, justaqve defensione pietatis & virtutis a Majoribus in negotio Reformationis ostensæ.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,

Sumtibus JOHANNIS FRIEDERICI GLEDITSCH,

ANNO M DC LXXXVIII.

Seckendorf Commentarius de lutheranismo

8° BS dir

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Digitized by Google

SERENISSIMO POTENTISSIMO
PRINCIPI ELECTORI
SER.mis REV.mis CELS.mis
DUCIBUS SAXONIÆ
UTRIUSQVE LINEÆ
QVOTQVOT HODIE AVITIS REGIONIBVS
IN SAXONIA THURINGIA MISNIA
FRANCONIA LUSATIA ET ALIBI
SUO QVISQVE IURE IMPERANT
AUT AD EIUS AXIOMATIS SPEM NATI
SUNT
IIDEMQVE OMNES RELIGIONEM
CHRISTIANAM ET EVANGELICAM
ZELO D. MART. LUTHERI REPURGATAM
EX FORMULA ANNO cIↃ Ib XXX
IN COMITIIS AUGUSTANIS EXHIBITA
PUBLICE PROFITENTUR
ET APUD SUOS PROMOVENT
ET TUTANTUR
HUNC DE MAGNO ILLO REFORMATIONIS
NEGOTIO
COMMENTARIUM HISTORICO-APOLO-
GETICUM
NON SINE AUSPICIIS ET OPE ILLORUM
ELABORATUM
SUBMISSA CUM VENERATIONE
D. D. D.
ILLISQVE OMNIBUS
ET SINGULIS
DIGNAM FASTIGIO SUO FELICITATEM

Digitized by Google

EAMQVE CUNCTIS GRATIAM
ET VIRES
A SUPREMO NUMINE
PRECATUR
UT OPUS A GLORIOSISS. MAIORIBUS
SUIS EGREGIE COEPTUM
ET HUCUSQVE SINGULARI DEI
BENIGNITATE PERDUCTUM
DOCTRINÆ PURITATE
VITÆ SANCTIMONIA
PRUDENTIA CONSILIORUM
VIRTUTISQVE CONSTANTIA
SERVATUM AUCTUM PERFECTUM
PIÆ POSTERITATI AD FINEM USQVE
TEMPORUM TRANSMITTANT
SEREN.^is POT.^is REV.^is CELSITUD.^es
EORUM
OB PLURIMA BENEFICIA
VEL AB IPSIS
VEL A DIVIS ILLORUM PROGENITORIBUS
ACCEPTA
TUM MINISTERII CLIENTELÆ
ET SUBIECTIONIS NEXU
OBSTRICTISSIMUS
DEVOTISSIMUSQVE
VITUS LUDOVICUS A SECKENDORF
EQVES NATIONE FRANCUS
DOMICILIO MISNICUS
IN DUCATU ALTENBURGENSI

Digitized by Google

PRÆLOQVIUM
AD CORDATOS ET ÆQVOS LECTORES.

NOn immerito acutus aliqvis ex Gallis Scriptor pungere nuper cœpit eos, qvi in præfationibus librorum, qvos edunt, rationes proponunt, cur ad scribendum accesserint, difficilime qvippe fidem prætextibus aut excusationibus suis invenientes. *Neminem enim* putat *facile cogi, ut nomen inter autores profiteatur, iis potius causis qvendam aliqvando incitari, qvas si aperte recenseat, ridiculus absqve dubio futurus esset. Eorum vero qvi libros legunt, parum interesse, qvo consilio qvisqve scripserit, & non minus mentem, qvantumvis artificiose occultatam, qvam stylum autoris ex libris innotescere.* Hoc etsi mihi non minus qvam aliis dictum sit, malui tamen inepti præloqvii notam incurrere, qvam tacere, qva occasione, qvo fine, qvibusqve mediis instructus (cum tot alia essent, in qvibus scribendi pruritum explere, aut otio abuti potuerim,) materiam plurimorum calamo detritam, nec odio minus qvam fastidio expositam, mea sponte delegerim. Attulerat adolescens qvidam, & nobilitatis & virtutis nomine mihi percharus, ex peregrinatione Gallica anno 1681. *Ludovici Maimburgii ex Soc. Jes.* recens editum opus de *historia Lutheranismi*, qvod magni in Gallia fie-

Digitized by Google

ri, & hoſpitibus ex Germania Lutheraniſmo addictis objici ſolere referebat. Ea tunc erant, vivo *Mauritio Saxoniæ Duce*, Numburgenſis Epiſcopatus Adminiſtratore, optimo Hero meo, cujus rebus agendis præpoſitus fui, tempora mea, ut vix una ex diurno labore hora mihi ſupereſſet, qvam animi a negotiis curisqve paulum avocandi reficiendiqve cauſa, literarum ſtudiis poſſem impendere. Avide tamen ad legenda properavi qvæ de Luthero in Gallia edi videbam, qvæ cum illis, qvos Calvinianos vocant, occupata, Lutheraniſmi oblita eſſe videbatur. Perlecto curſim libro, parum eqvidem deprehendiſſe mihi viſus ſum, qvod ab ejus profeſſionis homine non expectaſſem. In uno maxime a veterum, qvorum veſtigia tenebat, Luthero-maſtigum inſtituto diſceſſiſſe videbatur, qvod honeſti viri ſpeciem aſſumens, ab incredibilibus narrationibus & inſanis contumeliis qvibusdam abſtinuiſſet, temperatis plerumqve verborum delinimento, qvos acerbiores alii indecenter erumpere fecerant, affectibus. Hoc ipſo tamen periculoſius cauſæ Lutheranæ nociturum eſſe librum conjiciebam, optabamqve ut aliqvis ex noſtratibus propediem & verſionem & reſponſum pararet, nihil minus tunc cogitans, qvam ut ego laborem iſtum in me reciperem. Non multo poſt ſublato e vivis *Mauritio Duce*, ea mihi contigit felicitas, ut poſt triginta annorum partim illi, partim *Erneſto*, magnæ itidem pietatis & virtutis *Principi Saxo-Gothano*, in præcipuis, qvæ habebant, negotiis præſtitum, ſi non magnum aut utile, fidum certe & laborioſum miniſterium, qvod reſtat vitæ liberum a curis moleſtiſſimis tranſigere daretur. Hoc inſigne beneficium, qvod dudum, & præſertim poſt completum qvinqvageſimum ætatis meæ annum, multis precibus a Deo petiveram,

Digitized by Google

qvinqvennio qvidem tardius, ſed exemplo non admodum freqventi obtinui, ut adjutus favore & liberalitate *Sereniſſ. Principum*, qvi beate defunctis ſucceſſerant, nec inopem nec ingloriam ſenectam haberem. Tanto ergo obſtrictiorem me eſſe exiſtimavi, ut hos annos, qvos pene ſolos vitæ numero, ita tranſigerem, ut Deo, cui omnia debeo, etiam otii mei rationem reddere paratus eſſem. Neqve tamen illa eſt, certe apud me non reperitur, humanæ conditionis perfectio, ut etſi ad finem vitæ properantibus unica nobis occupatio ſit, cœleſtia cogitare; annitendum eſt, ut primaria ſit, omniumqve aliarum & comes & directrix. Agendum itaqve, & ſui & proximi cauſa, aliqvid eſt, cui qvisqve maxime eſt aptus, & pro ſtatione ac ſorte qvam Deus nobis aſſignavit, ne nihil agendo male agere diſcamus, aut ſpeculationi, qvam vocant, intenti in aliud vitium incidamus. Hæc mecum reputans, cum a teneris annis literarum ſtudiis, parentum providentia addictus fuerim, magnaqve animi propenſione iis me applicuerim, paulo tamen citius qvam voluiſſem, & in prima fere juventa, in negotiorum piſtrinum detruſus, lubentiſſime, poſtqvam hoc nexu exſolutus ſum, cum Muſis in gratiam redire cœpi, ſed cum ſeverioribus, & qvæ ætatem meam maxime decerent, ad ſcopum mihi propoſitum proxime accedentes. Miſſis itaqve aut infreqventer ſalutatis cæteris, qvæ in negotiosa etiam vita ſeſe offerebant, civilis licet ſcientiæ utilitate æſtimabiles & aliqvando neceſſariæ, arctius commercium cum ſacris diſciplinis renovandum mihi eſſe duxi, qvarum rudimenta puer didiceram, profectum nunqvam penitus neglexeram, etiam lingvarum, qvibus ſacri codices ſcripti ſunt, non prorſus ignarus. Cum vero affinitatem non exiguam cum hoc ſtudio habeat noti-

Digitized by Google

notitia *Historiæ Ecclesiasticæ*, recordatus sum operæ, qvam olim, dum Gothæ in *Ducis* (qvem debiti honoris causa nominavi) *Ernesti* aula viverem, impendere illi cœperam. Qvid tunc præstiterim, non ignotum est (qvanqvam pauci superstites sint) amicis. Sed plura præstare vel potuissem vel tentassem, si multitudo, qvibus cumulabar, negotiorum bene cogitata non elisisset. Sæpe mecum egerat laudatissimus Princeps, ut *Reformationis* superiori seculo in Germania aut saltem in Saxonia peractæ Historiam literis mandarem. Ostendebat eum in finem centena & plura Actorum volumina, qvæ ex Archivis & Scriniis majorum suorum, qvædam & aliunde collegerat. Exemplum mihi proponebat *Friderici Hortlederi*, Consiliarii qvondam Vinariensis, qvo familiariter usus fuerat, multisqve illum adminiculis ad magnum illud *de Bello Smalcaldico* opus adjuverat. Majoris utilitatis & gloriæ materiam mihi offerri existimabat, si ex Actis, tam Principum, qvam communitatum, aut privatorum, qvorum non exiguam multis locis copiam reperiri posse dicebat, eruerem, qvo consilio & successu Religionis Reformatio tractata fuerit, utqve a levibus initiis in eum statum processerit, qvem posteritas vix admirari satis potuit. *Dei*, ajebat, *profecto digitus is fuit; ingrati sumus, qvi hunc non agnoscimus, memoriamqve rerum tam illustrium non accuratius conservamus & propagamus.* Hæc qvidem nec surdo nec pigro ingerebat; sed pace beatissimorum Manium tanti Principis dicere liceat, aut mihi tunc plus tribuebat, qvam exeqvi in illa adolescentia mea potuissem, aut justo leviorem, pro vastitate ingenii sui, æstimabat laborem, qvem consistere posse credebat cum perpetuis in aula occupationibus, qvibus me in Consiliariorum numerum

rum anno Christi 1651. ætatis meæ vigesimo qvinto adscitum onerabat. Intra vota itaqve propositum istud stetit, dum *Gothæ* essem: dein cum post longum tempus, sub finem nempe anni 1664. a Mauritio Duce p. m. ad *Cancellarii Citicensis* munus vocarer, penitus evanuit. Hæsit tamen in memoria mea laudabile Principis consilium; ita ut sæpe mecum expenderem, cur inter tot præclaros viros, qvos provinciæ Saxonicæ post Reformationem ab annis centum & septuaginta tulerunt, non repertus sit, qvi perfectiorem aliqvam actorum in causa religionis Historiam tradiderit; sed non alia causa menti meæ freqventius obversata est, qvam illa, qva fit, ut & Historia politica accurata & continuata careamus. Ignoscant mihi Principes, si salvo, „ qvem omnibus debeo, &, uti decet ac possum, exhibeo cultu, „ dicam; non satis æstimare illos nec utilitatem historiæ, (de per- „ fecta & vera loqvor) nec maxima & largissima famæ præmia, „ qvæ caperent, si Majorum & sua consulta & gesta relatu digna, „ ab idoneis ingeniis conscribi perpetuo studio & sumtu cura- „ rent. Verum cum aut nulla huic labori stipendia aut levia „ destinent, qvid mirum, si erectiora ingenia ab occupatione, „ qvæ laudatur & alget, deterreantur? Peccatur & in hoc, qvod „ sæpe juvenes fere, aut de schola homines, negotiorum imperi- „ ti, vel obnoxia commendatione intrusi, (ut de judicii & eru- „ *ditionis* defectibus nihil dicam) hoc munus involant. „ Aliæ sunt, neqve spernendæ illæ aut inutiles, Didacticorum, Philologorum, Oratorum, Poetarum, (qvanqvam & hi omnes frigide satis & infra merita tractantur) aliæ Historici partes. Ad has si qvid meo, qvod mediocre esse scio, tribueretur judicio, seligendum esse aliqvem putarem, ex Consiliariorum sive Ministrorum numero optimum, mente calamoqve vividum, ta-

lem scilicet, qvi maximis gravissimisqve negotiis per aliqvot annos exercitatus, lingvarum & styli peritus, industrius, sobrius, laborioſus, probatæqve virtutis, pietatis & fidei esset, cui omnia arcana credi tuto possint. Huic non minuto sed aucto stipendio & honoris gradu, ut Commentarios rerum gestarum conscriberet, demandandum esse ivaserim; in qvibus non solum acta & eventus, sed & rationes agendi, nec ex ingenio scribentis effictæ, verum in deliberationibus tractatæ traderentur, erroribus etiam in arcana qvadam, nec edenda, historiæ aut commonitionis parte, annotatis. Sed plura de tali instituto dicenda haberem, nisi jam latius, qvam mihi propoſueram, evagatus essem: memini etiam tale aliqvid in *Actis Eruditorum Lipsiensibus 1684. p. 383.* ex Historia Anglica a D. Burneto edita annotatum legi. Habui tamen hæc tangendi causam non plane nullam. Ut enim redeam, unde digressus sum, posteaqvam ineunte anno MDCLXXXII honesta a munere meo missione impetrata, compositisqve in qvietum statum rebus, in rus hoc meum secessissem, tenax propositi, de qvo dixi, plurimam temporis partem literariis laboribus lubenti & alacri animo assignavi. Inter eos primus fuit, qvi conscribendo libro Germanico, jam bis excuſo, *de statu Christianismi*, datus est. Redibat mihi interea in mentem cogitatio supra indicata, de refellendis scriptoris Galli *de Lutheranismo* commentariis, eaqve de re cum viris egregiis, qvi me non raro invisebant, vel qvos Lipsiæ, nundinarum tempore, alloqvi solebam, conferre cœpi. Eorum pleriqve versionem libri Maimburgiani desiderabant, qvia Gallica pauci, etiam ex doctissimis inter nostrates, & inter Theologos prope nulli, intelligunt. Erant qvi dicerent, esse aliqvem, nescio ubi, qvi Latinam versionem

nem pararet, sed nihil explorari potuit. Qvanqvam vero vertendi labor abjectus fere habetur, & tædiosissimus mihi imprimis est, ingenii, credo, culpa, qvod fortasse velocius liberiusqve habeo, qvam ut vestigia aliena, qvodam qvasi vinculo ductum, seqvi lubenter velit; composui tamen me ad versionis fastidium superandum, eamqve horis pomeridianis moliri cœpi, qvibus obtusior ad sensa propria digerenda animus aliorum lectioni facilius applicatur, valetudini simul prospiciebam, dum inter deambulandum amanuensi dictarem. Sic mihi, nondum de refutatione serio cogitanti, versio *Libri primi* intra annum (interrupta tamen sæpissime opera) nata fuit. Elegantem & puram qvominus exhibeam, in causa est, qvod dudum ex floridiorum literarum hortulis in negotiorum senticeta rejectus, festinans etiam, atqve aliud propemodum agens, styli ornatum maxima ex parte amiserim; fidem tamen præstiti, neqve eo nomine dicam metuo. Gallicæ qvidem lingvæ non nisi mediocrem peritiam habere me fateor, ita ut scribere ea vix ausim: est mihi tamen (ut puto) intelligendis qvæ lego sufficiens, qvanqvam non tanta, ut de barbarismis judicare valeam, qvos Galli qvidam, facundiores sibi visi, Maimburgio, ut Lotharingo, objecerunt. At qvalescunqve sint styli ejus nævi, sensum tamen scribentis occultari mihi per eos potuisse non existimo. Ut vero hunc tanto sinceriorem referrem, Latinam phrasin, etsi forte puriori aliqvoties uti licuisset, cum Gallico idiomate sæpe conformavi, non sine aliqvo vitio. Est & ubi transitionum formulas, & alias qvasdam, in qvibus parum felix fuit autor, neglexi, nullo veri sensus detrimento. Hæc præfanda habui de versione, cujus laborem profecto cuicunqve alii libentissime cessissem, licet hoc commodi ex eo tulerim, ut

mea potius qvam aliena fide de traditis autoris confidere lectores jubere posſim, & fortaſſe non multo minor moleſtia fuiſſet, conferendi revidendiqve ab alio verſa.

Progreſſus eo usqve, ut dixi, in vertendo, obſervavi duobus modis rei Lutheranæ adverſus novi & peregrini hoſtis aggreſſiones conſuli poſſe: uno eoqve faciliori, ſi falſa & invidioſa breviter excerperentur & refutarentur; ita liber Maimburgii cum animadverſionibus prodiret non prolixis: alio operoſiori, ſi vera & plena Hiſtoria Lutheraniſmi denuo ederetur, in qva veritas cum Maimburgii aliorumqve ei ſimilium ſcriptis collata, majeſtatem lucemqve ſuam oſtenderet, ejusqve conſpectu mendaciorum & calumniarum ſpectra ultro diffugerent. Hic enim ſerio reqvirere cœpi, qvod, ut ſupra dixi, *Erneſtus* Princeps deſiderabat, plenius nempe qvoddam opus, qvo tota rerum circa Reformationem & poſtea geſtarum ſeries expoſita eſſet, additis, ubi haberi poſſent, documentis, qvibus contradictiones ſolidiſſime repelluntur. Multum, imo qvod æqva ſectantibus ſufficiat; præſtitiſſe *Johannem Sleidanum* certum eſt, qvi omnes ſui temporis, de eadem re ſcribentes, longe infra ſe reliqvit. Huic tamen mendacis notam, Caroli Qvinti etiam Imperatoris dicterio, neſcio qvam vere allegato, inurere ſoliti ſunt, & adhuc ſolent, adverſæ partis fere omnes, ex mera, credo, invidia. Si enim demonſtrandum ſumerent, qvod jactant, næ illi fruſtra forent, aut levia, & relatu referrent indigna, imo pauci absqve Sleidano, qvod legi mereretur, unqvam ſcripſiſſent ſcriberentqve. Qvid enim qvæſo mentiri ille potuit, qvi maximam narrationum partem, de rebus ad religionem ſpectantibus, in adferendis prolixe actorum verbis, cum tædio multorum, qvi ad eventuum varietatem percipiendam properant,

* *Addit.* Sleidanus varie Laudatur.

perant, consumit, & ad acta & scripta ubiqve provocat, qvæ etiam pleraqve adhuc extant, fidemqve viri indubitabilem faciunt? Nec ullum facile historicum rarius censuræ eorum, qvæ refert, indulsisse crediderim. Sed uti Sleidano laudem suam ne ipse qvidem livor detrahere penitus potuit, eamqve non nisi cum fine mundi interituram credibile est, reliqvit is tamen (ut omnes) spicilegia post messem tam largam. Latuerunt eum qvædam, diligenter licet inqvirentem, & Principis non unius cura adjutum, latebuntqve alia & me & alios: nec accessus interior ad ea qvæ supersunt in scriniis aularum & civitatum documenta, idoneis fidisqve licet viris permissus, supplere omnia poterit. Et in Saxonicis qvidem rebus jam illo, qvo Sleidanus scribere cœpit tempore, anno 1546. defectum qvendam scriniorum agnovit *Johannes Fridericus* Elector, Philippo Landgravio actorum editionem in Sleidani gratiam petenti respondens: pauca enim supereſſe qvestus est ex Regestis patrui sui Friderici Electoris. Constat hoc ex epistolis Sleidani, & utriusqve Principis, qvas operi suo præmisit Hortlederus. Nondum scilicet ea conscribendi colligendiqve omnia diligentia simpliciori adhuc aularum genio, militaribus plerumqve viris negotia tractantibus, conveniebat, qvæ postea invaluit. Servata tamen sunt, qvæ negligi neqvaqvam debent, dandaqve est recentioribus opera, ne semper actum agant, non nisi ab aliis edita, iisdem vel aliis verbis repetentes, aut qvod pejus est, nova ex ingenio suo fabricantes. A qvo vitio omnes ex nostratibus nolim absolvere, sed mirum in modum peccari video ab adversa parte, maxime ab iis, in Germania nostra, qvi ex Sacerdotum ordine, odio & indignatione pleni, olim non tam historias qvam satyras & invectivas ad-

versus Reformatores ediderunt, qvos jam Galli imitantur aut superant. Magnæ tamen inter hos ingenuitatis & modestiæ exemplum dedit Vir immortali laude dignissimus *Jacobus Augustus Thuanus*, exiguam licet gratiam a multis ex suis civibus, & ab importunis qvibusdam ex Germanis, reportans. Hunc si potius seqvi voluisset Maimburgius, qvam *Cochleum, Surium, Remondum*, & paris maledicentiæ alios, aut si ex *Manuscriptis*, de qvibus gloriatur, aliqvid incognitum antehac, verum tamen attulisset, multum ille nobis in annotandis erroribus suis laborem præcavisset.

Interea dum, ut dixi, mecum consulto, vel cum amicis tracto, qvid tandem de Maimburgiano scripto statuendum esset, ne segnior nostra videretur Ecclesia ad retundendam iniqvitatem adversarii, qvam Reformata, ex qva non unus ejusdem autoris editam interea *Historiam Calviniſmi* fortiter aggressus est, novæ revolutiones rerum secutæ sunt. Galli enim jam non calamo saltem religionem tractabant, aut suæ tantum gentis hominibus, ob Calviniſmum, qvem vocant, exitiabiles erant, sed & Lutheranis, qvibus cum hucusqve parum negotii aut certaminis in sacris habuerant, in Germaniæ illa, qvam tenent, parte, magis magisqve infesti fiebant. Nec mirum si libellis suorum, qvos pro veritatis præconibus habent, fidem adhibentes, alieniorem indies animum adversus nos induant, qvorum tamen civili & sacræ libertati, bellis antehac gestis patrocinari visi sunt, & in tabulis pacis pro ea fidejubere. Ut igitur vera & renovata rerum nostrarum in religionis negotio notitia illis aliisqve non deesset, neglectum aliis laborem ad depellendos novellorum Scriptorum insultus, tandem ipse mihi sumsi, postqvam relecto & verso ex parte

Maim-

Maimburgii libro perſpicere mihi viſus ſum, non tam Theologici qvam Politici ſtudii eſſe, hiſtoriam hiſtoriæ opponere. Sunt qvidem, qvod merito agnoſco, inter Theologos, qvi etiam in rebus hiſtoricis & politicis ſcribendis me ſuperare valeant, in eo maxime, qvod ubi per occaſionem de dogmatibus dicendum foret, ex ſua ſcientia confidenter afferre poſſunt, qvæ mihi aut intacta relinqvenda ſunt, aut imperfecte & trepide verſanda, in tanta præſertim, qvæ indies creſcit, circa formulas difficultate; at mihi ſaltem majus otium erat, aliqva etiam rerum experientia, & familiarior apud Principes ad impetranda documenta admiſſio. Qvoniam enim ex illis, qvas jam attuli, rationibus nihil digne & cum fructu & gratia in hoc genere ſcribi poſſe opinabar, niſi iis, qvæ dudum ſcripta ſunt, nova qvædam ſupplementa reperirentur, ante omnia tentare cœpi, an a *Sereniſſimis Saxoniæ Principibus* favorem ad obtinenda talia impetrare poſſem. In illorum enim provinciis Lutheri dogma primum omnium emicuit: illorum Majores pro eo introducendo & tuendo, bello & pace, res maximas, vario eventu, eo tamen geſſerunt, ut ad hunc usqve diem, poſt tot annos, nulla alia qvam eadem religio & doctrina in provinciis Saxonicis (in qvibus ad duo parochiarum millia numerantur) publice locum habeat. In eorum itaqve ſcriniis vel maxime qværenda ſunt, qvibus memoria rerum fideliter conſervata eſt, & cum certitudine tradi poteſt. Duo autem ſunt, ut in Germania qvidem nemini ignotum eſſe facile poteſt, exterorum tamen cauſa paucis monendum duxi, *Sereniſſimæ Stirpis Saxonicæ* rami, a duobus Fratribus, *Erneſto* Electore, & *Alberto* Saxoniæ Ducibus, qvi ante annos ducentos regiones paternas diviſerunt, propagati. Ab *Erneſto* Electore deſcendunt,

dunt, qvi poſt amiſſum ab abavo aut atavo *Johanne Friderico* Electoratum, Ducum titulum cum qvadam regionum parte retinuerunt, de qvibus mox dicam. Ab *Alberto* vero genus ducit, qvi primum in tota familia dignitatis & potentiæ apicem tenet, *Sereniſſimus Potentiſſimus Dux & Elector Saxoniæ Johannes Georgius III.* ejusqve patruus, & patrueles, qvos a *VVeiſſenfelſa, Mersburgo*, & *Numburgo* ſive *Ciza* denominare ſolemus. Utriqve Serenisſimæ familiæ cum non uno, vel olim vel nunc, devinctus nexu vivam, ad *Duces Erneſtinæ Lineæ* maxime reſpexi, qvia illorum Majores viginti plus minus annis Lutheri doctrinæ patrocinati publice ſunt, antequam a *ſtirpe Albertina* idem factum eſſet. Eorum ſenior nuperrime erat, ad cujus etiam curam communia qvædam negotia more Majorum ſpectabant, *Sereniſſimus Johannes Georgius Dux Saxoniæ Iſennacenſis*, Gvilielmi, qvi Vinariæ aulam habuit, filius, belli pacisqve artibus clariſſimus & optimus Princeps, qvi me aliqvot annis *Conſiliarii intimi* titulo honoravit, & proximo menſe Septembri apoplexia correptus, magno meo & omnium bonorum cum luctu obiit. Ætatis inde prærogativa ad *Fridericum* Saxoniæ Ducem, *Erneſti Pii*, de qvo dixi, *Gothæ*, dum viveret, reſidentis, filium primogenitum (qvem Deus ad multos annos ſervet!) Dominum meum clementiſſimum tranſiit, in cujus & Fratrum Sereniſſimorum ducatu Altenburgenſi prædium hoc & oppidulum poſſideo, in qvo qvietum nec inhonorificum huc usqve annis ſtudiisqve meis receptaculum divina conceſſit benignitas. Utriusqve vero, qvos laudavi, Principis, ex linea Erneſtina propenſio ad promittendum patrocinium & ſuppeditanda qvæ deliderabam documenta, ex Reſcriptis ad me benigniſſimis apparet,

qvo-

qvorum contenta apponam; Sereniſſimi vero & Potentiſſimi Electoris Saxoniæ qvæ fuerit de propoſito meo ſententia, ex juſſione ejus ad Senatum Eccleſiaſticum, qvi Dresdæ eſt, ſupremum videri poteſt, cujus exemplum itidem appoſui: unde conſtat, ab illa imprimis parte oblata clementiſſime fuiſſe, qvibus opus mihi eſſe putavi. Non poſſum hic debito cum honore non meminiſſe Illuſtriſſimi Baronis *Caroli Friſii*, *Conſiliarii*, dum viveret, *Sereniſſimi Saxoniæ Electoris intimi, dictiqve Senatus Eccleſiaſtici, ut & Curiæ provincialis Lipſienſis Præſidis*. Is me a multis annis, non dicam ob morum (qvorum in eo perfectionem aſſeqvi non potui) ſed intentionum ſimilitudinem, arcta amicitia complexus, ad laborem hunc mirifice animavit, eorumqve curam in ſe ſuſcepit, qvæ ad exeqvendum deſtinata ex Electoralibus Archivis, ſi me temporis ordo ad inſpicienda ea vocaret, deſiderabam. Cum deinde aliqvam operis, qvam nunc edo, partem legendam cenſendamqve ei tradidiſſem, qvid non fecit Vir ſummæ virtutis & pii pro religione zeli, ut me mihi ipſi parum fidentem, multaqve obſtacula vel videntem vel ſuſpicantem, ad continuandum laborem cohortaretur? Verum ille magno & ſerio, non meo ſaltem, ſed omnium bonorum, qvotqvot in his provinciis vivunt, cum dolore, ſuperiori æſtate ſublatus, inceſſabile ſui deſiderium nobis reliqvit. Intervenerunt etiam alia cœpti operis ſufflamina, inter qvæ refero incendium, neſcio culpa an caſu menſe Junio anni proximi hic exortum, qvod plus qvam dimidiam oppiduli mei partem in cineres redegit, abſumta etiam æde ſacra, & adjuncto conclavi qvodam, in qvo multa ex libraria chartaceaqve ſupellectile mea repoſita habebam, reliqva, qvæ in caſtello erat, cum trepidanter exportaretur, in tan-

tam confusionem conjecta, ut non parum temporis componendis utcunqve libris chartisqve impensum fuerit, & spes cœpta absolvendi fere tota interciderit. Effectum tamen est, Deo juvante, & benevolentia Principum, hortatu etiam amicorum, ut recepto animo, amotisqve aliis, qvæ oborta fuerant, impedimentis, ad institutum reversus primam operis particulam absolverim.

Prodit itaqve, non tam meo qvam amicorum arbitrio, utinam ad gloriam Dei & emolumentum Ecclesiæ! & continet gesta *annorum septem*, ab anno nempe 1517. exeunte, ad finem anni 1524. in qvibus describendis Maimburgii *liber primus* occupatur, qvem & verbotenus inserui, & mea, qvibus is corrigitur aut suppletur, in paragraphos distributa subjeci, facile ex typorum alternatione dignoscenda. Tenuisse me apparet tertiam aliqvam inter duas, qvas supra proposui, viam, eam nempe, qva & Maimburgii scriptum Latine fideliter versum nostratium, qvi Gallicam lingvam ignorant, notitiæ exhiberem, erroresqve ejus indicarem; dein ut supplendo, qvæ is omisit, pleniorem historiam producerem. Sic mixtum aliqvod scripti genus enatum est, inter *Historicum* & *Apologeticum*. Neqve enim Maimburgius, etsi Historici personam magnifice induens, in carceribus suscepti muneris sese continuit. Dum ergo in censuras evaganti occurrendum fuit, non potui non & ego cancellos historici aliqvando egredi, & in hosticum, ut dicitur, bellum transferre. Consequens fuit, qvoniam Maimburgius veteres novosqve autores, eos maxime exscripsit, qvi Reformationem omnibus modis culpandam exagitandamqve sibi sumserunt, & inter hos ex recentioribus magni nominis virum *Sfortiam Pallavicinum* Jesuitam, qvi procula nova

Con-

Concilii Tridentini historia purpuram Cardinalitiam meruit; hujus qvoqve tradita alicubi in examen vocari debuerint, qvæ ex nostratibus, qvod sciam, nemo adhuc data opera examinavit, cum cæteris dudùm responsum pro meritis fuerit. Succenturiatus tandem anno proximo insurrexit Lutetiæ sub *Historici Regii* titulo, *Antonius Varillasius*, qvi in historia, qvam *de revolutione rerum circa religionem a tribus seculis gestarum*, sive brevius & ex instituto suo convenientius, *de hæresibus* inscripsit, eadem aut majori qvam Maimburgius cum acrimonia, sed majori imperitia, de Lutheranismo commentatus est; itaqve & hujus errata annotanda qvandoqve fuerunt. Scio eqvidem frustra fere a me laboratum esse, si nonnisi ad autoresillos, eorumqve emendationem respiciatur; non enim solum fato suo interea functus est Maimburgius, sed etsi viveret, non magis, credo, commonstrata licet veriora agniturus esset, qvam tot alii fecerunt, qvi ubi rationibus & verbis destituuntur, ad lapides tandem, id est, ad convitia & vindictas confugiunt. Ferunt etiam, libris nostris aditum in Galliam jam non amplius patere. Plures itaqve gravioresqve causas habui, ut vera & pleniori enarratione *Acta Reformationis* exponerem, & qvæ peregrini isti & obnoxii scriptores, vel ab aliis incaute arrepta, vel ex suo ingenio depromta, falso & contumeliose cum magna confidentia tanqvam compertissima tradunt, ita refellerem, ut veritati lux sua, a calumniarum & cavillorum umbra vindicata redderetur. Minime itaqve omnium intendi, ut mentientium turpitudinem detegendo, recriminationis intemperie bilem exonerarem. Ejus fervoris incitamenta singularia nulla habeo; cum non nisi unus sim ex millenis millibus, qvi eandem mecum fovent causam, eandem-

qve expectant fortunam, si renascentia indies odia, tot vinculis legum pactionumqve publicarum neqvicqvam coercita, in vim eruptura sunt. Verum hoc in Dei manibus positum est, qvi pro sua sapientia & bonitate statuet, an ad veritatis agnitionem plures deducere, an qvi hanc ore profitentur, sed moribus inhonestant, persecutionum igne explorare & purgare velit. Inter causas scribendi hanc qvoqve fuisse mihi non negaverim, ut calumniæ & imperitiæ alienæ obex poneretur: sed jam monui, metuendum esse, ne pleriqve ex adversariis exacerbentur potius qvam corrigantur. Certior itaqve fructus sperari potest ex eo, ut ostensa magis magisqve rerum gestarum veritate, nostris Ecclesiis prospiciamus, animosqve ad majorem constantiam firmemus, tum manendi in professione purioris religionis, tum vitam moresqve corrigendi. Scientia enim veri & boni, qvam praxis non seqvitur, non inutilis saltem est, sed & culpam auget, cum nempe scientes prudentesqve in deteriora prolabimur. Morum sane pravitati sine dubio magis qvam scientiæ defectui imputari debet, qvod nostro hoc tempore minima illius zeli fervorisqve pars compareat, qvem circa initia enascentis Reformationis majores nostri ostenderunt. Neqve qvidqvam magis obstitisse ulteriori religionis purgatæ propagationi credendum est, qvam qvod relaxata morum disciplina, & vita a doctrinæ sanctitate palam discrepans, multis ex adversa parte suspicionem præbuit, ob alias omnes causas, qvam urgente conscientia & veritate, discessionem factam esse. Hinc perpetua illa accusatio originem habet, strepitqve ad hunc usqve diem, qvod Principes nuntium Romanæ Hierarchiæ non alio fine miserint, qvam ut opes ecclesiasticas invaderent; populus vero, ut a legibus ecclesiasticis

sticis solutus, genio suo indulgeret. Exempla deinde non plebis tantum, sed & procerum, imo & Ecclesiæ ministrorum objici solent, qvi parum honeste vivant, iisdemqve aut majoribus vitiis sese contaminent, qvæ in iis, a qvorum communione separati sunt, acriter reprehendunt. His retro etiam credibilia fieri videntur, qvæ de Reformatoribus ipsis, de Luthero imprimis, & de Principibus, qvorum patrocinio is usus est, plenis buccis declamantur. Accedit, qvod in Cleri Romani actionibus multa, qvæ cœptæ Reformationis tempore Principes & populum vehementer gravabant, correcta esse jactentur, certe cautius & majori cum specie tractentur. Neqve dubitandum est, in ipsō Clero Romano haud paucos hodie esse, qvi de religione melius sentiant, qvam ii, qvi Lutheri tempore vixerunt. Neglecta certe olim sacrarum literarum studia resumta sunt, copia etiam legendi haud difficulter & plurimis ex populo data. Concionum, catechizationum, cantionum sacrarum introductione, aut earum qvas purgatæ Ecclesiæ nostræ instituerunt imitatione, aliqvorum etiam rituum & abusuum correctione & moderatione, in Germania sanu effectum, ut alicubi imperitis ex plebe, aut de religione ab externa facie judicantibus opinio nascatur, majoribus nostris non satis graves causas fuisse, propter qvas ad immanem illam rupturam perventum sit. A multis etiam annis rigor inqvisitionum & suppliciorum in dissidentes remissus esse apparet, facili omnibus, qvi ad Romanam Ecclesiam transeunt, non venia tantum, sed & ad honores & commoda aditu. Qvi ergo ex his qvæ vident, de præteritis judicant, dubitare incipiunt, verane sint, qvæ de sævitia superiori seculo adversus Protestantes exercita narrantur, & an non ex aliis causis animadversionem incurrerint.

Qvemadmodum autem mihi, aliisqve senioribus, qvi hodie bellorum ante annos qvadraginta gestorum mala, licet ipsi eorum pars aliqva fuerimus, narrare solemus, vix fides habetur, nec credibile videtur qvæ jam vivit ætati, in oppidis pagisqve, freqventissime nunc habitatis, rerumqve necessariarum copia affluentibus, perpetrata esse qvæ audiunt, excarnificatos nempe & occisos homines, nihil sanctum aut inviolatum, summam inopiam, famem, solitudinem deniqve & vastitatem fuisse: aut si qvi sunt, qvi hæc serio asseverantibus tandem credant, eo tamen ex auditu non afficiuntur dolore, qvem qvi talia ipsi experti sunt, ex eorum recordatione sentiunt: Ita fit, ut fabulis similimæ videri possint qverelæ, qvæ post duo pene secula de corrupta religione & de insolentia & inscitia Cleri percipiuntur, iis præsertim, qvi neqve ea, qvæ hodie in aliis regionibus non reformatis fiunt, cognita habent, aut non nisi externa & speciosa respiciunt, aut refrigeratum deniqve apud nosmetipsos zelum labentemqve disciplinam observant. Hinc est ut tam faciles sint multi in admittendis, qvæ hodie oppido freqventes sunt, extenuationibus veteris mali, indeqve incipiant consiliis & institutis majorum diffidere, & calumniis atqve obtrectationibus aures præbere, qvibus tandem efficitur, ut non frustra saltem, sed & pessimo more, imo cum jactura animæ Reformationem factam esse arbitrentur. Qvi vero levioris sunt animi, qvorum magna nunqvam non est copia, rident zelum illum majorum, toleratqve ob res, qvæ pro indifferentibus hodie habentur, tot & tanta pericula; itaqve si opus aut commodum esse videant, ad rejicienda aut acceptanda, qvæ haud magni momenti esse æstimant, in qvamcunqve vertantur partem & formam, non difficulter sese componunt. Neqve

qve ſolum imperiti in hunc inſtitutæ a majoribus Reformationis contemtum incidunt, ſed & docti, qviqve ante alios & ſupra ſcholam ſapere ſibi videntur. Inter qvos fortaſſe invenias, qvi Acta illorum temporum, imprimis vero ipſius Lutheri facta & ſcripta faſtidiunt, illisqve ut incultis & ſemibarbaris, vel ſua, vel aliorum recentiorum cogitata longe præferunt. Hi, ſi ſibi Respublica Eccleſiaſtica formanda & reſtituenda concrederetur, longe ſapientius, commodius, felicius omnia expedituros ſe eſſe confidunt. His omnibus, & ſi qvi ſunt, qvi alio alioqve modo de juſtis Reformationis cauſis vel de proceſſu & modo dubitant, aut in tenenda tuendaqve qvam majores noſtri tanto labore, ſumtu ac ſangvine pepererunt, religionis profeſſione tepent langventqve, accurata geſtorum dictorumqve illo tempore cognitio excitare mentem, deinde adverſus tentationes, qvas etiam optimi & conſtantiſſimi ſentiunt, utilis & ſalutaris eſſe poteſt, cum vident, qvo fundamento Reformatio ſuſcepta ſit, qvamqve nihil ejus ſanctitati & utilitati, per calumnias illas, de qvibus ſummatim dixi, in opere vero ipſo latius oſtendam, detrahi poſſit. Non fruſtra in Veteri Teſtamento Ægyptiacæ ſervitutis recordatio Iſraelitis toties commendatur, eademqve utilitate Apoſtoli gentilibus non ceſſant priſtini erroris infelicitatem ob oculos ponere. Cur non & nobis illo exemplo recolere conveniat beneficia, in repurgando Eccleſiæ ſtatu majoribus exhibita & in nos continuata, ſi qvidem ſerio credimus beneficia eſſe? Nolim hujus comparationis terminos odiose extendi. Scio, Deoqve eo nomine gratias ago, qvod etiam extra Lutheranas Eccleſias, retenta verbi divini aliqva lectione & prædicatione, Chriſtianæ religionis capita maxima & ſaluberrima locum habeant; nec noſtra-

ſtrates in medio diſputationum ardore negarunt, eſſe etiam in corruptis cœtibus pias animas, qvæ fidei, ab erroribus capitalibus ſingulari qvadam Dei benignitate & luce liberatæ & purgatæ, efficacia ſalventur. Nihilominus ſtatum religionis, ut ante Reformationem fuit, cum illo, qvi per eam introductus eſt, conferentes ingratiſſimos eſſe oportet, qvi divinam benignitatem non agnoſcant, qva & vetera, qvæ recta & orthodoxa fuerunt, retinuimus, & temere credita, aut per ambitionem & ſordes invecta expurgavimus. Fruſtra hoc *ſchiſmatis & apoſtaſiæ* nomine diffamant; qvibus ſi credas, ii ſumus, qvi non a dominatu peregrino aut conſvetudinis inveteratæ jugo, ſed a Deo & Chriſtianiſmo defecerimus. Unicum tamen, ſi omnia audiantur & excutiantur, tandem crimen eſt cujus inculpamur, *excuſſio poteſtatis qvam Romani Pontifices ſibi in nos attribuerant.* Agnoſcent ſinceriores & doctiores ex Romano-Catholicorum Theologorum numero, qvod in unico illo de Eccleſia, ſub Romani Pontificis eccleſiaſtica jurisdictione continenda, articulo, ſpecifica, ut ita dicam, forma ſchiſmatis conſiſtat. Certe, qvæ hodie eſt in conciliationes & probabilitates, poſt refrigeratum ſcholaſticarum diſputationum ardorem proclivitas, neſcio annon omnia ferre in nobis velint in qvibus diſſentimus, modo caput illud viſibile, iſtamqve concorporationem ſive unionem admittere poſſimus. Qvicqvid de dogmatibus aut ritibus diſputatur, valde vereor ut ulli, ex illa parte, non admodum ſimplici, pro vera diſſidii cauſa habeatur. Pro autoritate ſedis Romanæ, pro dominatione, pro opibus & commodis Antiſtitum & Cleri pugnatum eſt, & adhuc pugnatur. Hæc cum ſubverti aut imminui metuerent Proceres Eccleſiaſtici (minor enim Clerus, ut conſtat, & nuper faſſus

eſt

est Pallavicinus Cardinalis, ad reformationem satis promtus erat,) non alio telo citius efficaciusqve prosterni Reformationem posse existimarunt, qvam si, qvi causam ei dabat, Lutherus hæreseos reus pronuntiaretur. Si vero is Pontificium jus salvum intactumqve reliqvisset, tanti ne ipsi qvidem cætera habuissent, qvorum causa ram graves noxiosqve sibi ipsis tumultus cierent. Si vero ad controversiarum in dogmatibus capita speciatim consideranda accedatur, deprehendi poterit, in reliqvis conciliationum viam facile inveniri potuisse, illis tantum semper difficillime obstantibus, qvæ ad honores & proventus Cleri maxime pertinebant. Qvoniam ergo nobis perpetuo objicitur, majores nostros tantum utilitatis causa secessionem fecisse, cur qværere vicissim nobis non liceat: si aliqvid illo tempore excogitari potuisset, qvod Cleri prærogativam & opes æqve foveret & augeret, ac sacrificium Missaticum & alii proventus, idqve prioribus, in curiæ Romanæ & Cleri commoda, surrogari; an transigi, & externam unionem, scissis diversisqve utcunqve dogmatibus, retineri non fuisset impossibile? Non ausim tamen hanc mentem omnibus tribuere, cum & in populo plurimi fuerint & sint, qvi nullo ad Cleri utilitatem respectu, nec ob dogmata, (qvorum momenta pauciſſimi intelligunt) sed vel ob unicum ritum, ad fidem ipsam parum facientem, capitalia odia adversus omittentes aut dissidentes exerceant. Etiam inter Theologos repertos fuisse non dubito, qvibus magis cordi fuerit consensus in dogmatibus, qvam in agnoscendo Primatu Pontificio. Sed de iis loqvor, penes qvos rerum summa stabat, qvi fulmina ex aula Romana, qviqve proscriptiones in comitiis procurabant, dominationis magistri, qvalis erat famosus ille *Hieronymus A-*

leander Pontificius Legatus, cujus machinationes in prima Historiæ hujus nostræ parte percipimus: qvales multi alii majori dignitate & potentia, qvorum vita moresqve ostendebant, qvo loco & precio illis fidei capita essent. At hi omnium maxime hæresin inclamabant, illoqve classico Imperatores, Reges, Principes ad expediendas secures, ad rogos instruendos, ad bella deniqve suscipienda incitabant. Qvo vero qvisqve doctior pietatisqve studiosior erat, tanto magis is a scenico illo tumultu abhorrere, & larvam detrahere cœpit productis hæreseos spectris. Ipsum forte Purpuratorum collegium illo tempore habuit, qvi hoc animo essent, & remedia schismatis alia optarent, qvam qvæ in asserendo unico illo & supremo de Hierarchia articulo poni videbant. His annumerare non dubito *Jacobum Sadoletum, Casparum Contarenum, Reginaldum Polum*, Cardinales, etsi non omnes difficultates superare potuerint, qvibus & ipsi ex infirmitate humana implicabantur, qvo minus sterilem & periculosam veritatis professionem dignitatibus commodisqve suis præferrent, aliqvando & verbis factisve, ne suspecti suis fierent, favirent, qvod Polum feciſſe non potest negari. Qvod vero perpetuam illam objectionem attinet, qva præcipua schismatis causa in cupiditatem & avaritiam refertur, qvando nimirum ajunt, Principes & Proceres invidisse Clero opes suas, populum exactionibus occasione rerum sacrarum exhaustum libertatem affectasse; non diffiteor eqvidem, ipsum Lutherum has sordes cito suis exprobrasse, dum & rapinas qvasdam observavit, a potentioribus exercitas, & populum arguit, qvod mutationis maximum emolumentum in eo poneret, ut jam nihil in usum sacrum conferrent, qvi tamen paulo ante tot pensitationes, per

sacer-

sacerdotum & officialium avaritiam sibi extortas, patienter tolerassent. At Lutherum & qvos ille primos adjutores in doctrina, aut patronos ex Principibus habuit, eo animo atqve proposito Reformationem molitos esse, ut opes qværerent, aut saltem tributis illis Ecclesiasticis populum liberarent, id ego veritati Actorum plane repugnare confidenter dico, & vel in hac ipsa *parte prima* evincam, qvam frivole hoc jactetur, qvamvis luculentius id demonstrari possit ex seqventium annorum historia. Adeo enim ab illa inculpatione, qvasi tantum opibus Cleri invadendis incubuissent vel Lutherus, vel suadente illo Principes, absolvi possunt Lutheri actiones, ut ne levissima qvidem iterandi calumniam toties putide repetitam species superesse qveat. Ex septem annorum historia, qvæ primam operis partem facit, constat, Lutherum sub Friderico Saxoniæ Electore (qvem ob sapientiam nostrates celebrant, invidi ut callidum fugillant) nihil egisse nec audere potuisse, qvod vel minimam suspicionem cupiditatis illius præberet. Succesisse postea, frater Friderici *Johannes*, qvi publica autoritate Reformationem religionis primus tractavit; huic filius *Johannes Fridericus*, qvi arma etiam pro tuenda illa expedivit. His regnantibus, jam omnia in Saxonia monasteria a monachis utriusqve sexus vacua erant, reditusqve eorum, primo ab Ordinibus provinciæ administrati, enatis variis ex œconomia illa incommodis, in Principum curam concesserant, indeqve stipendia Pastoribus & Scholarum magistris præbebantur. Ea erat potentia Johannis Friderici, ea etiam Agnatorum cum eo tunc temporis dissidia, ut Episcopi in Saxonia ditionibus suis temporalibus exuti facilime potuissent.) Erant fortassis etiam, qvales in aulis non infreqventes sunt, qvi

id suggererent, sed qvid Lutherus senserit, & qvale consilium dederit, proximo ante mortem suam bellumqve Smalcaldicum anno, ex documento indubitatæ fidei, hic per anticipationem demonstrabo: vitæ enim mora brevis spes vetat inchoare longas, incertumqve haberi debet, an mihi vivendi scribendiqve facultas duratura sit, donec laborem meum ad illius anni gesta protulero.

Missum mihi est a Serenissimo Duce Friderico supra nominato volumen *Actorum*, in qvo responsa Theologorum VVittenbergensium Germanice & Latine ad Electorem Johannem Fridericum data reperiuntur, *D. Martini Lutheri, D. Johannis Bugenhagii Pomerani, D. Caspari Crucigeri, D. Georgii Majoris, & Philippi Melanchthonis* manu subscripta. Petierat illo tempore Elector a Theologis, ut qvia iterum spes aliqva conveniendi de causa religionis (subdola illa qvidem, & ad occultanda belli, qvod Cæsar meditabatur, consilia) ostentabatur, illi habita consultatione, ultimam, in qva subsisti debere putarent, sententiam aperirent. Præstiterunt hoc, dicuntqve in literis ad Electorem datis, cum qvibus consultationem suam die 14. Jan. 1545. exhibent, *se contuliſſe omnia, qva de tota politia eccleſiaſtica, & reformatione chriſtiana, pro ſimplicitate ſua ſentirent, & extrema indicaſſe, in qvibus per Dei gratiam perſiſtere decreviſſent:* **Aus Eur. Churfl. Gn. Befehl haben wir in Unterthänigkeit vom gantzen Kirchen-Regiment und Christlicher** reformation **unsere einfältige Meinung zusammen bracht/ und auffs eusserste angezeigt/ wobey wir durch Gottes Gnade endlich zu bleiben gedencken.** Scripto (de Latino exemplo loqvor) in Cancellaria Electorali exhibito, ut moris est, lemma præfixit Secretarius his verbis:

Witten-

Wittenberg. *Reformation* durch *Ph. M.* (Philippus Melanchthon) ins Latein ꝛc. h. e. Reformatio VVittenbergensis per Philippum Melanchthonem Latine versa. Tractantur in illo capita sequentia, *de vera doctrina, de confirmatione sanctorum, de conjugio, de ministerio evangelico & regimine Episcoporum, de scholis, de victu & defensione ministrorum Evangelii, de monasteriis.* Lutherus sua manu (qvæ satis nota est) margini tribus aut qvatuor locis adscripsit, per qvæ mutare qvædam modeste voluit, v. g. ubi fol. 4. Melanchthon scripserat, *de qvibus exhibuimus Cæs. Majest. Confessionem Augustæ anno 1530.* reposuit Lutherus: *de qvibus exhibita est Cæs. Majestati Confessio doctrina &c.* item pro verbis, *qvare necessarium esse ducimus*, scribi voluit: *nostri necessarium esse existimant*, & pro (*nostram* sententiam) *nostrorum.* Jam ubi de regimine Episcoporum, eorumqve officio, multis graviter egerunt, obedientiam suam ipsis denuo offerentes, *si non poscant ut veritatem Evangelicam abjiciamus & damnemus, sed veram doctrinam amplecti & propagare vellent*; de facultatibus & opibus illorum ita inter alia commentantur: *Qvanqvam gubernatio imperiorum & immodicæ opes impediunt administrationem Ecclesiæ & literarum studia, & multi pii & prudentes ante hæc sæcula non temere qvesti sunt, Episcopos nimium occupatos esse prophanis negotiis imperiorum, & opum suarum cura; tamen postqvam nunc talis est politia & opum ordinatio, & Episcopi prudentes & timentes Deum recte uti suis facultatibus possunt, nos illam opum & ditionum possessionem non turbamus.* Eundem sensum in literis, supra relatis, ad Electorem breviter & liberius his verbis significant, postqvam præmisissent, *se qvidem non posse sperare, ut in æternum*

num Episcopi cum Canonicis suis (qvos indoctos & impios vocant) Christianam doctrinam & ceremonias admissuri sint. So haben wir ihnen doch ein demüthig Erbiethen gethan/ und ihnen eine gelinde reformation fürgegeben / daraus gnugsam zu verstehen/ daß uns nicht auffgelegt werden kan/ daß wir ihnen nach ihrer Hoheit und Gütern trachten/ oder der Spaltung Ursachen sind. id est, *humile obsequium illis obtulimus, & tolerabilem reformationem proposuimus: ex qvo satis intelligi potest, imputari nobis non posse, qvod dignitati & opibus illorum inhiemus; nec schismati causam nos præbere.* Asservatur hoc scriptum in scriniis Ser. Principis Gothani, ubi ab oculis suis fidem impetrare potest, qvi eam relationi meæ (qvod eqvidem non mereor) denegaverit. Invenitur qvidem idem scriptum inter edita a *Christophoro Pezelio* Consilia sive Judicia Theologica Melanchthonis, *in forma qvam dicunt octava Neostadii ann. 1600. Part. I. p. 586.* sed præterqvam qvod liber iste Pezelianus paucis hodie cognitus est, fallere potest lectorem rubrica Consilii, ut id solius Melanchthonis moderationi & studio irenico tribuendum esse credat; cum tamen Actorum, qvæ allego, fide constet, Melanchthonem non nisi interpretem fuisse ejus qvod Germanice composuerat Lutherus, qvodqve ab ipso & collegis ejus subscriptum ostendi potest: ut adeo indubitatum sit, qva mente tunc fuerit Lutherus. Scripsit autem ista cum florentissimæ essent Principum Protestantium opes. Nihil itaqve inhumanius & iniqvius esse potest, qvam invidia illa immerentem gravari, qvam & alias & illo deniqve tempore, cui ultra annum mensemqve unum non supervixit, tam evidenti animi sui significatione elisit. Non qværitur jam, qvid factum sit a

Principibus, (qvanqvam & illis falsa plurima ab imperitis & malevolis afficta sunt, ut alibi ostenderetur) sed qvid ex principiis doctrinæ & reformationis svaserit & desideraverit Lutherus. Excesserint alii, luerum aliqvod ex spoliis Ecclesiasticorum bonorum captaverint, nihil id officit doctrinæ puritati. Fecerunt paria, faciuntqve multi, qvi in religione nihil mutarunt.

Hoc igitur unum est accusationis caput, cujus injustitiam irrefragabiliter, ut spero, demonstratam do, non alio fine, qvam ut odia ex fallis imputationibus orta & aucta a Reformationis autoribus amolirer, & simul ostenderem, conciliationis Christianæ & conscientiæ non repugnantis viam, jam tum summo cum judicio propositam, sed infelici pertinacia recusatam fuisse. Negari neqvit, & libri ostendunt, Lutherum, cum libertatem doctrinæ ex Evangelio proponendæ, non alio qvam Pontificio illo jure & imperio impediri, & se non argumentorum, sed autoritatis vi damnari cerneret, jus illud ipsum impugnasse, eaqve occasione Clero divitias nimias, & imminutas illius artibus Principum dignitates & opes objectasse: dein adversus jactatam Pontificiæ potestatis divinitatem, populo libertatem amplectendi fidem Evangelicam, Principibus curam sacrorum externam & jus reculandi Pontificum dominatum asseruisse. De his disceptandum ante omnia, & jus Pontificium, alio, qvam factum est, modo asserendum fuisset, tali nempe, qvi conscientias Christianorum convicisset. Id dum fieri non potuit, summe dubitandum fuit, an vi adversus Protestantes uti licuerit; & an rebellium & raptorum crimen incurrerint, qvi suo jure, ut existimabant, usi, & de religione & de bonis Ecclesiasticis statuerunt. Lutherus tamen, & qvi eum

um ſeqvebantur, doctores tum in ipſo diſceptationum fervore, tum vero maxime qvando de concordiæ ineundæ rationibus agebatur, de ſummo, qvod intendebat, capite ante omnia ſoliciti erant, de concedenda nempe populo doctrinæ puritate & legitimo ſacramentorum uſu: ſed de dignitatibus & opibus Cleri, de aliqvibus etiam jurisdictionis & adminiſtrationis ſpeciebus & actibus ita tractabant, ut cedere pacis cauſa non detrectarent. Pervertunt itaqve maligne ſtatum qvæſtionis, qvi præſupponunt qvæ controverſa ſunt, & Luthero & ſociis affingunt, ac ſi primario ad ſpolia ex opibus Eccleſiaſticis reſpexiſſent, aut horum oſtentatione Principes & populos illexiſſent, qvod qvam falſo objiciatur, ex hiſtoria ipſa luculenter conſtabit, aliqvod tamen ſpecimen in allato teſtimonio, uti ſpero, jam præliminariter datum eſt. Nolo hic in eam deſcendere diſputationem, an de bonis Eccleſiaſticis ſtatuendi jus fuerit in ditione ſua Principibus & magiſtratibus; pendet enim & hæc a probatione primatus Pontificii, qvæ ſi deficiat, nil eſt qvod Clerus Principibus populisve objicere qveat, ſua utentibus libertate.

Alterum inculpationis caput ad privatam vitam moresqve pertinet, tam Lutheri, qvam Sectatorum. Hic etiam obſervari velim ab iis, qvi tam liberaliter criminantur, qvam fruſtra, imo in ſe ſuamqve Eccleſiam periculoſe recidenti exemplo, a morum defectibus ad doctrinæ errores argumententur. Ea prolapſa proh dolor! eſt ubiqve, & per omnes cœtus, pietas & diſciplina, (fatentibus id gravibus in Eccleſia Romana, per Galliam maxime, ſcriptoribus) ut ſi ad corruptionem diſciplinæ reſpiciamus, de amiſſa tota Chriſtianiſmi veritate dubitare liceat. Neqve vehementius de morum labe ſub re-

flore-

floreſcente Evangelii doctrina, facile ullum alium qveſtum eſſe exiſtimaverim, qvam ipſum Lutherum, qvi Jeremiæ ſeveritatem reduxiſſe in ſuum ſeculum vere dici poteſt. Itaqve & hic malitioſe a ſcopo diſceditur, & a doctorum moribus adverſus doctrinam pugnatur, qvæ tamen pura eſſe poſſet, qvomodocunqve illi vitam ſuam inſtituerent. Inſolens maxime eſt, qvod non fatigentur de vita ipſius Lutheri perpetuo criminari. Eminet iterum hujus candor, qvi ſuam fragilitatem ingenua profeſſus eſt cum libertate, ſed doctrinæ veritatem non ex vitæ ſuæ exemplo, (qvanqvam & illo adverſarios longe ſuperavit) ſed ex ſacrarum literarum præſcripto æſtimandam centies obteſtatus fuit. Dicerent aliqvid, ſi Lutherus, qvod impoſtores qvidam veteres noviqve jactare ſolent, ullum doctrinæ caput revelationi ſpeciali attribuiſſet: talibus enim non immerito objicitur morum aut miraculorum defectus. Nihil tale unqvàm Lutherus venditavit, non niſi ad legem & teſtimonium provocans, & nihil ſibi credi poſtulans, qvam qvod Scriptura teſte aſſeveraret: neqve inter nos ſunt, qvi articulorum fidei veritatem illius opinioni tribuant. Mentiris! vid. omninò

Paulo prolixius hæc præmiſi, dum de fine & utilitate laboris mei differo. Biceps enim illa peſtilentis calumniæ vipera, ſive amphisbæna, per totum Maimburgii & aliorum veterum novorumqve ſcriptorum libros regnum tenet, nec ulla omittitur vel leviſſima occaſio, aut ſpolia eccleſiaſtica, aut relaxamentum diſciplinæ doctoribus, principibus, populisqve objiciendi. In prima jam hiſtoriæ Maimburgianæ epocha virus illud effunditur: qvamvis qvod Lutherum attinet, maximum illud & irremiſſibile, qvod crepant, crimen, nuptiarum cum moniali, nondum in ſcenam producatur, ad annum 1525. librumqve ſecundum reſervatum.

Cæterum ut de adminiculis, qvibus in *prima* hac parte adjutus fui, aliqvid adhuc commemorem, fatendum est, me ex *Archivis*, ob eam, qvam supra attuli, rationem, subsidia magna habere nondum potuisse; majora adepturum me spero, si, Deo favente, ad tempora Johannis & Johannis Friderici Electorum pervenero, qvi & apertius in religionis causa versati sunt, & pluribus ministris instructi, pluribusqve negotiis impliciti, Actorum monumenta copiosiora reliqverunt. Nactus tamen sum sæpe dicti Serenissimi Principis *Friderici* beneficio qvædam ex *Georgii Spalatini*, qvi Friderico Electori a secretis sacrisqve fuit, commentariis, & aliis, qvantum scio, non editis Actis descripta, qvæ in loco allegavi. Opuscula Lutheri, & contra eum, primis a cœpta disputatione ejus annis edita, & fere deperdita, nec in Tomos relata, ex *Lipsiensis Academiæ Bibliotheca* humanissime mihi suppeditata fuerunt. Eandem promtitudinem studia hæc mea juvandi, in vicinis urbibus *Altenburgensi*, & *Cizensi*, ut & *Jenæ*, a præclaris viris mihi amicissime exhibitam grata recolo mente. Fortassis publicato nunc operis qvaliscunqve mei specimine alibi qvoqve excitabuntur, qvi vel ad supplenda secundis curis qvæ nuncedo, vel ad continuandam seqventium annorum historiam me juvabunt; qvamvis complevero, dum hæc scribo, anno ætatis meæ sexagesimo cogitare potius debeam illud: εὐχαὶ γε γερόντων. Si qvis ergo annis studiisqve melior, qvam ambulare cœpi viam prosequi, aut perfectiorem (qvam reperiri posse non dubito) insistere velit, ei profecto lampada lubens tradam, & successum apprecabor. Pergam interim, qva sinet, per Dei benignitatem, rerum & valetudinis meæ status, qvamvis imperfecta plurima relicturum me esse facile conjiciam.

Si

Si qvis, ut ſuſpicor, futurus eſt, qvem prolixitas primæ hujus partis offendat, maxime vero, qvod tam multa ex Lutheri libris & epiſtolis inſerui, is facti rationes has a me, rogo, non invitus percipiat. Prima hæc, qvorum hiſtoriam trado, Lutheri geſta ab anno 1517. ad 1524. omnium maxime notabilia mihi viſa ſunt, non contradicentibus, ut ſpero, qvi conſiderabunt, hæc fere eſſe qvæ illi ſoli tribui debeant. Intra hoc enim ſeptem annorum ſpatium ab humano præſidio totus deſtitutus erat; trepidum qvippe & veluti furtivum fuit, qvod ei Fridericus Elector præſtitit, cum qvo ne ſemel qvidem colloqutus eſt, & qvem bis tantum vidit. A Collegis etiam parum ei acceſſit adjumenti; ſane ab illo, qvi inter primos eſſe debebat, Caroloſtadio, qvid paſſus fuerit, ex hiſtoria notiſſimum eſt. Timidior, uti qvidem ſemper, tunc tamen, etiam ob juventam, vel maxime erat, doctior licet aliis omnibus, Melanchthon. Ipſe vero Lutherus non qveri ſatis de ſe ipſo poteſt, qvam titubanter & per multos errores lapſusqve ex præjudicatis opinionibus ſeſe extricaverit. Qvod ſi ad pericula reſpiciatur, in qvæ per iſthæc tempora incidit, ad Acta videlicet cum Cardinale Cajetano, & in Comitiis VVormatienſibus; ad Pontificis & Cæſaris adverſus eum duriſſima decreta; ad labores immenſos, & hominis vires fere excedentes; ad valetudinem afflictam; & ad incredibile ab innumeris adverſariis odium, & grandinem qvandam convitiorum per libellos in ſe jactorum; ad pauperrimum tandem & incommodiſſimum in inopi monaſterio victum, miraculo ſimilimum eſt, vivere virum vel uno, nedum ſeptem his annis, potuiſſe. Intra hoc ipſum tempus nulla Principum potentia, aliqva ſaltem alicubi conniventia, alibi vero inter rigidiſſimas perſecutiones, in o-

ut Calvini &c.

mnes fere Europæ regiones doctrina viri, ex sacris literis denuo eruta, veluti fulgur qvoddam penetravit, sangvine etiam martyrum & plurimis exemplis pietatis & devotionis mirifice firmata. Itaqve septem hi anni, si ad interna magis qvam externa cogitationem referamus, floridissimam veluti juventam renascentis Christianæ religionis repræsentant, nondum licet accedente Principum autoritate, aliisqve, qvæ ad speciem potius & pompam, externamqve professionis securitatem, qvam fidei substantiam pertinent. Feliciores etiam hi anni fuerunt nondum exortis turbis, qvæ postea secutæ sunt, vel a rusticæ plebis inconsultis ausis; aut Principum consiliis, qvæ in bella deniqve desierunt; aut divisionibus inter ipsos Protestantium doctores & cœtus, magis magisqve erumpentibus. Itaqve mihi propria Lutheri hæc historia videtur, cum concionibus lectionibusqve suis VVittenbergæ (mediocri sane, si cum magnis urbibus conferatur, oppido) scholam aperiret, ex qva in tot regna & provincias Evangelii præcones, veluti tot coloniarum duces, mittebantur. Multo vero magis profecit per libellos suos, qvibus celeberrimæ typographiæ occupabantur, in præcipuas Europæ lingvas magna alacritate translatos, ut non nisi summa & extrema violentia effectum sit, ne Reformatio doctrinæ totum Christianum orbem, sicuti pervadere cœperat, ita prorsus impleret. Ex his ergo ejus libris, exosis licet apud adversarios, fastiditis etiam apud nonnullos ex nostris, non pœnituit me, præter illa qvæ historiæ veritatem juvant, (ad qvam Epistolæ viri multum conferunt) dogmatica etiam adscribere, qvibus ille sententiam suam cum summo applausu explicavit, aut adversarios repulit. Ita & tempori & commoditati legentium prospectum est: neqve enim omnibus

bus licet vasta illa librorum volumina adire. In seqventibus, ubi Principum & Magistratuum auctoritas, & adjutorum major numerus accessit, & ad publicas confessiones perventum est, parcius breviusqve Lutheri libris utar. Nunc Lutherum ex ipso Luthero eruo, formo, depingo, & ab ea parte conspiciendum admirandumqve sisto, qva is mihi pulcherrimus optimusque visus est. Ab illa nempe, qva hominum mentes, propositis ex cœlesti Scripturarum thesauro argumentis, convicit, tantamqve, qvæ ei opponebatur, autoritatis & potentiæ machinam veluti folia, aut chartaceos pictosve muros disjecit. Patebit hinc, qvo respectu *Lutherani* simus, qvid in eo venerati secutiqve fuerint majores nostri, & qvam iniqve nobiscum, & frivole etiam atqve impudenter agant, qvi nos ad mores viri, aut ad duriuscula ejus dicta aut scripta ablegant; in qvibus excerpendis, mutilandis, cavillandis, improbam sane, certe Christianis minime dignam consumunt operam. Peccaverit, lapsus sit, verbis factisve, (longe qvidem levius mitiusqve qvam inimici & æmuli ejus tradidere) id nobis humanæ imbecillitatis argumentum dat, at doctrinæ fideiqve nullum adfert detrimentum, cujus fundamentum scimus ubi qværendum sit.

Rogatos itaqve velim, qvam possum decentissime amicissimeqve, omnes qvi in hunc librum meum incidunt, & imprimis eos, qvi Lutherum hæreticum, imo hæresiarcham fuisse confidenter credunt, & tot hominum myriadibus ob Lutherani, qvod vocant, dogmatis professionem male cupiunt, ut seqvestratis odiis & præjudiciis, ad legendum librum accedant. Videbunt, qvomodo homines infensissimi gesta & dogmata Lutheri narraverint, videbunt etiam, qvæ ego, qvibusqve fundamen-

damentis & probationibus adversus calumnias produxerim, & veriora optima fide substituerim. Qvid optabilius mihi esset, qvam si divinæ veritatis lumen oculos omnium legentium perstringeret & animos mutaret, ut ex inimicis & persecutoribus fratres & socii fierent, qvi uno nobiscum corde & ore puram in Deum fidem profiterentur, & communi zelo pietatem morum restituerent! Summa dissidiorum nostrorum satis nota est, & supra indicatum, qvo tandem recidat. Qvamvis vero in hac exulcerati seculi gangræna, & in fæce ultimorum temporum, vix ullus spei locus sit, tollendi per tales modos schismatis, qvi vere Christianos deceant, nec tyrannidem sapiant, qvæ certissimam Anti-Christi notam præbet, nolo tamen inter eos esse, qvi prorsus desperent. Qvod si vero frustra est de perfecta pace Ecclesiæ cogitatio, perpendant velim viri docti & pii, qvales profecto etiam extra cœtum nostrum magno numero reperiri minime dubito, & res loqvitur, qvomodo in hoc saltem (qvod utiqve licet) puncto conveniamus, ut mutua officiorum humanitate & æqvitate, qvæ Christianorum summa & propria virtus est, nos tractemus. Desinant tandem ab utraqve parte calumniæ, & mendaciorum fabulæ; desinant exaggerationes & perversæ consequentiarum exterebrationes: sat gravia sunt absqve illis, in qvibus dissidemus; cesset apud omnes (nam Protestantibus eadem dico) propagandi religionem per vim aut astum, & per illecebras indignas nomine Christiano, lubido: prædicetur veritas, ut qvisqve eam pro conscientia, absqve hypocrisi, intus & serio sentit; indicetur mascule, sed non immodeste & falso, qvid qvibusqve ex causis in opposita displiceat parte: preces ad Deum fiant, ut errantes in veritatem reducat, & jam in hujus tramite ambulantes magis

Contrarium passim facis.

gis magisqve firmet & promoveat. Cogitetur etiam & pro beneficio Dei habeatur, qvot & qvam præclara capita fidei sint, qvæ cum consensu docemus. O qvanta Christianorum simplicium, id est, optimorum, pars cœlesti potietur beatitudine, qvæ nunqvam vel audivit, nedum didicit, qvæ tanta cum acerbitate, & cum tot populorum clade agitantur, controversias, illam certe minime, *sitne pontificatus Romanus juris divini an humani?* ex qvo fere tota malorum nostrorum in rebus sacris catena pendet.

Si vero praxin Christianissimi consideremus, sive mores & disciplinam, qvid adeo insuperabiliter nobis obstat, qvo minus omnes, nullo dogmatum respectu, virtutes vere christianas colamus, summumqve zelum omnemqve æmulationem huc transferamus, ut alii aliis castiores, temperantiores, justiores, humaniores, benigniores simus, utqve unanimiter annitamur, qvo non ficta comitate & insidiosis blanditiis, sed vera sanctimonia vitæ, puritatem dogmatum demonstremus? Inter dissidentes circa dogmata facile sane convenit, qvid ad veram pietatem & virtutem pertineat; etiam vulgus hoc novit, aut facile capit, nisi a pravis magistris ad externa saltem & fucata ducatur. Hactenus itaqve dextras jungere, & scandala publica amovere possumus, nec asyla iis offerre aut præmia, qvi mala mente ab una ad alteram transeunt professionem; dogmata etiam in qvibus consentimus, contra infideles, atheos & fanaticos communibus consiliis tueri nihil prohibet. Imitemur castra *invictissimi Imperatoris nostri LEOPOLDI Augusti*, qvibus nuper Buda expugnata est. Nulla in iis fuit dissentientium de religione concertatio, una erat contentio, ut officium suum strenue facerent, disciplinam servarent, commu-

munem aggrederentur hostem. Qvam vero ibi fecit conjunctionem bellica necessitas, hanc cur facere nobis non possit Christiana charitas? imo inter Germanicos facere debent pactiones & leges publicæ, per qvas etiam Ecclesiastica qvædam & mutuæ defensionis societas, non nuda tantum tolerantia, introducta est; nefas autem habitum, ut ad vim & persecutiones religionis imperandæ causa erumpatur. Facessat igitur Alecto ex inferis reducta, qvæ denuo ad bella & horrida bella classicum canat; dein exitialibus armis sese mutuo lacerantes, male consultos Germanos irrideat, dicatqve Pacificatori alicui:

En perfecta tibi bello discordia tristi;
Dic in amicitiam coeant & fœdera jungant.

Deus omnibus, qvi vel vicinorum exemplo vel sua aliqva intemperie ad vim propendent, meliorem mentem indat, & intempestivum zelum atqve fervorem, ad pacem & pietatem vertat. Dum in hoc ipso labore meo Acta superiorum seculorum percurro, observasse, qvod & egregii ex utraqve parte viri ante me expenderunt, satis clare mihi visus sum, ad veram religionem pietatemqve promovendam armorum vim nunqvam profeciſſe. Qvid effectum est Pontificum zelo, tot exercitus ad recuperandam Terram sanctam expedientium? qvid post Albigensium immanes clades, aut post bella Hussitica commodi accessit Ecclesiæ? Crevere (fatentibus id ipsis postea Pontificibus, totqve ingenuis gravibusqve doctoribus) barbaries, fastus, dissolutio, corruptio omnium ordinum. Qvid profuit, septuaginta armatorum millia a fœderatis Smalcaldicis in castris haberi, & Cæsarem in suis obsideri? In qvod non periculum res Protestantium belli illius eventu adducta est? Qvis deinde non crediderit, Carolum Cæsarem, tantæ po-

ten-

tentiæ, sapientiæ, & virtutis Principem, sive post captam a suis Romam, sive post funditus prostratas Protestantium in Germania opes, rem maximam præstare potuisse, vel in Reformatione totius Ecclesiæ occidentalis, cui Pontifices reluctari videbantur, sive in extingvendo penitus Lutheranismo: qvorum tamen neutrum præstitit. Feliciori qvidem successu Mauritii Saxoniæ Electoris consilia processerunt; idem tamen vix ostentatis armis, qvibus victorem ad id usqve tempus Cæsarem ad præstandum promissa paucorum mensium expeditione adegit, pacem acceptavit, suoqve etiam exemplo confessus est, religionem moderatis consiliis optime procurari. At postea oblivio qvædam præteritorum malorum, novusqve subinde pruritus ad dissidia & simultates irrepsit, in factiones & fœdera, tandem in bella, parentum & nostra memoria erumpens. Qvis Ferdinandi Secundi, sapientissimi sane & maximi Imperatoris, gesta ignorat, qvi omnium victor triumphatorqve hostium, ante annos hos sexaginta, cum uno diplomate, non sine juris specie, publicato, effectum adversus Protestantes ibat, qvæ prædecessores ejus vix cogitare aut leviter tangere ausi erant, se tamen & rem Austriacam, imo totam Germaniam, in summum adduxit periculum. Qvanqvam enim exercitus ejus, continuis victoriis, & excidio celeberrimæ ad Albim urbis, tantum incuteret Protestantibus terrorem, ut jam actum esse de religione & libertate sua existimarent; subita tamen & inexpectata conversio rerum secuta est. Supervenit ex ultima Thule Rex, qvi exiguis viribus incredibilia brevi tempore peregit, & suis continuanda transmisit. Qvod si verum est, ut puer *ego tunc* audivisse memini, ulterius tendisse, qvi tunc Martem *faventem* habebant, & jam de transitu Alpium & spoliis Capi-

tolinis cogitaſſe; experti certe & hi ſunt, fruſtra ab armis ſperari, qvæ Deus ad mentes hominum convertendas deſtinavit. Tandem poſt multorum annorum internecina bella, & redactam in vaſtitatem miſerabilem, totam fere Germaniam vicinasqve regiones, ſuum Deo conſtitit propoſitum, ut pace data finem turbis faceret, omnibusqve tempus & otium impertiretur ſe, ſi modo vellent, in ſpiritu & veritate ſanctisqve ritibus colendi. O utinam omnes, iiqve imprimis qvi purgatæ religionis beneficium agnoſcunt, indultis his jam per tot annos Halcyoniis ad promovendam convenientibus modis pietatem & religionem inter ſuos; utinam & alii ad emendandos potius errores defectusqve proprios animum applicuiſſent, anteqvam ſeparatos dudum, & legibus ſuis per pacta publica relictos, Deoqve jam ſoli de fide & religione reſponſuros, limis obtuerentur oculis, aut ubi prætextus & facultas fuit, odio ſuo imbelles immolarent! Nondum tamen fortaſſis eo perventum, ut de corrigendis, qvæ intra & extra muros Iliacos peccantur, deſperari debeat. Expectemus meliora dum licet, & concurramus, qvo qvisqve intelligit, valet, poteſtqve optimo & ſaluberrimo modo, in veritatis & pacis ſtudio.

Supereſt, ut invidiam acerbasqve laboris hujus mei cenſuras deprecer. Scio eqvidem, non poſſe me pro Luthero ſcribentem Lutheri condemnatoribus placere; audire etiam mihi videor, qvid me ante alios impulerit, ut homo, uti loqvuntur, laicus de rebus ad religionem pertinentibus ſcriberem, cur me rixantibus Theologis immiſcerem. Agnoſco objectionis non exiguam ſpeciem: rationes itaqve operæ meæ præcipuas jam expoſui. Addo & hanc, qvod ex familia eqveſtri, & Imperiali libertate in Franconia per plurima ſecula gaudenti

ortus

ortus sim; ex qva majores mei cum agnatis suis, Lutheri dogmatibus inter primos, ex contribulibus suis, aures præbuerunt, & qvas habebant colonorum parœcias, ad exemplum aliorum Magistratuum reformarunt. Ex agnatis tamen meis aliqvi ad veteres ritus reversi, opima Sacerdotia adepti sunt, *Casparo* etiam *Seckendorfio* ad Episcopatus *Aichstetensis* fastigium sub finem superioris seculi evecto. Maternum porro mihi genus ex *Sebastiano Schertelio, Equite aurato, Burtenbachii Dynasta* trahitur, qvi clarissimum nomen, nec contemnendas opes, bellicis potissimum artibus, (qvanqvam nec humaniorum expers fuit) qvæsivit, adversus Imperii hostes, Turcos maxime, felicissime pugnavit, exercitus Smalcaldici magnam partem duxit, eoqve nomine multa passus, tandem tamen dignus habitus est, qvem Cæsares gratia sua ad finem usqve vitæ, qvam ultra annum ætatis octogesimum, clarus honore & opibus, produxit, complecterentur. Ejus prosapia malcula avitis prædiis magna ex parte adhuc fruitur, fœminina per illustres & nobilissimas in Svevia & Franconia familias diffusa. Hos majores meos, Eqvites imprimis Franconiæ cæterarumqve liberarum regionum, in universum omnes, nominatim *Schertelium*, novi ex Gallia autores indignis modis deturpant: qvod tanto qvidem minus mirandum est, cum & maximos Principes, *Electores* imprimis *Saxoniæ*, convitiis impudentissimis proscindere non sint veriti, ut in loco notabitur. Stimulum aliqvem addidisse mihi ista non possum negare, qvanqvam sola ad scribendum non movissent; majus enim incitamentum a publici commodi respectu habui, & qvod nemo prodire vellet, qvi peregrinos libros vel intelligeret, vel intellectos refellere aggrederetur. Si qvis igitur est, qvi ad librum hunc meum refutan-

dum, defendendosqve Gallos &, qvibus illi usi sunt, cavillorum & mendaciorum autores, animum appellat, eum obtestor, ut si me, qvod facile poterit, eruditione & eloqventia vincat, candore etiam & bona fide (de his enim virtutibus honeste cum omnibus contendere mihi licet) imitari & æqvare annitatur. Si mihi vita viresqve Deo favente duraverint, ut adversus insultus, qvalescunqve illi futuri sint, librum hunc meum ipse tueri possim, eas mihi jam nunc leges constituo, ut convitia & scommata omnia spernere, aut brevi retorsione in autores suos rejicere velim. Dein ubi opus est, minime me pudebit, lapsus memoriæ & judicii agnoscere & emendare, certus cæteroqvin, scientem nec mentitum nec cavillatum me esse. Solabitur me in factis vel stylo labentem, omnium scriptorum, vel præstantissimorum, exemplum, qvorum nullus unqvam historiam absqve omni vel rerum, vel temporis, vel nominum locorumqve errore composuit. In propugnandis dogmatibus qvid possim, aut potius qvid non possim, scio: agnosco me ex velitum ordine esse; receptum itaqve ad gravis armaturæ triarios habebo, & resurrecturos ex iis spero, qvi recedentem, sive senio debilem, sive armorum non satis peritum excipient. Vellem, ut abstinere me in libro hoc ab omni dogmatum tractatione potuissem, sed ut jam dixi, non licuit per adversarium, neqve mihi vitio verti debet, qvod fidei, cui a teneris innutritus sum, & in qva transitum ad meliorem vitam propediem expecto, rationem qvam potui, sic data occasione, reddere non detrectaverim. Nec succensebo adversario, qvi ex suæ conscientiæ ductu, qvæ credit, ea qva potest efficacia tueatur, aut mea argumentis oppugnet, dummodo ab injuriis, nihil ad causam facientibus, sibi temperet: sic utcunqve dissentiens, æqvi & modesti

desti hominis laudem merebitur. Eandem ipero me qvoqve assecutum esse, dum ita scripsi, ut non immemor fuerim, qvis sim, & qvod ex dissentientibus in religione, & cives, & amicos, & necessarios, imo & superiores, in Principum Ecclesiasticorum etiam ordine habeam, qvibus clientelæ jure, more majorum, obstrictus sum. Iis omnibus singulisqve, qvam cuiqve debeo, servabo & præstabo humanitatem, officiorum cultum, reverentiam deniqve & obsequium. Si qvi sunt Lutheranarum partium viri, aut ex illis cœtibus, qvi Reformati dicuntur, qvibus minus, qvam fieri debuisse putaverint, hoc labore meo satisfeci, ab iis si laudari dignus non videar, (qvod nec affecto) benevole tamen tractatum me iri confido: imo in subsidium omnes voco, ut si opus est, dogmata Lutheri, saltem qvæ utrisqve communia sunt, majori argumentorum perspicacitate defendere, aut historiam per documenta, si qvæ ipsis copia eorum est, supplere velint. Errores etiam meos qvi ex illis arguent, tanto æqvius ferre me convenit, qvanto minus dubito, pro communi omnes causa laborare. Qvi vero sibi majorem lucem ex, nescio qva, revelatione affulsisse existimant, & *extra partes*, uti jactare qvidam solent, consistere volunt, cum iis nullum mihi negotium futurum esse profiteor; silentio enim *fanaticos*, non minus atqve *atheos* & omnis religionis contemtores transmitti, & suis putiendos relinqvere mentibus satius esse opinor. Scripsi Meuselwizi d. XX. Decembr. Anno MDCLXXXVI. Natali meo sexagesimo primo.

Folget Abschrifft angezogenen Chur-Fürstl. Sächs. Rescripts an Herrn Præsidenten und Räthe des Ober-Consistorii zu Dreßden.

Von Gottes Gnaden Johann Georg der Dritte Churfürst.

Wohlgebohrne/ Würdige/ Hochgelahrte Räthe/ Liebe Andächtige und Getreue.

UNs ist aus euerm vom 30. Maji nechsthin eingegebenen unterthänigsten Bericht gehorsamst vorgetragen worden/ welcher Gestalt der bekandte Jesuit P. Maimbourg vor einiger Zeit ein Buch in Druck gegeben/ welches er Historiam Lutheranismi genennet/ worinnen nicht allein das heilsame durch den Dienst des Lutheri angefangene und durch GOttes Gnade vollführte Reformation-Werck hefftig perstringiret sey/ sondern auch unsere in GOTT ruhende Vorfahren überaus ehrenrührig angezogen worden/ und wie die Nothwendigkeit dahero erheische/ diese ausgesprengte Unwarheiten der gantzen Welt vor Augen zu legen/ dergleichen Refutation-Schrifft sey auch albereit auff Reformirter Seite in öffentlichen Druck heraus gegeben/ und was massen ihr darneben vernommen/ daß der Fürstl. Eißenachische geheimte Rath Veit Ludwig von Seckendorff/ nicht ungeneigt seyn solle/ dafern er Unser dißfalls gnädigst führenden Intention und Schutzes versichert wäre/ diese Arbeit auff sich zu nehmen/ so alsdenn ins Frantzösische übersetzet werden könte.

Wann Wir Uns dann solches alles gnädigst gefallen lassen/ und der Nothdurfft befunden/ daß selbiges Buch förderlichst widerleget/ und dergleichen unverschämte Boßheit entdecket werde/ Als begehren Wir hiermit gnädigst/ Ihr der Präsident wollet ermelten von Seckendorff/ diese unsere Meinung ehistens eröffnen/ ihn dabey Unsers gnädigsten Schutzes versichern/ und daß Wir darneben solche Verfügung treffen wolten/ daß ihme auff sein Anmelden/ eines und das andere hierzu bedürffende/ aus unsern Archivo extracts weise oder wie es sonsten am füglichsten geschehen kan/ communiciret werden solte. Geben zu Torgau den 25. Junii 1684.

Johann Georg Churfürst.

Hujus Rescripti Electoralis ad Præsidem & Consiliarios supremi Consistorii Dresdensis d. 25. Jun. 1684. dati, contenta hæc sunt:

PErcepisse *Serenissimum Electorem* ex relatione Consistorii d. 30. Maji data, qvod Maimburgius, Jesuita satis notus, haud ita pridem librum sub titulo Historiæ Lutheranismi ediderit, in qvo non solum salutare illud opus Reformationis, divina gratia per Lutheri ministerium peractum, vehementer perstrinxerit, sed & Serenitatis suæ Electoralis Majores gloriosæ memoriæ contumeliosissime tractaverit, & ut inde Consistorio necessarium visum sit, calumnias illas & mendacia publice refelli; sicuti Calviniani ab eodem autore lacessiti jam fecerint: comperisse vero, qvod *Vitus Ludovicus a Seckendorff*, Consiliarus intimus Saxon. Isennac. refutationis laborem suscipere constituisset, si de intentione & protectione Serenissimi Electoris certus redderetur. His intellectis *Serenissimum Electorem* testari qvod propositum illud sibi omnino probetur, & necessarium judicet, ut liber Maimburgii qvam primum fieri posset refutetur, ejusqve impudens malitia detegatur. Cupere itaqve & mandare, ut *Præses Consistorii*, (qvo amplissimo munere eo tempore fungebatur Ill. & Gen. *Carolus Liber Baro a Frisen*, ingenti cum omnium bonorum luctu die XXIX. Julii M DC LXXXVI terris ereptus) hanc Suæ Serenitatis mentem Seckendorffio propediem aperiat, eumqve de protectione clementissima confidere jubeat; mandaturum vero se esse, ut ex Archivo Electorali extrahantur, alioqve convenientissimo modo suppeditentur, qvæ ad laborem illum conducere posse videbuntur.

Abschrifft
Fürstl. Eißenach. Rescripts.

Von Gottes Gnaden Johann Georg/ Hertzog zu Sachsen/ Jülich/ Cleve und Berg ꝛc.

Vester Rath und lieber Getreuer.

UNs ist gehorsamster Vortrag geschehen/ was gestalt Ihr des Maimbourgs heraus gegebene Histoire du Lutheranisme zu widerlegen Euch vorgenommen/ und zu solchem Ende/ so wohl um unsern gnädigsten

digsten Schutz / als auch um communication derer in Unserm gesamten Archiv etwa befindlichen und hierzu dienenden Acten und documenten gehorsamst gebeten.

Allermassen Uns nun dieses euer Verhaben in Gnaden gefällig / und Wir gerne sehen / wenn Ihr euer von GOtt erhaltenes gutes talent auch dißfalls / als in einer besonders zu seiner Ehre / auch Vertheidigung der Christlichen allein seeligmachenden Evangelischen Lehre / und Historischen Warheit zielenden Sache anzuwenden / geflissen seyn werdet: Also sind Wir des gnädigsten Erbietens / solche Eure Mühewaltung nicht allein gnädigst zu erkennen / und Euch dabey bedörffenden Falls möglichst zu schützen / sondern die hierzu dienende vorhandene Acta und documenten aus Unserm gesamten Archiv verlangter massen abfolgen zu lassen / gestalt Wir denn hierum den Archivarium Müllern albereits gnädigst befehliget / die designation solcher Acten förderlichst einzusenden. Meldens euch zu gnädigster resolution ohn verhalten / und verbleiben / Euch mit Gnaden wohl beygethan. Datum Eißenach / den 13. Sept. 1684.

Dem Vesten / unsern geheimen Rath und lieben getreuen / Herrn Veit Ludwig von Seckendorff / zu Obern-Zenn und Meuselwitz / Fürstl. Sächs. Ober-Steuer- und Landschaffts-Directorn des Fürstenthums Altenburgk.

Sensus est:

APprime placere *Serenissimo Duci*, qvod Seckendorffius talentum sibi divinitus concessum ad honorem Dei & defensionem salvificæ doctrinæ Evangelicæ, historicæqve veritatis, impendere velit. Pollicetur benignam laboris illius æstimationem, & protectionem, itemqve Actorum & documentorum, qvæ posceret, ex Archivo exhibitionem. Idem in clementissimo Mandato, qvod Ser. *Fridericus* Saxoniæ Dux d. 14. Septembr. 1685. una subscripsit, repetitur.

Hist-

Historiæ de Lutheranismo,
a
LUDOVICO MAIMBURGIO
e Soc. Jesu,
Gallice editæ & Latine versæ

Liber I.

§. 1.

DEcretum mihi est, historiam posteriorum hæresium, quæ magnam Occidentis partem ab Ecclesia Catholica separarunt, exacte scribere: opus adeo difficile, ut eo ipso momento, quo id aggredior, vehementer sollicitatum me esse ingenue fatear, ut ab eo desisterem. In cæteris, quas scripsi, historiis narrabantur quæ ante plurima secula gesta sunt, quæque neminem hoc tempore in partes trahunt. Sequi tunc potui satis libere propensionem animi, & Historici officium exequi, dicendo simpliciter quæ vera sunt, nullo metu nec periculo ab odio & indignatione eorum, quibus veritas in apertum producta molestiam faceret. Sed nunc temporibus nostris propius accedens, multa exponere cogor, quæ parti uni addictos irritare possunt, ægre ferentes quæ non satis favorabiliter de illa dicuntur, aut de honore suo agi putantes, cum expli-

canda veniunt negotia, qvibus majores eorum impliciti fuerunt. Porro fieri neqvit, qvin omnia regna & principatus Europæ in opere hoc meo locum inveniant, neqve ulla erit regio, qvæ non insignem aliqvam materiæ a me tractandæ partem suppeditet. Terribilis præterea est conatus, tot & tam diversas res uno complexu exhibere velle; sed & arduum atq; difficile, tot hominum, qvi in magna illa rerum conversione intervenerunt, secreta consilia indagare, cum a nobis magno intervallo sejuncti, & non nisi librorum commercio cogniti sint, in qvibus plerumqve eventus rerum, non causæ & rationes referuntur, qvæ tamen animam historiæ constituunt. Accedit, qvod opportunitate illa non fruar, qva antea; dicendi nempe de rebus ob antiqvitatem parum notis, qvæqve ideo legentium desideria suaviter attrahebant & explebant. Sed qvoniam hæc lecturi de Luthero & Calvino millies audierunt, omnesqve historiæ nostræ plenæ sunt relatione mutationum, turbarum & bellorum, qvæ per schismata illa in totam Europam invecta fuerunt, incumbit mihi, ut ex me ipso promam, qvæ lectoribus satisfaciant, nulla spe adminiculi a novitate aut delectamento, qvod capi solet, cum leguntur qvæ nondum nota erant. Hæc sine dubio satis gravia sunt, qvæ me a proposito deterrere potuerunt aut potius debuerunt. Sed permotus sum, ut ista omnia, audaci consilio meo opposita superarem, ob magnitudinem & diversi-

versitatem tot rerum admirabilium, nec nisi generaliter cognitarum: & ob promissam mihi suppeditationem egregiorum documentorum seu memorialium, ex locupletissimis Bibliothecis: denique ob conceptam spem, neminem generosum offensum iri veritate, quæ in toto opere meo nunquam aliter apparitura est, quam servata dignitate personarum, de quibus loquor. Incipio itaque, superatis quæ obstare videbantur, pro utilitate Ecclesiæ, & ad gloriam Dei, cujus a me implorati ope & protectione infirmitas mea semper evidenter sublevata fuit, & sine qua aliis laboribus meis certissime succubuissem.

Commentarii Historici & Apologetici de Lutheranismo VITI LUDOVICI A SECKENDORFF

Liber I.

§. I.

AN historici officium, ut profitetur, recte secutus sit & præstiterit *Maimburgius*, dubium fit ex primo scripti hujus versiculo. „ Qui enim historici munus suscipiens, in limine operis „ pro hæresi declarat, quicquid superiori seculo pro reforma- „ tione ecclesiæ Principes & populi conati sunt & statuerunt, is censor „ est & definitor controversiarum, non historicus. „ Sed luculentius & apertius partes has censorias invasit Autor in totius operis sui contextu, *id* ubique agens, ut impietatis & injuriæ condemnet omnes, qui reformationi in Germania operam dederunt. De qua, si non ut adversæ partis theologus, tamen ut historicus, mitius vel ideo loqui debuisset, quod hanc ipsam *Reformationem* sive *Lutheranismum*, pacis publicæ

Cui, nisi tibi, Coquetis?

1517. blicæ & sanctionum pragmaticarum titulis, non sine Regum Galliæ interventu, confirmatam esse non nesciebat. Inde est, ut modestiæ & verecundiæ professio, qva præmunire se in exordio hoc cupit, affectata potius aut ironica, qvam sincera & seria videri possit. Qvid enim metueret sub tanti Regis, cui libros suos dedicat, clypeo, non a Protestantium invidia solum, sed & adversus magis sibi tremendum Romani Præsulis tribunal securus? aut qvæ verecundia est erga Reges, Principes & Magistratus Protestantium, qvos tam viles habet, ut & fato suo dudum functos, durissimis convitiis, ubicunqve lubet, proscindat, & qvi vivunt, alio qvam damnatorum ad orcum loco non habeat? Sed mittimus hæc & alia prologi hujus schemata, ex schola & secta adscita. Notamus tamen, neqve terribili illi, qvem designat, conatui, omnia qvæ ad historiam hanc pertinent complectendi, satisfacere, qvi omissis plurimis magis necessariis, aut ad rem pertinentibus, aliena non pauca inserit; neqve qvidqvam comparere memoratu dignum, ex documentis, qvæ ex locupletissimis Bibliothecis promissa sibi fuisse Maimburgius gloriatur; compilasse potius deprehenditur omnia ex vulgatissimis, iisqve potissimum libris, (ut testimonia margini adscripta demonstrant) qvi recentibus olim odiis editi & protervis calumniis adversus Protestantes repleti, tum ab his multoties refutati fuerunt, verissimumqve est qvod profitetur, se ex seipso promsisse, qvæ lectoribus, iis nempe qvorum gratiam scribendo aucupatus est, satisfaciant.

§. b.

Anno 1517. *Ecclesia Catholica alta pace sub initium superioris seculi, decimi nempe sexti, fruebatur, omnesqve Europæ Potentatus supremam sanctæ sedis autoritatem agnoscebant, ejusqve fidem seqvebantur; cum schisma omnium maximum & pernicioßimum, uno qvasi impetu, ex levi admodum principio oriretur: qvod paucis exponendum esse arbitror, cum historiæ hujus fundamentum esse debeat.*

§. II.

§. II. 1517.

Videamus ante omnia an vera & certa sint, qvæ de pace Ecclesiæ Catholicæ, & de obedientia universali ab Europæ Potentatibus sedi Romanæ præstita supponuntur. Si enim vera pax & Ecclesia digna, si divino jure fundata fuit obedientia, a qva moniti & instigati a Luthero Principes & populi frivole recesserunt, jam dicta & perorata esset causa, nec haberent discedentes, qvo se a turbarum & defectionis culpa purgarent. Et qvis scriptori, etiam historico, vitio posset vertere, si, ut facit, pro pernicioſissimo schismate habeat & accuset, qvæ adversus pacem & obedientiam debitam notorie acta essent? *Prius vero constare debet, qvid sit pax Ecclesiæ, ne eo nomine qvalis-cunqve torpor aut qvies nobis obtrudatur: illa enim demum pax Ecclesiæ est, qvæ respectum ad Deum habet, & consensum tenet in puritate doctrinæ, & sanctimonia disciplinæ. Talis nempe, qvalem habebat Ecclesia primitiva *per Judæam & Samariam, qvando ædificabatur ambulans in doctrina Domini, & consolatione sancti Spiritus replebatur.* Act. IX, 31. Hanc pacem Ecclesia etiam sub Tyrannorum sica retinet, nec amittit, si gliscentes in doctrina errores & defectus disciplinæ corrigantur, etiamsi id sine odiis & motibus non soleat succedere: hæc enim secutura esse vetam Evangelii doctrinam & zelum piorum doctorum, Christus ipse prædixit & expertus est. * Obedientia vero qvam Ecclesiæ antistitibus præstamus, ita laudabilis est, si ex præscripto Christi & Apostolorum exhibeatur. *Præpositi enim honorandi sunt, qvi loqvuntur verbum Dei & pervigilant, qvasi rationem pro animabus reddituri.* Hebr. XIII, 7. 17. sive, *qvi laborant in verbo & doctrina.* 1. Tim. V. 17. An vero sedes Romana totaqve Cleri hierarchia ad illam normam composita fuerit, & an jure sibi asserere potuerit tale obseqvium, qvale circa annum decimum septimum seculi superioris, a Principibus & nationibus Christianis exigebat; an vero iniqva potius servitus illa fuerit, id ipsum est, de qvo inter partes & disceptatum tunc fuit, & nunc qvoqve certatur. * Itaqve non abs re est, ut de statu Ecclesiæ ante Lutherum disqviratur. Si enim talis fuit, qvi jure merito mutari & emendari debuerit, satis patet, nec laudem mereri statum, qvi mutationem poscebat, nec vituperium eos incurrere, sed omni potius honore dignos esse, qvi emendationis autores fuerunt. Mirari autem non immerito licet, Maimburgium civem vel clientem Gallum (Lo-

1517. tharingus enim est, Nanceii natus) tam secure nobis encomia temporis illius præcinere, qvo, ut ipsi tot historiarum autori optime constat, non alia magis qvam Gallica natio in immanes qverelas de cor-
* *Add.* ruptissimo Ecclesiæ statu publice prorupit. * Qvis enim nescit, a Ludovico XII Galliarum Rege, Romam *Babylonis* nomine diffamatam, & *perditione dignam* habitam fuisse? cui notum non est Concilium Pisanum, Regis illius optimi consiliis, qvibus etiam Maximilianus Imperator se junxerat, ad reformandam Ecclesiam in capite & membris convocatum, & armis protectum? Tanti qvidem momenti ea collisio visa est acerrimo reformationis censori Jesuitæ, & postmodum Cardinali, *Sfortiæ Pallavicino*, ut historiam suam Concilii Tridentini, *Petro Svavo Polano*, sive *Paulo Sarpio Veneto* oppositam, ab ejus narratione exordiretur. Qvo magis decuit scriptorem Gallum incendium illud, qvod adhuc Lutetiæ, cum Lutherus disputare cœpisset, fumabat, non tacere. Præterea non magnam Ecclesiæ felicitatem indicant capita, in qvæ Cardinales post mortem Alexandri VI Papæ (execrabilis etiam apud suos in omne ævum memoriæ) & ante electionem Julii II. d. 1. Novembr. 1503. jurati consenserunt, ipseqve postmodum Pontifex sub eadem juris-jurandi fide ratihabuit, inter qvæ est *promissio Concilii generalis, intra biennium ad Ecclesiæ reformationem habendi.* Et qvamvis artibus Pontificiis distracta Cæsaris & Regis societate, solutus esset conventus Pisanus, vi juramenti illius a Cardinalibus meliorum partium pro reformatione Ecclesiæ institutus; dein sub Leone X in palatio Lateranensi concilium, qvod generale vocabant, convocatum, acerbis contra Gallos modis processerit; tam male tamen obediebatur Pontificiæ potestati, ut cedente, licet ex causis parum piis, Rege, & oppressa Episcoporum libertate, Academia Parisiensis Anno 1517. d. 17. Martii non vetita fuerit, à decretis Pontificiis pactisqve cum Rege, ad futurum Concilium appellationem gravissimam interponere. Ejus instrumentum nuper inter opera *Edmundi Richerii, Doctoris Sorbonici*, Latine editum reperitur. Eo vero ipso anno disputare Lutherus, ut innui, publice cœpit, & qvæ ex Actis ab Anno 1503. ad an. 1517. breviter attigimus, tam nota illi omnibusqve erant, ut, si qvis illo tempore pacem Ecclesiæ & consensum orbis incolendo Pontifice magnifice jactasset, pro impudenti aut stolido absqve dubio habitus fuisset. * Miserrima Ecclesiæ facies, si qvis toti

Richer hist. concil. Lib. IV. part. 2.

Ger-

Germaniæ in publica gravamina paulo post erumpenti, & Pontifici 1517.
ipsi necessitatem emendationis confitenti, fidem non habet, ex tot illius temporis scriptoribus, utriusqve partis, tam clare conspicitur, ut operam perderem, qvam ad probandam rem notoriam vellem suscipere. Oblita & tecta qvidem erant aliqvo modo, falsæ concordiæ & male fidi obseqvii emplastro, insanabilia Ecclesiæ vulnera, sed gangræna sectionem poscebat. Fatendum tamen est, qverelas ante hunc „ Nota
annum non satis manifeste adversus errores in fide seu dogmatibus di- „
rectas fuisse; dominatus & avaritia Pontificum, neglectus canonum „
& disciplinæ, potissimum incusabatur. „ Qvi vero in dogmatibus, se-
culo priori, dissenserant Bohemi, jam variis artibus divisi & retusi,
aut concessis contenti, silebant. Deniqve qvi ex Albigensibus sive Wal- „
densibus reliqvi in Alpium angustiis qvieti degebant, negotium Ro- „
mano Pontifici aut Clero exhibere nec poterant nec volebant. „ Itaqve Principes fere omnes, qvidam etiam Episcopi, propioribus stimulis irritati, ante omnia adversus dominationem illam Pontificiam, indeqve suæ autoritati suisqve proventibus illata damna insurrexerant, a Concilio generali, qvod urgebant, remedium sperantes; non injuste id qvidem, sed nullo, ut eventus docuit, successu. Post tot enim labores ac sumtus, post tumultus & bella vastatasqve provincias, semper prævaluit calliditas Pontificum, qvi inter discordias & factiones Principum modos invenerunt, qveis reformatione in fumum versa, sua commoda retinerent aut augerent. Constat hoc, ut dixi, ex historiis ante Lutherum, aut certe per eos scriptis, qvi Lutheri doctrinam non * Add.
sunt secuti. * Erant tamen absqve dubio piæ mentes, qvæ non tam ad externi regiminis ecclesiastici vitia, qvam ad interna Ecclesiæ mala curanda, restituendamqve lucem doctrinæ & puritatem morum animum applicarent, spe fretæ, reducta Concilii libertate, & restituta morum rectitudine, de puritate rectius, & majori cum fructu, inqviri & statui posse. Et fuit fortasse inter Parisienses Theologos, cujus calamo Spiritus sanctus hos fines explicabat, in Appellationis, de qva dixi, instrumento optantis: *ut divinus honor resloreret in terris, lumen Catholicæ veritatis, Christo, vera luce, auxiliante, effulgeret, & Ecclesiasticæ libertatis conservatio subsisteret, populusq; Christianus salubriter regeretur, & ad salutem perduceretur æternam.* Sed hujus scopi propius attingendi gloria non Regibus, Prælatis & Doctoribus, utcunqve magnis,

1517. gnis, verum (ut est Dei mos, maxima per minimos effecta dare) valde mediocris sortis homini, ex gente non nimis tunc celebri aut potenti, reservabatur. Tantum opus Maimburgius maximum & pernicioſissimum schisma vocat, ex levi principio ortum. Sed bene est, qvod pronunciando nihil agant, judicis personam sine autoritate legitima sumentes; & qvam leve principium sive occasio fuerit, ex seqventibus apparebit.

§. c.

Matth. 16. & 18. Qvacunqve solveritis super terram &c.

Catholici semper crediderunt, quod Filius Dei Ecclesiæ suæ potestatem dederit pœnitentem peccatorem non solum a vinculis peccatorum suorum, propter meritum passionis Jesu Christi, per sacramentum pœnitentiæ applicatum, sed & a pœnarum vinculis solvendi, quas pœnas vel in hoc vel in futuro seculo pati, & justitiæ divinæ satisfacere deberet, ob peccata post baptismum commissa. Hoc est quod indulgentia *appellatur, quæ nunquam datur, quam satisfaciendo Deo, per pretium infinitum passionum Filii sui, quod ipsi offertur in hujus debiti solutionem. Ita S. Paulus rogatus a Corinthiis, remisit excommunicato ob incestum, quod reliquum erat pœnæ, pro tanto crimine debitæ. Ita Episcopi priorum seculorum pacem reddebant Apostatis, eosqve Ecclesiæ reconciliabant, abbreviando tempus pœnitentiæ canonicæ, ad intercessionem Martyrum, & consideratis iis, qvæ toleraverant, atqve hæc jungendo passionibus Salvatoris mundi, per qvas coram Deo pretiosa fiunt. Hic mos, qvi semper in Ecclesia post persecutiones continua-*

2. Cor. 2.

Tertull. & Cypr. passim.

V Christian. Lup. de Syn. tom. 5. diss. de indulg. c. 5.

tinuatus fuit, approbatus reperitur non solum ab antiqvis Pontificibus, S. Gregorio (ut tradit S. Thomas) & Leone III. sed & per Concilia, Nicænum, Ancyranum & Laodicenum, item Claromontanum, cum indulgentiæ cruce signatis concederentur: porro per Lateranum, Lugdunense, Viennense & Constantiense. Clemens VI. in decretali vel Constitutione sua universaliter ab Ecclesia recepta, exponit dogma fidei, qvod Jesus Christus infinitum nobis thesaurum reliqverit meritorum & satisfactionis superabundantis passionis suæ, & B. Virginis, qvæ ipsa tota fuit innocentia, & Sanctorum, qvi per pœnitentias voluntarias, aut per martyria, longe ultra meritum suum tolerata, satisfecerunt pro pœnis & peccatis, per sacramentum pœnitentiæ remissis. Porro qvod Pastores Ecclesiæ applicare hunc possint viventibus, potestate clavium, & mortuis, per viam suffragii, ut a pœnis peccatorum, qvas meruerunt, liberentur, sumendo & offerendo Deo ex hoc thesauro tantum, qvantum opus est, ad exsolvendum debitum.

1517.

S. Thom. in 4. d. 20. qv. 1. art. 3. Ludger. ap. Sur. t. 2. post vitam S. Suibert. Concil. Nic. c. 11. ad 12. Conc. Ancyr. c. 5. Conc. Laod. c. 2. C. unigenitg. Add.

§. III.

Animadvertendum *primo* est, non leve, ut Autor paulo ante scripserat, fuisse principium disputationis, si gravitas rei, qvæ in qvæstionem venit, per se spectetur. Agebatur enim *de remissione peccatorum*, ex qva tota hominum salus pendet, & qvæ arx & caput est doctrinæ Evangelicæ, sive, ut Lutherus primæ suæ disputationis *thesi 62.* nervose statuit: *verus thesaurus Ecclesiæ est sacro sanctum Evangelium gloriæ & gratiæ Dei.* Qva propter curiosa aut illicita minime videri debuerunt, qvæ ad animum sibi revocabat & explicari cupiebat Lutherus, aliiqve,

1517. qvos enormes, nec antea tam crude promulgatæ remissionum & indulgentiarum prædicationes percellebant. Fidem vero perpetuam Ecclesiæ Christianæ de hoc articulo, etsi emollire qvædam videatur, non ita nobis exhibet autor, ut ei assentiri, & qvæ ex hac hypothesi adversus Lutherum concludit, admittere possimus. Si enim *semper*, ut ait, crediderunt Catholici, qvæ hic contexuntur, utiqve etiam Apostoli & Evangelistæ illa crediderunt, & a Christo fuissent edocti. At tacentibus illorum scriptis, tacentibus etiam, vel diversa nec consonantia inter se tradentibus, qvi secutis postea seculis doctrinam propagarunt, scriptoribus Ecclesiasticis, disqviri & licuit & debuit de dogmatibus, qvorum certitudo ex sacris literis non apparebat, qva scilicet causa, qvo tempore, qvo autore in Ecclesia extiterint. * Atqve hic ad primum illum scopulum necessario allidimur, de fundamento credendorum. Maimburgius suæ insistens sectæ paucissima ex Scriptura sacra, pleraqve, & ea qvidem omnia de qvibus controvertimus, ex libris Patrum & Theologorum, ex more Ecclesiæ, & ex Pontificum atqve Conciliorum definitione deducit; qvam fideliter & apposite, hic non tracto. Verum enimvero Lutherus post primas velitationes cum adversariis suis, & postqvam a præjudiciis, qvibus imbutus & occupatus fuerat, sese liberasset, non aliam decisionem controversiarum de fide, qvam ex solis sacris literis, earumqve aut verbis, aut necessariis consecutionibus admisit, idemqve huc usqve contendit universus Protestantium cœtus; ut adeo stante hac principiorum inter nos & Romanæ Ecclesiæ Doctores contrarietate, conveniri de credendis non possit. Incivile igitur & injustum est, si principiis utriqve parti non communibus ea superstruantur, qvæ alteram gravent & condemnent. Is enim legitimus disceptationis modus & exitus est, ut de principiis vel conveniatur, vel incorrupto & legitimo judicio pronuntietur. Frustra igitur imperitis, ut certæ & perpetuæ veritatis doctrinas ingerit Maimburgius, qvæ Scripturarum evidentibus testimoniis carentia Protestantes rejiciunt. * Inter illa non postremum est, cuiqve tota fere de indulgentiis disputatio innititur, dogma *de purgatorio*, sive de pœnis & satisfactionibus, qvæ in futuro seculo etiam piis, ob peccata in hac vita non expiata, incumbere dicuntur, anteqvam vitæ æternæ gaudiis frui possint. Hoc purgatorii invento non admisso, impertinenter disceptatur, an Pontifici, Episcopis, aut Ecclesiæ ministris liceat

pœnas

Lutheranorum Pseudo-Principium omnibus hæreticis Commune.

pœnas illas sive gratuito, sive subrogata alia satisfactione, aut per suffragia remittere. Immo sub initium disputationis suæ Lutherus, etsi purgatorium nondum negaret, negavit tamen ob gravissimas rationes, potestatem Ecclesiasticam ultra vitam humanam ad remittendas purgatorii pœnas extendi posse, nec, ut id fiat, expedire. Et ista qvidem pleraqve, qvod imprimis notari petimus, non primus, sed cum antiqvioribus qvibusdam Scholasticis sensit, ut rigidissimus ejus censor *Pallavicinus Histor. Trid. c. 8. n. 5.* ipse non potuit diffiteri, licet communem sententiam & conciliorum recentiorum decreta illis opinionibus præferri a Luthero debuisse contendat. Cæterum etsi censuras, qvæ lapsis post baptismum Christianis, vel Pauli, qvod allegatur, exemplo, vel Ecclesiastico jure imponi olim solebant, aut etiam nunc imponuntur, remitti & temperari ex causa posse, non negent Protestantes, & censuræ publicæ in peccatores enormes disciplinam severius, qvam adversarii instituerint, aut constitui posse optent; negant tamen id fieri ex eo fundamento, qvod Pontifices Romani, & nominatim *Clemens sextus*, vulgata illa constitutione sua, arripiunt, sed ipsi sic statuunt: Thesaurum meritorum Christi, ex qvo omnis omniumqve peccatorum remissio depromitur, omnibus fideliter pœnitentibus, a ministris Evangelii Ecclesiæ nomine per absolutionem a peccatis applicari, nulla vel Episcoporum vel Pontificis prærogativa, fictaqve esse omnia, qvæ de dispensatione & reservatione, qvalem sibi Pontifices arrogant, magnifice vel olim debuccinata fuerunt, vel hodie, licet cautius, docentur. Nec magis constare, immo honori & excellentiæ meritorum Christi adversari, qvæ de superabundantibus Sanctorum & martyrum, vel ultra debitum pœnitentium meritis traduntur, nec ex hac superfluitate imaginaria qvidqvam ad alios pervenire posse, sed unumqvemqve, etsi precibus fidelium ad viam salutis inveniendam & constanter tenendam juvetur, sua tamen pœnitentia ac fide, in qva ex hac vita discedit, salvari, aut, si ea careat, sine remedio perire. Sanctiorem vero & longe veriorem doctrinam arbitratus est Lutherus, & qvi eum seqvuntur, qvæ populo Christiano per fidem in Christo justificato perpetuam renovationem & pœnitentiam, sive qvotidianam vitiorum & pravæ concupiscentiæ repressionem, id est, ut dici solet, mortificationem, & summam de conservanda fide vigilantiam, precumqve fervorem, non exclusa tamen absolutione ministeriali, commendat,

Paulo ogganuis. Vid: omninò Coloss. 1. v. 24.

I. §. 3. §. d. 1517.

dat, qvam qvæ falsam spem præbet, vel per aliorum merita, vel pœnis & mulctis præcepto Sacerdotum impositis, vel iis, qvæ post mortem demum tolerandæ essent, pro peccatis satisfieri posse. Dudum etiam demonstrarunt nostrates Lutherum secuti, qvo fine & qvo cum emolumento Cleri, qvantoqve cum damno Reipublicæ, adinventæ istæ de thesauro Ecclesiæ traditiones fuerint, qvæ huc transscribere minimè opus est.

§. d.

Fatendum nihilominus est, qvod qvemadmodum in rebus sanctissimis & sanctissime ordinatis abusus reperiuntur, ita etiam omni tempore sat magni in distributionem illius gratiæ Ecclesiasticæ, sive indulgentiarum, irrepserint. De hoc abusu sæpe qvestus est S. Cyprianus, modo qvod martyres literas suas peccatoribus sine discrimine darent; modo qvod Episcopi nimis faciles, aut præproperi essent in concedendis indulgentiis; modo etiam, qvod martyres & simplices Presbyteri ausi essent indulgentias concedere, qvas tamen dandi solis Episcopis jus esset. Ideo Tertullianus, Novatus, & alii qvidam horum ductum sine ratione secuti, cum abusum saltem, si possent, tollere, & zizania bono tritico noxia evellere debuissent, ipsas indulgentias insano impetu aggressi sunt; affectata & nefaria cæcitate non videntes, qvod abusus, qvi contingere potest, in rebus sanctissimis ad religionem pertinentibus, nullum jus conferat, ad res ipsas, ut beluino modo fecerunt, insectandas. Hoc ipsum est, qvod autor schismatis & hæresis, de qva loqvor, ea, de qva jam dicam, occasione effectum dedit.

Cyprian. serm. de lapsis. ep. 10. 11. 12. 15. 23. 27.

Tertull. lib. de pudicitia c. ult.

Wickleffita. Waldenses.

§. IV.

§. IV. 1517.

Etsi professio abusuum ingenuitatem aliqvam habere videatur, nullius tamen hic esse potest momenti, donec probetur, res illas esse sanctissimas, qvæ propter abusus rejici non debuissent, aut saltem bonas & utiles. Constare itaqve debuisset, qvod sanctissima fuerit doctrina de purgatorio; sanctissima fictio & distributio superabundantium meritorum ad juvandos, qvi sufficientibus carent; sanctissima potestas, acceptis nummis, fundis, immo regnis & ditionibus, censuras immanium peccatorum redimendas dare, aut a tenui populo pœnitentiæ & fidei loco, qvalescunqve satisfactiones ex arbitrio sacerdotum, & ad horum plerumqve utilitatem accipere; & si qvæ sunt alia ejusdem sanctimoniæ, qvibus probatis demum de cavendo aut abrogando abusu agendum fuisset. Si vero res tales nec veræ nec sanctæ, sed ut Protestantibus visum est, confictæ aut illicitæ sunt, tunc usum & abusum, qvia unum idemqve sunt, una opera tollere, pietatis Christianæ & officii Episcopalis fuisset. Comparatio vero, qvæ inter qverelas Cypriani & aliorum, qvi hic nominantur, & Lutheri tempore ortas, ab autore instituitur, nemini fucum faciet. Nulli tunc emittebantur præcones, qvi indulgentias simplici populo ære venderent. Qvesti sunt veteres de relaxatione disciplinæ in peccatores enormes, qvi ante deprecationem & conciliationem publicam ad sacra mysteria cum scandalo piorum admittebantur, conniventia vel sordibus sacerdotum; sed qvestus est Lutherus de promiscua indulgentiarum promulgatione, qvæ totis nationibus, & cuilibet pecuniam offerenti, non pro publica illa pœnitentia, sed pro remissione peccatorum aut pœnarum (confundebantur enim hæc) in hac & futura vita, ex fictitiis meritorum opibus, & liberalitate Pontificia, minime tamen gratuita, commendabantur. * Hæresiarchæ vero fuerint Novatus & Novatiani, & *brutali more pœnitentiam lapsis ademerint*; (qvanqvam iis speciosus non defuit prætextus) fuerint & alii, qvi indiscreta abusuum reformatione grassati sunt; minime tamen inde seqvitur aut demonstratur, licet confidenter & præter historici officium jactetur, ejusdem criminis reum esse Lutherum, donec evincatur, sancta & bona fuisse, qvæ is reformanda sibi sumsit, & cum abusu salubrem & licitum usum simul brutaliter sustulisse, aut veterem Novatianorum hæresin restabiliisse.

Calumniator, an hæc erat mens Ecclesiæ, aut Pontificis?

§. c.

Leo decimus, ex illustri Mediceorum familia, ab annis fere qvinqve tunc sacram Petri sedem tenuerat; de qvo verissime dici potest, qvod factione Cardinalium juniorum ad supremam hanc in Ecclesia dignitatem anno ætatis trigesimo septimo evectus, perfectiones omnes magni Principis exseruerit, sed non habuerit omnes, qvæ magnum decent Pontificem. Naturalem ergo propensionem ad omnia magnifica exeqvenda secutus, ædificationem superbam Basilicæ S. Petri, a prædecessore Julio II. inchoatam, absolvere moliebatur, sed exhausserat ærarium immodicis in omnis generis res splendidas sumptibus, qvi potentissimo orbis Monarchæ potius, qvam vicario illius conveniebant, cujus regnum non est de hoc mundo.

Vide Pallavic. lib. 1. c. 2. & 3.

§. V.

Si autor bona fide agnovit, regnum Christi non esse de hoc mundo, indeqve inferre voluit, Pontificem Romanum, utpote vicarium Christi, non decere, ut Monarcharum mundi mores imitetur, sincerius loqvi debuisset de summi Principatus, & de Pontificatus conjunctione. Dum enim Leonem laudat a virtutibus magno Principi competentibus, & in dignitate Pontificia ostensis, eo ipso insinuat, illum jure legitimo magnum Principem sive potentissimum orbis Monarcham, & simul pauperis Christi vicarium esse potuisse. At qvi postremum hoc docet, prius non obscure corrigit, & hactenus Lutheri & Protestantium sententiæ accedit, qvi insociabilia esse judicant, magnum orbis principatum & vicariatum Christi, immo conjunctionem utriusqve potestatis, easqve tuendi iniqvos modos, inter apertissima Antichristi signa dudum reputarunt. Malumus itaqve Maimburgium veritatis vel subdolum testem, qvam impudentem immensæ illius & duplicatæ potentiæ præconem habere; licet hanc Societas, ex qva

postea

postea ejectus est, omnibus modis evehendam sibi sumserit, & ex illa, qvem supra nominavimus, *Pallavicinus*, nihil in historia sua *Lib. 1. c. 2. 6.* omittat, qvod ad hujus ipsius Pontificis summum principatum magnifice deprædicandum faciat, & excusationes simul præbeat defectuum, qvi magnis dignitatibus & potestatibus veluti inevitabiles adhærere putantur. Qvæ, annon in contumeliam Ecclesiastici muneris, qvod Christum repræsentare creditur, cuiqve nulla necessitate dominatus secularis agglutinatus fuit, redundent, ipsi viderint. Sed de his alibi sæpius differendi locus erit. 1517.

§. f.

Exemplo igitur Julii Pontificis ad indulgentias refugium habuit. Has ubiqve terrarum publicari curavit, facta omnibus, qvi pecuniam imperatam ad structuram S. Petri solverent, potestate vescendi ovis & caseo, tempore qvadragesimæ, & eligendi sibi confessionarium. Bona fide agnoscendum est, qvod Pontifices, qvi postea successerunt, in dispensatione spiritualis hujus thesauri multum cautiores fuerint; & qvod illo tempore qvædam facta sint, qvæ nunc non fierent, & per qvæ tunc effectum est, ut indulgentiæ Leonis, in se licet optimæ, odiosissimæ tamen, præsertim in Germania, redderentur. Nam Leonem ferunt statim & absqve hæsitatione Sorori suæ, Cibo Principi nuptæ, assignasse indulgentiarum proventum in Saxonia, & vicinis regionibus, usqve ad mare Balthicum, idqve ideo, ut familiæ Ciborum vicem redderet pro subministratis sibi, cum res angustas haberet, largis subsidiis: Leo enim Florentia patria expulsus, Genuæ exulaverat. Sunt præterea autores, qvi asserunt,

L. 3. diplom. Leon. *L. 1. & 2. diplom. secret. Sadolet.* Add. *Gvicciard. L. 13.* *Pallavic. l. c.* *Paul Lang in Chron. Ciz.*

I. §. f. 1517. *runt, qvod indulgentiæ istæ ad paratam pecuniam conqvirendam veluti hastæ subjectæ & plus offerentibus locatæ fuerint; qvi licitatores postea, non tantum ut æs erogatum reciperent, sed & locupletiores ex commercio hoc pudendo fierent, præcones & qvæstores indulgentiarum bona mercede conduxerint, qvos satis idoneos putabant, ad inducendam plebem, ut pro impetrandis indulgentiis contribueret, qvicqvid avari & sacrilegi isti redemtores prætenderent. Certum est, qvæstores eo tempore ad oblationes fidelium recipiendas constitutos, qvo Urbanus II. indulgentias, cruce ad bella sacra signatis, publicavit, sensim avaritia tentatos corruptosqve fuisse, ut tandem magnos abusus in functionibus suis admitterent. His corrigendis, & ad amovendum scandalum opus fuit canonibus Ecclesiæ, qvos Innocentius III. in Lateranensi, & Clemens V. in Viennensi Concilio condidit. Etiam in Constantiensi Concilio inter capita, propter qvæ Johannes XXIII. condemnatus fuit, hoc erat, qvod Legato cuidam suo potestatem dedisset confessionarios constituendi,* qvi (*sunt verba concilii*) absolvere possent a pœna & culpa, certis tamen pecuniis taxatis mediantibus, de qvibus maximas pecuniarum summas exhausit & extorsit, Christi fideles seducendo, & statum ac vitam Ecclesiæ Catholicæ enormiter scandalizando. *Verum his decretis & cautelis non obstantibus, negari neqvit, avaritia privatorum in indulgentias*

Gvicciard. L. 13. Flor. de Ram. l. 1. c. 8. Pallavic. l. c.

Concil. Lat. sub Inn. III. c. 62.

Conc. Const. sess. II. art. 22

tias etiam a Leone publicatas abusus magnos irrepsisse. Pontifex hic promulgationem in Germania commiserat Alberto, Fratri Joachimi Electoris Brandenburgici, Archi-Episcopo Moguntino & Magdeburgensi. 1517. Cochlæus Act. Luth.

* Iste Prælatus, magnæ utique autoritatis & raræ virtutis, ob quam biennio post a Leone Cardinalis creatus fuit, delegavit negotium Johanni Tezelio Dominicano, fidei inquisitori, qui non multo prius simile gesserat, & insignicum equitum Teutonicorum utilitate magnam pecuniæ summam collegerat, dum indulgentias pro bello contra Moscovitas prædicaret. Tezelius ordinis sui religiosos in partem laborum associaverat. Hi susceptum munus, ut sæpe fieri solet, ultra limites urgendo, ita exaggerabant indulgentiarum pretium, ut occasionem darent populo credendi, certum esse unumquemque de salute, & de liberandis expurgatorio animabus, quam primum soluta pecunia, literas, quibus concessio indulgentiarum significabatur, redemisset. Hoc sine dubio scandalosum erat, ut Principes in Comitiis Norimbergensibus congregati, apud Adrianum VI. Leonis successorem postea questi sunt. Augebat scandalum, & plus una vice tumultuandi initium plebi dederat, quod subdelegati quæstorum, qui lucrum indulgentiarum redemerant, quotidie in popinis versarentur, & partem nummorum turpiter prodigerent; hosque crudeliter sibi interversos esse pauperes & mendici

Vide Fl. de Ram. l. 1. c. 8. & Spond. ad hunc annum Joachim Camer. lib. de bello Smal. Paul Lang. in Chron. Citizenſi. Massa. L. 20. Erasm. ep. 12 ad Alb. P. Eber. in Cal. Hist. Polyd. Verg. L. 8. c. 4. Christ. Lup. de Conc. t. 5. differt. de indulg. c. 4. Legat. Princ ad Adr. VI. P. Lang. l. c. Gvicc. l. 13. Joach. Cam. de bell. Smal. Fl. d. Ram. l. c Christ. Lup. & alii.

 que-

1517. *querebantur qui hac indulgentiarum nundinatione eleemosynas sibi subtrahi dicebant, quas alias acceptu-*
ri fuissent. Hi certe abusus a tot celebribus autori-
Nota *bus acrius quam a me, & variis linguis, Latina, Gal-*
lica, Italica & Germanica memorantur, ut Histori-
cus, qui eos supprimere conaretur, frustra laboraret.
Neque negari potest, immo ab omnibus conceditur,
hos abusus occasionem Lutheranismo dedisse, idque ul-
tima sessione S. Concilii Tridentini non obscure signifi-
catur. Admodum tamen injustum esset, si tam san-
cto & Ecclesiæ valde utili Dominicanorum ordini im-
putaretur, quod quidam ex eorum sodalitio in Ger-
mania sine approbatione superiorum, plus quam dece-
bat, de indulgentiis prædicarent, aut subdelegati, qui
ordinis socii non erant, omnia illa scandalosa perpe-
trarent.

§. VI.

Neque in hac narratione a veritate & candore alienus plane est autor, non multo mitius Leonis & monachorum gesta improbans, ac a scriptoribus Protestantibus factum est. Discrepat autem in eo potissimum, quod veniarum distributiones, quales sequioribus Ecclesiæ temporibus excogitatæ & exercitæ sunt, pro re licita & bona, immo pro optima venditat, & abusuum correctionem sufficere existimat. Lutherus enim, uti diximus, etsi ab initio ejusdem forte esset opinionis, & moderatione aliqua obtenta, quieturus esse videretur; mox tamen deprehendit, quæ nullo fundamento nituntur, frustra fulciri, neque pietatis charitatisque Christianæ esse aut Episcopalis officii, leges invenire, quibus irretiatur primum populus, deinde lucri, aut alia non gravi causa solvatur. Quod vero postea in Romana Ecclesia desitum est ea, qua Leo aliique ante eum usi sunt, ratione in conferendis indulgentiis

I. §. 6. §. 5. 1517.

gentiis procedi, id profecto non minima ex parte Luthero & Protestantibus debetur, qvorum monitis & exemplo ii ipsi profecerunt, qvi tamen monentes ferre nolebant, sed diris modis persequebantur, ut ex sequentibus intelligi potest, & res loqvitur. * De Alberto Archiepiscopo, qvem hic laudat Maimburgius, duo qvestus est Lutherus; primo, qvod inaudito pene exemplo duos Archiepiscoparus, & Episcopatum præterea ambiverit, & vi pecuniæ impetraverit, utqve eam corraderet, & pallii, qvod vocant, pretia solveret, indulgentiarum nundinationem Romæ conduxerit, ita ut dimidia emolumenti pars ad ipsum perveniret; unde non alii magis, qvam huic Prælato imputari debere judicat, qvicqvid præcones indulgentiæ peccarunt. Id tamen sibi ignotum ab initio fuisse dicit Lutherus; adeo ut simplici & bona fide remedium ab eo peteret contra abusus, qvorum ipse maximus erat procurator. Alterum qvod ei postea imputavit, erat impudicitia, cujus fama tunc magna fuit. V. Præf. Luth. ad opera. Et Tom. I. Altenb. fol. 258. & seqq.

Add.

§. 5.

Interim Johannes Staupitius, Vicarius Augustinianorum in Germania Generalis, ansam hinc sumsit, ut palam istis, qvi ministerio suo manifeste abutebantur, & qvos alioqvin parum amabat, contradiceret. Erat hic vir ingenio pollens, magnæ dignationis, industrius, eloqvens, corporis forma conspicuus, multumqve a Friderico Saxoniæ Duce, æstimatus, a qvo in consilium adhibebatur, præcipue in rebus Academiæ VVittenbergensis aliqvot ante annos a Principe illo fundatæ. Sive igitur Vicarius iste ægre ferret, & pro injuria reputaret, qvod Dominicani in indulgentiis prædicandis præferrentur ordini suo, qvi antea illo munere in Saxonia fungi solitus erat; sive vere commove-

Cochlæus Act. Luth.

I. §. g. §. 7. 1517. *retur corruptelis, qvæ palam in publicatione indulgentiarum apparebant; qverelas suas ad Principem detulit, & omnibus viribus resistere Dominicanis decrevit. Qvoniam autem adjutoribus contra adversarios tam potentes & formidabiles opus se habere judicabat, ex toto religiosorum suorum & doctorum etiam cœtu uti constituit viro, qvi sine contradictione, maxima tunc existimatione in universitate VVittembergensi florebat, celebri nempe Martino Lutbero, qvi præcipuus autor infelicis schismatis fuit.*

§. VII.

Hic qvoqve modestus est noster, qvod in incerto relinqvit, an *Johannes Staupitius*, Augustinianorum Vicarius, æmulatione adversus Dominicanos Lutherum ad scribendum impulerit: dein qvod Cochlæi aliorumqve calumniis omissis Luthero eam æmulationem non imputaverit. Præstat credere meliori ratione & impulsu utrumqve egisse, neqve qvidqvam in actis temporum illorum, nec inscriptis Lutheri reperitur, qvod suspicionem firmet: cum tamen hic, qvo erat candore, ne defectus qvidem suos tacere soleret, unde nec huic conjecturæ a Paulo Veneto aliqvatenus suppeditatæ, multum tribuere voluit *Pallavicinus L. 1. c. 3.* Sit tamen, ut aliqvid humani ab initio Staupitium, (qvanqvam hunc, ut §. 20. & alibi notabitur, consilii Lutheri plane ignarum fuisse constet, neqve probari possit illum cum Principe hac de re aliqvid egisse) aut ipsum etiam Lutherum stimulaverit ansamqve disputandi dederit, qvanqvam id temere & sine fundamento traditur, *Add.* nihil tamen officeret veritati. Nam hæc sæpe alia, imo contraria intendentibus & agentibus, ex divina irradiatione improvisa affulget, ne perfectioni hominum tribui possit, qvod Dei solius benignæ prævention & operationi debetur. Qvod vero iterum subjungit elogium de infelici Schismate a Luthero cœpto, & qvæ qvavis occasione in progressu operis eodem aut duriori stylo ingeminat, illa omnia una & simplici responsione repellenda esse putamus, dicentes, qvod jam supra

I. §. 7. §. b. 1517.

pra innuimus: Historicum, si perpetuo præjudicio lectorem occupare nitatur, a viri boni officio longe recedere; & licet vera qvandoqve narret, fidem tamen minuere aut amittere. Hanc enim illi demum merentur, qvi comperta sincere tradunt, aut dubia idoneis argumentis firmant, non qvi nulla necessitate malignum animum in culpandis accusandisqve, qvos oderunt, ante cognitam legitime & decisam causam produnt. Damnatus vero licet sit Lutherus ab Ecclesia, cui nomen dedit Maimburgius; personam tamen Historici melius hic repræsentasset, si criminationibus omissis, acta retulisset, ex qvibus, qvi sapiunt lectores simplicem puramqve veritatem facilius & lubentius agnoscunt & excipiunt, qvam si rhetoricis fucis aut affectuum fuligine illita, calumniæ personam gerat, & ad illius exemplum legentium judicia prævenire velit.

fuit tu passim, nisi hoc ipsum, agis?

Add.

§. b.

Natus erat Islebiæ, qvod Comitatus Mansfeldensis oppidum est anno 1483. non qvidem ex incubo, ut qvidam ad augendum ei odium, sine specie veri scripserunt, sed ut homines alii nasci solent, neqve de hoc unqvam fuit dubitatum, neqve postqvam hæresiarcha factus est. At ut talis fieret, opus non erat in locum Johannis Luderi patris diabolum substituere, & Margarethæ Lindemannæ matris honorem infamia talis genituræ contaminare. Parentes, valde licet mediocris conditionis, curarunt tamen diligenter, ut filius in literis bene instrueretur. Itaqve eos fecit Magdeburgi, Isennaci & Erfordiæ progressus, ut hic annos natus viginti Magister artium renunciaretur, & sodales ingenio & eruditione multum superare crederetur. Eo etiam tempore judiciorum Dei metu tangebatur, ita ut subita cujusdam

Philipp. Melanchth. l. 2. operum Luth. J. Micralii vit. Luth. Cochlai Act. Luth. Surius in Comment. Chytr. Saxon. lib. 7.

Add.

1517. *æ ſociis morte, & tonantis cæli fragore & fulminis prope ferientis ictu contremefactus, relicto legum ſtudio, quod inceperat, invitis etiam parentibus, in monaſterium Patrum Auguſtinianorum Erfordiæ ſeſe abderet, receptus ab illis ob magna merita cum gaudio, quia ſperabant non parvum decus ordini per illum conciliari poſſe. Sane in ſublimibus ſcientiis, quibus ſe aſſidue applicabat, ita profecit, ut mox pro maxime ingenioſo & totius in Germania ordinis ſui eruditiſſimo haberetur. Ea propter Vicarius Generalis, incrementis Academiæ VVittembergenſis intenAdd. tus, ad concionandi ſimulque philoſophiam docendi munus illum evocavit. Præſtitit utrumque magno cum applauſu, & inter fratres ſuos Monachos eam adeptus eſt celebritatem, ut Romam ad tranſigendum de litibus deputaretur, propter quas ordo tunc in partes iverat. Oſtendit autem in hoc negotio tantam induſtriam, eumque habuit ſucceſſum, ut poſt reditum a Vicario Generali juberetur Doctoris Theologiæ gradum aſſumere. Factum id eſt multa cum ſolennitate, Electore Saxoniæ, qui concionantem audiverat probaveratque, ſumtus magnifice erogante. Novus deinceps Doctor triginta annos tunc natus, magna auditorum frequentia & approbatione theologiam & ſacras literas explicavit. Ingenio erat vivido & ſubtili, facundus natura, & in lingua populari diſertus & elegans, ſumme laborioſus, & in ſtudiis adeo aſſiduus,*

siduus, ut integros aliquando dies cibo abstinens, iis 1517.
incumberet. Sic magnam linguarum & Patrum cognitionem sibi acquisivit, horum enim lectioni, & imprimis S. Augustini (quo tamen pessime usus est) praeter morem Theologorum ejus aetatis valde insistebat. Corpore erat valido & robusto, & ideo ad laborem tolerandum sine valetudinis detrimento aptus: temperamento bilioso & sanguineo, oculis penetrantibus & igne plenis: voce jucunda, & si semel concitatus esset, vehementi; aspectu ferus, mente intrepidus & elatus, sed fingendi, cum vellet (quod tamen raro ei accidebat) modestiam & humilitatem gnarus. In fundo tamen pectoris magnus superbiae & praesumtionis fomes residebat, quo ad contemnendum omnia, quae sententiae non congruebant, impellebatur. Spiritu hoc insolentiae bellicae actus, indigne tractavit omnes, qui haeresi ejus se opponebant, nullo Regum, Imperatoris, Pontificis, aut quicquid magis sacrum & inviolabile toto orbe esset, respectu. Impetrare itaque a se nullo modo potuit, ut retractaret, quae semel statuerat: iracundus, vindictae cupidus, imperiosus, praevalere semper & novitate doctrinae eminere annitens. Hanc in Schola sua ruinis maximorum ingeniorum Aristotelis, S. Thomae, Scoti, S. Bonaventurae & aliorum Scholasticorum superstruere satagebat, per quos corrupta esse dicebat solida verae Philosophiae & Theologiae Christianae fundamenta. En verum Martini Lu- Add.
theri

I. §. b. §. 8. 1517. *theri Characterem, de qvo dici potest, qvod magnam bonarum qvarundam, sed plurium malarum qvalitatum mixturam habuerit, qvodqve animo longe corruptior, qvam moribus & vita fuerit. Hæc enim semper satis correcta habebatur, qvamdiu in cœnobio vixit, & antequam hæresi sua ingenii & animi bona penitus perdidit.*

§. IIX.

Multa in relatione hac de ortu & vita Lutheri ita refert Autor, ut laudem mereatur, qvod a putidis scriptorum, qvos alias seqvitur, calumniis integrum se servaverit. Diabolicum enim illud de incubo figmentum, ut & alia de corporali, ut loqvuntur, familiaritate cum diabolo non veriti sunt venditare post *Cochlæum* & *Genebrardum*, Monachorum & Jesuitarum Germanorum maledicentissimi, *Greiserus*, *Semrius*, *Nasp*, & alii. Idem non ita pridem recoxit *Carolus Crucius*, sive a Creutzen, Borussus, qvem iterata defensione *D. Johannes Müllerus*, Hamburgensis ministerii Senior, anno 1658. refutavit. Placet porro, qvod ob generis ignobilitatem Luthero non detrahat Maimburgius. Qvi enim viles habent veritatis Doctores, qvod pleriqve humili loco nati sunt, illi satis ostendunt, se non sinceros esse illius discipulos & sectatores, qvem fabri lignarii alumnum esse non puduit. Adeo vero tenuem ortum, & inopis vitæ suæ primordia ipse non despexit nec dissimulavit Lutherus, ut dum scholas frqventaret, mendicando, qvemadmodum pauperiores pueri solent, victum sibi qvæsiviisse ipse scribat. Qvanqvam vero non magnum momentum faciant, qvæ de genere & parentibus Lutheri, aliisqve, qvæ is ante cœptam a se disputationem & reformationem gesit, traduntur; cum ipsius Servatoris nostri acta ante trigesimum ætatis annum fere omnia prætermitti visum sit sacris scriptoribus; qvædam tamen ad supplendam vel corrigendam, qvam libro hoc suo Maimburgius inseruit narrationem, paucis subjungemus. * Inter mendacia alia adversus Lutherum sparsa hoc qvoqve fuit, qvod ex Bohemia ortus esse ferebatur, eo scil. fine, ut pro hæretico, qvo veluti cognomine Bohemi ob Hussi doctrinam olim defen-

de parentibus & patria plura; de nomine Luther & Luder. * repugnat I. §. 8.

fensam vulgo tunc infamabantur, tanto facilius haberetur. Id Lipsienses Luthero ab initio infensissimos divulgasse, ut Principibus eum odiosum facerent, ipse qveritur. Alibi vero Lib. 1. epist. 39. commemorat, Parentes suos (ne qvis hos ex Bohemia ortos esse autumet) prope Isennacum vixisse, & inde Islebiam migrasse. Pater enim operarius erat metallicus, qvi in fodinis Mansfeldensibus tunc celeberrimis, victum commodius qvam domi invenit, ita ut Islebia post natum Martinum filium in oppidulum Mansfeld translato domicilio, fodinas ipse acqvisiverit, & magistratus ibi gesserit, vitæ integritate omnibus carus. Pagus vero, ex qvo familiam duxit, a *Johanne Mathesio*, famulo Lutheri, vitæ ejus scriptore, nominatur *Mæra*, situsqve est inter Isennacum & Saltzungam, medio fere itinere ad radices sylvæ Thuringicæ, qva occidentem & Vierram amnem spectat, satis mihi olim notus, cum optimo Principi *Ernesto*, Saxoniæ Duci, a Consiliis essem, nam ad ejus ditionem pertinebant. Incolebant etiam tunc Pagum istum qvidam ex Lutheri gentilibus, qvi rustica pronunciatione *Luder* vocabantur. Id alias prænomen esse solet Cattis & Westphalis non insvetum, ut scurræ sint, qvi cum Cochlæo scommata inde adversus Lutherum composuerunt, aut nescio qvid eruisse se putent, qvod juvenis promiscue *Luderi* & *Lutheri* cognomine usus fuerit. Parentes vero suos, licet tenuissimæ fortunæ, charissimos tamen habuit, omniqve cum reverentia tractavit Lutherus, ut ex literis, qvæ supersunt, & librorum dedicationibus apparet. * Nec indignum memoratu est, patrem, virum utcunqve simplicem, restitisse Luthero, cum ad Monachismum animum appelleret; & alleganti filio, terribili apparitione qvasi de cœlo se vocatum, & ad votum monasticum impulsum esse (fulmina illa horribilia & consternationem suam intelligebat) non imperite respondisse: caveret, ne diabolica circumveniretur illusione. Ingressus autem est Erfordiæ, qvo Parentum jussu studiorum causa anno 1501. concesserat, invito & per aliqvos annos graviter ob id indignante parente, Monasterium Augustinianorum anno 1505. & pro *Martino*, (qvod nomen, qvia d. X. Novembris, in profesto B. Martini natus erat, in baptismo acceperat) *Augustinus* vocari voluit Tom. IX. Altenb. f. 1103. a. b. Sacerdos creatus fuit anno 1507. *Dominica Cantate*, cujus ritus, cum postea recordaretur, in epistola dedicatoria libri *de vitis monasticis*, ad patrem scripta, serio dolet, qvod sibi sacrificandi pro vi-

1517.

Moer.

Rusticane!

Addit.

Non semper testa ipso Luthero in Colloq: Mens: fol. m. 314. a. 329. a.

Addit.

Latinè exaratâ, quod idioma Parens nesciebat.

vis & mortuis potestatem ab Episcopo consecrante & calicem porrigente demandari passus esset. Romam ablegatus est anno 1510. Sed de sua illic expeditione haud multum jactat, imo alicubi stolidam superstitionem suam vehementer improbat, qvod per templa & cryptas cursitasset, omniaqve falsissima & putidissima pro veris credidisset; notavit etiam impietatem, qvam ibi observaverat, inter alia, qvod cum ipse magna cum devotione sacrum celebraret, ab Italis Sacerdotibus derisus & festinare jussus fuerit. * Cum Wittebergam anno 1508. ad Professoris munus vocaretur, *Martinus* qvidam *Polichius* a patrio, ut tunc moris erat, in Franconia oppido *Melrichstadius* cognominatus Juris & Medicinæ Doctor, qvem vulgo *lucem mundi* vocabant, dixisse de eo fertur: *Iste monachus omnes Doctores turbabit, novam doctrinam proponet, totamqve Romanam reformabit Ecclesiam: intentus enim est Prophetarum & Apostolorum scriptis legendis, nititurqve verbo Jesu Christi; hoc nec Philosophi & Sophistæ, nec Scotistæ, Albertistæ, Thomistæ subvertere possunt.* Sive ut breviter complectitur Phil. Melanchthon: *sæpe dixit Mellerstadius, tantam esse vim ingenii in hoc viro, ut plane præsagiret, mutaturum esse vulgare doctrinæ genus, qvod tunc in Scholis unicum tndebatur.* Cum vero Lutherus ad assumendum Doctoris titulum, Friderico Saxoniæ Duce & Electore sumtus offerente, a conventu suo impelleretur, ipse vero honorem apud Staupitium ob valetudinem & alias causas deprecaretur, responsum veluti a jocante, tulit: *In eo sibi rem esse videri, ut Deus propediem multa in cælo & terra negotia, & ad ea expedienda, doctoribus ætate vigentibus & laboriosis opus sit habiturus.* Obnitentem itaqve se & jussu superiorum coactum, Doctoratum adsumsisse scribit, sed excitatum inde, ut sacras literas tanto majori cum studio & fide expenderet & doceret, unde sæpius postea titulum illum & jus docendi publice privatimqve allegavit. Vide *Epistolam ad Georgium Spalatinum*, Canonicum Altenburgensem, qvi Electori a sacris & secretis erat, anno 1520. scriptam Lib. I. ep. 139. Notat in concionibus de *vita Lutheri* Mattheſius, ob eam causam, & qvod a Scholastica Theologia non parum recederet, jam antequam theses contra indulgentias edidisset, hæreseos suspectum fuisse. Idem confirmat Melanchthon in vita ejus, & satis apparet ex scriptis, qvæ supersunt, ante cœptam anno 1517. disputationem. In epistola nempe

Matthes. Conc. de Luth.

Multi calumniatores, qvid blaterabis?

addit.

anno

hæresis suspicio. * lectio Biblica. aversio a scholasticis. * munus L. §. 8.

anno 1509. ad Jo. Braunium Sacerdotem Isennacensem scripta, qvæ 1517.
extat *Lib. I. n. 139. violentum sibi esse* innuit, *studium Philosophiæ, qvam lubentissime Theologia mutaturus esset: ea nempe, qvæ nucleum nucis & medullam tritici & ossium scrutatur.* * Inciderat vero altero, postqvam monasterium ingressus erat, anno, fortuito in Biblia Latina, & tunc primum deprehendit, plures esse textus Evangelicos & Apostolicos, qvam qvi populo prælegerentur. Eodem anno cum ægrotaret, a sene qvodam monacho doctrinam de remissione peccatorum, fide singulari apprehendenda percepit, Bernhardi loco ex concione *de annunciatione*, qvem is monstraverat, confirmatus. Incredibile inde studium ei fuit legendi sacras scripturas & libros S. Augustini. Enarrantem igitur (postqvam Doctor & Professor Theologiæ anno 1512. constitutus est) *Epistolam ad Romanos & Psalmos*, pii & sapientes omnes summa cum voluptate & consolatione audiverunt. Dedidit se etiam tunc Hebraicis literis, ut & Græcis; & Erasmi Philologiam multi fecit, Capnionis etiam partes, qvem importuno Zelo ob Hebraicam literaturam proseqvebantur Scholastici, tueri non obscure visus est: ut ex epistola *ad Spalatinum* anno 1514. & 1516. scriptis deprehenditur, sed ab Aristotelis Philosophia abhorrere cœpit, *Momum* eum vocare solitus, *qvi omnes rectius sentientes reprehenderit.* Imo d. 8. Febr. anno 1516. in literis *ad Johan. Langum*, qvem ipse, cum visitator ordinis esset, priorem Augustinianorum Erfurti constituerat dissentientem licet, & Scholasticæ, id est, Aristotelicæ doctrinæ addictissimum scribit, *nisi caro fuisset Aristoteles, non pudere se asserere, Diabolum fuisse.* Lib. I. epist. 8. Paulo post in epistola ad Augustinianum qvendam *Memmingensem* Lib. I. ep. 9. de fide justificante ita scribit: *Qvid agat anima tua scire cupio, utrum ne tandem suam pertæsa propriam justitiam discat in justitia Christi respirare atq; confidere?* Fervet enim nostra ætate tentatio præsumtionis in multis, & iis præcipue, qvi justi & boni esse omnibus viribus student, ignorantes justitiam Dei, qvæ in Christo est nobis effusissime & gratis donata; qværunt in se ipsis tam diu operari bene, donec habeant fiduciam standi coram Deo, veluti virtutibus & meritis ornati, qvod est impossibile fieri. Fuisti tu apud nos in hac opinione, imo errore, fui & ego: sed & nunc qvoqve pugno contra istum errorem, sed nondum expugnavi. * Occasionem autem pluribus ex ordine suo innotescendi suaqve vel dubitatione vel

an aliud hæretice docemus? Solam etsi rejiciamus.

 doctri-

1517. doctrina imbuendi commodisſimam habuit anno 1516. cum ab abſente Staupitio Vicarius medius ſive ſubalternus Miſniæ & Thuringiæ, id eſt Monaſteriorum Auguſtinianorum plus minus qvadraginta conſtitutus eſſet, eaqve, ut moris erat, viſitaret. Tantam vero magnanimitatem & παῤῥησίαν atqve fiduciam ſui in rebus divinis jam tum exeruit, ut d. 8. Jun. eo anno Wittebergam reverſus, Spalatino, neſcio qvid de Electoris Saxoniæ conſiliis aut juſſis ſcribenti Lib. I. ep. 13. reſponderet: multa placent Principi tuo, & magna ſpecie in oculis ejus fulgent, qvæ Deo diſplicent & ſordent. Non qvod negem hominem in ſecularibus ſtudiis eſſe omnium prudentiſſimum; ſed qvod in iis, qvæ ad Deum pertinent & animarum ſalutem, pene ſepties cæcum agnoſcam, pariter cum tuo Pfeffingero. Is erat cubicularius & Conſiliarius Principis intimæ admiſſionis. Nihil tamen nocuit Luthero ingenua libertas, qvinimo æſtimari a Principe magis magisqve cœpit, ut ex literis ad eundem Spalatinum menſe Decembris anno 1516. ſcriptis Lib. I. ep. 23. conſtare poteſt. Qvomodo vero Scholaſticas qvasdam theſes rejecerit, inter alia videri poteſt ex epiſtola ad *Langum* ſcripta. Lib. I. ep. 18. Spalatino dein conſilium petenti de vertendis qvibusdam opuſculis Latinis in Germanicum ſermonem, reſpondit epiſtola 23. *Qvo ſalubriora aliqva ſunt, eo minus placent ac proficiunt. Qvid Evangelio & Chriſto ſalubrius? at ſordent & ſunt odor mortis in mortem plurimis.* Commendat *Joh. Tauleri ſermones*, qvibus *neqve in Latina neqve in Germanica lingva vidiſſe ſe* ait *Theologiam ſalubriorem, & cum Evangelio conſonantiorem.* Seqventi anno eidem ſvadet circa tempus paſſionis legenda Auguſtini, Cypriani, Hilarii qvædam. * Hæc tum erant ſtudia, hæc mens Lutheri, anteqvam adverſus Tezelium diſputaret. Itaqve qvas ingenii, eruditionis, induſtriæ, candoris, libertatis, conſtantiæ, inculpatæ etiam vitæ laudes tribuit Luthero Maimburgius, facit id veritatis vi inductus, teſtesqve habet & ſcripta Lutheri, & inimicorum qvoqve judicia. Sed non alio fine uſum eſſe apparet hac ingenuitate, qvam ut fidem inveniat, jam acrius culpans. Neqve tamen æqve valida eſſe deprehendentur, qvæ de vitiis ejus commentatur. Immunem ſane a defectibus ne ipſe qvidem vir ſummus ſe venditavit, ſed aperta infirmitatum profeſſione, Chriſtiani & modeſti animi documenta ſufficientiſſima dedit. Ex actorum itaqve hiſtoria certius conſtabit, an typum hunc morum, vitiis

quos postea Lib. 2 Reg. Angliæ Add. Apostata Nequissimus rejecit.

I. §. 1. §. 9. 1517.

tiis qvam virtutibus magis conspicuum, recte ei asignaverit Maimburgius.

§. 1.

Hic igitur erat in vigore tunc ætatis triginta-qvatuor annorum, magnaqve VVitteberga æstimatione constitutus, qvem Vicarius Augustinianorum-Generalis in Dominicanos immisit, qvi anno 1517. indulgentias Leonis Papæ in Saxonia prædicabant. Lutherus gloriæ cupidus, occasionem inclarescendi lubentissime arripuit.

Cochlæ: acta Luth.

§. IX.

Insani hominis characterem, non solum ambitiosi & honoris cupidi, ostendisset Lutherus, si ex disputatione hac gloriam sibi parare cogitasset. Nam præterqvam, qvod cum imperitissimis impudentissimisqve adversariis congrederetur, non poterat nescire, qvæ sibi odia immminerent, propter gratiam, qvam illi ex qvæstura ista sibi adqvirebant. Solius itaqve conscientiæ stimulis (ut ex seqventibus constabit) incitatus, cum indulgentiæ in vicino Wittembergæ oppido, Jüterbock, ad Archiepiscopatum Magdeburgensem tum spectante, prædicarentur, & plebs eo excurreret, calamum arripuit. Tanta autem cum submissione in epistolis ad Prælatos (de qvibus paulo post agit Autor) institutum suum explicavit, ut major esse non potuerit. Ad *Albertum* enim *Cardinalem & Archiepiscopum Magdeburgensem* (cujus nomine edicta immodica commendatione indulgentiarum turgentia evulgabantur) thesesqve suas mittens, ita scribit: Testis est mihi Dominus Jesus, qvod meæ parvitatis & turpitudinis mihi conscius, diu jam distuli, qvod nunc perfricta fronte perficio. Dignetur Tua Celsitudo oculum ad pulverem unum intendere, & votum meum pro tua Pontificali Clementia intelligere. Qvo modo anno seqventi, licet jam confidentior & irritatior, ad Episcopum Brandenburgensem eandem submissionis professionem fecerit, in loco dicemus. Optima vero depulsio hujus suspicionis esse videtur, qva ad Johannem Langum Lib. I. ep. 33. tale qvid sibi imputantem utitur: Qvis ignorat, qvin sine superbia aut saltem

Mentiris impudentissime Nebulo! qvis fuit Eccius, Prierias, Latomus, Aleander, Cochlæus, Cajetanus, Clichtoveus, Wimpina, Sadoletus, Emser, aliique Lutheri Antagonistæ? an imperitissimi? an impudentissimi? pudeat te Calumniatorem, qvi tibi, cum Babulis tuis, salus sapere videtis, aut vis! vide infra fol. 46.

saltem sine specie superbiæ & contentionis suspicione possit qvicqvam novi produci? Finge enim ipsam humilitatem nova conari, statim superbiæ vitio subjicietur ab iis, qvi aliter sapiunt. Cur enim Christus & omnes martyres occisi sunt? cur doctores passi invidiam? nisi scilicet, qvia superbi & contemtores veteris & inclytæ sapientiæ seu prudentiæ visi sunt: aut qvod talia nova sine consilio illorum protulerint, qvi vetera sapiebant. Ista ambitiosi & claritatem nominis affectantis animi argumenta esse, qvis nisi iniqvissimus credat? Vide etiam *epistolam 39. Lib. I.* ad Spalatinum.

§. *k.*

Conscendit cathedram, declamavit terribili modo adversus qvæstores & prædicatores indulgentiarum, & ab abusibus privatorum, qvos legitime reprehendere poterat, ad culpandas ipsas indulgentias progressus, plus ab illis damni qvam utilitatis proficisci contendit. Convenire eas ajebat ignavis Christianis, qvi a benefaciendo se redimere velint, rejecta cruce Christi: indulgentiis enim illis remitti pœnitentiam, qvam agere debent, & bona opera, qvæ satisfactoria dicuntur, id est, preces, mortificationes carnis, & eleemosynæ, fructus scilicet pœnitentiæ tota vita præstandi. Exhortatus est postea auditores, ut pecuniam, qvæ ad structuram S. Petri exigebatur, pauperibus potius gratis darent, nec falsis promissis de indulgentiarum utilitate crederent, qvæ neqve consilii, ut ajebat, neqve præcepti sint, neqve ad hoc neqve ad futurum seculum conducant.

§. X.

Qvæ ex concione Lutheri (*Tom. I. Alt. f. 56. & 58.*) excerpta hic referuntur, & *terribilia* vocantur, sua se jam satis commendant veritate &c

te & modestia; sed ex totius sermonis ejusqve apologiæ lectione appa- 1517.
ret, scintillulas saltem lucis cujusdam Luthero tunc affulsisse; proble-
matice enim pleraqve tractat, & ut Ecclesiæ definitionem non recusa-
turus. Decisa enim aut indubitata esse non putabat, qvæ non mille, ut exadverso jactabatur, sed trium saltem Doctorum opinione niti, dicebat, *Thomæ, Bonaventuræ* & *Alexandri Alesii*, cæteros enim pro turba habet, duces seqvente. Interim Pontificis autoritatem agnoscit, & de purgatorii dogmate nondum dubitat. Eleemosynarum autem hunc facit ordinem, ut primo dandæ sint pauperibus, ejus, ubi degimus, loci; dein, si desint, qvod raro fit, pauperes, ad ornamenta templorum in eodem loco, & tunc demum ad structuram Basilicæ D. Petri, qvæ Romæ est. Qvi vero ob hæc & alia adversus abusum indulgentiarum a se dicta & scripta, hæreseos eum incusabant, eos obfuscati tenebris cerebri homines esse, ait, qvi sacras literas ne olfecerint qvidem, Christianos doctores veteres non legerint, suos non intellexerint, & in suis saltem opinionibus laceris & perversis computrefacti, convitientur & damnent eos, qvi nec auditi nec convicti sint. —

versipellis Heresiarcha eâ nunquam acqvievit, nec in animo habvit.

Scilicet pro suo candore hæretico mendacia mendaciis propugnare non erubescis.

§. 1.

Eodem tempore literas dedit ad Archiepiscopum Moguntinum, eundemqve Magdeburgensem, obtestans eum, ut remedia magnis confusionibus afferret, qvas indulgentiarum qvæstores efficerent, & populum fraude liberaret, qva per conciones illas deciperetur, credens scilicet emtores indulgentiarum certos fieri æternæ salutis, nec solicitos amplius esse ad illam per veros pœnitentiæ fructus acqvirendam. Hac occasione Archiepiscopo theses nonaginta qvinqve misit, qvas eodem die profesto omnium Sanctorum, *portis Ecclesiæ VVittebergensis affixerat, non ut eas tanqvam certas & veras, ut ait, assereret, sed ut disputatione legitima examinarentur, ad eruendam veri-*

Epist. Luth. ad Albert. Mogunt. s. 1.

1517. *veritatem. Sed jam plures ex illis ſatis clare affirmaverat in concionibus de indulgentia & pœnitentia habitis. Et fatendum eſt, eſſe inter eas, qvæ veræ ſunt, & optime defendi poſſunt; ſed ſunt etiam multæ prorſus falſæ, adverſus theſaurum Eccleſiæ, poteſtatem Papæ, & pretium indulgentiarum pugnantes, qvas malitioſus hic & aſtutus doctor abolere nitebatur, qvamvis ſimularet, ac ſi tantum inſtrui deſideraret.*

§. XI.

Si suo delirio credimus.

Hic qvoqve interiora Lutheri ſcrutatur Maimburgius, & jam aſtutiam eruit, poſtqvam ambitionem protraxit, utrumqve ſine fundamento. Vere tunc & candide inſtructionem & definitionem deſideraſſe Lutherum, ex ſermonibus, libris, epiſtolis ejus æqvis judicibus facile conſtabit; neqve cum iſthac mentis affectione pugnat, aut aſtuti hominis fuit, qvod interea opiniones ſuas propoſuit, & qvibus tunc poterat rationibus, ſtabilitum ivit. Videatur proteſtatio ejus, theſibus annexa, qvæ *Tom. I. Jen. Lat. fol. 79.* alienò qvidem loco poſita eſt, cum, ut in *camlogo*, Tomo illi ſubjuncto, monetur ad *fol. 5.* referri de-
» beat. Submittit ſe in ea Scripturis, Patribus in Eccleſia Romana re-
» ceptis, canonibus & decretis & omnium ſuperiorum ſuorum judicio:
» ita ut etſi errare poſſit, hæreticus tamen non ſit futurus; a Thoma e-
» nim & Bonaventura aliorumqve Scholaſticorum & Canoniſtarum nu-
» dis opinionibus, qvæ textu & probatione deſtituuntur, diſſentire, li-
» berum ſibi eſſe. Theſes ipſas adſcribere ſuperſedemus. Extant in o-mnibus operum Lutheri editionibus: & præcipua contenta ex iis, qvæ diximus & infra dicemus, qvantum opus eſt, apparebunt.

§. *m.*

Ap. Luth. 4. 1 Cochlai acta Luth. *Itaqve Johannes Tezelius Dominicanus, male ſe & qvæſtores ſuos in theſibus iſtis haberi cernens, centum & ſex alias Francofurti ad Oderam concinnatas,*

I. §. m. §. 12.

tas, illis oppoſuit: imo, ut fidei inqviſitor, comburi juſſit Lutheri theſes, qvo factum, ut hujus diſcipuli ad ulciſcendum magiſtrum, Dominicani theſes VVittebergæ vicisſim comburerent. Hoc qvaſi claſsicum belli fuit absqve intermiſsione poſtea non ſolum inter Auguſtinianos & Dominicanos, ſed & inter Catholicos, & partes Lutheranas geſti, qvæ contra Eccleſiam tunc formari incipiebant.

1517.

§. XII.

Johannem Tezelium, Pirnæ in Miſnia ad Albim natum, & Dominicanorum ordini adſcriptum, ob adulterii crimen Oeniponti capitis damnatum Friderici Saxoniæ Electoris interceſſione veniam impetraſſe, Lutherus & Matthesius, ut comperta referunt. Hominem absqve pudore & indoctum fuiſſe conſtat, etſi *Doctoris Theologiæ* titulum gereret. Nec theſium, qvas contra Lutherum emiſit, autor habitus eſt, ſed qvidam *Conradus Wimpina*, qvi Francofurti ad Viadrum Scholaſticam Theologiam docebat. Reperiuntur & illæ in Tomis Lutheri, ſcholaſticarum, qvatenus Romanæ curiæ favent, opinionum tigillis ſuperſtructæ, poſt qvas mox aliæ, numero qvinqvaginta, vehementiori ſtylo editæ, & ad hæreſis crimen Luthero impingendum directæ ibidem leguntur. Combuſtarum tamen theſium Tezelianarum, etſi exemplo præiverat Tezelius, invidiam amolitur a ſe Lutherus, ad *Langum* ſcribens: *Lib. 1. ep. 42.* & in epiſtola ad Jodocum, Theologum Iſennacenſem, Præceptorem qvondam ſuum *Lib. I. ep. 47.* de fama illa ita reſpondet: „Miror qvod credere potuiſti, me fuiſſe autorem con„crematione poſitionum Tezelianarum. „Adeo mihi omnem ſenſum „humanum periiſſe credis, ut tam inſignem injuriam ego religioſus & „Theologus in loco non meo, homini tanti officii, irrogarem. Hæc „profecto non immite aut præceps viri ingenium oſtendunt, qvale illi affingunt adverſarii. *Pallavicinus* ſane idem narrans modeſtiæ laudem Luthero non prorſus detrahit. * Erant tunc, ut ſemper inveniuntur, qvi Principum conſilia rimantes, neſcio qvid arcani penetraſſe ſibi videbantur, & ſuſurrabant, Lutherum a Friderico Electore clam inſti-

Nebulones mentiuntur

Add. Sallis. vide Tom. 1. jen: lat. fol 4. b. 7. a.

1517. 1518. *Add.* instigari, ut in odium Alberti Archiepiscopi (Pontificis mandato indulgentiarum præcones commendantis) disputationes suas continuaret: sed audiamus Lutherum in literis ad Georgium Spalatinum, *Lib. I. ep. 39.* ista probe elidentem: „ Unum illud te nosse volo, qvod vehementer doleo; videlicet illi ipsi rabulæ & multi alii cum illis nova machina instructi ubiqve garriunt: Principis nostri illustrissimi esse totum, qvod ego ago, tanqvam inductus ab eo ad invidiam Archiepiscopi Magdeburgensis. Tu qvæso censeas, qvid hic faciendum? Principine sit aperiendum? Ego mei causa Principem in suspicionem venire ægerrime omnino fero, & inter tantos Principes disfidii origo esse valde horreo & timeo. Ex his conjicere licet, vane asseri, concremationem illam pro clasico belli habendam aut factionis contra Ecclesiam initia facta fuisse, sed bellum illud, eo qvidem tempore, mere scholasticum erat, nullo tunc Principe, de iis, qvæ postea secuta sunt, cogitante.

§. n.

Anno 1518. *Nam Ingolstadii celebris Doctor & Professor eruditissimus Theologiæ,* Eccius, *& Romæ* Sylvester Prierias, *Dominicanus, sacri Palatii Magister, adversus theses Lutheri calamum strinxerunt, qvibus hic ab initio contra genium suum satis placide respondit.*

Luth. Tom. 1. *Scripsit etiam tractatum prolixum, in qvo probationes & autoritates sacrarum literarum & Patrum continebantur, quibus ad firmandas theses suas utebatur, misitqve ad* Hieronymum, *Episcopum Brandenburgensem, Diœcesanum suum, & ad Pontificem Leonem, additis literis admodum submissis, protestans, qvod judicium sanctitatis suæ in hac doctrina susceptorus esset, ut ipsius Christi per os ejus loqventis. Sive autem Lutherus revera tunc ita animatus erat, ut sæpe*

Epist. Luth. ad Leonem die S. Trin.

Luth. præf. 1. tom.

sæpe asseveravit, obtendens, qvod tunc nondum a veteribus erroribus liberatus fuisset; sive aliud in pectore reconditum habebat, qvam ore profitebatur, qvanqvam genio ejus non satis convenit, ut hypocritam diu simularet; hæc tamen ejus methodus multorum benevolentiam & approbationem ei conciliavit, credentium, bona fide ab eo agi, nec aliud qvam veritatem qværi, unde ab adversariis, qvorum fraudes & abusus detexerat, injuste pro hæretico haberi putabant.

1518. *Ad præf. Latom. tom. 2.* *Cochlai Act. Luth.*

§. XIII.

Supplenda hic sunt non pauca, scriptori historiæ hujus non prætereunda, qvæ per compendium tradit *Joh. Sleidanus* Lib. I. fusius vero suppeditant acta & scripta ipsius Lutheri Tom. I. Legi igitur & considerari merentur, theses sub finem anni 1517. Præside Luthero a *M. Francisco Gunthero* Northusano propositæ *pro Biblia*, ut habetur in titulo thesium, Tom. I. Jen. Lat. fol. 9. b. & seq. qvas etiam animadvertit *Pallavicinus lib. 1. c. 8.* In his adversus scholasticos, ducta ex sacris literis argumentatione, plurima ventilari cœperunt, qvæ postea accuratius expensa reformandis dogmatibus amplissimam materiam præbuerunt v. g. falsitas est, qvod voluntas possit se conformare dictamini rectæ rationis. Actus amicitiæ (erga Deum) non est naturæ sed gratiæ prævenientis. Diligere Deum super omnia naturaliter, est terminus fictus, sicut chimæra. Optima & infallibilis ad gratiam præparatio & unica dispositio est, æterna Dei electio & prædestinatio: ex parte autem hominis nihil nisi indispositio, immo rebellio gratiæ gratiam præcedit. Nulla est virtus moralis sine vel superbia vel tristitia, id est, peccato. Gratia Dei nunqvam coexistit ut otiosa, sed est vivus, mobilis & operosus spiritus. Extra gratiam Dei adeo impossibile est, non irasci, non concupiscere, ut nec in gratia satis id fieri possit ad legis perfectionem. Non efficimur justi operando, sed facti justi operamur justa. Cum vero Lutherus nihil moraretur, ut jam supra retulimus, magna, qvæ tunc personabant Scholasticorum nomina, sed Scoto, Gabrieli, aliisqve manifeste contradiceret, qvid mirum, si Aristoteli

1518. teli & Philosophis non plus detulit ? Immo jam tum seqventes propo-
„ suit qverelas & censuras. Tota fere Ethica Aristotelis pessima est gra-
„ tiæ inimica. Aristotelis sententiam de felicitate non repugnare do-
„ ctrinæ Catholicæ, error est. Error est dicere, sine Aristotele non fit
„ Theologus, imo Theologus non fit, nisi sine Aristotele. Nulla forma
„ syllogistica tenet in terminis divinis, non tamen inde seqvitur, verita-
„ tem Articuli Trinitatis repugnare formis syllogisticis. Totus Ari-
„ stoteles ad Theologiam est sicut tenebræ ad lucem. Bonum erat Ec-
„ clesiæ, si Theologis non notus fuisset Porphyrius cum suis universali-
„ bus. Usitatiores definitiones Aristotelis videntur petere principia.

* Nec minoris ponderis vigorisqve sunt paradoxa Theologica, qvæ
Add. Lutherus Tom. I. f. 27. mense Majo anno 1518. Heidelbergæ publice disputanda sumsit, Respondente ejusdem ordinis monacho *M. Laurentio Beyero.* Erat ibi conventus Augustinianorum generalis, ad qvem pedestri itinere contritionis, ut scribit, causa, profectus est Lutherus, & egregia Electoris Saxoniæ commendatione ad Principem Palati-
Add num instructus. In itinere Episcopum Wurtzburgensem salutavit & humaniter habitus est. Excerpsit ex thesibus illis qvædam; sed invidiose, & insectatus est Pallavicinus *Lib. I. c. 7. & 8.* inter qvæ est ve-
„ xatissima, in disputatione ista septima : opera justorum sunt morta-
„ lia (sive peccata) nisi pro Dei timore ab ipsismet justis ut mortalia
„ timerentur. Liberum arbitrium post peccatum potest in bonum
„ potentia subjectiva, in malum vero activa semper: qvæ qvomodo in probationibus thesium jam tum explicaverit & defenderit Lutherus, ex *d. Tom. I. fol. 28. & seqq.* tacere immitis censor non debuisset, multo minus Lutherum testem allegare, qvod enormes & ridiculæ visæ fuerint theses Heidelbergenses : Non enim suum, sed unius ex Doctoribus junioribus dictum derisum refert. Verba ejus hæc sunt : Domi-
„ ni Doctores disputationem meam libenter admiserunt, & ea modestia
„ mecum disceptarunt, ut eo nomine mihi sint commendatissimi. Qvan-
„ qvam enim peregrina illis videbatur Theologia ; nihilominus tamen
„ & argute & pulchre adversus eam velitabantur, excepto uno, qvi erat
„ qvintus & junior Doctor, qvi risum toti movebat auditorio, qvando
„ dicebat ; si rustici hæc audirent, certe lapidibus nos obruerent & in-
„ terficerent. Meretur adscribi relatio *Buceri* ad *Beatum Rhenanum* relata ex autographo epistolæ ejus a Sculteto, his verbis : Lutherus in

suo-

suorum Fratrum apud nos celebrata Synodo literariæ pugnæ solenni more præfectus, ea disputavit paradoxa, qvæ non modo opinionem omnium superarent, sed etiam pleraqve visa sunt hæretica. Mira ejus in respondendo svavitas, in audiendo incomparabilis longanimitas, in dissolvendo Paulî agnovisses acumen, non Scoti, adeo brevibus, eqve divinæ scripturæ penu depromptis responsis in sui admirationem facile cunctos adduxit. Cum Erasmo illi convenirunt omnia, uno hoc hic præstat, qvod, qvæ ille tantum insinuat, hic aperte docet. Qvæ profecto genuina & verissima descriptio est, in qvo diversitas utriusqve ingenii constiterit. Addidit tunc Lutherus *corollaria* adversus Aristotelem, cui aliqva Platonis, Parmenidis, Pythagoræ & Anaxagoræ dicta & opiniones præfert, ob hanc libertatem qvoqve *Pallavicino* vapulans. 1518.

§. XIV.

Sed eo jam tum animo erat Lutherus, ut autoritate Scholasticorum, qvi Aristotelis doctrinam divinæ vel æqviparabant vel præferebant, parum moveretur. Hærebat qvidem ad nomen *Ecclesiæ*, nec in dubium vocaturus videbatur, qvæ illa definiisset: sed cum certus de ejus definitionibus non esset, etiam dum theses componeret; qværentis tamen & discere cupientis potius qvam asserentis personam gerebat, donec introspecta in dies magis magisqve argumentorum Scholasticorum debilitate, postmodum vero etiam deprehenso abusu potestatis Ecclesiasticæ, fundamenta veritatis unice in sacris literis posuit. Sapuit igitur non per subitas inspirationes aut Enthusiasmum (qvem nec ipse jactavit, nec eo prætextu fidem apud alios invenit) sed ex profectu, & secundum mensuram impertitæ sibi ad Scripturæ lumen agnoscendum a Deo gratiæ. Audiamus ipsum post annos viginti octo, & paulo ante mortem, ætate jam gravem, & temperato, si qvis nimius fuisset, ardore, in præfatione operum publice profitentem: Hæc ideo narro (de commentariis suis in sacras literas) optime lector, ut si lecturus es opuscula mea, memento, me unum fuisse ex illis, qvi (ut Augustinus de se scribit) scribendo & docendo profecerim, non ex illis, qvi de nihilo repente fiunt summi. Nihil ergo ex his initiis & progressibus concludi adversus Lutherum potest, qvod dogmatum, qvibus tandem post disputationes acqvievit, certitudinem infirmet. Neqve alius modus inqvirendi & detegendi orthodoxiam post Evangelii

Mentiris haretice!

Nota. alibi Vertumnus Hæresiarcha sibi diametraliter contradixit, ut D. Pistorius pudū orbi patefecit.

1518. gelii prædicationem Ecclesiæ necessarius fuit. Liceat mihi nascentis illius primordia huc applicare. Qvis enim majori cum evidentia & fide inspirationem & Pythagoricum illud αὐτὸς ἔφα ostentare potuisset, qvam Apostoli, qvibus visibili & miraculoso prorsus modo lumen illud spiritus affulserat? Sed qvid aliud illi pro fundamento proponunt, qvam sacram Scripturam? ideo nomine omnium & ante omnia D. Petrus profitetur. Actor. II. 16. 25. 29. *hoc est, qvod dictum est per Prophetam Joel,* & paulo post; *audenter* (ut ipse loqvitur) Davidis testimonio resurrectionem Christi demonstravit. In altero porro sermone post primum miraculum in sanando claudo editum, *ad os omnium Prophetarum, & ad ipsum Mosen* provocat: Act. III. 18. 22. posthabitis simul, & rejectis Synagogæ Christum damnantis & occidentis præjudiciis d. c. v. 14. 17. Sed ut propius ad fundamenta illa accesserit Lutherus, jam ex primis cum Eccio & Prieriate velitationibus, & ex prima thesium suarum defensione sive *resolutionibus* apparuit; de qvibus, qvia justo brevior hic est Maimburgius, aliqva commemorare, non abs re erit.

§. XV.

Et Eccium qvidem qvod attinet, amicum Luthero & æstimatum fuisse, ex epistola conjici potest, qva asteriscos suos Eccii obeliscis oppositos, & d. 10. Aug. anno 1518. editos Norimbergensium Augustinianorum Ecclesiastæ & vere (ut scribit) Theologo, Wenceslao Linccio commendat: dolet enim, *qvod Eccius se ut amicum non præmonitum insidiosissimus & iniqvissimus tanto felle amaricaverit.* Add. Eccius tamen postea exasperato jam disputatione Lipsiensi dissidio, ad Electorem Saxoniæ scribens, negat obeliscos hos, qvos Episcopi Aichstetensis jussu (erat enim ejus Ecclesiæ cathedralis canonicus) composuerit, a se vulgatos fuisse, & nescire, qvomodo ad Lutherum pervenerint. Qvicqvid sit, Lutherus sive alia de causa, sive qvod amicorum injuriæ plerunqve acrius offendunt, non nimis placide respondit Eccio arrogantiam & insciliam non semel, nec sine multo sale objiciens. Omnem vero disputationis Eccianæ vim prima statim responsi sui periodo Lutherus enervat, principiorum diversitatem demonstrans. Ait enim: „ per totum illud obeliscorum chaos nihil sacrarum literarum, nihil Ec„ clesiasticorum Patrum, nihil Canonum, sed omnia Scholasticissima, o„ piniosissima, meraqve somnia comminiscitur. Morem etiam Scholasti-

Dispar wann Ihro Lutherischer brauch, seinen auch gelassen, Ehrlichen Läuten seins Hochmüthigen Esels, sich aber für einen Doctor Ecclesiasticorum ausgeben. vid. intr. f. 46.

obeliſcis aſteriſcos opponit. aſſeruntur qvædam ex illis. §. 16. qvædam I. §. 15. 16.

laſticorum, qvando ſcripturam interpretantur & argumenta inde ſumunt, alluſione ad Scholæ vocabulum, ut *luſorium & deriſorium* taxat. At Auguſtinum magnifacit, ſcribit enim: Si Eccius vel unicum illum de ſpiritu & litera libellum legiſſet, ſe fortiter ſibi perſvadere, qvod omnes obeliſcos, immo totum ſtudium ſuum ſcholaſticum damnaturus & deploraturus fuerit. Ad contumeliam vero, qva Eccius Luthero *Bohemicum virus*, id eſt, hæreſin impingit, ita reſpondet: ſe qvidem Chriſti cauſa injurias patienter ferre, vivere tamen in inſigni Academia, in approbata religione, (ordinem Auguſtinianum intelligit) in illuſtriſſimo Ducatu Saxoniæ, in ampliſſimo Epiſcopatu, & his omnibus Catholicis, neqve qvicqvam aſſerere, ſed diſputare, ac ut Catholicus ſit, qværere, hæreticum enim non fieri, niſi pertinacia erroris in fide. Si diſputare ſit hæreticum, jam Eccium omnium, qvos vidit Eccleſia, hæreticiſſimum fore, qvi in qvatuor illuſtriſſimis Academiis, venenis, id eſt, diſputationibus omnia intoxicaverit. De Pontifice in aſteriſcis hiſce ſuis honorifice ſatis loqvitur, non immemor tamen libertatis; ideo adulatoribus tribuit, qvod abuſus circa indulgentias extiterint. Confidit, ſi maxime (qvod non ſperat) obtemperare adulatoribus vellent Pontifices, non auſuros tamen Biblia & Doctores Eccleſiaſticos contemnere; præſidio enim Eccleſiæ relictam eſſe per Dei admirabilem ſapientiam, multitudinem virorum eruditorum & ingeniorum, Chriſto favente, proſpere agentium, tum potentiam Regum & Principum illis impenſe faventium, & proceres in curia ſeriam pietatem foventes. In qva fiducia ſane non omnino falſus eſt, ut eventus in tot regnis & provinciis non longe poſt docuit. Ad modeſtiam etiam, qvam Maimburgius in reſponſionibus hiſce deprehendit, pertinet, qvod ſe paratum eſſe oſtendit, Eccii, dum Eccleſiaſtice ſive orthodoxe ſcriberet, pedes, immo veſtigia oſculari: culpam deniqve ſcandali per theſes ſuas dati ita amovet, ut ſcribat, ſe cavendi illius cauſa lingva Latina eas edidiſſe, nec latius qvam ad vicinos emiſiſſe, ſolumqve doctioribus obtuliſſe, & amicis eruditioribus. 1518.

§. XVI.

Pergo ad *Sylveſtrum Prieriatem*, ſive *de Prierio*, Monachum Dominicanum, ex qvo ordine Magiſtri palatii (qvalis ipſe erat) ſive inqviſitores Pontificii, librorum nempe & dogmatum cenſores ſumi ſolent. Ejus *dialogus & Reſponſio Lutheri* reperitur, *Tom. I. Jen. & Witten-*

§. §. 16. 1518. *Wittenberg. fol. 15. 45. & seqq.* Sylvester in epistola dedicatoria contemtim de Luthero locutus erat. Martinus, scribit, nescio qvis Luther, in veritatem ipsam & sanctam hanc sedem cervicem elatam ostentat &c. Animosum deinde se profitetur, qvi Satanam ipsum in futuro certamine non extimescat, & avide experiri cupiat, an ferreum nasum, an caput æneum gerat iste Martinus. At ne sine gravis armaturæ tegmine procederet, disputationi suæ fundamenta præstruxit, qvæ, qvoniam haud dissimilibus ad hunc usqve diem adversus nos utitur Roma, huc transcribere non piget: Fundamentum primum: Ecclesia universalis, essentialiter, est convocatio in divinum cultum omnium credentium in Christum. Ecclesia vero universalis, virtualiter, est Ecclesia Romana, Ecclesiarum omnium caput est Pontifex maximus. Ecclesia Romana repræsentative, est collegium Cardinalium, virtualiter autem & Pontifex summus, qvi est Ecclesiæ caput, aliter tamen qvam Christus. Fundamentum secundum: Sicut Ecclesia universalis non potest errare determinando de fide aut moribus; ita & verum concilium, faciens qvod in se est, (ut intelligat veritatem) errare non potest, qvod intelligo, inclusa capite, tandem ac finaliter, licet forte prima facie fallatur, qvo usqve durat modus inqvirendæ veritatis, imo etiam aliqvando erravit, licet tandem per spiritum sanctum intellexerit veritatem, & similiter nec Ecclesia Romana, nec Pontifex summus determinans ea ratione fallitur, qva Pontifex, id est, ex officio suo pronuncians, & faciens, qvod in se est, ut intelligat veritatem. Fundamentum tertium: Qvicunqve non innititur doctrinæ Romanæ Ecclesiæ, ac Romani Pontificis, tanqvam regulæ fidei infallibili, a qva etiam sacra Scriptura robur trahit & autoritatem, hæreticus est. Fundamentum Qvartum: Ecclesia Romana, sicut verbo, ita & facto potest circa fidem & mores aliqvid decernere. Nec in hoc differentia ulla est, præter id, qvod verba sunt accommodatiora qvam facta. Unde hac ratione consvetudo vim legis obtinet, qvia voluntas Principis factis, permissive aut effective, exprimitur. Et consequenter qvemadmodum hæreticus est male sentiens circa scripturarum veritatem; ita & male sentiens circa doctrinam & facta Ecclesiæ in spectantibus ad fidem, & mores, hæreticus est. Ex his corollarium, ut vocat, sive fatale illud acroama, consecutione, si præmissæ veritate nituntur, necessaria, conficit & subjungit: *Qvi* (addit qvidem

circa

circa indulgentias, sed vis argumenti, si qva est, generalis est) *dicit; Ecclesiam Romanam non posse facere id, qvod de facto facit, hæreticus est:* dein ad Lutherum converso stylo: *Age nunc*, ait, *Martine, & tuas conclusiones in medium adfer.* 1518.

§. XVII.

Jam pauca qvædam ex responsione Martini, qvem bis provocare non fuit necesse, adjiciemus. Is adversus galeatum & loricatum, fundam videtur expediisse, ea modestia vel cautela, ut sub initium congressus fundamenta illa declinet, & prætereat. Omitto, inqvit, fundamenta tua, qvorum intelligentiam magis suspicor qvam capio. Et more exemploqve tuo mihi qvoqve fundamenta faciam necesse est. Primum est illud B. Pauli 1. Thess. V. omnia probate, qvod bonum est, tenete & Gal. 1. Si Angelus de cœlo aliud vobis evangelizaverit, qvam accepistis, anathema sit. Secundum est illud Augustini ad Hieronymum: Ego solis eis libris, qvi canonici appellantur, hunc honorem deferre didici, ut nullum eorum Scriptorum errasse, firmissime credam: cæteros autem qvantalibet doctrina sanctitateqve polleant, non ideo verum esse credo, qvia illi sic senserunt, & qvæ sequuntur. Qvibus addit: His fundamentis, si me intelligis, simul intelligis, totum tuum dialogum funditus eversum. Omnia scilicet Sylvestri argumenta Thomæ Aqvinatis doctrina stabant cadebantqve: ideo Sylvestrum in Commentariis Thomæ *non tam implicitum qvam immersum dicit. Totum Thomistam, qvi nihil probet.* Sed ne qvis putet, qvæ Sylvester præstruxerat fundamenta, immota & certa Luthero videri, jam §. 6. apertissime profitetur, *Papam & Concilium errare posse, idqve egregie notatum esse à Panormitano in C. significasti.* Negat, & pro nihilo habet distinctionem Ecclesiæ in essentialem, repræsentativam, virtualem. Tua illa sunt, inqvit, id est, sine Scriptura & autoritate ulla prolata. Ego Ecclesiam virtualiter non scio, nisi in Concilio. Alioqvin, si qvicqvid fecit Ecclesia virtualis, id est, Papa, factum Ecclesiæ dicitur, obsecro, qvanta monstra in Ecclesia pro benefactis numerabimus? Nonne Julii secundi horrendas Christiani sangvinis effusiones? Nonne Bonifacii octavi tyrannides in toto orbe abominabiles, & per omnes Chronicas pulsatas? Ex Papa monstrum facis, tribuis ei utriusqve potestatis apicem, scilicet ut sit simul Pontifex & Imperator. Scripserat enim Sylvester, Pontificem, qvi pecunias accipit a sponte offe-

D. Thomam tamen Argentoratensium quondam Apollo Dorscheus in Lutheranum transformare non erubuit, quomodo ergo hoc cum Lutheri mugis cohaeret?

I. §. 17.

1518. rentibus, pro hoc communi & qvidem celeberrimo bono, juste tanqvam summum in mundo gemina potestate Regem, imperare eas & indicere posse. Hac tua mollissima sed nocentissima adulatione (ait) id agis, ut futurus aliqvis Pontifex, tandem hujus nominis pertæsus, jus sibi credat esse deglubendi totius Orbis Christiani, idqve cum imperio & potestate. Hæc, qvamvis dura visa sint Sylvestro, placida tamen videntur Maimburgio, nec mirum: Constat enim, eum haud mitiora in Pontifices scripsisse, cumqve illo paria facere Gallorum doctissimos. Sed utinam cum majori Ecclesiæ emolumento! Masculanon minus sunt & Gallis cordatioribus etiam hodie, ut puto, placitura, qvæ adversus Scholasticos toto suo responso urget Lutherus: Confirmari se Sylvestri disputatione in sententia, qvam diu mente volvisset, qvod Theologia scholastica exulem nobis fecerit veram & sinceram Theologiam, nam vides, ait, qvod perpetuo hoc dialogo nihil ago, nisi qvod resisto & redarguo scholasticam Theologiam, id est, falsam scripturæ & Sacramentorum intelligentiam. Et porro: nolo ego docere vel doceri in Ecclesia, qvod requisitus non possum defendere, nisi dicendo: S. Thomas sic dixit: Christianus sum, non Pythagoricus. De avaritia vero Romana, qvam reprehenderat Lutherus, ingenuitatem Sylvestri acceptam habet: fassus enim hic erat, qvod *Romanus clerus a perfectione primæva declinaverit.* Omitto, qvæ adversus *attritionis* qvam vocant, *figmentum*, & adversus *meritum congrui*, & *præparationem hominis*, qvæ infusionem gratiæ præcedat, tanqvam hæreseos Pelagianæ dogmata graviter disputat, aliaqve, ad qvæ ventilanda casu se perductum esse, asserit. Unum addimus. Sylvester, cum non haberet, qvod commode regereret ad thesin Lutheri 48. qva dicitur: *Papam magis egere devota oratione, qvam pecunia*, sumtus Pontificios ad instaurationem hospitalium & Ecclesiarum omnibus gratos prædicaverat, addens: Si tu, Luthere, a Domino nostro, (id est, Papa) habuisses bonum Episcopatum, cum plenaria indulgentia ad Ecclesiæ tuæ reparationem, forte dulcioribus verbis abundasses, & qvibus detrahis, venias extulisses. His ita respondet Lutherus: Forte & tu spectas me ex animo tuo, qvod conjicio ex eo, qvod tam molliter adulatis. Si ego ad Episcopatum adspirarem, certe ea non loqverer, qvæ tu impacientissime audis. An ignorare me credis, qva via Episcopatus & Sacerdotia in urbe obtinentur, qvando hanc pueri in omnibus plateis

urbis

urbis cantant. Denique nunc facta est rerum fœdissima Roma &c. Qvæ cantilenæ ex Poetarum, qvi paulo ante vixerant, carminibus desumtæ, indicio sunt, jam ante Lutherum non parum imminutam fuisse, qvam ab initio historiæ suæ laudat Maimburgius, existimationem Romani Pontificatus. 1518. *Addit.*

§. XIIX.

Venio nunc ad epistolam Lutheri, qva *Hieronymo, Brandenburgensi Episcopo*, (Sculteto cognomen erat, qvod patre præfecto pagi, qvem Scultetum, Schulteis, vocant, in Lusatia natus esset) Ordinario sive Diœcesano suo anno 1518. *Sabbatho Exaudi* scripsit. In hac iterum iterumqve protestatur, se *non determinare, sed disputare exemplo scilicet omnibus scholasticis licito, qvi etiam*, ut ait, *de rebus sacratissimis reverendisque, de qvibus per tot secula nullus dubitavit Christianus, disputant.* Dein etsi *resolutiones* sive explicationem thesium suarum d. 31. Octobr. anni præteriti editarum mittat & commendet, pedibus tamen Episcopi, qvicqvid fuerit, qvod operatus sit, subjicit. Non solum permitto, scribit, sed obsecro, ut Reverenda Paternitas tua, arrepto calamo, qvæcunqve visum est, aboleat, aut igne facto totum comburat; mea prorsus nihil refert. Scio, qvod Christus opera mea non eget. Addit, se bullas & minas non timere, sed audacia aut insciitia hominum impulsum ægre tamen prodire, cum alias nemo eum nisi angulus suus cognovisset. Si opus non fuerit Dei, (inqvit) omnino volo, ut nec sit meum, sit vero nihil & nullius. Gloriam habeat ille solus, cujus solius est, qvi est benedictus in sæcula. Ex his, ut supra monuimus, rectius de mente Lutheri, qvam ex judicio æmulorum pronunciari potest. Extat inter epistolas Lutheri, qvæ in Lib. I. numerum 31. & annum adscriptum habet 1517. in qva Spalatino nunciat, fuisse apud se *Abbatem Leuinensem*, missum ab Episcopo Brandenburgensi, ejusqve nomine petentem, ut *differret probationum suarum editionem & qvarumlibet lucubrationum. Se autem pudore confusum, qvod tantus Pontifex* (Episcopus) *tantum Abbatem, tam humiliter ad se miserit, & solius hujus rei gratia, respondisse, se contentum esse.* Malo enim, scribit, obedire, qvam miracula facere. Licet ipse Episcopus nihil erroris in illis, sed omnia catholica esse censeret, ipseqve damnaret illas indiscretas proclamationes indulgentiarum. Unde apparet, ante has Lutheri literas, mense Majo sequentis anni ad Episcopum scriptas,

1518. ptas, commercium aliqvod inter eos fuisse, neqve dubitandum, qvin jam tempore publicatarum thesium ultimo Octobris 1517. vel prius, Episcopo huic, Diœcesano utpote suo, propositum suum aperuerit, licet literæ non æqve ac illæ, qvas tunc ad Archiepiscopum scripsit, extent; & sic lucem capiunt, qvæ in literis ad Pontificem paulo post datis, refert, se *privatim monuisse aliqvos magnates Ecclesiæ*. Observari etiam potest, statim post theses, & ante finitum annum 1517. *probationes* sive *resolutiones* suas jam paratas fuisse, sed intuitu Episcopi & spe æqva impetrandi, publicationem dilatam.

§. XIX.

Post dies qvindecim ipso Festo Trinitatis scripsit Vicario *Staupitio*, easdem resolutiones suas mittens: qvod omisit Maimburgius sed recte notavit Sleidanus. Habetur hæc epistola *Tom. I. Luth. Jen. Lat. fol.* 77. In exordio ejus laudat inter alia Staupicii dictum, qvod vel ut e cælo sonans exceperit, qvodqve ut sagitta acuta in se hæserit; pœnitentiam veram non esse, nisi qvæ ab amore justitiæ & Dei incipit. Hoc dicit se cum scripturis postea contulisse, & cum prius sibi nullum amarius ferme verbum in tota Scriptura visum fuerit qvam pœnitentia, jam nihil dulcius aut gratius sonare: ausum inde putare, eos falsos esse, qvi tantum tribuunt operibus pœnitentiæ, ut præter frigidas qvasdam satisfactiones, & laboriosissimam confessionem, nihil reliqvum pœnitentiæ fecerint. Qvapropter non potuisse non commoveri, cum audiret, neglecta veræ pœnitentiæ doctrina vilissimam tantum ejus partem, nempe satisfactionem, & vilissimæ hujus partis remissionem, id est, indulgentias tam magnifice prædicari. Statuisse itaqve furori eorum occurrere, & modeste dissentire, atqve in dubium vocare eorum dogmata: ea de causa nunc diffamari, ac si Pontificis potestatem læserit. Invitum vero se & infeliciter ex latebra sive angulo suo extrahi qveritur, & spectaculo exponi, rogatqve Staupitium, ut ineptias suas (ita extenuat scriptum suum) suscipiat, &, qva fieri possit industria, ad optimum Pontificem *Leonem decimum* transmittat, ut sint sibi adversus studia malignantium vice alicujus paracleti. Addit tamen, nolle se, ut Staupitius suo conjungatur periculo; meo solius (ait) periculo hæc egisse volo. Christus viderit, sua ne sint an mea, qvæ dixi. Et paulo post: Minacibus vero amicis nihil habeo, qvod respondeam, nisi illud Reuchlinianum: Qvi pauper est, nihil timet.

met. Denique postquam rem, famam & honorem veritati postpositurum se obtestatus esset, subdit: Unum supereſt, imbecille & assiduis „
fatigatum incommodis corpusculum, quod si qua vi vel dolo abstulerint, (in obsequium Dei) forte una vel duabus vitæ horis me pauperiorem facient. Sufficit autem mihi dulcis Redemtor & Propitiator „
Dominus meus Jesus Christus, cui cantabo quamdiu fuero. Hæc referre minime piguit. Ex epistola enim familiariter, præsertim ad virum quem Patris loco colebat scripta, genuina animi sensa elucent, & argumento sunt, verum non esse quod ex petulantissimis Lutheri insectatoribus Cochlæo, Ræmundo, Spondano, Pallavicinus, & ex hoc Maimburgius hausit, *Lutherum jussu Staupitii, aut invidiam ejus in Dominicanos secutum, ad disputandum processisse.* Si enim Staupitio, cui jubendi jus erat, in edendis thesibus suis obsecutus fuisset, qua prudentia illum in epistola hac a causa sua separare, & periculum in se solum recipere voluisset? Brevissima via ad excusandum Pontifici conatum suum erat, si dixisset, se superioris sui jussu disputasse. Notandum & hoc; quod semina purioris doctrinæ non adeo obscura etiam ante Lutheri disputationem fuerint, quin in mediis monasteriorum latebris, & sub Scholasticarum tricarum involucris aliquando progerminarent. Huc enim pertinent, quæ Staupitius de pœnitentia disseruerat.

1518.

quæsiverò ejus Hypocrisis sycophantica nobis ex propriis ipsius scriptis non innotesceret.

§. XX.

Jam qua reverentia ipsi scripserit Pontifici Lutherus, ex literis *Tom. I. fol. 78. 79.* eodem die datis apparet. Infantem se & incultum „
statim ab initio profitetur; narratis deinde excessibus prædicantium „
indulgentias, monuisse se refert aliquot magnates Ecclesiarum. Sed „
cum alii id acceptarent, aliis ridiculus ipse monitor aut nescio quis „
crederetur, statuisse se leniuscule reluctari, & dogmata eorum in dubium & disputationem vocare, ad quam tamen doctiores tantum invitaverit. Factum hoc suum defendit jure Magistri Theologiæ, & „
concessæ a Pontifice facultatis, qua alii omnes in rebus etiam gravioribus utantur; Quodnam fatum ait urgeat has solas meas Disputationes præ cæteris, non solum eis, sed omnium Magistrorum, ut in omnem terram pene exierint, mihi ipsi miraculum est, miror tamen, „
ait, quo fato theses meæ, pro nostris tantum, & propter nostros editæ, „
in omnem pene terram exierint, licet ab omnibus non intelligantur. „

I. §. 20. §. 22. 1518.

Disputationes enim sunt, obscurius & ænigmatice positæ, non doctrinæ: qvod si prævidissem, intellectu faciliores dare potuissem. Jam vero cum revocari & mutari id neqveat, doleo me indoctum, stupidum ingenio, vacuum eruditione, florentissimo hoc seculo, qvod etiam Ciceronem lucis & publici olim cupidissimum, si viveret, in angustum cogere, possit, protrudi, ut anser inter olores strepam. Mitto itaqve ad mitigandos adversarios, & explenda multorum desideria, nugas meas, id est, declaratorias disputationum, & qvidem, ut tutior sim, sub præsidio nominis Pontificii & umbra ejus protectionis. Addit: Si talis esset, qvalem adversarii depingerent, Fridericum, Saxoniæ Electorem, Principem Catholicæ & Apostolicæ veritatis studiosissimum, se ut pestem Academiæ ejecturum, nec tolerabilem se collegis futurum fuisse. Concludit tandem: Prostratum me pedibus tuis, Beatissime Pater, offero, cum omnibus, qvæ sum & habeo. Vivifica, occide; voca, revoca; approba, reproba, ut placuerit; vocem tuam, vocem Christi, in te præsidentis & loqventis, agnoscam, si mortem merui, mortem non recuso, Domini est terra & plenitudo ejus.

vide Supr. fol. 29. 346.

Nota. & vide Historiam Spirit. L. Azoar. III. fol. 38. & Segq.

§. XXI.

Nunc ex ipsis resolutionibus qvædam sunt afferenda: nam etsi exscribendi labor ingloriosus est, mihiqve, si cui alii, molestus, multum tamen positum esse existimo, in vera primorum horum Lutheri conatuum cognitione. Maimburgius paucis eas verbis, ut videmus, transilit, *prolixum tractatum* vocans, complectentem probationes ex sacris literis & Patribus, qvibus ad firmandas theses utebatur: idqve in universum verum est. Sed profecto talem se Lutherus in hoc scripto præstitit, ut viri pii & docti officio, famæqve suæ satisfeciisse, non præoccupatis judicibus merito visus sit, qvod nec Maimburgius negare audet, cum multorum ei benevolentiam partam esse memoravit. In Resolutionibus autem illis singulas theses ita distingvit Lutherus, ut plerasqve pro veris asserat, qvasdam vero non nisi probabiles & disputabiles, ideoqve pertinaciter non defendendas declaret. De *Indulgentiis*, ut ex jam dictis apparet, tunc qvidem principaliter qværebatur, sed cum Dominicani opinionem suam non nisi Scholasticorum, & qvem hi imprimis seqvuntur, Thomæ, traditis niti cernerent, & inde necessario ad autoritatem istius stabiliendam confugerent, neqve tamen hanc satis tutam, nisi sub Pontificiæ approbationis clypeo esse

depre-

deprehenderent, fieri non potuit, qvin ad hanc demum summa dispu- 1518.
tationis rediret. Istam autem Luthetus, eo qvidem tempore maxime reverebatur; sed ita, ut duobus illam vinculis constringeret, Scripturæ uno, Concilii generalis altero: Scripturæ qvidem confidentius, qvia divinam autoritatem pontificiæ præpollere a nemine putabat dubitari. Qvapropter ad conclusionem suam sive thesin III. *de satisfactione*, qvæ pars pœnitentiæ habebatur, & in jejunio, oratione & eleemosynis consistit, ex Evangelica dispositione extra determinationes Scholæ & Sacerdotum, ita docet, ut sub jejunio omnes castigationes carnis, sine delectu ciborum & differentia vestium; sub oratione „ omne studium animi meditando, legendo, audiendo, orando: sub e- „ leemosyna omne obsequium erga proximum complecteretur. Hoc „ pacto spatiosius longe & illustrius veræ pœnitentiæ & exercendæ pietatis stadium aperiens, qvam eo usqve ab iis factum erat, qvi per præcepta innumera & intricatissima christiano populo compedes injecerant, qvos dein cum lucro cleri amplissimo, accepta pecunia, aliaqvo majoris pretii redemtione pro lubitu solverent. In Scripturis itaqve, ex qvibus suam sententiam confirmari posse confidebat, & eorum nativo & puro sensu adversus Scholastica interpretamenta pugnans, *ad disc. conclus. III. fol. 81.* scribit: Qvis negat, hucusqve Theologis qvi- „ busdam non paucis licuisse totam ferme Scripturam corrumpere au- „ dacibus suis distinctionibus & amphibologiis nuper confictis, adeo, ut „ pro Paulo & Christo Paulo-centonas & Christo-centonas legamus? „ Ego de germana & propria verbi (pœnitentiæ) locutus sum significa- „ tione. Descripserat vero pœnitentiam *ad concl. I. fol. 80.* qvod esset „ resipiscentia seu odium sui, tota vita exercendum: ex Joh. XII. 25. qvi „ odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam: „ aliisqve, qvos citat, locis. Christus (pergit) magister Spiritus est, „ non literæ, & verba ejus sunt vita & spiritus, ideo necesse est, ut eam „ doceat pœnitentiam, qvæ in Spiritu & veritate agitur, non autem e- „ am, qvam foris agere possunt superbissimi hypocritæ, in jejuniis suis „ facies suas exterminantes, in angulis orantes, & cum tubis eleemosy- „ nam facientes. Matth. VI. Eam, inqvam, doceat Christus oportet, „ qvæ in omni vitæ genere agi potest, qvam rex in purpura, sacerdos in „ munditia, princeps in dignitate, non minus possunt agere, qvam mo- „ nachus aut mendicus in suis ritibus & paupertate, sicut egerunt Da- „

niel

1518. niel & socii ejus in media Babylone. Omnibus enim hominibus, id est, omnium conditioni debet convenire doctrina Christi. Et ad th. 26. Cum vera contritio sit incipienda a benignitate & beneficiis Dei, præsertim a vulneribus Christi, ut homo ad sui ingratitudinem (tædium & displicentiam sui vult dicere,) primo veniat ex intuitu divinæ bonitatis, & ex illa in odium sui ac amorem benignitatis Dei; tunc fluent lacrymæ & oderit se ipsum ex corde, citra tamen desperationem. Tunc oderit peccatũ, non propter pœnam, sed propter intuitum bonitatis Dei, qva inspecta conservatur, ne desperet, & sese ardentissime odiat, etiam cum gaudio. Sic dum fuerit unius peccati vera contritio, omnium simul erit. Rom. 2. Ignoras, qvod benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit? O qvam multi id ignorant, S. Paule, etiam aliorũ magistri! Pios vero pœnitentiæ præcones, diversos ab Indulgentiariis, ita concionantes producit th. 32. Ante omnia, fratres, in Christum credite, atqve confidite, & pœnitentiam agite, crucem vestram tollite, Christum seqvamini, mortificate membra vestra, discite pœnas & mortem non formidare. Ante omnia mutuam inter vos charitatem habete, invicem servite, etiam neglectis veniis, primum pauperibus & egenis subvenite. Si vero adversarii per pœnitentiam a Johanne Baptista & Christo prædicatam, sacerdotalem illam & imposititiam satisfactionem intelligi debere, & hanc a Papa mutari posse, per indulgentiarum largitionem contenderent, seqvi inde, ait, Papam in arbitrio habere jus divinum; qvo nihil posset dici immanius aut terribilius, aut hæreticæ pravitatis nomine & inqvisitione dignius.

§. XXII.

Ut autem hic murum sibi qvasi aheneum exstruit in asserendo jure divino adversus Pontificias mutationes aut correctiones; ita Concl. V. (ubi negat Papam velle aut posse remittere ullas pœnas, præter eas, qvas suo vel canonum arbitrio imposuit) tam modestus est, ut dicat: hanc thesin disputo, & doceri humiliter peto, manum porrigat, qvi potest. Idem profitetur ad Concl. VIII. qva statuit, canones pœnitentiales viventibus qvidem, sed mortuis non posse imponi. Qveritur tamen de oneribus gravissimis, qvibus Ecclesia Christi premitur, olim, ut scribit, liberrima: & in eo numero habet festa, jejunia, vigilias, horas canonicas, prohibita ova, lac, carnes, certis diebus, & concessum saltem oleum, pisces, fructus, legumina, indumenta vestium pullarum

pullarum aut candidarum pro differentia dierum ; Sed improbat etiam profusionem Indulgentiarum, qva Sixtus IV usus sit, laudat vero *Joh. Gersonem* in abusus illos jam olim invectum, & qvod cum *Gvilielmo Parisiensi* & aliis statuerit, *morte omnia solvi, & Christianos voluntarie morientes statim ad cælum evolare.* Opponentibus vero, fore ut vilescant indulgentiæ, si nil nisi canonum pœnæ remitti per eos possint, respondet: Præstat viles fieri indulgentias, qvam crucem Christi evacuari, & melius est viles habere indulgentias, qvam aliqvid in Ecclesia docere, qvod fictionis possit argui in Ecclesiæ confusionem. Cumqve id multis rationibus confirmasset, iterum subjungit: *si erro, revocet me, qvi potest.* In his ipsis tamen resolutionibus, Augustini Autoritate motus, *Concl. XV.* purgatorium pro certissimo adhuc habet, & Pickardos sive Bohemos id negantes acriter culpat. Sed disputat multa circa statum animarum in purgatorio, & circa indulgentias a communi Scholasticorum opinione, Thomam & Bonaventuram sequentium, discrepantia, qvanqvam, ut Pallavicinus diffiteri noluit, etiam habuerit ex illis, qvi ei consentiebant. Adducit dein Lutherus glossam ad *C. qvod autem X. de pœn. & rem:* in qva mira sententiarum varietas de indulgentiis proponitur. Occasione vero *Concl. XXV.* tractat de potestate Episcoporum & Parochorum circa indulgentias sive suffragia pro animabus in purgatorio, eamqve Pontificiæ æqvalem esse, non definit qvidem, sed ita disputat, ut affirmans videri possit;

D. Augustinus adstruit Purgatorium.

§. XXIII.

Post hæc multos qvestus instituit adversus infelicitatem Ecclesiæ sub dogmatum servitute laborantis, inter alia hæc habet fol. 97. Adversarios meos rogo, ut ferant dolorem meum, qvo crucior, dum audio ea prædicari in Ecclesia Christi, qvæ nunqvam scripta & statuta sunt, qvando sanctis olim Patribus legimus visum esse periculosissimum, aliqvid ultra præscriptum cœleste doceri, ut inqvit Hilarius. Et S. Spiridion, Cypri Episcopus, hujus disciplinæ tam rigidus observator fuit, ut interrumperet sermonem ejus, qvi tantum Græci vocabuli æqvivocatione usus: tolle cubile tuum, & vade, dixerat, pro tolle grabatum, seu lectum tuum & vade; reprehendens eum in re, qvæ sensum nihil mutarat. Atqve hujus doloris mei veniam, puto mihi justissime ab illis deberi, qvando nos ferre coginur, nunqvam rogati aut

I. §. 23. 1518. aut moniti, eorum præsumtiones, qvibus delectantur ea prædicare, in
" qvibus nos cruciamur audiendo. Non hæc dico aut ago, qvod tam
" impudenter arrogans sim, ut me inter doctos Ecclesiæ sanctæ nume-
" randum putem, multo minus inter eos, qvorum hæc sit statuere aut de-
" stituere, atqve utinam novissimum merear Ecclesiæ membrum fieri a-
" liqvando; sed id potius ago, cum sint in Ecclesia & doctissimi pariter
" & sanctissimi viri, ea tamen est nostri seculi infelicitas, ut etiam tanti
" non possint Ecclesiæ succurrere. Qvid enim potuerit hodie doctri-
" na & pius Zelus, satis probavit infelix eventus eorum doctissimorum
" & sanctissimorum virorum, qvi sub Julio II studuerunt reformare Ec-
" clesiam, instituto ad hanc necessitatem concilio. Sunt & alii passim,
" qvos novi, optimi & eruditi Pontifices (id est Episcopi) sed exemplum
" paucorum imponit silentium plurimis. Est enim tempus pessimum,
" (ut ait Amos Propheta) ideo prudens in illo tempore tacebit. Deni-
" qve & nobis hodie Pontifex optimus, Leo X. cujus integritas & eruditio delitiæ sunt omnibus bonis auribus. Sed qvid illo svavissimus
" homo potest unus, in tanta rerum confusione? dignus profecto, qvi
" melioribus temporibus pontificaretur, aut meliora tempora essent sui
" Pontificatus. Nostro seculo digni sumus, pontificari non nisi Julios
" secundos, Alexandros sextos, aut si qvos alios atroces Mezentios, ut
" finxerunt Poetæ; nam bonos hodie ridet etiam Roma ipsa, imo Ro-
" ma omnium maxime. In qva enim orbis Christiani parte liberius
" ludunt, etiam in summos Pontifices, qvam in vera illa Babylone Ro-
" ma? sed sat ista. Cum itaqve præter innumeros privatos, etiam in
" sedibus suis habeat Ecclesia doctissimos, si prudens voluissem existima-
" ri, illorum exemplo & ipse tacerem. Sed præstat vel a stultis, a pue-
" ris, ab ebriis veritatem diei, qvam omnino taceri, ut fiducia docto-
" rum & sapientum animosior fiat, ubi audiunt nos, rude vulgus, tan-
" dem præ rei nimia indignitate clamare, sicut ait Christus: Si hi tacu-
" erint, lapides clamabunt. Et ad thes. XXVI. Non credo necessari-
" um, iterum protestari, qvid disputem, aut qvid asseram. Sed cum
" nostro seculo sint tam Zelosi hæreticæ pravitatis inqvisitores, ut Chri-
" stianissime Catholicos vi conentur ad hæresin adigere, opportunum
" fuerit super singulis syllabis protestari. Nam qvid aliud fecerint Jo-
" hannes Picus Mirandulanus, Laurentius Valla, Petrus Ravennas, Jo-
" hannes Vsalia, & novissime diebus istis Johannes Reuchlin, atqve Ja-
cobus

Nota Lutheri Conscientiam Canteriatã.

cobus Stapulensis, ut inviti cogerentur & bene sentiendo, male sentire, non facile viderim, nisi qvod omiserint forte protestationem super singulis (ut dixi) syllabis, tanta est hodie in Ecclesia puerorum & effeminatorum tyrannis.

§. XXIV.

Ad eandem thesin objicientibus Sixti IV autoritatem, alterum suum telum *de concilio* e longinqvo qvasi (nam alia interim habet, qvibus pugnet) ostentat, ita scribens fol. 101. Me nihil movet, qvid placeat vel displiceat summo Pontifici; homo est, sicuti & cæteri: multi fuerunt summi Pontifices, qvibus non solum errores & vitia, sed etiam portenta placuerunt. Ego audio Papam, ut Papam, id est, ut in canonibus loqvitur, & secundum canones loqvitur, aut cum Concilio determinat; non autem, qvando secundum suum caput loqvitur, ne forte cogar cum qvibusdam male Christum cognoscentibus, dicere, qvod Julii II horrendæ cædes in Christianum populum, fuerint qvædam beneficia pii pastoris in oves Christi collata. Et paulo post fol. 101. b. Hic vero objicitur: primo, Sixtus IV determinasse dicitur, qvod per suffragium ille modus nihil minuit plenitudinem indulgentiarum. Respondeo: Primum: si qvis pertinax esse vellet, diceret: probo qvod dicis, optime Pater, maxime cum solius Papæ non sit novos fidei statuere articulos, sed secundum statutos judicare & decidere qvæstiones fidei. Hic autem erit articulus novus, ideo ad universale concilium pertinebit ejus determinatio, multo magis, qvam conceptio B. Virginis, præsertim cum hic nullum, illic multum & magnum sit animarum periculum; alioqvi cum Papa sit unus homo, qvi errare potest in fide & moribus, periculo assidue laboraret totius Ecclesiæ fides, si qvidqvid sibi visum fuerit, necesse sit verum credi. Secundo, etiamsi Papa cum magna parte Ecclesiæ sic vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum aut hæresis, contrarium sentire, præsertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per concilium universale alterum reprobatum, alterum approbatum. Qvod ne multis agam, illo unico probatur. Qvod Ecclesia Romana etiam cum concilio universali Basileensi, ac tota ferme Ecclesia sentit, B. Virginem sine peccato conceptam. Et tamen, qvia altera pars non est reprobata, non sunt hæretici, qvi contrarium sapiunt. Licet vero *ad th. 48. f. 102.* iterum peri-

Nota.

1518. pericula Pontificum proposuisset ob pestilentem scilicet Sirenum vo-
„cem: non præsumitur tantæ celsitudinis apex errare: omnia jura po-
„sitiva habet in scrinio pectoris sui, & Bernhardi ad Eugenium Papam
„considerationes commendet; ad *thes. tamen 58.* (ubi *meritum Christi thesaurum Ecclesiæ esse* omnibus modis agnoscit, sed *indulgentiarum thesaurum esse* pernegat) demonstrare vult, qvem scopum habeat, adversus Pontificum determinationes, & Clementis VI, cui fere tota innititur indulgentiarum doctrina, constitutionem disputans. Sic e-
„nim scribit fol. 112: Dixi autem prius, qvod in Ecclesia aliqvid asseve-
„re, cujus nulla potest ratio vel autoritas reddi, est Ecclesiam hostibus
„& hæreticis irrisioni exponere, cum secundum Apostolum Petrum te-
„neamur rationem reddere de ea, qvæ in nobis est fide & spe. Et Pau-
„lus: ut sit Episcopus potens in doctrina sana, etiam contradicentes re-
„darguere. Hic autem adeo est nulla autoritas, ut si hodie determina-
„ret Ecclesia Romana partem affirmativam, nihilominus maneret
„idem periculum, scilicet, qvia non possumus rationem reddere aliam,
„nisi qvia sic Papæ & Romanæ Ecclesiæ placuit. Sed qvid ista ratio fa-
„ciet, si ab his urgeremur, qvi Romanam Ecclesiam non seqvuntur? ut,
„hæreticis Pickardis. Hi non voluntatem Papæ & Romanæ Ecclesiæ,
„sed vel autoritatem, vel rationem probabilem qværent. Et certe iste
„est mihi vel unicus scopus in ista materia tota.

§. XXV.

Eqvidem metuo, ne tædium excitem plura adscribendo, non possum tamen, qvin ex tractatu hoc, qvi etiam in primitiis illis melioris doctrinæ, summam virii eruditionem, pietatem, & generosum pectus in clarissimam lucem producit, seqventia referam, ex plurimis, non-
„minus egregiis ac veris excerpta. *Thes. 32. fol. 104.* Ego mea sententia
„credo, si indulgentiæ essent etiam præceptæ & salutares, tamen qvia in
„tam grandem sunt nunc abusum & scandalum redactæ, ut vel hæc sola
„causa satis justa sit, ut universæ tollerentur, ne forte, si diutius permit-
„tantur vigere, tandem præcones earum præ pecuniarum amore insa-
„niant. Qvæ vero pro firmanda thesi sua 37. adducit: *qvod qvilibet verus Christianus omnium bonorum Christi & Ecclesiæ particeps sit, etiam sine literis indulgentiarum*, incredibile fere est, a qvoqvam indubium vocari posse. Hæc tamen doctrina liqvidius postea expositа, etiam hodie, nostratibus summam parit invidiam. Scribit inter alia *fol. 106:*

Cum

Cum spiritus Christi sit in Christianis, per qvem fratres, cohæredes, 1518.
concorporales & cives fiunt Christi, qvomodo ibi possit non esse par-
ticipatio omnium bonorum Christi? nam & Christus ex eodem spiritu
habet omnia sua. Ita fit per inæstimabiles divitias misericordiarum
Dei Patris, ut Christianus possit gloriari, & cum fiducia præsumere in
Christo omnia, scilicet, qvod justitia, virtus, patientia, humilitas o-
mnia merita Christi sint etiam sua, per unitatem Spiritus ex fide in il-
lum. Rursum omnia peccata sua jam non sint sua, sed Christi per
eandem unitatem, in qvo & absorbentur omnia. Et hæc est fiducia
Christianorum, & jucunditas conscientiæ nostræ, qvod per fidem fiunt
peccata nostra, non nostra, sed Christi, in qvem Deus posuit peccata
omnium nostrum, & ipse tulit peccata nostra. Ipse agnus Dei, qvi
tollit peccata mundi. Rursum omnis justitia Christi fit nostra, im-
ponit enim manum suam super nos, & bene habemus, & extendit pal-
lium suum, & operit nos benedictus Salvator in secula Amen. At-
thesi seqvente 38. remissionem Papæ sive Sacerdotalem nullo modo
contemnendam esse statuit, esse enim *declarationem remissionis divinæ*,
qvod pluribus examinat, & fidem potestati clavium adhibendam ad
consolationem pœnitentium reqvirit, majoremqve sua hac, qvam
Scholasticorum opinione reverentiam Pontifici & Sacerdotibus parari
existimat; ita enim concludit (fol. 107:) Hæc sententia mea potesta-
tem clavis non minuit, ut mihi impingitur, sed a falso honore & ty-
rannica reverentia in sibi debitam & amabilem reverentiam reducit.
Non enim est mirum, si claves contemtui fiant, si falsis honoribus, id
est, terroribus tantummodo offerantur suscipiendæ. Cum cognita
earum salubertima commoditate, saxum sit, aut lignum, qvi non cum
lachrymis eas exosculetur & amplectatur. Qvid ergo Pontificem
propter eas magnificamus, & hominem terribilem fingimus? non illi-
us sunt claves, meæ potius sunt, mihi donatæ, meæ saluti, meæ conso-
lationi, paci & qvieti concessæ. Pontifex servus est & minister meus
in clavibus, ipse non eget illis ut Pontifex, sed ego.

§. XXVI.

Nihil vero tota hac thesium suarum assertione confidentius op-
pugnat, qvam jactatam ab indulgentiarum venditoribus abundanti-
am meritorum in sanctis. Non enim saltem de Bonaventura, qvi as-
seruit, *hominem posse sine veniali peccato esse*, ita judicat fol. 112: *utiqve*

1518. *defecit sanctus homo*; sed paulo ante ad th. 58. fol. 111. sic pronunciat: „ Merita sanctorum nulla esse superflua sibi, qvæ nobis otiosis succurrant; addens: Et ut aliqvando audax sim, protestor de iis, qvæ jam dixi, me non dubitare, sed paratus sum ignem & mortem suscipere pro illis, & hæreticum asseram omnem, qvi contra sapit. Audiamus etiam de Scholasticis d. l. fol. 113. b. differentem: Etsi S. Thomas, B. Bonaventura, Alexander de Ales sint insignes viri cum suis discipulis, Antonio, Petro Paludano, Augustino Anconitano præter Canonistas, qvi omnes eos sequuntur; tamen justum est eis præferre veritatem primo, deinde & autoritatem Papæ & Ecclesiæ. Nec mirum est, tantos viros in hoc errasse. Nam in qvantis, qvæso, B. Thomam etiam Scholastici errasse arguunt? immo, qvod majus est, jam plus trecentis annis tot universitates, tot in illis acutissima ingenia, tot ingeniorum pertinacissima studia in uno Aristotele laborant, & tamen adhuc non solum Aristotelem non intelligunt, verum etiam errorem & fictam intelligentiam per universam pene Ecclesiam spargunt: qvanqvam si etiam intelligerent eum, nihil egregiæ sapientiæ adepti essent, præsertim in eis libris Aristotelis, qvos usitatiores habent, in qvibus vel ipsi usmet testimonio apud Aulum Gellium lib. 20. c. 4. & Greg. Nazianzen. in serm. adversus Arianos, non nisi merus Logodædalus & Logomachus deprehenditur. Audax, impudens, temerarius forte hic videor, atqve utinam mihi tantum superesset ætatis, & otii, ut hujus temeritatis meæ rationem reddere & verbis meis fidem facere possem; forte efficerem, ut non frustra sic sapere viderer. Non Aristotelem cum Platone & aliis concordarem, qvod Johannes Picus Mirandulanus cœpit, sed Aristotelem suis coloribus pingerem, sicut dignum est pingi eum, qvi ex professo est artifex verborum (ut Greg. Nazianzenus ait) & illusor ingeniorum. Si itaqve per tantum tempus in tantis ingeniis permisit Deus, tantum nubis & tenebrarum dominari, qvid adhuc nobis ita securi placemus, & non potius (sicut Christianos decet) omnia nostra suspecta habemus, ut solus Christus sit lux, justitia, veritas, sapientia, omne bonum nostrum. Igitur sancti illi viri, cum viderent Aristotelem ab indoctis & Christum ignorantibus, in tanta autoritatis veneratione haberi, ipsi ut erant humiles sensu pia simplicitate sunt secuti, & in errorem lapsi, cæteris occasio fuerunt tot turbinum, opinionum, qvæstionum, errorum, sicut in Scholasticis Doctoribus

ribus videmus Et digni fuimus, qvi Christum reliqvimus, ut ipse qvo- 1518.
qve nos derelictos, etiam per electos suos, in occasionem daret erroris
& infiniti laboris. Sicut ait in Ezech. 14. Propheta cum erraverit, &
locutus fuerit verbum; ego Dominus decepi Prophetam illum. Et
ibidem: si venerit ad Prophetam interrogans me per eum, Ego Domi-
nus respondebo ei secundum multitudinem immunditiarum suarum.
Ideo cum timore & judicio omnia sunt legenda & suscipienda, etiam
a magnis & sanctis viris tradita, secundum Apostolum: omnia pro-
bate, qvod bonum est, tenete. Et illud Johannis: Probate Spiritus,
utrum ex Deo sint. Qvæ consilia qvi omiserint & in hominem confisi
fuerint, (sicut hi qvi dicunt; malo cum tantis errare, qvam tecum re-
cte sapere) digni sunt, qvos etiam condemnet & relinqvat consilium.
Qvi enim consilium Spiritus spernit, cur non spernatur merito à Spiritu consilii.

§. XXVII.

Dignissima etiam lectu sunt, qvæ paulo post habet de Theolo-
gis crucis, & de Theologis gloriæ: illos vocat, qvi docent, pœnas, cru-
ces, mortem, omnium pretiosissimum esse thesaurum & reliqvias sa-
cratissimas, qvas ipsemet Dominus hujus Theologiæ consecravit, ve-
re osculandas, qværendas, amplexandas. Addit notabilem admoni-
tionem circa reliqviarum cultum. A Theologis vero gloriæ, ut lo-
qvitur, qvi ex Aristotele docent objectum voluntatis esse bonum, defi-
niri thesaurum Christi, qvod sit relaxatio & solutio pœnarum, tan-
qvam rerum pessimarum & odibilissimarum, qvas Theologi crucis di-
cunt esse optimas & amabilissimas. Interim illos pecuniam pro suo
thesauro accipere, cum hos gratis offerentes nemo dignetur intuitu,
immo deniqve persequatur. Qvamvis vero ad conclusionem 69. po-
testatem Pontificis ita veneretur, ut etiam injustas ejus sententias fe- M3
rendas esse dicat, & exemplum Ecclesiæ sui temporis alleget, qvæ in-
finitis oneribus pressa, pie nihilominus & humiliter qviescat, veritati
tamen palmam defert. Vide Resol. th. 26. & 72. fol. 102. & 117. ubi
sanctæ, qvalis olim fuisset Romanæ Ecclesiæ illam opponit, qvæ lerna
jam sit & tartarus Simoniarum, libidinum, pomparum, cædium, reli-
qvarumqve abominationum; & hæc omnia reinitti doleat per indul-
gentias, cum tamen non remittantur, qvæ Pontificiæ utilitati obsint,
& in Bulla cœnæ Domini semper excipiantur. Benedictione deniqve
dignos-

1518. dignos pronunciat, qvi nituntur purgare Scripturas sanctas & elucidare ex tenebris opinionum & humanarum rationum, qvibus prope facti sumus (ait) Pelagiani sensu, & Donatistæ opere. Porro fol. 118. b. Adhuc major esset gratia summi Pontificis, si has omnes facultates gratis donaret omnibus Christianis, qvi eis egerent. Deinde si sublatis canonibus onerosis, libertatem populi Christiani restitueret, & tyrannides officiorum ac Simonum exploderet. Sed hæc non sunt in potestate ejus, invaluit enim inimicus, & princeps provinciarum facta est sub tributo. Dextera Domini faciet hanc virtutem, si id digni fuerimus impetrare. De gemino vero gladio Pontificum per glossas excogitato ita loqvitur ad th. 80. Id ego vehementer admiror, qvisnam illam glossam invenerit primus, qvod duo gladii significent, unum spiritualem, (non ut Apostolus vocat, scilicet gladium Spiritus, verbum Dei) alium materialem, ut sic Pontificem utraqve potestate armatum, nobis non patrem amabilem, sed qvasi tyrannum formidabilem faciant, dum nihil nisi potestatem undiqve in eo videmus. Et ista est fidelissima glossa super Patrum decreta, in qvibus tam rigide prohibentur clericis arma. Hic vide, num Deus iratus, videns, qvod pro gladio Spiritus & Evangelio dileximus intelligere ferrum, justissime nobis fecit, ut daret gladium, qvem voluimus, & auferret, qvem noluimus; ita ut nusqvam in mundo fuerit crudelior strages bellorum, qvam apud Christianos: rursum vix neglectior sacra scriptura, qvam apud Christianos. En tibi gladium, qvem noluisti. O glossa vel tartaro digna! Adhuc tamen sumus saxei, ut iram Dei non intelligamus. Sed eo nihilominus erat tunc animo Lutherus, ut Bohemis, qvi *fœtore*, ut ait, *Romano gaudent*, sive qvi Ecclesiam ob vitia deseruerant, acriter reprehensis, tandem scribat fol. 119. Etsi amici mei me hæreticum, impium, blasphemum jam multis diebus clament, qvod Ecclesiam Christi & scripturas sanctas non teneam Catholico sensu: ego tamen fretus conscientia mea, credo eos falli, me vero diligere Ecclesiam Christi & decorem ejus. Qvi autem me judicat, Dominus est, licet mihi nihil conscius sim. Et ideo istas positiones omnes coegit me ponere, qvod viderem alios falsis opinionibus infici, alios per tabernas ridere, & sanctum sacerdotium Ecclesiæ manifesto ludibrio habere, occasione tam effusæ licentiæ prædicandarum veniarum. Non erat vulgus laicorum ampliore occasione in odia Sacerdotum excitandum

dum, qvod jam a multis annis propter avaritiam & pessimos mores nobis offensum (heu solo timore pœnæ) honorat sacerdotium. Adde qvæ ad th. 90. statuit, Laicorum scrupulos non sola potestate, sed reddita ratione compesci debere, ne ex malo pejus fiat. Subdit: Qvanto rectius doceremur hanc iram Dei intelligere, & pro Ecclesia orare, & talia tolerare in spe futuræ reformationis, qvam dum tam manifesta vitia volumus cogere virtutes videri, pejus irritemus. Si qvidem nisi nos mereremur vexari, Deus non permitteret solos homines in Ecclesia dominari, daret nobis pastores secundum cor suum, qvi nobis proveniis darent tritici mensuram in tempore suo. Nunc autem, etiamsi sint boni Pastores, tamen non possunt ad officium suum venire, tanta est vis furoris Domini. In tota vero exegesi sua, ex qva ista excerpsimus, Tezelii aut aliorum nominatim non meminit. Sed non abstinet aculeis, nam adversarium *Leontem* vocat (ad apologum notum respiciens) id est asinum pelle leonis indutum, & *bubulcum*. Fini operis admonitiunculam subnectit, se non scribere erudito lectori; itaqve stylum parum Ciceronianum excusat. Ita enim (ajt) oportuit cum mei similibus nostra, id est, rudia & barbara tractare, & Pontificis officium implorat, ut debitor sit, D. Pauli exemplo sapientibus & insipientibus, Græcis & Barbaris. 1518.

§. XXIIX.

Has Resolutiones sub finem Augusti mensis anno 1518. in aulam Electoris Sax. misit Lutherus typis, parum tamen, ut qveritur, correctis, publicatas: qvas si absqve præoccupatione considerassent Romanæ Ecclesiæ doctores, in tantas iras non exarsissent. Interverti qvidem per Lutheri disputationem videbatur fructus pecuniarius, qvi ex indulgentiis qværebatur, sed carere illo poterat opulentus jam satis fiscus Romanus, & optimi qviqve turpem illum qvæstum improbabant, ii maxime, ad qvos nihil ex eo redibat. Maimburgium fatentem jam audivimus, correxisse postea Pontifices abusum istum, corradendæ per indulgentiarum nundinationes pecuniæ. Thesaurus igitur ille superabundantium meritorum, qvi qvoad illum prædicandi & publice vendendi modum clausus hucusqve & infructuosus fuit, claudi & tunc potuisset. Porro qvæ de potestate Pontificis, & de conciliis sentiebat Lutherus, communia pleraqve habebat cum Parisiensi schola. In reliqvis vero dogmatibus primariis, qvæ tunc tractabat, magnam ostendebat

1518. debat pietatem: nam, ut diximus, duo Christianismi maxima qvasi fulcra & fundamenta, fidem in meritum Christi, & pœnitentiam in perpetua vitæ emendatione versantẽ, thesibus suis egregie stabiliebat. Nec cætera ejus fuere ponderis, ut schisma necessario inducerent, cum non minus gravia sint, qvæ etiam hodie inter Romanæ Ecclesiæ theologos disputantur. Deniqve qvanticunqve illa fuerint momenti, hæresis tamen Lutherum reum facere nondum poterant, protestatione & submissione illa sua de obsequio Pontifici præstando munito. Simulate vero & callide eum egisse, nec Maimburgius audet asserere, a Cochlæo hic dissentiens, & prudentiæ erat, utcunqve oblata pro seriis accipere, sed aliter hæc Deus disposuerat, ut in loco videbimus. *Pallavicinus* Lib. I. c. 8. omni, qvo potest, acumine id agit, ut in pectus Lutheri introspiciat, & qvo fine theses suas conceperit & publicaverit, deprehendat & eruat. Sed justum est, unumqvemqve sese explicantem audire, nec fidem præcipiti cum judicio alicui demere, anteqvam mendacii convincatur. Qvanta vero cum asseveratione longo post tempore, & cum facta jam raptura nulla fingendi causa supereſſet, novitatis & schismatis studium a primo hoc suo conatu amoliatur, ex præfatione Latina anno 1545. ad operum Tom. I. scripta aliqvatenus, sed plenius & luculentius ex illa patet, qvam editioni thesium post aliqvot annos factæ *Tom. I. Jen. Germ. fol. 4. Tom. I. Altenb. fol. 11.* in-
„ seruit. Permitto, inqvit, has theses edi, qvas ab initio causæ meæ ad-
„ versus indulgentiarum doctrinam opposui, ideo maxime, ut magnitu-
„ do & successus rei, qvi postea secutus est, non mihi, sed solius Dei be-
„ neficio tribuatur, me vero minime ad superbiam efferat. Per has e-
„ nim propositiones ignominia & debilitas mea maxima detegitur,
„ qvam trepide negotium illud ceperim. Incideram in illud solus &
„ incautus, & cum retrocedere non possem, multa non saltem in multis
„ & gravibus articulis Pontifici detuli, sed serio profecto illum adoravi.
„ Qvam contemtus enim tunc eram, & miserrimus monachus, cadaveri
„ qvam homini similior! qvanta vero Papæ majestas, ut nutus ejus non
„ regibus terræ modo, sed &, ut ita dicam, cælo & inferno metuendus
„ esset? In qvantis angustiis illo anno & seqventi cor meum fuerit, & in
„ qva submissione, minime ficta aut falsa, imo in qva propemodum de-
„ speratione versatus sim, securæ qvidem illorum mentes nesciunt, qvi
„ nunc Papæ majestatem magna cum temeritate & superbia aggredi-

untur.

I. §. 28. §. 0. 1518.

untur. Ego vero, qvi tunc solus in periculo hærebam, tam audax & certus non eram. Multa nesciebam, qvæ nunc per Dei gratiam scio. Disputabam saltem, & discendi cupidus eram. Non reperiens igitur in libris Theologorum & Canonistarum, qvæ satisfacere desiderio meo poterant, vivos & Ecclesiam ipsam consulere & audire volebam. Erant pii qvidam viri, qvibus propositiones meæ apprime placebant, at non habebam eos pro membris Ecclesiæ, qvæ Spiritus S. donis regerentur; solummodo Papam, Cardinales, Episcopos, Theologos, Jurisconsultos, Clericos, Monachos respiciebam. Spiritum itaqve tanta cupiditate expectabam, turbatus veluti mente & fere stupidus, ut vix scirem, num vigilarem an dormirem. Dein licet omnia, qvæ mihi obstare videbantur, argumenta, ex Scripturis solvissem, ultimum, tandem & unicum, Ecclesiam nempe audiendam esse, magna cum lusta, & ægerrime, tandem tamen per Christi gratiam superavi. Ego profecto majori longe cum veneratione Ecclesiam Pontificiam pro vera habui, qvam nunc perversi illi faciunt, qvi eam contra me mire extollunt. Hæc nullo adulandi proposito, nec mentiendi utilitate scripta fidemutiqve majorem merentur, qvam suspicio Pallavicini, qvi Lutherum ex offensa qvadam privata Pontifici negotium facessere voluisse tradit, & nescio, qvibus ejus literis id probari posse existimat. *Lib. I. cap. 4. n. 93.*

N3

§. 0.

Luth. contra Jac. Hochstr. Tom. I.

Nec parum plausibilem ejus causam faciebat, qvod Jacobus Hochstratanus, Inqvisitor Dominicanus, contra Lutherum scribens, Papam exhortabatur, ut tantum ferro & igne adversus illum uteretur, mundumqve ab homine hoc neqvam liberaret.

§. XXIX.

Hochstratanum hunc Dominicani ordinis *Monachum Lovaniensem, &c.*, qvo primores illorum titulo uti solebant, *inqvisitorem hæreticæ pravitatis*, brevi sed acri apologia jam Idibus Julii repulerat Lutherus, qvæ extat *Tom. I. Lat. Jen. fol. 121.* Consilium vero istud, qvod

1518. Maimburgius aut non probat, aut causæ nocuisse existimat, præpropera tunc vehementia protrusum, ut nempe vi ageretur, non multo post per plurima regna & provincias, non qvidem adversus Lutherum (qvi mire servatus fuit) sed in magnam, qvi ejus doctrinam secuti sunt, hominum multitudinem, locum invenit; imo experientia seqventium & nostrorum qvoqve temporum comprobatum est, non facile ab illo cessari, nisi cum vires ad exeqvendum id desunt, aut qvando cum utilitate regnantium differri potest. Sed de his alibi.

Scilicet mirè, ut Calvinus, & alii Hæretici, quos oportuit esse.

§. p.

Epitom. Respons. Sylvestr. ad M. Luth. ap. Luth. t. 1.

Et qvod Sylvester Prierias, qvi refutare solide, ut poterat, debuisset, qvæ Lutherus ad illius librum responderat, alium edidit, in qvo potentiam & autoritatem Pontificis ultra modum exaggeravit, longissime eam super omnia concilia, iisqve verborum formulis evehens, qvæ ne Romæ qvidem probarentur; Hoc occasionem Luthero dedit, ut autoritatem illam Germanis odiosam reddere, & a scopo abducere alios posset, tractando cum vehementia articulum delicatissimum, de qvo tunc non qværebatur. Tanti interest, ut qvi adversus hæreticos agunt, præcise intra terminos, qvos fides docet, se contineant, nec intempestive & fiducia ingenii in qvæstiones litigiosas incidant, data adversario facultate, ut sententiam suam pari jure defendere possit, qvo oppugnatur.

§. XXX.

An Sylvester solide, (ut putat Maimburgius) refutare potuerit Lutheri responsum, dubitare licet, tum ob sententiæ, qvam Lutherus defendebat, veritatem, tum ob impar ingenium. Sed videamus aliqva ex iis, qvæ replicavit *Tomo I. Op. Lat. Luth fol. 62. & seqq.* inserta.

In

In epistola quidem ad Lutherum, artem ei rhetoricam imputat, Magistri palatii sive inquisitoris munus, quo ad scribendum impulsus fuerit, obtendit, nec dolorem occultat, quod parum reverenter tractatus sit. Animosus tamen adeo est, ut scribat, *se vivere nolle, nisi demonstraverit Lutheri dicta haresin*, ut ait, *complicare*. Thomæ dein autoritatem celebrat, *ab Ecclesia Romana cribratam & probatam*, & ab Innocentio III. Pontifice *soli Scriptura canonica postpositam*: sibi itaque gloriæ ducit, quod *Thomista* vocetur. *Abbatem Panormitanum*, Cardinalem, cujus sententiam sequi videbatur Lutherus, ut *rebellem & schismaticum* abominatur, qui in Basilea (id est, in concilio ibi habito) *Basiliscus pullulaverit, & pileum iniquitatis meruerit, atque ita schismaticum sua doctrina redoleat*. *Johannem Gersonem* ibidem Luthero laudatum, inter *Doctorellos* refert, *qui pessime senserint & scripserint*. Acrius vero ob Aristotelem spretum succenset, quem licet Ethnicum Thomæ præferre non dubitat; scribit enim: Quid mirum, quod Thomam vi- 1518.
„ lipendas, cum & Aristotelem ipsum dehonestas, quem tota natura (ut
„ ita dixerim) miratur, & cujus veritate, Boethio teste, nihil clarius, &
„ in cujus doctrina sive in Logicis, sive in Physicis, sive in moralibus, hac-
„ tenus nulla inventa est falsitas, præter id, quod non certe, sed eodem
„ (Boethio) teste, dubitative, de mundi æternitate sensit. Ab adulatio-
„ ne deinde & avaritia utcunque se purgat, gloriatur vero de scriptis
„ suis Sphæricis & Theoricis, de Epitomate (ita scribit) Capreoli, quod
„ Lipsiæ ex Legato publice legatur: addit, se juvenem oblatum Episco-
„ patum cum sexcentis aureis recusasse. Protestatur etiam, se nihil or-
„ dinis sui Dominicani gratiæ dare, Deum testem appellans, quod præ-
„ tones indulgentiarum ex Minoritis (Franciscanis) esse, ab initio puta-
„ verit. Declinat alia, & tandem velut mitigatus Lutherum compel-
„ lans, Oro te, scribit, si Christum amas, ne plus sapias, quam oportet,
„ sed ad sobrietatem, & quam cœpisti viam perambules, jugiter & per-
„ severanter, quod si feceris, puto quod etiam in messis auditurus Chri-
„ stum loquentem: & forte Sylvestro, quem nunc horres, tunc amicum
„ fideliorem habiturus es neminem. Ad lectorem vero præfatiuncu-
„ la, scripto suo præmissa, conversus, pæana de Luthero canit, & *victum toto Christiano populo spectante*, jactat. Scripti titulus est: *De juridica & irrefragabili veritate Romanæ Ecclesiæ Romanique Pontificis, Liber tertius, index quidem longissimus, sed brevissimum Epitomæ*. Ridet Græ-

 cissan-

1. §. 30. extollit Monarchiam Pontificum etiam temporalem aut & jus clavium

1518. cissantem in rubrica hæc Lutherus in Epist. ad Spalatinum d. 15. Dec. 1518
„ scripta, qvæ extat *Tom. I. fol. 65. b.* Mitto Sylvestrinam ἐπιτομὴν, qvam
„ ipse Epitoma vocat, homo Græco-barbarus & Latino-coqvus. Sed au-
„ diamus ex dogmatibus Sylvestri præcipua. Ecclesia militans est Chri-
„ sti regnum monarchicum & hierarchicum. In hac hierarchia Romanus
„ præsul primus ac summus hierarcha est, autoritate divina, qvi solus
„ supremarum dubitationum resolutivus & solus judex infallibilis veri-
„ tatis, in spectantibus ad fidem & mores. Ecclesia est regnum monar-
„ chicum, in ordine ad monarchiarum mundi est qvinta, & ibi etiam se-
„ cundum divinas literas, de qvatuor terrenis monarchiis (qvas enume-
„ rat) omnium præstantissima. Ex hac hypothesi plurima eruit, ex qvi-
„ bus hæc potissimum notare lubuit: Probabiliter solus Petrus a Chri-
„ sto est institutus Episcopus personaliter, alii vero a Petro instituti sunt:
„ Romanus præsul rite institutus, æqve & æqvali jure caput est, sicut &
„ B. Petrus. Et destruitur opinio qvædam hominum perversorum,
„ qvod Papa non sit caput Ecclesiæ universalis collective, sed solum di-
„ stributive; volentium ex hoc, Papam non esse caput concilii. In ec-
„ clesiastica hierarchia Romanus præsul est Hierarcha summus; contra
„ adversarium, subtrahentem nonnullas nationes, scilicet, Græcos &
„ fideles, inter infideles habitantes. Per literas sacras probatur univer-
„ salitas istius monarchiæ, & improbatur impietas Antonii Roselli, dog-
„ matizantis, Christum ea ratione, qva homo, non habuisse jus terreni
„ principatus. Per Augustinum & scripturas probatur iterum futura
„ Evangelii secunda prædicatio, cum majori populorum conversione,
„ qvam Apostolorum temporibus, cum in omnem terram exivit sonus
„ eorum, adeo ut non jure modo, verum etiam facto ipso Pontifex ma-
„ ximus rerum summam sit moderaturus, & jurisdictionem Papa in in-
„ fideles exercere possit, sive Gentes, sive Judæos, vel etiam hæreticos.
„ Omnis potestas ordinis & jurisdictionis inest Episcopis a Romano
„ Pontifice. Jurisdictio Romani Præsulis est incomparabilis. Con-
„ tra adversarium, qvi vult in concilio & consequenter in Ecclesia uni-
„ versali, esse qvandam potestatem, qvæ non sit in Romano Pontifice.
„ Qvando sancti dicunt Ecclesiæ universali datas esse claves, non est ea
„ ratione accipiendum, qvasi omnibus Ecclesiæ membris datæ sunt, aut
„ divisim, aut etiam conjunctim, sed qvia datæ sunt aliqvibus membris
„ Ecclesiæ, ut Petro primum, Apostolis autem in ordine & subjectione,

ad

ad Petrum. Romani Præsulis est condere leges. De necessitate salu- 1518.
tis est, subesse legibus & præceptis Pontificis, nihil contra Dei præce- „
pta mandantis. Decretales Epistolæ Romanorum Pontificum, etiam „
non editæ in concilio, nec corpori juris insertæ, & etiam omnes san- „
ctiones suscipiendæ sunt ab omnibus, & executioni mandandæ. Qvia „
Romani Pontificis potestas a Deo Christo immediate est, totus mun- „
dus simul ejus autoritatem nedum auferre, verum ne limitare qvidem „
aut restringere potest. Autoritas concilii non est a Deo, nisi in casu „
hæresis vel schismatis, non qvidem omni, sed qvodam; qvando vide- „
licet de nullo est certum & purificabile, qvod sit Præsul Romanus, sed „
omnis autoritas Patrum concilii sive ut singuli, sive ut collegium vel „
concilium, est a Romano Pontifice. Inter homines solus Romanus „
Pontifex habet suam autoritatem a Deo immediate. Et postqvam „
Cap. XI. omne jus conciliorum Papæ adseruisset, rejectis concilii Con- „
stantiensis placitis th. 8. concludit: Decreta Conciliorum nullum li- „
gant vel adstringunt, nisi Romani Pontificis autoritate firmentur, & „
Cap. XII. th. 1. Autoritas concilii est commissa, & qvantum placet, „
Pontifici. Porro: Romanus Antistes nullo modo ligatur concilio- „
rum canonibus, vel decretis, etiamsi sint de jure divino; ligatur qvi- „
dem, sed non ea ratione, qvia concilii sunt, sed qvia Dei. Papa potest „
omnia Conciliorum decreta positiva, (qvæ non sunt de jure divino) „
sicut & sua, ex rationabili causa, suo tamen arbitrio pensanda, tollere. „
Pontifex indubitatus, nedum a Concilio, sed neqve a toto mundo pot- „
est jure deponi vel judicari, etiamsi ita sit scandalosus, ut populos se- „
cum catervatim ducat ad Diabolum. dist. 40. c. Si Papa, sed ut ibi di- „
citur: Deus orandus est: hæc contra Schismaticos & Panormitanum: „
contra hunc, ait, cupio specialiter disputare: concedit tandem ob hæ- „
resin notoriam, probatam vel confessam per concilium deponi posse „
Papam, vel potius declarari depositum. Improbat autem appella- „
tionem a Papa ad concilium. Concilium scribit non præest Pontifi- „
ci, in his, qvæ sunt fidei, neqve hoc decidere potest, si Papa interdicat. „
Romani Præsulis solius est, a Deo & natura institutas leges interpreta- „
ri & declarare in dubiis, nedum in moribus, sed etiam in spectantibus „
ad fidem. Papa, ut Papa, non potest male decidere; (admittit tamen „
consilium assistentium) concilium vero universale etiam rite celebra- „
tum, intellectum tamen, ut aliqvid contra Pontificem divisum, deci- „
dendo „

1518. dendo de fide & moribus, potest errare, & probatur errasse sæpius de
» facto Thesi tamen 4. cap. 16. concedit, si inter Papam & Concilium es-
» set dissidium, & res esset decisa per judicium irrefragabile Spiritus
» sancti, standum esse illi parti, qvæ pro se haberet dictam decisionem;
» at in dubio, licet Panormitanus irrationabiliter dicat, standum esse
» parti, qvæ melioribus rationibus utatur, judicium Papæ seqvendum
» esse; ex motu sui cordis (qvod in talibus a Deo regi putat) prolatum.
» At dissidentibus sententiis in concilio, Papa non seqvi tenetur majora
» suffragia, sed saniora, saltem unius, exemplo Nicæni concilii, in qvo
» Paphnutii solius sententia obtinuit. Omittimus, qvæ Libro II. pro
indulgentiis statuit, & qvos errores propterea, & ob opiniones qvas-
dam circa purgatorium Luthero imputat; tum qvos ex dictis ejus
contra absolutam Pontificis potestatem, & pro conciliis excerpit &
rejicit. Qvæ vero *Cap. illius lib. 7.* de repræsentatione Ecclesiæ uni-
versalis per concilia, aut Cardinalium collegium, & virtualiter per
Pontificem repetit, eadem sunt, qvæ dialogo suo præmiserat. Epilo-
gum addit hoc modo: *Caveat iste, qvia, qvantum ego capio, cervice sua
Dei judicium bajulat.*

§. XXXI.

Anteqvam dicam, qvomodo Lutherus has Sylvestri theses excepe-
rit, considerandæ est, qvam legimus, Maimburgii indignatio & ad-
monitio. Qveritur, exaggeratam esse ultra modum a Prieriate po-
tentiam & autoritatem Pontificis, iisqve verborum formulis, qvas ne
Roma qvidem approbaret. Si hæc ex animo scripsit, certe non sal-
tem a societate Jesuitarum, sed & ab illorum doctrina secessum fecit,
qvam extra Galliam semper, aliqvando & intra eam professi sunt, &
qvandocunqve licebit, professuri esse videntur, nisi ab instituto suo
plane recedant. Qvæ vero sit Gallicorum Doctorum, & imprimis A-
cademiæ Parisiensis de potestate Pontificum limitatio, si aliqvatenus
dubitari olim potuerit, certe, qvo nunc in statu sunt res Gallicæ, dubi-
tare non licet. Infelix fuit ante annos qvadraginta *Edmundus Ri-
cherius, Doctor Sorbonicus*, cujus libros *de conciliis* & de *doctrina ma-
jorum* circa has qvæstiones nuper editos habemus. Sed tutiores ho-
die, qvi sub magni Regis protectione liberrime non saltem & publice,
sed & jussi statuunt, qvod olim nec omnes & caute docebant. Qva-
propter Lutetiæ qvidem Sylvestrum impune redarguere potuit Maim-
burgius;

burgius; sed ut in eundem sensum Romæ scribere auderet, nisi eadem, sub qva in Gallia securus est, potentia protegatur, nemo illi autor fuerit. Qvod vero addit, ne Romæ qvidem probari, qvæ Sylvester nunc scripserit, id de Roma illius temporis, cum Leoni X subesset, utiqve intelligi non potest. Ajunt qvidem, silentium ei impositum fuisse, ut impari aut incauto; sed nihil eorum qvæ scripserat improbatum fuisse cognoscitur, & Pontifex hunc ipsum Sylvestrum tam animosum numinis sui defensorem inter judices Lutheri esse voluit. Nec secutis postea temporibus ad nostra hæc usqve unqvam audita fuit contraria de potestate & jurisdictione Pontificis opinio, qvæ Romæ non damnaretur. Hactenus igitur non ut Romano-Catholicus, sed ut Gallus, & Regius Theologus, Sylvestri placita improbat Maimburgius. Admonitionem etiam, qva instruere vult eos, qvi cum Hæreticis disputant, ut præcise intra terminos doctrinæ, qvæ de fide est, sese contineant, nec in litigiosas qvæstiones implicent, eodem pertinere putamus. Hoc ipsum enim dogma de potestate Pontificis de fide non esse, sed ad disputabilia referendum, satis indicat. Sed de hac materia dicendi causa sæpius dabitur. Sylvestrum vero una cum Tezelio & Eccio reprehendit etiam *Paulus Venetus*, qvod scilicet firmitati doctrinæ de indulgentiis, qvæ solum Clementis VI Constitutione anno 1350 edita nitebatur, diffili, in locos communes confugerint, & jacto autoritatis pontificiæ & consensus scholasticorum fundamento, qvandoqvidem Pontifex in rebus fidei errare neqveat, Clementinam illam de indulgentiis decisionem pro articulo fidei defendi posse putaverint; data hoc modo Luthero occasione, de ipso hoc fundamento pontificiæ potestatis disputandi. Nec multo aliter *Pallavicinus*, utcunqve a Paulo illo in omnibus fere discors, de Prieriatis scriptis judicat, *lib. I. cap. VI. §. 3.* ubi scribit: *jejune illum attulisse rationes ad convincendum Lutherum, cum ejus assertiones non alio fere argumento damnaret, qvam Pontificiæ autoritatis: unde hic expugnata ista, victoriam causæ sibi promiserit.* Sed meliora huc usqve argumenta prolata esse, non apparet. Qvæ enim ex centonibus Scripturæ desumuntur, nullam vim habent, qvam qvæ ex interpretatione Pontificum illis accedit. Nota.

1518.

§. XXXII.

Lutherus visis Sylvestri literis ex thesibus, qvocunqve consilio aut motu scriptis, ita concitatus est, ut adversarium jam non saltem

1518. ut hominem (sic scribit) rudem & barbarum, tenebris Thomisticis &
„ nugalibus Pontificum, seu potius scribarum indoctissimorum decretis
„ captivum rideret, ut antea se fatetur fecisse; sed ut blasphemum & Sa-
„ tana impulsum execraretur, qvi Papam, qvamvis impium, Deum face-
„ ret, & robur divinæ Scripturæ, id est, verbi Dei vim, qvod est ipse De-
„ us, ex illius hominis, etiam impii, autoritate pendere statueret, licet
„ omnes velint Papæ autoritatem ex Scripturis pendere, noto scilicet il-
„ lo dicto, Tu es Petrus. Neqve enim (ait) ubi urgentur, alio confugi-
„ unt. At nunc Satan iste Scripturas per hominem roborat. Qvid est
„ Antichristus, si talis Papa non est Antichristus? Hæc & alia, partim
a Sleidano notata, in præfatione Lutheri, qva Sylvestri scriptum re-
„ cusum comitatus est, habentur. Optimam enim, (scribit) libelli con-
„ futationem sibi videri, si, ut editus est, nudus evulgetur, cum secum
„ habeat suam confutationem, plus qvam optari a se potuerit, potentem. Margini tamen qvædam adscripsit, ut patet ex inserto *Tom. I. fol. 65. & seq.* Sylvestri libello. At in epilogo, qvem addidit *fol. 71. b.*
„ lectores monet, ut intelligant Sylvestrum non nisi summo odio & in-
„ credibili metu generalis Concilii ita scripsisse. Jamdudum enim id
„ agere, qvos vocat, Romanistas, ne aliqvando Concilii remedio afflictæ
„ Ecclesiæ succurratur, & criminibus, (qvæ recenset) & erroribus mo-
„ dus ponatur. Ideo fingere, Papam esse supra Concilium, sine ejus au-
„ toritate nullum cogi, nullum durare, nullum obligare &c. ipsum vero
„ Papam esse regulam infallibilem veritatis, autorem intelligendæ Scri-
„ pturæ. Eo vero provehitur, ut dicat: si sic pergant, nullum esse reli-
„ qvum remedium, qvam ut Imperator, Reges, Principes, vi & armis
„ accincti pestes has orbis terrarum (ob læsam scilicet majestatem & ar-
„ rogatam sibi solis immediatam a Deo potestatem & qvintam monar-
„ chiam) aggrediantur. Alia ejusdem zeli, qvæ ab immani illa Sylve-
stri in Pontifices adulatione expressa tunc Luthero fuerunt, ibi legas,
„ qvæ tamen sub finem scripti ita temperat, ut correctionem evangeli-
„ cam, sive ex præceptis Dei, qvibus etiam Papa non minus, qvam qvi-
„ vis fidelium subjectus sit, præmitti, & ab omnibus Christianis sub pœ-
„ na damnationis fieri debere svadeat. Reperitur eodem loco fol. 72. & sqq. cujusdam *Johannis Nanni, Viterbiensis*, Theologi Dominicani disputatio, ex commentario ejus Apocalyptico anno 1481. edito, ex-
„ cerpta, in qva defenditur: Christum sive agnum, & ejus vicarium,

Pon-

scriptum Joh. Nannis. §. 9. *Lutherus Romam citatur.* §. 33. Supplentur

I. §. 9. §. 33. 1518.

Pontificem Romanum, jure divino esse Regem Regum, seu Monarcham temporalem hujus mundi, unde inter alia consequi facit, Constantinum Imp. jure divino obligatum fuisse, ut Sylvestro Papæ urbe Roma cederet. Hæc edenda esse visa sunt Luthero cum epicrisi acerrima, quæ *d. l.* legi potest. Fateor tamen dubium mihi subortum esse, an hæc ipsa epicrisis eo tempore edita fuerit. Epistola nempe eadem in margine allegata sine die & adscripto anno 1520. extat *Lib. I. ep. 98.* inque ea de scriptis cujusdam *Alveldensis*, & de libello Lutheri *ad Nobilitatem Germanicam* mentio fit, quorum utrumque ad annum 1520. pertinet, nec ante Bullam hoc anno publicatam, tanto zelo potestatem Pontificis Lutherus oppugnavit. Secutus tamen sum Maimburgii narrata, ne distraherem, quæ materiæ saltem ratione cohærent, incerto licet tempore.

§. 9.

Interim cum Romæ accusatio contra Lutherum, ejusque libros & doctrinam sententiæ Ecclesiasticæ palam oppositam, intentata semper continuaretur, Pontifex eum citavit, ut intra sexaginta dies Romæ compareret, coram datis ei judicibus, Hieronymo de Genutiis, Episcopo Asculensi, Cameræ Apostolicæ Auditore, & Sylvestro Prieriate, S. Palatii Magistro, qui jam judice Lutheri theses pro hæreticis declaravisset. Citatio etiam hæc prius facta est, quam epistola Maximiliani Cæsaris Romæ redderetur, quam ex Comitiis Augustanis ad Leonem scripserat, rogans, ut quantocyus litem illam dirimeret, promittens etiam se executurum, quod Pontifex jussurus esset.

7. Augusti. *Epist. Maximil. ad Leonem Tom. I. Luth.*

§. XXXIII.

De citatione Pontificia supplenda quædam sunt, occasionem præsertim suggerente *Pallavicino lib. I. capp. VI. & VII.* Die 7. Augusti

 datam

L. 5. 33. qvædam de citatione Wittenbergenſes laudant Lutherum, cauſa Legationis

15 8. datam notat ad marginem Maimburgius, ſed eo die præſentatam Luthero eſſe, veriſimile eſt, qvia ſeqventi Cyriaco ſacra, id eſt, d 8. Auguſti eam ad Spalatinum, qvi tunc cum Friderico Electore in Comitiis Auguſtanis erat, miſit, & commiſſionem ad audiendum ſe in partibus Alemanniæ petiit. *Lib. I. Ep. 41.* Prieriatem, cujus dialogo tum reſponderat, ſibi judicem datum eſſe, breviter qveſtus, his verbis: *Idem homo ſuaviſſimus mihi ſimul adverſarius & judex eſt.* Poſt qvatriduum acrius inſtitit *ep. 56.* & modum ſuppeditavit, qvo liberari a comparendi neceſſitate poſſet, nempe *ut negato ab Electore ſalvo conductu, ſive abeundi licentia, Wittenberga manendi cauſam haberet.* Ideo ſophiſmatum a *Pallavicino* accuſatur, ſed ex epiſtola apparet, qvod amicorum ſaltem conſilium referat, & qvod certum eſſe ſcribat, Principis animum & mentem ſemper fuiſſe, negare abeundi licentiam. Qvod vero Electoris interventione, aut precibus Academiæ Wittenbergenſis, motum Pontificem, cauſam in Germania cognoſcendam decreviſſe & Cardinali Cajetano delegaſſe putat Maimburgius, actis repugnat. Nam Rector, Magiſtri & Doctores Academiæ Wittenbergenſis non niſi ſeqventi menſe d. 25. Septembr. ad Pontificem ſupplices literas pro Luthero ſcripſerunt, in qvibus eum *fidele & gratum membrum Academicum* vocant, & corporis valetudinem viæqve periculum allegantes, in excuſando eo ab hæretici dogmatis labe finiunt, nihil de cognitione cauſæ perentes; ſed in literis *ad Carolum Miltitium*, Cubicularium Pontificis & nuntium, qva ea, qvæ ad Pontificem ſcripſerant, commendant, Lutherum majoribus proſeqvuntur laudibus, eiqve *multijugam & pene ſingularem eruditionem, moribus integerrimis & defecatiſſimis conjunctam* tribuunt. Elector vero non tam ut Cajetano, qvam ut Germaniæ qvibusdam Prælatis cauſa committeretur, petierat. Qvanqvam cum Auguſtæ cum Cajetano collocutus eſſet, contentus eſſe videretur, ut ibi ab illo audiretur Lutherus. Itaqve Pontifex d. 23. Auguſti ad illum blande ſcribens, precum ejus pro Luthero nullam facit mentionem, nec iis dediſſe ſe aliqvid jactat, ſed ſimpliciter refert, ſe & citari juſſiſſe Lutherum, & interea Cajetano mandaſſe, qvid in cauſa ejus agere debeat. Aliam itaqve cauſam delegandi Pontifex habuit, breviori nempe & leviori modo componi Lutheri negotium induſtria Legati poſſe perſvaſus. *Pallavicinus* Majeſtati Pontificiæ conſulturus negat Cardinalem Lutheri cauſa, ſed

ideo

ideo missum, ut Principes Christianos ad societatem armorum contra Turcos moveret. Fortasse veriorem & intimam Lutherus subodoratus est, ut scilicet decimas ex Lateranensis Concilii placitis in Germania impetraret. Qvanqvam neutrum exitum habuit, tantoqve indignius tulit Legatus, qvod etiam in Luthero subjugando frustra fuisset. Qvod ad epistolam Maximiliani Imperatoris d. 5. Aug. ad Pontificem datam attinet, verum est, qvod Lutherus in ea præjudicio oneretur, & dogmata ejus pleraqve hæretica & damnosa videri dicantur; sed bonum Principem controversiarum theologicarum parum peritum, facile ad ista scribenda inducere, ut fit, potuerunt ministri præoccupati, ut adeo horum potius, qvam Imperatoris mentem inde liceat intelligere: hanc vero ipse in familiari sermone ita dicitur aperuisse, ut cleri consiliis & actionibus parum eum favisse appareat. Hoc forte movit *Paulum Venetum*, ut Epistolæ hujus mentionem in historia sua non fecerit, reprehensus ideo *Pallavicino cap. VII. n. 5.* *Addit.*

§. XXXIV.

Priusqvam de itinere Lutheri Augustano agamus, alia qvædam ad historiam pertinentia notare visum est. Venisse nempe circa hoc tempus Wittembergam d. 25. Augusti vocatum, posthabitis aliis, ad Professoris Græcæ lingvæ munus, Philippum Melanchthonem, Brettæ in Palatinatu inferiori natum. Agebat tunc annum ætatis vigesimum secundum & jam Tubingæ annos qvatuor Oratoriam docuerat, exili corpore & contemtibili fere specie; sed cum d. 29. Aug. lectiones suas oratione habita auspicatus esset, ingentem sui admirationem excitavit, ut Lutherus ipse pridie Calend. Septembr. ad Spalatinum scriberet, *Lib. I. ep. 57.* Habuit orationem qvarto die, postqvam venerat, plane eruditissimam & tersissimam, tanta gratia omnium & admiratione, ut jam non id tibi cogitandum sit, qva ratione nobis eum commendes. Abstraximus cito opinionem & visionem staturæ ejus & personæ, & rem ipsam in eo & gratulamur & miramur; Et paulo post: Ego plane Græcum præceptorem, illo salvo, alium hon desidero. Monet tamen de ampliori salario ei prospiciendum esse, si enim, ut suspicatur, Pfeffingerus pro more suo nimium voluerit Principis marsupio consulere, metuere, ne eum auferant Lipsienses. Et post qvatriduum alia epistola: Philippum Græcissimum, eruditissimum, humanis-

I. §. 35. 1518. §. 35. Literæ qvædam Lutheri & ad eum, de statu ejus, de Staupitio qvædam,

manissimum habe commendatissimum; auditorium habet refertum „ auditoribus, inprimis omnes Theologos, summos cum mediis studio„ sos facit Græcitatis.

§. XXXV.

Freqventia igitur studiosorum Lutherum & Melanchthonem audientium Wittenbergæ indies crevit, Lipsiæ vero minuta est; sed aucta etiam Lutheri invidia fuit, tum ob concionem de excommunicatione adversus abusus Officialium & Vicariorum, qvæ legitur *T. I. f. 172. & seqq.* tum ob Resolutiones thesium de qvibus supra dictum est, hoc mense Augusto publicatas. Sed animum non dejecit. Monuerat eum superveniente jam citatione Pontificia, Staupitius, nescio qvid; huic Cal. Sept. „ respondit: Nihil dubites, Reverende Pater, futurum me liberum in„ verbo Dei scrutando & tractando. Neqve enim illa citatio & inten„ tatæ comminationes me movent. Postero die ad Spalatinum hæc „ scripsit; Scribis esse qvosdam, qvi Principem nostrum illustrissimum„ conentur & cælo & terræ invisum facere: obsecro, qvid hoc monstri „ est? opto ex corde, ne id mei causa fiat, sicut dixi, ita dico, nolo in hac „ re Principem nostrum innocentissimum qvicqvam facere, qvod pro„ positiones meas defendat, sed offerri & objici omnibus, qvicunqve „ contra me vel agere vel scribere voluerint: sicut spero facturum esse, „ nisi forte id commode præstare posset, ne vis mihi irrogaretur. Qvia „ si ne hoc poterit; etiam sic volo meum esse periculum totum. Spero „ me pulchre defensurum ea, qvæ defendenda suscepi, invitis (ut Chri„ sto duce gloriar) omnibus opinionibus Thomistarum. Violentiæ „ autem locum dare necesse erit, veritate tamen salva. Non multo „ post circa Idus Septembr. in epistola ad Joh. Langum, Priorem Augustinianorum Erfurtensem, refert: *Dominicanos coëmere exemplaria Dialogi Sylvestrini, atqve supprimere, recudi autem nunc Witteberga;* dein scriptum sibi esse ab Electore, effeciisse illum, ut Legatus Cajetanus scripserit ad urbem pro causa committenda ad partes, interim sibi expectandum, & sperare censuras non venturas esse; addit tamen: *displiceo multis, pluribus, plurimis.* Eodem tempore piæ Staupitii literæ ad Lutherum Saltzburgo scriptæ, huc inseri omnino merentur qvæ leguntur *Lib. I. n. 61. Videtur mihi mundus contra veritatem exasperatus: olim in tanto odio fuit crucifixus Christus: & qvid hodie prater crucem te maneat, non video qvicqvam. In foribus, ni fallor, est senten-*

tia:

tia: ne quis inconsulto Pontifice scruteretur Scripturas, ad inveniendum se, quod utique Christus, ut fieret, jussit. Paucos habes patronos: & utinam non sint occulti propter metum adversariorum. Placet mihi, ut Wittebergam ad tempus deseram, meque abcedat, ut simul vivamus moriamurque. Id ipsum & Principi complacitum est. His pono modum verbis. Expedit ita fieri, quatenus deserti deserti um sequamur Christum. Vale & felix veni. Datum Salizburgæ, die exaltationis sanctissimæ crucis id est d. 14. Septembr. Anno M. D. XVIII. Paulo ante d. 7. Sept. ad Spalatinum scribens, eandem magnitudinem animi ostentat, pro veritate quidvis patiendi, precaturque Electorem, ne se, nec Lutherum, nec ordinem Augustinianum respiciat, veritatis tantummodo manutentioni intendat, utque hac in lucem veniat, fugatis tenebris, fatigat: modo securus sit locus, ubi absque metu, cadente in virum constantem, libere loqui possit. Ibidem ait: Ego novi, quantum saviat Babylonica, ne dixerim Romana, pestis in vos, qui abusibus vendentium Christum contradicunt. Vidi enim, concionatorem verissima docentem, de pulpito violenter rapi, & licet in maxima festivitate omni populo per cordas trahi, carcerique mancipari. Hæc epistola alieno loco inserta est. Tom. I. fol. 384. b. Permotus autem est Staupitius, ut Augustam iret, & auxilio Luthero esset, eoque paulo post Lutherum adventavit. 1518.

§. 7.

Sed interpositis Electoris Saxoniæ & Academiæ VVittenbergensis *pro Luthero precibus, consensit Pontifex, ut causa in Germania cognosceretur, data judicandi facultate Thomæ de Vio, Cardinali Cajetano, Legato suo, qui tunc Augustæ Vindelicorum erat. Lutherum Fridericus Dux urgebat, ut coram tanto viro se sisteret, quem virtus omnibus plus quam purpura venerabilem reddebat. Obtemperavit Lutherus huic jussui, die XII. Octobris Augustam venit, acceptis prius literis Cæsaris, quas salvi conductus vocant,*

Act. Luth. ap. Cajet. Ep. univers. ad Carol. Militt. & ad Leon. Luth. Tom. I.

1518. *vocant, sine quibus, amicis ita consulentibus, comparere nolebat.*

§. XXXVI.

Multa in his, & qvæ seqvuntur, de actis Augustanis cum Cajetano prætermittit aut turbat Maimburgius, qvæ ex Lutheri Tomis Latinis & Germanicis, ejusdemqve epistolis, aut ex ipso Pallavicino plenius, saltem verius tradere potuisset. Fridericus Elector ante iter Lutheri, Augusta abiens, Legato Pontificio promiserat, ut ex literis ejus postmodum ad eum scriptis apparet, *se effecturum, ut Lutherus coram eo sese sisteret*; nec de salvi conductus literis aliqvid dixerat, aut pactus erat. Dubitantem vero, ut videtur, de comparitione Lutherum animaverat, promittendo, non passurum se esse, ut Romam duceretur, & commendationibus ad senatum aut proceres qvosdam civitatis Augustanæ, viatico etiam instruxerat, fortasse non amplo. Pedes certe iter fecit Lutherus, ut ipse scribit, & pauperiem miseriamqve suam; immo & temeritatem, qvod nulla prius impetrata securitate, profectus esset, non celat. Norimbergæ a Wenceslao Linccio, ordinis sui Theologo cucullum commodatum sumsit; dein tribus ab Augusta milliaribus conducto curru in urbem vectus, ad Augustinianos primum venit, sed nescio, qva causa apud Carmelitas hospitium impetravit, vel, ut Pallavicinus scribit, emendicavit. Convenit eum ante omnes Italus qvidam, qvem *Urbanum oratorem* nominat. (Montisferratensem fuisse, ex Cajetani literis ad Electorem percipitur.) qvi leniſſimis verbis bene sperare de Cardinali jussit, eumqve sine ulla suspicione adire. Ignorabat tunc Lutherus argumentum diplomatis sive commissionis Pontificiæ, id tamen non nisi in reditu Norimbergæ accepit, ut ex *epistola 68. Lib. I.* ad Spalatinum constat. Illo enim ante iter viso, si condemnatum se jam Romæ esse, & in captivitatem peti comperisset, vix persvaderi sibi passus foret, ut Cardinali se sisteret. Hærentem autem, an Urbano illi, Cardinalis emissario, sive *Simoni* (ut eum vocat) obsecundaret, Augustani omnes, qvibus ab Electore commendatus erat, monuerunt, ut prius a Cæsare, qvi venatum exierat, salvi conductus literas expectaret. Itaqve, qvoad hoc consilium *multos Germanos, antea cognitos, atqve vim & auctoritate celebres, se Germanum uni Italo prætulisse*, scribit *epist. 76.* Eorundem amico-

amicorum opera factum est, ut Cæsar petitis annueret, ægre id qvidem ferente Cardinale. Is tamen in literis ad Electoram postea scriptis, videri voluit, se consensum Cæsari præstitisse, vere, an callida offensæ dissimulatione, non disputo. Erat utiqve, stante illa universalis potentiæ Romanæ hypothesi, res invisa, Imperatorem tutelam suscipere monachi, in qvem nullam, si cleri principiis locus est, habebat jurisdictionem. Qvod si brevis Pontificii rigor consideretur, parata jam erant adversus omnes fulmina, (solo Imperatore excepto) qvi patrocinium Luthero præstituri essent, non censuris saltem ecclesiasticis coercendi, sed dignitatibus & feudis, a qvocunqve collatis, privandi. Tetigit hoc ulcus Pallavicinus, dum *Lib. I. c. IX. n. 2.* Cardinalem *noluisse* scribit, *ut consensus suus patefieret, ne hac ratione comprobaret, a profano Principe fidem porrigi reo, in causa religionis jam ad Pontificem delata* Sed erant revera hæ Imperatorii juris reliqviæ, in tanta licet, qva cum potestates summæ premebantur, servitute ad veritatis & innocentiæ præsidium utcunqve exercesti. Non erravit igitur Lutherus, cum in suis relationibus memorat, Cardinalem non probasse salviconductus impetrationem; nec vane forsitan absqve illo metuisset Lutherus, qvanqvam ipse majori fiducia, qvam res ejus ferre videbatur, agebat. Narrat ipse in præfatione operum Latinorum anno 1545. repetiitqve paulo ante mortem in colloqvio cum familiaribus, qvomodo responderit Oratori Italo, a Cardinali misso; Urbano, puta, illi: *Tertio die venit expostulans, cur non accederem Cardinalem, qvi benignissime me expectaret?* Respondi, *mihi obtemperandum esse consiliis optimorum virorum, qvibus essem a Principe Friderico commendatus, esse autem eorum consilium, ne ullo modo absqve tutela Cæsaris seu fide publica Cardinalem accederem, qva impetrata (agebant autem illi apud Senatum Cæsareum, ut impetrarent) mox essem accessurus.* Hic commotus ille, *qvid* (inqvit) *putas, Principem Fridericum propter te arma sumturum?* dixi: *hoc nollem prorsus. Et ubi manebis?* Respondi: *sub Cælo.* Tum ille: *Si tu Papam & Cardinales in potestate tua haberes, qvid esses facturus?* *Omnem*, inqvam, *reverentiam & honorem exhibiturus.* Tum ille, gestu Italico mordens digitum, dixit: *Hem;* Et sic abiit, neqvo reversus est.

1518.

§. 5.

Acta Luth. ap. Cardin. Cajet. t. 1. Cochl. Act. Luth.

Cardinalis illum ab initio comiter excepit, & evitata disceptatione, quæ ejus dignitati & officio judicis non conveniebat, Pontificis nomine denuntiavit, necesse esse, ut errores in libris suis extantes revocaret, & se ab iis abstinere velle promitteret. Respondit Lutherus, se non putare, quod errores docuerit, aliquosque sibi ostendi rogavit. Inde duos ei Cardinalis notavit, primo, quod contra Constitutionem Clementis VI negasset merita Christi infinita thesaurum indulgentiarum esse; dein, quod ad justificationem sola fides sufficiat, qua firmiter & sine dubitatione creditur, omnia peccata pœnitentibus remitti: hoc enim Scripturis adversari, ex quibus constet, hominem nunquam omni certitudine securum esse posse de gratia. Lutherus, qui Clementinam legerat, dixit, se ad eam admittendam non obligari, quia tantum referat opinionem S. Thomæ, Scripturam inde allegabat, sed suo sensu explicans, & falsa distinctione quadam utens, quales ingenia hominum ad ejusmodi illusiones fertilia, facile invenire possunt, ad asserendum, quicquid aliquam veri speciem habet. Cum vero post satis longam de hoc puncto (ad alterum enim non accedebant) habitam disputationem Lutherus videret, quod Legatus responsionibus suis parum contentus, semper retractationem urgeret, & ulteriorem disceptationem recusaret, tempus ad deliberandum in diem

diem ſequentem petiit, eoque impetrato comparuit, 1518.
comitante Notario & teſtibus, præſentibus etiam qvatuor Senatoribus Auguſtanis. Tum proteſtatus, qvod judicio Eccleſiæ Romanæ omnia, qvæ dixiſſet & feciſſet, ſubmitteret; nihil ſe propoſuiſſe dicebat, qvam per modum diſputationis, ad inveſtigandam veritatem, neqve ſcire, qvod contra hanc qvidqvam aſſeruerit, adeoqve nec reperire, qvod retractare deberet, antequam oſtenſum fuerit, in qvo erraſſet, qvanqvam ut hominem errare ſe potuiſſe, non diffiteretur; offerebat autem rationem omnium, qvæ dixiſſet, & judicium univerſitatum Baſileenſis, Friburgenſis, & Lovanienſis, maxime vero Pariſienſis, qvæ mater ſcientiarum & ſemper in ſtudiis Theologiæ florentiſſima fuiſſet, & ſecuturum promittebat. Tandem cum longum ſcriptum exhibuiſſet, in qvo rationes & teſtimonia, qvibus errores ſuos probari putabat, expoſuerat, Legatus vero horum nihil admittens, ſemper retractationem imperaret, & cenſuras Eccleſiaſticas minaretur, etiam ulteriori ad ſe aditu, niſi obtemperaret, eum prohiberet, noctu appellationem ad Pontificem affigi fecit, & feſtinanter VVittebergam verſus abiit, metuens, aut metuere ſimulans, ne Cardinalis juſſu, una cum Staupitio Vicario, Patrono ſuo, captivus retineretur. Nihilominus literas valde modeſtas ad Legatum ſcripſit, in qvibus benignitatem, qva exceptus fuerat, laudavit, & ſeſe excuſavit, qvod mi-

1518. *nus reverenter, qvam decuisset, ipsi locutus esset. Ad alios vero, & ad ipsum Pontificem plane contrarias exaravit, querens de duritie, vel potius intolerabili, ut dicebat, Cardinalis hujus tyrannide, qvi se constringere ad retractandum voluisset, neqve tamen demonstrasset, in qvo erraverit; dein, qvod non acceptasset, qvæ obtulisset, nempe qvod de indulgentiis nihil amplius dicere vellet, dum adversariis qvoqve silentium imponeretur.*

§. XXXVII.

Comis exceptio, qvam etiam Lutherus laudavit, illa fuit, ut Cardinalis procidentem in faciem, (id ut faceret, ab Urbano illo monitus erat) dein in genua subsidentem erigeret, alloqventem placide aliqvandiu audiret, nec, postqvam ad colloqvium ventum est, Magistro ceremoniarum, qvo utebatur, permitteret, ut eum interturbaret. Laudavit etiam illum Cardinalis apud Staupitium, imo *amare se Lutherum, nec jam pro hæretico habere*, dixisse fertur. Tria autem statim a Luthero postulavit, *ut revocaret errores, ut ab iis imposterum abstineret*, & ut *ab omnibus etiam aliis abstineret, qvæ turbare possent Ecclesiam.* Omissa hæc a Maimburgio Lutherus in relatione sua ad Electorem *Tom. I. fol. 208. b.* etiam *Cochlæus* referunt, ipse vero Cardi-
„ nalis ad Electorem ita scribit: *fol. 206.* Dixi ante omnia, qvod secun-
„ dum solidam Scripturam sacram interrogandus esset, & qvod si se co-
„ gnosceret, & de cætero caveret, possemusqve secure dormire, nec re-
„ verteretur ad vomitum, omnia componerem Sanctissimi Domini no-
„ stri Leonis X. Papæ autoritate. Duos vero saltem articulos Lutheri improbasse, verum est. Primum nempe & potissimum, qvo indulgentias & Clementis VI bullam impugnabat; sed alterum non recte enunciat Maimburgius, sed ex suo forte ingenio huc trahit, imo & decidit qvæstionem de justificatione per fidem. At Cardinali utiqve credendum hic est, concordante inprimis Lutheri & Cochlæi relatione, qvod alterum caput Luthero objectum fuerit *de fide Sacramentorum:*

rum: objecit, (scribit Lutherus) *quod concl. 7. inter declarandum dixerum, oportere eum, qui ad Sacramentum accedit, credere se consecuturum gratiam Sacramenti.* Notandum vero est, ad supplenda vel emendanda Maimburgii narrata, satis vehementer de litera & sensu, tum de autoritate constitutionis Clementinæ inter Cardinalem & Lutherum disceptatum, sed paucula quædam *de fide utentium Sacramentis* tractata esse; quamvis Cardinalem postea pudere ejus conflictationis visum est, ut infra dicemus. Summam vero offensam incurrit Lutherus quod Bullæ Clementinæ non tantum præferret Scripturas, sed & nihil probari ex constitutione illa posse contenderet, quia torqueret Scripturas in alienum sensum, & tantum opinionem Thomæ recitaret: deinde quod extollenti potestatem pontificiam Cardinali, *supra Concilium, supra scripturam*, & *Concilii Basileensis abrogationem* alleganti, *universitatis Parisiensis appellationem* opposuerat, & *Joh. Gersonis* scripta. Respondit enim Cardinalis cum commotione: *Parisienses videbunt penas suas*: & *Gersonistas damnatos esse* dicebat. Memorat hæc Lutherus in relatione ad Electorem *fol. 210.* quæ Cardinali postea transmissa est. Quam si attendisset Maimburgius, causam Lutheri pro Concilio Basileensi, & pro Joh. Gersone atque Parisiensi Academia adversus Cardinalem pugnantis, tueri, aut communem saltem sibi tum eo agnoscere debuisset, si modo ex animo scripsit, & pro veris haber, quæ pro Concilio Basileensi in tractatu suo nupero de jure Pontificum asseruit. Fundamentum itaque unicum Cardinalis in articulo indulgentiarum erat autoritas Pontificia. Cæterum etsi ipse in literis ad Electorem commemorat, & Lutherus *fol. 208. b.* affirmat, *Cardinalem non opinionibus Doctorum, sed scripturis sanctis & canonibus usurum se esse* promisisse; provocantem tamen ad Scripturas Lutherum vel it risit, vel ei meras Doctorum opiniones oggerere cœpit, præsertim ubi ad quæstionem de Sacramentis ventum est. Scribit, itaque ad Electorem Lutherus: *fol. 208. b. Expecto, peto, rogo usque hodie unam Scripturæ autoritatem, vel sanctorum Patrum, quæ sit contra meam hanc sententiam.* Hanc vero longe majoris facit, quam litem de indulgentiis: (quanquam hanc maxime urgebat Cardinalis) addit enim: *fol. 209. a. Non sum ideo malus Christianus, si indulgentias nolim; sed si hanc fidei sententiam mutavero, Christum negavero. Sic sapio, sic sapiam, donec contraria sententia per scripturas fuerit probata,*

1518.

Addit.

I. §. 37, 1518. *& adducta per me autoritates dissoluta, quod nondum est factum, neque fiet, Deo propitio, unquam.* Sed Cardinalis levia habuit, & contemtu voluit elidere, quæ Lutherus ex Scriptura adduxit, immo in colloqvio cum Wenceslao Linccio non veritus est dicere, *si indulgentiarum impugnationem revocaret Lutherus, totam causam componi posse: articulum enim de Sacramentis admittere moderationem & interpretationem.* Qvo intellecto Staupitius optavit, *ut notario & testibus præsentibus illa dixisset Cardinalis, ut constaret, Roma plus æstimari pecuniam qvam fidem.* Vide *Tom. I. Alt. fol. 123.* Constat, Cajetanum Scholasticis qvidem doctrinis refertissimum, sed eo tempore Scripturarum valde imperitum fuisse. Lutherus sane ad Spalatinum scribens d. 19. Novembris *Lib. I. ep. 71. audisse se ait ex ore ejus propositiones atheologiissimas, qvas, si alius dixisset, hæreticissimas pronuntiasset, & hunc tamen inter Dominicanos principem principissimum doctrinæ esse, secundum vero Sylvestrum; unde cogitari possit, qvales sint decimi & centesimi.* Ipse etiam Pallavicinus imperitiam sacrarum literarum seu Theologiæ Ecclesiasticæ ei non obscure tribuit; & in hac postea demum, sive postremis annis suis (tunc enim in sacram Scripturam commentatus est) eruditionem acqvisiviisse tradit *Lib. I. cap. X. n. 7.* qvem zelum ex hoc ipso cum Luthero conflictu natum ei fuisse probabile est. Cæterum qvæ Lutherus sive ex schedula recitavit, sive scripta porrexit, literasqve duas, qvas ad Cardinalem dedit, *Tom. I. Jenens. fol. 202.* & *Wittemb.* legere licet. Fallitur Maimburgius, dum Lutherum venisse scribit Augustam die 12. Octobr. cum ipse adventus diem nominet S. Marci post Franciscum, id est, Marci Papæ scilicet 7. Octobris die Veneris sive Feria VI & post qvatriduum, id est, die 11. Octobris, impetrato nempe illo die conductu Cæsareo, Cardinalem prima vice accessit: altera die 12. Octobr. iterum comparuit, comitatus qvatuor insignibus Consiliariis Cæsareæ Majestatis, ut ipse refert: qvanqvam in relatione *Tomo I. Germ. f. 122. & seqq. inserta* tres tantum & inter illos *Decanus Tridentinus*, & *D. Conradus Peutingerus*, (qvem unum in re sua studiosissimum prædicat *Lib. I. ep. 62.* Lutherus) recensentur; (Senatores solum Augustanos perperam vocat Maimburgius). Adduxit etiam Notarium & testes, & responsionem suam ex scripto recitavit, in qva Academiarum judicio se submisit, acriter obloqvente & disputante Cardinale, ita ut Luthero parum temporis ad replicandum concederetur; unde

surgens,

surgens, qui aderat, Staupitius, in scriptis eum audiri petiit, idque re- 1518.
perente Luthero impetratum fuit. Aderant ei etiam Legati Electoris Saxoniæ *Philippus Feilitschius*, Eqves Auratus, & *Joh. Rüel*, Juris-Consultus, autor relationis ad Electorem *fol. 194*. Tertio dein accessu d. 14. Octobris scriptum illud exhibuit, qvod in relatione continetur, *fol. 196*. Id contemsit Legatus, ad Urbem tamen missurum se esse dixit, & Lutherum abire jussit, nec redire, nisi revocaret. Egit tamen eodem die cum Staupitio, ut Lutherum ad revocandum persvaderet, qvod hic promisit; sed cum Cardinalis juberet, ut ex Scripturis Lutherum convinceret, respondit, *id supra vires suas, & imparem se Luthero esse, in sacris literis & ingenio*. Vide *Lib. I. ep. 64. & 76.* Cum igitur Staupitius & Linccius audita ex Cardinale Luthero exposuissent, non solum per eos aliosqve multa cum submissione Cardinalem placare conatus est, sed & d. 16. Octobr. (qvam *pridie Luca* nominat) literas ad eum scripsit: in his Staupitium, ut patrem, Linccium, ut *sodalem, qvorum uterqve se solidum in manu habeat*, deprædicat, *nec per alios fortius & dulcius moveri se posse* profitetur, Cardinalem dein mire laudat, & timore posito, amorem & veram filialemqve reverentiam erga eum testatur; deprecatur etiam qvod, (irritatus scilicet) irreverentior in Pontificem fuerit, & promulgaturum se id per omnia offert pulpita, aliumqve futurum & aliter locuturum pollicetur. Promtissimum se etiam dicit, de indulgentiis posthac non tractare, sed qviescere, modo illis qvoqve modus aut sermonis aut silentii imponeretur, qvi tragœdiam in se suscitaverint. Cæterum revocationem recusat, qvæ in dubiis & indeterminatis nihil ad rem faciat, & pro Thomæ autoritate (qvæ sibi satisfieri posse negat) Ecclesiæ, sponsæ Christi, vocem audire & seqvi vult, qvippe qvæ sponsum audiat. Nescio an non ad has preces & oblationes ab amicis, maxime a Staupitio, permotus fuerit. Nam hic qvidem consentiebat cum Luthero in doctrina, & judicio de abusibus. & confirmabat aliqvando illum, ut supra vidimus: unde qvæ Augustæ hoc ipso tempore dixerit, ex epistola ad illum Lutheri post triennium data qvæ *207.* est in *Lib. I.* adscribere lubet: Cum Augustæ essemus, inter cætera, qvæ de hac mea causa tractabamus, dicebas ad me: memor esto frater, te ista in nomine Domini nostri Jesu Christi incepisse. Qvod verbum non a te sed per te mihi dictum accepi, & memori valde mente repositum teneo. At humiliorem

L §. 37. §. 38.
1518. liorem justo optimum illum virum & timidiusculum fuisse constat; unde ut Lutherus de eo suspicatus est, imo ipsi objecit, *inter Christum & Papam medius hæsit. Lib. I. ep. 211.* Saxonia enim relicta (qvod hic mihi anticipare liceat omissum a Maimburgio & aliis) Salisburgum concessit, ubi jamdudum faventem habebat Archiepiscopum; ita ut Lutherus anno 1516. scribat, oblatum ei fuisse Episcopatum suffraganeum in Chiemsee, sed Abbatiam accepisse verius est: ut ex literis Lutheri ad Staupitium mense Junio 1521. scriptis apparet. Ibi post paucos annos decessit brevi functus potentatu, ut idem Lutherus ad Amsdorffium scribit mense Januario 1525.

§. XXXIIX.

Interim Lutherus eodem die 16. Octobris ab amicis instructus, *Appellationem a Pontifice male informato ad melius informandum* Notario exhibuerat. Cum igitur nihil responderet Cardinalis ad submississimas illas literas; die Lucæ, id est, 18. Octobris. alias ad Cardinalem composuit, qvæ leguntur *fol. 203.* in qvibus appellationem non tam sua qvam amicorum voluntate insuperabili factam excusat, sumtuum defectum allegat, & qvia præter id, qvod scripserit, præstare possit, reditu tamen ad Cardinalem prohibitus sit, abiturum se esse significat, *finita & completa*, ut ait, *obedientia*, simulqve petit, ut sanctissimo Domino benigne commendetur. Seqventi die 19. Octobris, erat fer. IV. sive dies Mercurii summo mane procurato a Staupitio equo usus, & Langenmantelio, Augustano Senatore, portulam aperire jubente, præpropere abiit, nec femoralibus, nec ocreis, neqve calcaribus aut gladio instructus. eoqve die octo milliarium iter confecit, adeo fatigatus, ut ab equo descendens stare non posset, sed in stramen illico procidens qviesceret. Narravit id ipse suis anno 1546. ut habetur *Tomo I. Altenb. Germ. fol. 150. a.* Ideoqve an vere metuerit, non erat, qvod Maimburgius dubitaret. Staupitius etiam se subduxerat, insalutato Cardinale, ut hic qvestus est, in literis ad Electorem, vel eodem, qvo Lutherus die, vel prius, si *Pallavicino* fides est. Abiit etiam ob eundem metum Linceius, & qvatriduo post Prior Carmelitarum, Johannes Frosch, Theol. Licent. Lutheri holpes, in Saxoniam eum secutus, qvem ob præstita sibi beneficia benigne in aula Saxonica tractari rogat, *Lib. I. ep. 68. & 70.* Reliqverat Lutherus Monachum, qvi appellationem suam Cardinali exhiberet, sed id non ausi sunt nec,

Mona-

Monachus nec Notarius; hic tamen hortatu Prioris, qvem dixi, Lutheri hospitis, in foro eam, affixit. Vide epistolas memoratas & *Tom. I. p. 207. sqq.* Appellatio illa primario adversus citationem ad instantiam Fiscalis Pontificii Martini de Perusio factam dirigitur, in qva hæc fere gravamina Lutherus exponit (1.) qvod tantum de indulgentiis, qvæ nec præceptæ, nec consuletæ, nec meritoriæ sint, non vero de fide, non de moribus, non de præcepto Dei aut Ecclesiæ disputaverit. (2.) qvod judicio Ecclesiæ & Pontificis, ut ex epistola resolutionibus præmissa constare dicit, omnia submiserit. (3.) qvod judices sibi suspecti sint, Sylvester nempe, ob editos jam contra se dialogos, & qvod in scripturis non exercitatus, Scholasticæ solum Theologiæ, sive Thomisticæ addictus sit; Auditor vero Cameræ, Genutius, civilium licet causarum gnarus, in Theologicis tamen Sylvestri sententiam seqvi debeat. (4.) de loco intuto qveritur, sæviri enim Romæ in multos, etiam habentes salvum conductum, & Pontificem ipsum, ac Cardinales sæpius in periculo mortis fuisse, applicatqve urbi dictum *Justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ.* (5.) Imbecillitatem corpusculi, (6.) metum insidiarum ab inimicis per Magnates certo denunciatarum, (7.) defectum viatici adducit, qvia sit de ordine mendicantium, & sub obedientia aliena positus. Modeste qveritur de commissione Cardinali Cajetano data, cum ipse non eam, sed aliam ad viros doctos, probos & honestos in partibus id est in Germania, per Fridericum Electorem petiisset. Et licet Cardinalem, qvia de partibus adversariorum, nempe Dominicanorum, erat, & aliis verisimilibus causis suspectum merito habere potuisset, comparuisse tamen, & ab illo, ut viro omnibus modis doctissimo & humanissimo, primum paterne & clementer exceptum, at postea solummodo jussum fuisse, ut revocaret, rejecta honestissima protestatione & submissione, (de qva supra) additaqve comminatione excommunicationis, nisi revocaret, aut Romæ se sisteret. Ex his læsus, gravatus & oppressus, cum omnia qvæ disputasset, Pontificis pedibus etiam nunc subjiciat (iisdem scilicet verbis, qvibus in epistola ad Leonem in festo Trinitatis scripta, & supra relata usus est) a Papa non bene informato ad melius informandum provocat. 1518.

§. XXXIX.

Hujus appellationis, ne insinuatam sibi agnosceret, nullam mentionem facit Cardinalis, in literis septiduo post abitum Lutheri ad Fri-

I. §. 39. ad Electorem. respondetur Maimburgii & Pallavicini censuris; ut Lutherus

1518. dericum Electorem datis *Tom. I. f. 206.* In his autem Electori objicit, procuratum ejus favore Luthero salvum conductum Cæsareum, deinvehementer de ejusdem Lutheri audacia, fraudulento ingenio & heterodoxia querens, petit, ut Elector Lutherum ad urbem mittat, aut e terris suis ejiciat. Subscripserat quædam manu propria, & in his ista, *ne ponat maculam in gloriam majorum suorum & suam, propter unum fraterculum.* Lutherus acceptis in reditu, ut diximus, Norimbergæ literis, & cum iis exemplo Brevis Pontificii d. 23. Augusti sæpe jam memorati ad Cardinalem, quod huc usque nondum viderat, ita exasperatus est, ut *diabolicum* id diploma, *nec a Pontifice, sed a nebulone quodam scriptum* diceret: ita enim scribit ad Spalatinum eodem die, quo Wittebergam rediit, id est, d. 31. Octobris sive vigilia omnium Sanctorum. Maimburgii censuræ hic respondendum est, qui Luthero imputat, quod contraria de Cardinale scripserit. Et de epistola quidem ejus ad Pontificem d. 3. Martii sequentis anni data, quam hic anticipat Maimburgius, in loco agetur. De cætero verum est, non omnia omnibus, nec eodem tempore scripsisse Lutherum, neque ad id obligatus erat. Interim nihil falsi scripsit, laudavit quæ laudanda erant, non saltem reverentiæ causa, cum ipsi Cardinali scriberet, sed & in literis ad familiares. Questus vero est non immerito de duritie ejus, revocationem simplicem urgentis. Neque vitio ei verti potest, quod in epistolis ad amicos ex sua nempe intentione non vulgandis defectus quosdam notaverit v. g. theologiæ imperitiam, & clamores atque rixas. Pallavicinus acerbior censor est, qui *Lib. I. c. X. 6.* ex humanitate & submissione Lutheri, qua erga Cardinalem & Pontificem usus est, reperisse se putat, ex quo illi, gentium, ut loquitur, apostolatum abjudicet; scilicet quod postea fassus sit, se tunc, cum se Pontifici subjiceret, nondum ad plenam lucem pervenisse; dein ut sacrilegam urbanitatem & hypocrisin exprobret, quod Pontificis judicium secuturum se diceret, circa quæstionem, in qua ob Scripturæ autoritatem mutare sententiam ipse nunquam vellet. Sed aerem verberat utrumque hoc telum. Jam enim supra notatum fuit, Lutherum non per enthusiasmum, sed profectu sapuisse: neque enim Apostolatum, eo quo adversarii cavillantur modo, sibi unquam arrogavit; (quanquam nec Apostoli uno momento omnia intellexerunt:) multo minus dissimulavit, quod eo tempore ab obedientia erga Pontificem liberare conscientiam suam non-

verte hoc foliū ubi contrariū extat.

hoc ipse Lutherus negat, licet, ut in omnibus, vestrum nus.

I. §. 39. §. 1.

nondum potuerit. Urbanitas autem (utcunqve illius plane expers fuisse videatur adversariis) omnino erat, aut debita potius modestia, & optima fiducia, qvod Pontificis decisionem exoptaret, licet sententiam suam Scripturæ congruentem existimaret; & in Admonitione Augustanis Actis, hoc anno a se editis, annexa, negaret se eam mutaturum esse, neqve tamen id aliter intellexit, qvam præsupponendo, nihil sibi ex sacra Scriptura opponi posse, qvo ad mutationem urgeretur, ut ex aliis ejus scriptis, & ex oblatione sua publice in comitiis Wormatiensibus postea facta, apparet. Sperabat nempe, Pontificem veritati cessurum esse: unde in dicta Admonitione scribit: *Veritas divina est etiam Domina Papa; non enim judicium hominis expecto, ubi divinum judicium cognovi. Sed oportuit reverentiam servare ei, qvi vice summi Pontificis fungebatur, tum qvod etiam verissime dicta oporteat cum humilitate & timore asserere & tueri.* Idem hoc ipso anno *Lib. I. ep. 77.* svadet Joh. Sylvio, Zviccavienſi Pastori: *Placet, qvod omnia sub judicium Ecclesiæ, inprimis ordinarii tui submittis; Nam vera etiam loqui cum timore oportet in Ecclesia Dei.* 1518. Add.

§. t.

Scio qvosdam Legatum culpasse, qvod doctoris hujus ingenio uti, & mollius tractando reducere eum nesciverit; sive, qvod ordinis sui Monachis Dominicanis nimium faverit, qvi tamen indulgentias eo modo, qvi spiritui Ecclesiæ non satis conformis erat, prædicaverant, qvo ipso turbarum occasio data fuit. Neqve ignarus sum, esse, qvi eum excusent, & secundum mandata, qvæ habebat, egisse dicunt, urgendi scilicet Lutherum ad revocationem, vel eum apprehendendi, qvod absqve dubio feciſſet, nisi Monachus iste satis astutus, literas commeatus ab Imperatore impetrasset, antequam coram Legato compareret. Ego qvi jus

Paul. Svavis. Flor. de Ram. Pallav. Lib. 1. c. 20. & 13. Cardinal. Sadolet. l. 11. ep. 1.

I. §. 1. § 40. 1518. *nullum habeo de hac differentia nondum satis decisa, pronuntiandi, hoc tantum dicam, negotium istud videri ad finem perduci potuisse, si cum Luthero secundum scriptum suum actum fuisset, in quo forensi ordine protestatus fuerat, quod submissurus se esset Ecclesiæ Romanæ judicio. Debuisset igitur Pontifici mitti, quæ pro defensione thesium suarum consignaverat, & interim silentium, ut ipse petebat, utriqve parti injungi, usqve dum Papa sententiam pronuntiasset. Nam Dux Saxoniæ, Universitas VVittembergensis, & tota Germania Pontificiam autoritatem adhuc recognoscebant, cumqve Lutherus idem solenniter profiteretur, debuisset is omnino sententiæ Pontificis parere, nisi ab omnibus ut mendax & impostor deseri voluisset. At cum alia via procederetur, spatium ei datum fuit, ut erroribus primis novas hæreses adderet, quas ille nova lumina in dies ex studio sacrarum literarum acqvisita vocabat; ita factum, ut remedium istud cum aliis omnibus frustra fuerit.*

§. XL.

Liceat etiam mihi, qvod licuisse sibi existimavit Maimburgius, ut rem factam pro infecta habeam, & qvid Cajetano tunc faciendum fuisset, considerem. Et Cajetani qvidem sive affectus sive defectus cæteros qvos a Maimburgio, & ante eum a Pallavicino notatos videmus, in medio relinqvimus, imo recte hactenus & ordine fecisse eum putamus, qvod nec dolo malo nec vi grassatus est, sed expeditis, qvæ mandata habebat, causam ad Pontificem retulerit. Peccasse autem viderur Maimburgio, qvod ad petita Lutheri silentium utriqve parti non injunxerit. Ac nescio, qvomodo salva Pontificis autoritate, Cajetanus

jetanus silentio supprimere potuisset Tezelii & aliorum sententiam, 1518.
qvæ Luthero opposita, & Pontificis utilitati accommodata erat. Præcipitata enim jam tum erat res per Breve Pontificium d. 23. August. ad Cardinalem datum, in qvo diserte dicitur *Lutherum declaratum jam esse hæreticum*; & licet venia revocaturo offerebatur, eo ipso tamen sententia ejus damnata & hæretica manssisset. Imo eo ipso tempore alia & pejori festinatione, novum *pro indulgentiis decretum* (de qvo postea dicendum erit) Romæ cudebatur, paulo post, nempe qvinto Idus Novembris publicatum. Cum igitur inter abitum Lutheri & diem hujus decreti sive bullæ, non plures qvam viginti dies intercedant, eorumqve dimidia fere pars perferendis Romam Cardinalis relationibus deberetur; nihil certius esse videtur, qvam Romæ determinatissimum & immutabile fuisse, indulgentiarum institutum adversus Lutherum, & pronam ad seqvendum eum Germaniam, omnibus modis tueri. Svadet itaqve hic Maimburgius Cajetano, qvæ in ejus potestate minime erant, & qvibus si locum dedisset, summam Romæ offensam non potuisset evitare. Sed si id vult Maimburgius, ut prævia cognitione, majori specie juris pronuntiari in causa potuerit, nihilo meliora sentit, nec veritati sed prætextui & scenæ servit. Gallica etiam principia intempestive Romanæ Curiæ obtrudit, qvæ ex plenitudine potestatis per os magistrale Sylvestri jam satis prædicata, definierat & pronuntiaverat. Misso igitur inani vaframento, uno dicam verbo, qvid non tam Cajetano, qvam Pontifici seqvendum fuisset: nempe *veritas*. At qvoniam præhabitus huic est, clarissime licet effulgenti, turpis qvæstus, spretusqve per fastum Lutherus, & contemti qvi jam ad puriorem ejus doctrinam oculos aperiebant Germanorum non pauci: agnoscere nos & celebrare grata mente oportet divinam providentiam, qvæ ex illa obstinatione & præcipitatis callidissimorum alias hominum consiliis id produxit commodi, ut non intra unum alterumve articulum staret emendatio, sed confirmato ac edocto magis magisqve in pluribus Luthero, tantos progressus fecerit, qvi in tot regnis aliisqve provinciis intra breve tempus cum summa admiratione orbis secuti sunt: majores futuri, nisi justo Dei judicio, in veterno errorum torpere, sive, qvod Cardinalis ad Electorem scribens unice optat, *secure dormire*, suisqve frui opibus & honoribus, plurimi maluissent.

l. §. u. 1518.

§. u.

Sane aucta ejus post hoc colloqvium, cujus acta in suum favorem per Germaniam vulgabat, existimatione, ad nova dogmata procudenda audacior & magis temerarius factus est, maxime ut Pontificis autoritatem minueret, neqve judicem eum vellet agnoscere, dicens: nullum esse judicem nisi verbum Dei, & hoc per se ipsum satis explicari posse, nec necesse esse, ut ad verum ejus sensum percipiendum ad Pontifices eatur, hos enim primos ajebat fuisse, qvi id corruperint, ut falsum sensum suum stabilirent, per qvem injustum & tyrannicum dominatum in Ecclesiam erigerent. Neqve tamen ab initio statim eo usqve progressus est, sed intra terminos qvosdam se continere, satis putavit, donec de protectione Friderici Saxoniæ Ducis, plane securus fieret. Habebat in aula ejus duos magni valoris Patronos, Staupitium nempe Vicarium Generalem, & Georgium Spalatinum, Secretarium, qvi ei efficaciter in hac occasione adsistebant. Hi duo valde industrii animum Principis ita tractabant, ut qvi jam epistola eloqventissima Lutheri, Augusta post colloqvium ad se data, moveri cœpisset, nunc

Epist. Frider. Sax. ad Card Cajet. ibid.

Legato, qvi petebat, ut Lutherum manifeste hæreticum deserere vellet, satis duriter responderet, putasse se, cum Luthero, post eaqvam Augustam, ut Dux permiserat, missus fuerit, non sola autoritate & præcepto

cepto agi debuisse, ut retractaret theses, qvarum falsitas non fuisset validis argumentis demonstrata: esse enim excellentes plurium universitatum Doctores, qvi dogmata Lutheri valde probarent, licet proficua non essent iis, qvi eum persequerentur. Se vero Academiam suam privaturum non esse viro tam docto, & qvi ejus maximum esset ornamentum. 1518.

§. XLI.

Distinctius & plenius narrari debuissent, qvæ post reditum Lutheri a colloqvio acciderunt. Primo enim Lutherus in magnas redactus est angustias, cum accepto, ut dixi, in itinere Brevi Pontificio jam damnatum se esse Romæ cerneret, nec de publicanda contra se censura dubitare posset, qvo facto nec Wittenbergæ in monasterio subsistendi, nec Professoris munus continuandi facultatem sibi, immo nullibi locum fore prævidebat, ubi tutus viveret. De Friderici Electoris protectione bene sperabat, securus tamen non erat. Licet enim Staupitii (qvi tamen pars aulæ aut assiduus in ea non erat, hoc vero tempore plane ex Saxonia abierat) & Spalatini commendatione jam aliqvot annis faventem Principem haberet, is tamen, non ita capere poterat sententiæ Lutheranæ veritatem, ut ob eum tuendum res suas in manifestum discrimen missurus esse videretur. Scripserat jam ante iter Lutheri V. Id. August. ad Raphaelem Cardinalem S. Georgii, *se nunqvam hactenus sibi sumsisse autoritatem, vel scripta vel conciones Lutheri tuendi Tom. I. f. 189.* Qvod ita non sine causa intellexit Sleidanus *Lib. I.* ac si ne legisset aut audiisset qvidem. Ex Lutheri etiam ad Staupitium & Spalatinum literis post reditum datis apparet, ægre permisisse Principem, ut Acta Augustæ cum Cajetano ederentur, imo bis prohibuisse. Vide *Lib. I. ep. 69. 79.* Sollicitum qvidem de Luthero fuisse, sed maluisse, ut aliorsum discederet, eaqve de re per Spalatinum Lichtenbergæ, prope Wittembergam, agi cum illo feciisse, divasisse tamen iter in Galliam. Eo enim se recipere cogitabat Lutherus, multum nempe tribuens Parisiensi Academiæ, cum qva de Potestate Pontificis, ex Basileensis concilii placitis sentiebat. Sed & Orator Gallicus, *Add.*

1518. cus, qvi ex comitiis Augustanis paulo ante adventum Lutheri abierat, insigne judicium de eo reliqvisse ferebatur, ut in epistola die 9. Octobris Augusta ad Spalatinum scripta, narratur. *Lib. 1. epist. 62.* Certus erat, ut scribit, non manere, si censuræ venirent. Idqve expresse Lichtenbergæ dixerat *epist. 69.* sed satis apparet lubentius cum Wittembergæ mansisse. Unde est, qvod die 9. Novembris Spalatino proponit, *epist. 71. annon consultum sit, ut Princeps ad summum Pontificem scribat, pro commissione causæ ad partes*, id est, in Germaniam: addens (digna sane virtute & pietate sua obtestatione) *Non qvod ego multum curem pro me, cum doleam miserum me non esse dignum aliqvod insigne malum pro veritate pati, cum tamen hac profectione* (Augustana) *prope usqve ad tentationem Dei pericula & mala qvæsierim, sed qvod universitas nostra mihi cura est, & optimorum adolescentulorum in sacras literas mire ardentium studia nollem in ipso jam lacte immolari.* Sed Fridericus acceptis Cardinalis literis ante „ omnia cum Cæsare agendum sibi esse ratus est. Extat ejus mandatum ad Degenhardum Pfeffingerum, qvi Augustæ erat, d. 19. Novembris: In hoc narrat, qvæ Cardinalis præter spem suam, ut scribit, fecerat & scripserat, & qvæ Pfeffingerus apud Cæsarem & ministros ejus „ jam sæpius in hoc negotio, se mandante, proposuisset; dein jubet, ut „ Cæsarem admoneret, urgeretqve, ut Romam scriberet, & autoritatem suam interponeret, qvo causa amice componeretur, aut a non suspectis viris in Germania cognosceretur: paratum fore Lutherum solidam informationem, ut virum bonum & Christianum decet, obsequenter admittere, absqve illa ad revocationem adigi non posse, idqve cuilibet, qvi extra partes sit, satis patere. Eodem tempore literas ad „ Electorem Lutherus componebat, qvibus ad Cardinalis epistolam, ut „ jussus erat, respondebat. Has censendas Spalatino misit d. 25. Novembris *epist. 72.* Expecto, scribens, censuras tuas super responsione „ mea, qvam in epistolam Legati edidi, nisi forte in spongiam cadere „ debeat. Cæterum expecto maledictiones ex urbe Roma qvotidie: „ ideo omnia dispono & ordino, ut cum venerint, paratus & succinctus „ eam cum Abraham, nesciens qvo, immo certissimus, qvo: qvia Deus „ ubiqve, sed relinqvam tamen epistolam valedictionis. Tu vide, ut „ audeas legere epistolam maledicti & excommunicati. Ad eundem „ vero d. 2. Decembr. scripsit *epist. 73.* Nisi venissent heri literæ tuæ, jam para-

 L. §. 41. §. 42. 1518.

parabam recessum: sed & adhuc sum in utramvis partem paratus. Mira est hominum nostrorum de me sollicitudo, & major, qvam ipse ferre possim: Institerunt nonnulli magno hortatu, ut Principi nostro me in captivitatem darem, & ipse acceptum alicubi servaret, scriberetqve Legato, me captum & sistendum in loco tuto ad respondendum. Qvale sit illud consilium, tuæ committo prudentiæ, ego in manibus Dei & amicorum sum. Non possum, qvin & seqventia ex eadem epistola adscribam. Certum est credi, Principem mihi adhærere una cum Universitate, de qvo nuper ab uno, qvem scio mentiri neqvaqvam mihi, in curia Episcopi Brandenburgensis de me tractatum est; qvanam fiducia & cujus adhæsione ego niterer? hic unus, Erasmus (inqvit) Fabritius, & alii doctissimi viri, fiducia ejus sunt. Non, inqvit Episcopus: hi nihil essent ad Papam: Universitas Wittembergensis & Dux Saxoniæ prævalent. Ita intelligo, manifestissime Principem mecum esse credi, qvod sane displicet. Et sane universitatem ipsam vellem, ut qvam maxime timerent. Verum ista suspicio Principis coget me recedere, si recedendum est: qvanqvam Princeps potest obtendere in scriptis suis, sese Laicum non posse de tantis rebus judicare: Jam multo minus, postqvam videt approbatam ab Ecclesia universitatem non contra me stare. Sed hæc sunt parerga. Ego si hic mansero, multa dicendi scribendiqve libertate carebo; si iero, totum effundam, & vitam offeram Christo. Obiter noto, Fabritium, qvo niti videbatur Lutherus, fuisse Wolffgangum illum, cognomento Capitonem, Hagenoæ natum, qvi Medicinæ Doctor anno 1498. & Theologiæ anno 1504. Friburgi creatus, Canonici Doctoratus titulum Moguntiæ etiam assumserat, ut & a consiliis & concionibus Archiepiscopo Alberto esse posset. Dein Argentorati & Hagenoæ Evangelium docuit, & anno 1541. decessit. *Melch. Adam. vit. Theol p. 89.*

§. XLII.

Jam de epistola Lutheri ad Electorem sæpe memorata qvædam adhuc dicenda veniunt. Dies illi adscriptus est, licet, ut innui, prius composita, 29. Novembris. *Eloqventissimam* vocat Maimburgius, & Pallavicinus *cunctis artibus scriptam esse* censet, *qvas docet homines verus rhetorica*, id est, *ingenitæ*, illius enim, qvæ arte comparatur, expertem fuisse tradit Lutherum, nullo qvidem fundamento; contrarium enim notorium est, & vel ex epistola paulo post ad Spalatinum data

1518. *epist. 100.* intelligi potest, ubi de Rhetoricis Aristotelis scribit: *Calleo librum intus & foris, ut qvi selectis glossis jam bis fratribus meis privatim cum dederim expositum.* Verum autem est, stylo Latino non uniformiter usum esse Lutherum, sed pro materia, qvam tractabat, aut hominibus, ad qvos scribebat. Certe in his literis non multum dedit operæ, ut eleganter scriberet, neqve artificiis dispositionis opus habebat, cum seqveretur literas Cardinalis secum communicatas. Veniam „ etiam petit a Principe, sibiqve permitti vult, ut theologica coram eo „ ut Laico tractet, id est, crasse & aperte: Volo interim, addit, obliviſci „ acerrimum illud, & omnibus doctissimis qvoqve formidabile judicium, qvo Deus insignivit præ omnibus, qvos nostra vidit ætas, ingenium Principis Friderici. Has laudes, ut mirificas, taxat Pallavicinus, *Add.* „ & technis usum esse censet Lutherum *lib. I. cap. XI. p. 3.* eadem, cum Maimburgio, ut puto, fini, ut Fridericum adulationibus Lutheri & amicorum ejus Staupitii & Spalatini inductum ad protegendum eum fuisse indicent; obliti qvod hunc ipsum Lutherum, ut blanditiarum & elegantiæ rudem, & omnino inurbanum depinxerint, atqve hoc modo aut Principi, communi istius ætatis hominum testimonio sapientissimo, judicii acerrimi, nec persvasionibus expositi, gloriam maligne minuant, aut Lutheri augeant, qvi superare eum noverit. Ex contentis literarum jam supra qvædam allegavimus, sed seqventia non libuit omittere. Liberat Electorem a diffidentiæ culpa, qvam Cardinalis ei imputabat, & profitetur, se nec suo, nec Electoris, sed amicorum Consilio salvum-conductum expetiisse. Dein, ubi refert, qvæ primo die de constitutione Clementis disputata fuerunt, vocem suam, qvam *indignam relatu* scripserat Cardinalis, eam fuisse fatetur, qvod dixerat, *Pontificem in illa Constitutione torsisse in alienum sensum Scripturas, & iis abusum esse.* Hoc verbum, scribit, torqvere & abuti mire torqvebat hominem. Subdit tamen: non esse rarum nec novum, „ ut Pontifices & Doctores torqveant, & in alienum sensum ducant „ Scripturas, & exemplum ex dicto Hebr. VII. 12. adducit, ubi de translato „ ad Christum Sacerdotio & finita lege manifeste loqvitur Apostolus; „ at in Decretali qvadam impie, nisi multo sudore temperetur, de translato a Christo in Petrum sacerdotio intelligi. Talia sunt, addit, in „ Jure Canonico multa, qvibus (ut cum fiducia loqvar) si non corrupta, „ certe obscurata est Scriptura. Decretalis, de qva loqvitur est *Cap. II.*

extr.

extr. de constitutionibus, ubi ad allatum ex Augustino locum, glossa trahit vulgatum illud: *pasce oves meas*. Qvod vero Cardinalis ad Electorem scribens de insolentiori qvodam dicto Lutheri, altero Colloqvii die retulerat, id narrante etiam audiamus Lutherum, qvoniam Pallavicinus tantum Cajetani verba memoravit *Lib. I. cap. XI. n. 12.* Cum ego non verbis sed scriptis respondere promitterem & peterem; » satis fuisse (dicens) mecum anteriori die digladiatum: hoc verbum, » *digladiatum*, mordicus apprehendit, & ridens, fili mi, inqvit, non sum » tecum digladiatus, nec volo tecum digladiari, sed monere, & intuitu » illustrissimi Principis Friderici paterne ac benigne audire. Hoc » est, (ut ego cogebar intelligere) ad nihil aliud qvam ad Revocatio- » nem urgere. Displicuit enim merito stultitia mea, qvod pro di- » sputare vel contendere, (qvod anteriori die egimus reipsa, si non o- » portet negare) digladiari dixeram, elegantius, qvam tunc res ipsa po- » stulabat. *Tom. I. fol. 211.* Patet hinc, qvod supra tetigi, disputatoris personam incaute Cardinalem sumsisse. Neqve tamen id in tertio congressu vitavit, pejori etiam cum successu; scribit enim *ibid.* Lutherus: Tertio reversus, obtuli Responsiones ad objecta duo in scri- » ptis: qvas primo multa & inania verba esse dixit (sicut & nunc scri- » bit,) me admodum fatue respondisse, & replesse papyrum locis scri- » pturæ impertinentibus, sesqve veram eorum intelligentiam dedisse. » Verum cum dixissem tandem, pro me stare, qvod *Extravagans* dicit, » Christum suis passionibus acqvisivisse thesaurum Ecclesiæ suæ: statim » arripuit codicem, legit, & in verbum, *acqvisivit*, impegit, sedulo ta- » men dissimulans sese impegisse. Surgens tandem dixit: vade, inqvit, » aut revoces, aut in conspectum meum non revertaris. Clarius & fe- » stive hæc narrat in epistola ad Spalatinum, eodem, qvo gesta illa fue- » runt, die, Augusta scripta *Lib. I. ep. 64.* Postqvam nempe retulisset, » qvo modo (uti permissum fuerat) scriptum suum obtulisset, addit, » Tandem rejectis schedulis atqve contemtis, revocationem denuo cla- » mabat: & multo longoqve sermone ex S. Thomæ fabulis tracto, me vi- » cisse & compescuisse visus est: decies fere cœpi, ut loqverer, toties rur- » sus tonabat, & solus regnabat: Tandem & ego clamare cœpi, dicens: » si potest ostendi, qvod *Extravagans* illa dictet, merita Christi thesau- » rum esse indulgentiarum, revocabo, ut voles. Hic, o Deus, qvantus » gestus & cachinnus: repente librum arripuit, legit fervens & anhe- » lans,

I. §. 42. exceptio Lutheri non inepta;

158. lans, donec pervenit eo, ubi scribitur, qvod Christus sua passione acqvisivit thesaurum. Hic ego, heus Pater Reverendissime, hoc verbum, *acqvisivit*, perpende. Si Christus per sua merita acqvisivit thesaurum: ergo merita non sunt thesaurus, sed id, qvod merita meruerunt, id est, claves Ecclesiæ. Ergo conclusio vera. Hic repente confusus, cum nollet videri confusus, transiliit fortiter ad alia, & volebat hæc obliviſci prudens: verum ego (certe satis irreverenter) fervens erupi: non etiam Grammaticam nobis deesse credat R. P. Tua, Germanis: aliud est esse thesaurum, aliud acqvirere thesaurum. Et sic fracta fiducia ejus. Cum adhuc clamaret Revocationem, abii, dicente ipso, vade & ne revertaris ad me amplius, nisi revocare velis. Pallavicinus *Lib. I. cap. XI. num. 4. & sqq.* multus est in exagitando Luthero, qvod causam viciſſe apud Cardinalem sese putet, qvia Lutheri dogmata, ad Electorem scribens, fassus esset, disputative posita esse in thesibus, at affirmative in sermonibus. Sic *enim totum negotium* cadere, *qvia super disputationibus & non super sermonibus fuerit citatus.* Sed & acuta est Lutheri exceptio, & e re Cardinalis & Pontificis fuisset, etiam pro sufficienti acceptari, & informationem, qvam tam enixe rogabat, non denegare. Nam etsi in judiciis secularibus opus non est, ut reus, si delicti alias convictus sit, ad confessionem publicam adigatur; debuisset tamen Pallavicinus, hac objectione utens *d. l. num. §.* officium pii pastoris, qvod non ad destruendum, sed ad ædificandum datum est, a rigore judicis criminalis distingvere. Pergit Lutherus: „Crassas & pueris decantatas Italitates & Romanitates vocans, qvod „Cardinalis ex sola assertione sua hæreticum Lutherum credi velit ab E„lectore, & ex prudentissimo & acerrimi judicii Principe Pilatum face„re, qvi inauditum condemnet. Neqve enim sufficere, ut solum di„cant, Errasti, male dixisti; sed in scriptis signare debere errorem, & „male dictum probare, aut Electori saltem scribere vel Imperatori vel „Archiepiscopo alicui in Germania, si se fraterculum & mendicum con„temnant, in qvibus erraverit, & qvibus rationibus erroris convinci „possit. Provocat ad disputationem publicam in ditione vel sub sal„vo conductu Electoris. Dolere se tamen, scribit, qvod Legatus obli„qve mordeat Electorem, qvasi ejus fiducia moliatur ista omnia: Syco„phantas enim qvosdam jactasse, se ejus hortatu & consilio disputasse, „cum tamen hujus disputationis nullus etiam intimorum amicorum

fuerit

fuerit conscius, nisi Archiepiscopus Magdeburgensis & Episcopus 1518.
Brandenburgensis; hos enim privatis literis, anteqvam disputationem
ederet, monuisse, bene scientem non ad Principes Laicos, sed ad Epi-
scopos illa referenda esse. Ad minas deinde Cardinalis epistolæ
inſertas ita scribit: *fol. 213.* Ne Illustrissimæ Dominationi Tuæ
qvidqvam meo nomine mali accidat, ecce regiones tuas relin-
qvo, iturus qvo misericors DEUS voluerit, ejus divinæ volun-
tati me in omnem permissurus eventum. Nihil enim minus fe-
qvor, qvam ut qvisqvam mortalium mea causa (nedum Illu-
strissima Dominatio Tua) vel in invidiam, vel in periculum ali-
qvod adducatur. Qvamobrem, Illustrissime Princeps, Illustrissimam
Dominationem Tuam reverenter saluto; eiqve simpliciter valedico,
gratias immortales pro omnibus suis beneficiis erga me agens. Ego
enim ubicunqve ero gentium, Illustrissimæ Dominationis Tuæ nun-
qvam non ero memor, futurus semper sincerus & gratus pro Tua &
Tuorum felicitate precator. Ultimo ad qverelam Cardinalis, qvod
Staupitius Vicarius, eo inscio abierit, ita respondet: Qvid hoc
ad Illustrissimam Dominationem Tuam? Vicarius non erat vocatus,
nihil ad eum ista causa pertinebat: poterat ire, redire, abire, veni-
re, omni hora ut voluit. An etiam portas Augustæ ingredientibus
& egredientibus propter me claudi oportebat? Sed timeo, qvod
undiqve corradatur & qværatur causa contra me. Ego adhuc gratia
Deigaudeo & gratias ago, qvod Christus DEI filius in tam sancta cau-
sa me pati dignum judicaverit. Desiderium abeundi, qvod Lutherus
significat, pro artificio, suo more & ingenio, habet Pallavicinus *d. loc.*
§. 7. Idem *subacerbam* vocat Electoris ad Cardinalem Epistolam,
qvæ data est Altenburgi d. 8. Decembr. *Tom. I. fol. 207.* & ut *satis durum*
taxat Maimburgius; qvi tamen contenta ejus non male exposuit, ut
opus non sit eam huc transcribere, multo minus defendere. Com-
motum fuisse Electorem, acceptis Cardinalis literis, ob minas iis ad-
jectas, observari potest ex epistola Lutheri ad Spalatinum *Lib. I. ep. 81.*
in qva bilem Principis non improbat, ita scribens: Optime actum est,
ut is, (Cajetanus) qvi paulo ante mei similis, mendicus monachus,
(erat enim Dominicanus) nunc etiam Principes potentissimos non
vereretur sine ulla honoris ratione adire, alloqvi, minari, mandare, &
pro libitu superbissime tractare: Discat vel sero, etiam seculi potesta-

I. §. 42. & Witteberg enſes ad Electorem. Lutherus manendi animum Sumit: qvomodo ad

1518. tem a Deo eſſe, & ſuos non licere honores conculcare, præſertim ab eo, qvi ab homine (id eſt, Pontifice) tantummodo poteſtatem accepit. Prudentiæ fuit, qvod Elector, qvæ ipſe Cardinali opponere potuiſſet, ex Lutheri potius ad ſe epiſtola, qvam ſuæ incluſerat, cognoſcenda præberet; maſculum vero, qvod ante cognitam cauſam pro hæretico habere aut tractare Lutherum nollet. *Vulgatam eam epiſtolam Latine & Germanice, ſumma cum laude & admiratione Principis apud multos legi, omnesqve mire efferre ejus ingenium & artem elegantiſſimam*, Lutherus poſtea ſub initium anni ſeqventis ad Spalatinum ſcripſit *epiſtola 55.* nec negari poteſt animum ei reſtitutum auctumqve eſſe, ut faceret ſcriberetqve, de qvibus paulo poſt agemus. Scripſerat etiam pro eo ad Electorem Academia Wittembergenſis *Tom. I. fol. 214.* in qva epiſtola (qvam referre omiſit Maimburgius) neſcio qvem *commendationis teperem* deprehendiſſe ſibi viſus eſt Pallavicinus *cap. XI. n. 8.* Laudant qvidem Academici, qvod Elector honorem deferat Eccleſiæ & ſummo Pontifici, neqve ſe qvidqvam judicio ſanctæ Rom. Eccleſiæ antiqvius ducere, & primos futuros, qvi alienum Lutherum, ſi male ſenſerit, habituri ſint, obteſtantur; petitionem tamen ejus juſtiſſimam, ipſumqve nobile & celeberrimum Academiæ ſuæ membrum agnoſcunt & commendant, nempe, ne cogeretur revocare ſententias, antequam cognoſceret eſſe damnandas. Sic enim antiqvam eſſe Eccleſiæ conſvetudinem, & Patrum exempla docere, ut datis rationibus & autoritatibus ad emendationem urgerent errantes, non nuda ſua aſſertione & poteſtate ullius dicta damnarent. Alio & Romanæ curiæ accommodato ingenio Pallavicinum eſſe apparet, & Maimburgii doctorem, cum optimum fuiſſe putat, ſi Pontifex hoc ſtatim tempore, ut poſtea fecit, ex tot Theologorum ſuorumqve ſenatorum ſuffragio, non auditum licet Lutherum, multo minus convictum, ſolenni anathemate feriiſſet. Electorem enim nondum tam vehementer cauſæ affectum, deſerturum eum fuiſſe. Sic animato Electore, Lutherus, ut dixi, timorem minuere viſus eſt, editis invita licet aula Electorali. *Actis Auguſtanis*, cum additamento admodum libero. Agnoſcit id ipſe, *Lib. I. ep. 74.* literis ad Spalatinum d. 9. Decembr. datis. Jam actum erat, ſcribens, qvod literis tuis mihi inhibes. Edita ſunt acta mea, ſed multa veritatis libertate, nondum tota tamen: mihi in his & omnibus feſtinandum video. Subjungit enim ſe comperiſſe

adven-

adventare missum a Pontifice Miltitium, aliaqve, sive vera, sive ad se terrendum, spargi. Sed qvo illi magis furunt, ait, eo minus ego terreor; ero adhuc liberior aliqvando in Romanas illas lernas. Negat etiam se, ut in aula rumor fuerat, valedixisse populo Wittembergensi, sed solummodo pro concione dixisse; se incertum & instabilem esse concionatorem, & sæpius insalutatis auditoribus recessisse; qvod si igitur aliqvando idem fieret, valedixisse velle, si non fuerit reversus; monuit etiam, si censuris papalibus in se sæviretur, ne ob eas Pontifici aut ulli mortalium male vellent, sed Deo rem committerent. Obiter hic notandum: concionandi in templo oppidano munus Luthero jam ab aliqvo tempore a Pastore urbis ordinario, qvem morbus diuturnus impediebat, delegatum fuisse. Erat is *Simon Heinzius*, alias *Pontanus*, ab oppidulo patrio vulgo Brück dictus, frater *Gregorii*, ejusdem cognominis, qvi Cancellarius postea Electoralis fuit. Vitam Simonis ab eruditione & pietate laudati, qvi anno 1522. decessit, & Johannem Bugenhagium, Pomeranum, successorem habuit, inter Theologorum aliorum editas a se retulit *Melchior Adamus*. Sed redeo unde digressus sum. Ad Linckium Norimbergensem eodem Decembri mense scripsit Lutherus *Lib. I. ep. 80.* fassusqve est, se Acta acutius edidisse, qvam Legatus speret; sed longe, ait, majora parturit mihi jam calamus: nescio, unde veniant istæ meditationes; res ista nec dum habet initium suum, meo judicio tantum abest, ut finem sperare possint Romani proceres. Expecto homicidas meos ex Urbe, vel undecunqve: censuras miror differri. Addit: Princeps primo fuisset contentus me non esse in loco; præterea (id est, postea) voluit omnino, ut manerem. Ex epilogo vero, qvem Actis addidit, hæc potissimum notanda sunt: qvod vim fieri Scripturæ in decretalibus Pontificiis iisdem pene verbis & argumentis indicet, qvibus in literis ad Electorem usus est, & primatum atqve universalitatem ex dicto Matth. XVI. *Tu es Petrus*, probari posse dubitet, etsi dudum ita visum fuerit Pelagio Pontifici. Inde vero & ex iis, qvæ contra Constitutionem Clementis disputat, hac vice concludit, non in omnibus decretis Pontificum haberi verum & legitimum sensum Scripturæ, ideoqve citra illorum injuriam aliter dici, sentiri & teneri posse, qvam ipsi habent; deniqve Papam neqve supra concilium esse, neqve supra Scripturam, & errare posse: 1518.

l. §. x. §. 43. 1518. posse: qvi contra sentiant, per impudentissimas adulationes monstra „ inducere, per qvæ Scriptura pereat, nihilqve præter verbum hominis „ restet, immo ipsius Ecclesiæ Romanæ invidiam, ruinam & perniciem „ qværere.

§. x.

At Lutherus certus, se Romæ condemnandum esse, ut ipse Legatus Duci scripserat, præveniendum Pontificem ratus, nova protestatione forma juridica usus est, qva promtum qvidem se esse dicit, judicium Papæ bene instructi subire: sed qvoniam, utut Papa, errare tamen possit, ut Petrus erraverit a Paulo reprehensus, appellationem ad Concilium generale, qvod supra Papam sit, se interponere profitetur, ab omnibus, qvæ Pontifex adversus se decretum iret.

d. 28. Nov. apud Luther. Tom. I. f. 217.

§. XLIII.

Appellatio hæc Lutheri secunda facta est *Wittembergæ d. 28. Novembris* habetqve præmissam protestationem de autoritate Ecclesiæ & Papæ agnoscenda, & deprecationem eorum, qvæ ex lubrico forsan lingvæ & adversariorum irritamento minus recte aut reverenter dicta fuerint; dein innititur iis principiis, qvæ Maimburgius refert; tum gravamina eodem fere stylo, qvo prima, continet, nisi qvod minæ in literis Cardinalis ad Electorem scriptis, pro nova appellandi causa assumuntur. Celare voluit hanc appellationem Lutherus, eaqve non nisi suo arbitrio & tempore uti, ideo cum Typographo pactus, ut nullum exemplum distraheret, sed omnia apud se deponeret. At is lucri causa fere omnia nescio & dolente Luthero vendiderat, uti appareret ex literis ad Spalatinum pridie D. Thomæ scriptis, & ad Linckium. *ep. 80 Pallavicinus Lib. I. c. XII. n. 7.* ubi appellationem hanc recenset, nullius ideo valoris eam fuisse statuit, *qvia concessa licet superioritate Concilii, efficere tamen non potuerit, ne sententia interim a Pontifice contra Lutherum prolata executioni mandaretur.* Hoc si simpliciter

I. §. 7. §. 44. 1518.

citer verum est, qvis non videt vana esse omnia, qvæ de Concilii potestate supra Papam, vel tunc Lutherus sensit, vel hodie tanto fervore in Gallia asseruntur. Neqve enim facilius qvidqvam esset, qvam Pontificis interim sententia omnes, qvi aliqvid adversus placita ejus statuunt aut admittunt, pro hæreticis condemnare, immo & e medio tollere, anteqvam Concilium convocetur. Apparet hinc, qvas difficultates habeat hierarchia Ecclesiastica, & qvicqvid de potestate Pontificum & Conciliorum disputatur. Sed hæc ab aliis & alibi expensa sunt.

§. 7.

Interea Leo magnum hunc tumultum Bulla compesci posse credens, componi illam fecerat, per qvam doctrina catholica de indulgentiis exponebatur, & confirmabatur, secundum constitutionem Clementis VI. Sed cum Legatus hanc in Germania qvindecim diebus post Lutheri protestationem publicari fecisset, & indulgentiæ jam valde invisæ essent, in Saxonia potissimum; factum est, ut Bulla ista hæc saltem pro utilitate Papæ, & qvæstorum edita esse videretur, neqve fere esset, qvi qvidqvam pro indulgentiis solvere cuperet.

d. 13. Dec. ap. Eund. Tom. I.

Pallavic. lib. 1. c. 12.

§. XLIV.

Bulla hæc sive *Nova decretalis* extat *Tom. I. f. 215.* data Romæ V. Id. sive d. 9. Novembr. publicata a Cardinali, ad qvem directa erat, Linzii in Austria d. 13. Dec. 1518. In hac, caute omissa Lutheri mentione, ejusqve antithesi, tota de indulgentia doctrina, qvanta illa qvalisqve ab immemorabili, ut Pontifex loqvitur, tempore, id est, si ab ætate Bonifacii VIII. ejusqve jubilæo, qvod Clemens Sextus pro fundamento habuit (priores enim Pontifices eo usqve progressi in distributione indulgentiarum non fuerant) calculum ducamus, paulo plusqvam a ducentis annis, invaluerat, sine omni moderatione, sub pœna excommunicationis, qvam vocant, *latæ sententiæ*, prædicari jubetur. Judici-

1518. um de successu hujus decreti ex Pallavicino hausit Maimburgius. Sed iste, ut solet, subtilius & intentionem Pontificis aperuit & errorem notavit. Sperabant Romæ, Lutherum citationum atqve diplomatum, qvibus condemnatus jam esse videbatur, & Cajetani minis territum, insignem curiæ artem grata mente respecturum, eaqve lubentissime usurum esse. Porta enim ad honestam evasionem aperiebatur, decisa qvæstione, qvam, ut toties protestatus erat, disputandi tantum & informandi sui causa moverat, & Pontifici definiendam detulerat; tanto etiam honore ei habito, ut nulla plane in decreto mentio ejus fieret, culpatis potius præconibus indulgentiarum, qvi *Religiosi ad evangelisandum verbum Dei deputati* dicuntur, *taxantur tamen qvod errores multorum cordibus imprimerent:* qvanqvam vix alia docuissent, qvam qvæ hæc ipsa *Bulla* approbabat. Poterat itaqve Lutherus sine pudore, ut Pallavicinus judicat, pedem retrahere, qvia multi ut ait, ex patribus Ecclesiæ, doctrina & sanctimonia spectatissimi, sententias foverunt, qvæ nunc post sancita ab Ecclesia dogmata, hæreticæ haberentur, neqve tamen ullam illis maculam inurunt. Sed qvid Lutherus senserit fecerirqve, postea videbimus. Audire nunc aliam Pallavicini epicrisin lubet; qva *d. l.* §. *9.* existimat, rectius facturum fuisse Pontificem, si aliqvam ex tot odiosis Lutheri sententiis, iisqve maxime, propter qvas (uti qvidem falso narrat Pallavicinus) Heidelbergæ irrisus fuerat, condemnasset; qvo facto ad palinodiam adactus aut existimationem perdidisset, aut non retractans, pro hæretico habitus, & populari aversioni expositus fuisset. At nullum est consilium hominum, utcunqve callidorum, qvod impedire destinata a Deo valeat.

§. XLV.

Vidimus ex anni hujus 1518. & duorum ex præcedenti mensium historia, veluti rudimenta & tyrocinia qvædam Lutheri. Et si qvidem ipsum ejusqve gesta hujus temporis summatim consideremus, magnam in eo luctam, nec exiguos defectus (ipso ingenue fatente) deprehendimus. Animum qvidem magnum ostenderat, sui solius ingenio & consilio, nullo mortalium, ut asseverat, vel conscio, ne dum svasore aut defensore, disputare, immo contradicere ausus, miserrimus & mendicus monachus, qvæ per totam Europam, longo tempore sub summorum Pontificum autoritate exercita fuerant. Auxit intrepidæ mentis laudem multis scriptis, qvæ non poterant non potentiores offende-

fendere; & periculoso illo itinere ad Cajetanum, & qvod coram hoc 1518.
masculè & imperterritus steterat. Idem tamen amicorum tam ecclesiasticorum qvam politicorum vel timori & diffidentiæ, vel circumspectioni nimiæ multum hoc tempore dedit, iisqve submissionibus usus est, qvorum ipsum postmodum pœnituit, ut vel ex *præfatione operum* anno 1545. scripta omnibus constare potest. Qvapropter admi-
randæ plane Dei sapientiæ, non vero viri hujus, qvantiscunqve dotibus prædiți, industriæ accepta ferri debent, etiam levia & tenuia tantorum, qvi secuti sunt, eventuum primordia." Qvod si ex diverso aulæ Pontificiæ consilia & gesta spectemus, nescio an ab illa plura politicarum artium documenta hoc rerum statu expectari potuerint, qvam dedisse deprehenditur; stante, qvam qvidem non laudo, sententia, qvod nihil mutandum esse videretur ex iis, qvæ magno cum specie Lutherus corrigenda esse contendebat. Divinæ vero, ut jam supra observavi, indubitanter adscribi debet justitiæ, & de patefacienda veritate providentiæ, qva factum est, ut, qvoniam Romæ summa consiliorum in protegendis indulgentiarum nundinationibus, ex utilitate pecuniaria pendebat, & ad hanc solam potenter tuendam respiciebatur, oculi hominum tantæ alias perspicacitatis, ne ad unum qvidem & tam clarum ac pene palpabilem purioris doctrinæ radium discernendum & admittendum converterentur. Nihil enim facilius, ut supra diximus, fuisse videtur, qvam abusibus circa indulgentias correctis, Luthero & qvotqvot ei favebant, satisfacere. Qvo facto cæteræ ejus theses vel obliterari vel scholasticarum disputationum pulveri, sicut aliæ innumeræ, immergi potuissent. Sed immani illa & autoritatis & utilitatis cupidine occœcatus cum suis Pontifex, emisso tam præcipitanter pro indulgentiarum recepta doctrina Decreto, spem omnem reformandæ in melius religionis & disciplinæ, jam tum præscindere est visus; qvam opinionem omnium incertissimam & recentissimam de indulgentiarum thesauro & dispensatione, ne levissima qvidem correctione emolliendam, sed pro summo fidei capite tanta- *Add.*
qve sub pœna venditandam statueret: Apparebit tamen ex seqventibus, non ita confisos Decreto hoc suo Aulicos fuisse, ut non aliis qvoqve ad compescendum Lutherum machinis utendum sibi esse existimarent. Nolo qvidem Paulo Veneto adversus Pallavicinum hic patrocinari, & ut certum defendere, qvod Cajetanus Romam redux, au-

l. §. 55.

1518. lica odia incurrerit, qvia durius cum Luthero egisset, nec Episcopi infula vel Cardinalis purpura oblata, hominem inescasset; neqve putaverim, apud Lutherum, cui animus pecuniæ & honorum contemtor tota vita fuit, id qvicqvam valiturum fuisse: sed qvæ sub finem hujus anni de legatione Miltitii decreta, & sub initio seqventis expedita fuerunt, indicio sunt, non defuisse tentamina, qvod rigore non poterat, per blanditias obtinendi. Qvod vero religionem ipsam attinet, non invenio hoc anno qvidqvam ex dogmatibus, aut cultu publico mutatum fuisse: sed præparamenta secutæ reformationis satis magna & valida erant, duo potissimum, qvæ Lutherus voce & calamo docebat. 1) *Primo*, qvod veritas Christiana nec ab opinionibus, nec a decretis hominum, qvantiscunqve dignitatibus aut donis præditorum, adeoqve nec a Pontificis autoritate, sed a scripturæ sacræ doctrina penderet: 2) *dein*, qvod ad Deum recte colendum, & ad salutem adipiscendam, non externæ illæ & innumeræ observationes, tot legibus & regulis Pontificum & Cleri populo Christiano injunctæ, earumqve qvalecunqve exercitium & *operatum*, qvod vocabant, *opus*, sed prævenientis gratiæ divinæ auxilium, ejusqve pia & interna admissio, id est, fides requiratur, qvam tamen non aliter intelligebat, qvam ut per charitatem efficax est. *Ego* (scribit tunc ad Joh. Ægranum *Lib. I. ep. 88.*) *fidem justificantem a charitate non separo, immo ideo creditur, qvia placet & diligitur is, in qvem creditur.* 3) Talia igitur, qvæ ex scriptis Lutheri, qvorum qvædam recensuimus, aliisqve, qvæ tunc singulatim in populum sparsa, postea in Tomos collecta fuerunt, elucescebant, apud doctos indoctosqve, tenebras, barbariem & dominatu Cleri invectas, fortius dispellebant, qvam eruditorum qvorundam virorum literatura illius aut anterioris temporis eo usqve factum erat; reperto, qvi majori cum libertate aream errorum aggrederetur, & aliqvid supra Pontificem publice ostenderet, unde veritas peti posset. Tanta vero ad hæc audienda confluentium undiqvaqve Wittebergam Studiosorum frequentia fuit, ut Lutherus Dominica III. Adventus ad Linckium scriberet: *Studium nostrum more formicarum fervet. Audivimus* (ita scribit Seultetus in annū 1517.) *a Præceptoribus nostris, diversarum gentium studiosos Lutheri & Melanchthonis audiendi gratia Wittembergam profectos, ad primum oppidi conspectum complicatis manibus Deo gratias egisse, qvod sicut olim e Sione, in illo seculo a Wittemberga Evangelica*

alibi contm.

gelicæ veritatis lucem in remotissima regna voluisset diffundi. De Principum hoc anno circa res religionis consiliis & actis nihil apparet. Langvuerat Maximilianus Imperator, eique mortuo alius nondum suffectus erat. Unus reperitur est *Fridericus Saxo*, nescio an Luthero magis, qvam Academiæ suæ prospiciens. Favit tamen illi hactenus, ut tutus vivere in ditione Electoris posset, nec inimicis indemnatus traderetur." Altiores radices egerat Hierarchiæ Romanæ in mentibus Principum opinio, & recentior erat infelicium eventuum memoria, qvos Imperatores & Reges Reformationem molientes, incurrerant, qvam ut qvisqvam animum ad eam applicare serio cogitaret; aliqva tamen, ut mox dicemus, fiducia nasci cœpit. 1519.

§. 2.

Sed Bullæ effectum maxime impedivit mors Maximiliani Imperatoris, Principis admodum Catholici, & pro honore sanctæ sedis animosi. Decessit enim eodem fere tempore sub initium anni sequentis 17. Januarii. Ita factum, ut Fridericus, Imperii Vicarius, tempore interregni, in tota illa Germaniæ parte, qvæ legibus & consvetudinibus Saxonicis regitur, rerum potiretur. Inde Lutheri factio mox potentissima evasit, nec de eo aliter in oppidis & rure sermones habebantur, qvam qvod vir esset a Deo missus, qvi errores in Ecclesiam invectos corrigeret, & Christianos in libertatem Evangelicam vindicaret.

§. XLVI.

Fatetur Lutherus, post annos plusqvam viginti in Tomos Latinos præfatus: post mortem Maximiliani & sub Vicariatu Friderici Electoris *desaviisse paulatim tempestatem, & sensim obrepsisse contemtum excommunicationis seu fulminis Pontificii.* Subdit postea: *Procedebat feliciter Evangelium sub umbra istius Principis, & late propagabatur;*

I. §. 46. §. aa. 1519.

tur; movebat ejus autoritas plurimos, qvi cum esset ocultatissimus & sapientissimus Princeps, non potent, nisi apud invidos, suspicionem incurrere, qvod haresin aut hæreticos vellet alere & tueri, qvæ res Papatui magnum intulit detrimentum. Audiamus vicissim Principis hujus non multo post ex epistola ad Erasmum Roterodamum circa Idus Majas hujus anni scripta, de Luthero aut potius de causa ejus judicium, *Tomo I. fol. 224.* Ita enim loqvitur *Non damnari ab eruditis causam Luthernam, & Doctoris Martini lucubrationes ab optimis qvibusqve istbic cupidissime legi, lætamur: eoqve magis, qvod plerique bonorum & eruditorum in nostris qvoqve regionibus & principatibus, nedum externis, hominis tam vitam & mores, qvam eruditionem miro consensu laudant. Qvod enim hactenus in Saxonibus nostris degit, non tam homini qvam causæ dedimus, nihil minus unqvam conati, qvam ut dignos præmiis pœna premeret. Neqve Deo omnipotente juvante committemus, ut nostra culpa innocens qvispiam sua qvarentium impietati dedatur.*

§. aa.

Act. Luth. cum Carolo Militio T. I. Cochla.

His elatus adeo ferociebat, ut vix accessum daret Carolo Miltitio, Eqviti Saxonico, Papæ cubiculario, qvem is Nuncium ad Ducem miserat, Rosam solenniter ut moris erat, qvarta Qvadragesimæ Dominica consecratam exhibiturum, & rogaturum, ne ulterius tueretur hæreticum declaratum. Dux elegantis alioqvi & honesti moris, non satis honorifice, sed cum aliqvo contemtu donum Pontificium accepit, præventus infelici favore Lutheri, & offensus ab aula Romana, qvæ beneficium qvoddam filio ejus naturali gratis noluerat conferre. Perstitit itaqve constanter in priori sententia, qvam Legato Cajetano significaverat. Apparuit etiam, qvantum Lutherum attinebat, regulam politicam nullius pretii esse, si

Pallavic. l. 1. cap. 13.

exces-

I. §. 44.

excessui ab excessu contrario remedium quæratur. Nuncius enim iste diversam plane a Legati instituto viam, qui quasi nimis duriter Lutherum tractasset Romæ traducebatur, ingrediendam sibi ratus, in extremum oppositum incidit, eum submisse laudans, & more, qui charactere & loco suo plane indignus erat, palpans: immo eo progressus est, ut Tezelium, Lutheri primum antagonistam, tanquam odii victimam immolaret, eumque tam aspere & indigne, exprobratis indulgentiarum abusibus, & qui inde provenerant motibus, increparet, ut miser ille præ mœrore, ipso quoque Luthero tandem dolente, moreretur. Nihil tamen his artibus, parum rectis aut politicis profecit Nuncius, nec plus a Luthero impetrare potuit, quam ut Pontifici literas demissas, aut potius comes scriberet, nullius effectus. Nam utcunque eum blande demulceret, ejusque potentiam post Deum maximam esse diceret, addit tamen, formula licet honorifica, se nihil retractaturum esse. Admonitus vero, ut Confluentiam ad Archiepiscopum Treverensem, quem arbitrum se laturum esse promiserat, ad finiendam litem proficisceretur, ita se excusavit, ut diceret, se Cajetanum, quem ibi esse audiverat, ferre non posse; tempus etiam instare, ut una cum Carolostadio Lipsiæ ad celebrem disputationem compareret, quam cum D. Eccio inituros se, constituerant.

1519. *Acta Luth. cum Carol. Miltit.*

Pallavicin. Lib. I. cap. 13. & 14.

§. XLVII.

L §. 47. 1519.

§. XLVII.

Qvæ ex autoribus suis *Cochlæo* & *Pallavicino* hic congessit noster de negotiatione Miltitiana, mutila sunt, neqve absqve animadversione transmittenda. *Carolus a Miltitz* antiqva & splendida Eqvitum Misnensium familia ortus fuit; ex qva, dum hæc scribo, aliqvot egregii viri summis & honestissimis in aula Saxonica Electorali functionibus ornati vivunt, & insignia castella & prædia ad Albim & alibi possident. Carolus ille, sacris addictus, Canonicus qvippe Moguntinus & Misnensis, Leonis Pontificis cubicularius erat, ut in literis ejus vocatur, *secretus & familiaris*; venerat autem sub finem anni præteriti in Saxoniam (Luth. *Lib. I. ep. 79.*) privata negotia habens vel prætexens. Post adventum suum nihil prius habuit, qvam ut de causa Lutheri cum Electore tractaret, licet epistolas Papæ & Cardinalis Medicei, qvi postea Pontifex fuit, ad ministros Electorales, *Pfeffingerum* & *Spalatinum* (qvæ *Tomo I. fol. 220. 221.* habentur) nondum accepisset. Reperitur itaqve *Tom. I. Germ. Altenb. f. 255. & sqq.* ut deliberatum fuerit in aula, an & qvomodo scribendum esset Pontifici? Scribendum enim esse svadebat Miltitius: formula etiam literarum concepta extat; sed Elector rejecta ea non nisi ad Miltitium d. 11. Jan. scripsit, & per *Fabianum Feilitschium*, Eqvitem, Consiliarium suum, explicari mentem suam pluribus in hunc sensum jussit, ut a causa Lutheri plane abstrahere se velle diceret, non dissimulans tamen offensam ex literis Cajetani, qvas pro minis accipiebat, aut pro imputatione, ac si foveret & promoveret aliqvid Ecclesiæ damnosum. Sperare nihilominus se testabatur Pontificem ut benignum Patrem, recte proxisurum esse his negotiis & motibus. Supervenere postea literæ illæ, qvas dixi, sive Brevia Pontificis; qvanqvam exemplum ejus, qvod ad Electorem ipsum datum esse Pallavicinus innuit, in actis Lutheri non habetur. At qvæ ad ministros scripta sunt, laudes Electoris & magnum Lutheri vituperium continent, vocatur enim *detestabilis Satanæ filius*, & desideratur, ut *temeritas ejus & notissima hæresis comprimatur & tollatur.* Sed Miltitius sive fama de Luthero ejusqve favore apud populum territus, sive qvod Principem, Cajetani literis irritatum, nec munus, qvod offerebat, Rosæ æstimantem invenerat, illam sibi viam tentandam statuit, qva usus est, & propter qvam, qvia successu caruit, Pallavicino & exscriptori ejus Maimburgio vapulat. Negotiatus tamen

tamen est omni cum industria annum plusqvam integrum. Sed non nisi post aliqvot menses ab accepto mandato obtinuit, ut Consiliariis Principis munus illud rosæ exhiberet. Nam Lutherus mense Septembri *ad Langum Lib. I. ep. 119.* scribit: *Princeps noster illustrissimus tentatur a Miltitio cum aurea rosa: qvi in Dresda gloriatus est, Doctorem Martinum in manibus suis esse; sed nihil proficiet, Deo propitio:* Et postea d. 30. Octobr. *Staupitio ep. 121.* scribens, hæc habet inter alia: *Carolum Miltitz rosam tandem obtulit Altenburgi, absente Principe; qvam nescio qvanta pompa conatus fuerat Wittebergam ducere.* Post annos vero plusqvam viginti qvinqve in præfatione operum Latinorum ita scribit: *Rosam, qvam vocant auream, a Leone missam, nullo honore dignatus est, immo pro ridiculo habuit Elector.* Sed ante Rosæ oblationem Altenburgi, in ædibus Spalatini cum Luthero prima vice egerat Miltitius. Ægre tamen, & non nisi jussus ab Electore Lutherus ad colloqvium ejus venit; non tam ex ferocia & superbia, qvemadmodum criminantur Jesuitæ, sed qvod insidias vereretur, aut causæ suæ a Pontifice ad Concilium per appellationem delatæ præjudicium timeret. Ad Pontificem tamen postea anno 1520. d. 6. April. scribens, postqvam de Cajetano qvestus erat, ita refert *(Tom. I. fol. 462. b.) Secutus est Carolus Miltitius, & ipse B. T. nuncius; qvi multo & vario negotio cursans & recursans, nihilqve omittens, qvod ad reparandum causæ statum, qvem Cajetanus temere & superbe turbavent, pertineret, vix tandem etiam auxilio illustrissimi Principis Friderici Electoris effecit, ut semel & iterum familiariter mecum loqveretur. Ubi denuo tuo nomine cessi, pœnitus flere, acceptans etiam judicem, vel Archiepiscopum Trevirensem, vel Episcopum Numburgensem. Atqve ita factum est impetratum.* Sed antea, paulo post colloqvium d. 20. Febr. *epist. 97.* Staupitio ita rem narraverat: *Carolus Miltitius me vidit Altenburgi, conqvestus, qvod orbem totum mihi conjunxerim, & Papa abstraxerim: exploratum se habere per hospitia cuncta, qvod inter qvinqve homines tres aut duo vix Romana parti faverent: fuit armatus septuaginta Brevibus Apostolicis, in hoc negotium, ut me captum perduceret in homicidam Jerusalem, purpuratam illam Babylonem, ut postea ex aula Principis accepi. Qvod studium, cum desperatum esset, cœpit agere, ut Romanæ Ecclesiæ restituerem qvod abstuliſſem, & revocarem. Cum autem peterem, ut doceret revocanda, tandem convenimus, ut Episcopis aliqvot causa committere-* 1519.

1519. *teretur. Ego nominavi Archiepiscopum Saltzburgensem, Treverensem & Freisingensem,* (idem erat etiam Numburgensis, Philippus nempe Palatinus) *atque vesperi, me accepto convivio, lauti sumus, & osculo mihi dato discessimus: ego sic me gessi quasi has Imitates & simulationes non intelligerem.* Nec abs re erit, quæ longe post in supra allegata *præfatione* ad opera Latina narravit, adscribere: *Anno 1519. misit rosam Leo X. per Carolum Miltitium, qui multis egit mecum, ut Papæ reconciliarer. Is habuit LXX. Brevia Apostolica, ut si Princeps Fridericus illi me traderet, sicuti Papa per rosam quærebat, per singula oppida affigeret unum, & ita tutus me perduceret Romam. Prodebat autem conum me consilium cordis sui, dicens: O Martine, ego credebam, te senem esse aliquem Theologum, qui post fornacem sedens ita secum disputasset, nunc video te esse adhuc integrum ætate & validum. Si haberem XXV. millia armatorum, non considerem, te posse a me Romam perduci. Exploravi enim per totum iter animos hominum, quid de te sentirent; ecce, ubi unum pro Papa stare inveni, tres pro te contra Papam stabant. Illud vero ridiculum erat: Exploruerunt etiam mulierculas & virgines in hospitiis, quidnam de fide Romana sentirent? Illæ, ut ignaræ hujus vocabuli & sellam domesticam cogitantes, respondebant: Quid nos scire possumus, quales vos Romæ habeatis sellas, ligneasne an lapideas? Rogabat itaque, ut consulerem ea, qua pacis essent; se omnem daturum operam, ut Papa idem faceret. Ego prolixe quoque promisi, quod omnia, quæ ullo modo salva conscientia & veritate possem, promptissime essem facturus: me quoque esse pacis cupidum & studiosum, qui per vim tractus in has turbas, necessitate adactus feci issem omnia, quæ feci, culpam non esse meam. Vocaverat autem ad se Johannem Tezelium Prædicatorii ordinis, autorem primarium hujus tragœdiæ, & verbis minisque Pontificiis ita fregit hominem, hactenus terribilem cunctis, & imperterritum clamatorem, ut inde contabesceret, & tandem ægritudine animi conficeretur. Quem ego, ubi hoc resci vi, ante obitum literis benigniter scriptis consolatus sum, ac jussi animo bono esse, nec mei memoriam metueret; sed conscientia & indignatione Papæ forte occubuit. Futilis habebatur Carolus* (ob mores puto quosdam minus correctos, de quibus videndus Lutherus in epistola ad Spalatinum *ep. 122. Lib. I.* & Pallavicinus *Lib. I. c. 18. n. 1.*) *& futile ejus consilium; sed meo judicio, si Moguntinus a principio, cum a me admoneretur, denique si Papa, antequam me non auditum damnaret,*

ret, & Bullis suis saviret, hoc cepissent consilium, quod Carolus cepit, licet fere, & statim compescuisset Tezelianum furorem, non res evasisset in tantum tumultum; tota culpa est Moguntini, cujus sapientia & astutia eum fefellit, qua voluit meam doctrinam compescere, & suam pecuniam, per indulgentias quæsitam, esse salvam. Nunc frustra quæruntur consilia, frustra coguntur studia. Dominus evigilavit, & stat ad judicandum populos, etiam si nos occidere possent, non tamen haberent, quod volunt, immo minus haberent, quam nobis vivis & salvis habent. Id quod nonnulli inter eos, qui non omino obesæ naris sunt, satis olfaciunt. (Hoc eo forte pertinet, quod sectas seditiosas compesci a se posse existimabat.) Non habent igitur post Lutheri confessionem censores, quod Miltitium tantopere exagitent. Nam ejus profecto blanditiis, lacrymis & osculis effectum est, ut Lutherus in epistola ad Pontificem d. 3. Martii Altenburgi scripta, (qvicqvid illi dicant) tam demissam obsequii oblationem faceret, qva illo rerum statu vix majorem esse potuerit. Vide *Tom. II. Lat. fol. 222.* & *Lib. I. ep. 98.* 1519.

§. XLIIX.

Protestatur illis literis *coram Deo & tota creatura, se nec voluisse nec hodie velle Ecclesiæ Romanæ aut Pontificis potestatem ullo modo tangere, aut qvacunqve versutia demoliri. Esse eam super omnia, nec ei qvidqvam præferendum, sive in cœlo sive in terra, præter unum Jesum Christum, Dominum omnium.* Promittit *se materiam de indulgentiis deinceps relicturum, penituqve taciturum, modo & adversarii vanas ampullas contineant, edicturum esse in vulgus, qvo intelligant & moveantur, ut Romanam Ecclesiam pure colant, nec asperitatem suam, cujus excessum agnoscit, imitentur.* Revocationem qvidem recusat, sed illa de causa, *ne Romanæ Ecclesiæ dedecus ex illa accedat; cum nihil docuerit, qvod non ad ejus honorem pertineret, qvi per abusus indulgentiarum periclitabatur*; addit tamen in fine epistolæ, *si plum facere posset aut cognoverit, fore dubio paratissimum fore.* Actum itaqve denuo erat de reformatione, si ea a Luthero solo pependisset; sed latius jam, ut in hac ipsa epistola non reticet, propagata erant scripta ejus, & clarius fulgere cœperat lux doctrinæ, qvam ut vel ipso tacente vel retractante, supprimi & extingvi potuisset. Verum enim vero Pontifex non satis prospexisse visus est rebus suis, qvod Miltitii consiliis non insisteret, sed Archiepiscopo Treverensi cognitionem causæ delegare, ex dignitatis, (ut

N3

§. 49. Pallavicin. *Lib. I. cap. 14. n. 7.* putat) aut tricarum curialium respectu eunctaretur. Ob hanc ergo potissimum causam, (qvam Maimburgius omittere non debuisset) Lutherus Confluentiam ire noluit. Nam ad Miltitium iter illud & revocationem apud Trevirensem Archiepiscopum svadentem scribit *Lib. I. ep. III.* Si revocationem efficacem & probabilem facere deberer, opus esse, & Altenburgi ita fuisse conventum, *ut discussis suis sententiis statuerentur articuli revocandi, & modus revocandi, assignatis rationibus ut fieret revocatio efficax & probabilis: ne si aliter fieret, extorta sibi diceretur per vim, & fierent novissima pejora prioribus*, Addit vero: *Sed etsi venire omnino deberem, poteris tu ipse cogitare, qvam stultum me essent habituri, qvi causam istam audirent, cum nondum venisse mandatum ex urbe scribas: nec dum Archiepiscopus me ejusdem mandati virtute vocarit: sed nec certum habeam, an sit mandatum hoc venturum, præsertim in isto tumultu Imperii: nec certus sum, an veniens mandatum Archiepiscopus sit accepturus. Qvomodo ergo in tanta dubia me dabo, per tot pericula, & tam gravibus expensis? qvas unde habeam pauperrimus? tot consumsi huc usqve in ista causa, & fessos feci Patronos, ut pudeat plura postulare; ut interim taceam, qvod durante interregno ne possit qvidem ulli salvus conductus præstari, præsertim mihi, tot inimicis appetito.* Sequitur inde allegatio aliarum, qvas Maimburgius retulit, excusationum, & tandem ita clauditur epistola: *Jam qvod rem difficiliorem putas futuram, si sanctissimus Dominus Leo decimus plures Episcopos adistam causam deputarit: ego contrarium arbitror. Cum enim sub judicium totius orbis rem istam editis libellis posuerim, & nunc Lipsiæ coram tot viris tractandam suscipiam: non modo non difficile, sed & gratum fuerit, multorum judicum arbitrio causam committi.* Liberius ad Spalatinum pridie ejus diei *ep. 110. Ridiculum Caroli Miltitii caput fatetur, nondum venisse mandatum ex urbe, & me vocat. Vocat autem ipse, non Archiepiscopus: dein ad præsentiam Cardinalis. An homines insaniunt? Scribam ei interim, consule mihi qvæso.* Et ad Langum eodem die: *Vocavit me Carolus Miltitius ad Confluentiam, responsurum Archiepiscopo Trevirensi, præsente Legato Cajetano: homo svavissimus confitens se nondum ex urbe recepisse mandatum: & sperat, me tam crassæ naris esse, ut non vocatus, nisi sua temeritate veniam. Video ubiqve undiqve, qvocunqve modo animam meam qvari.*

Add.

§. XLIX.

§. XLIX.

Cæterum, qvæ hic ex Pontificii Legati, Aleandri actis eruisse se dicit Pallavicinus, de filio Friderici notho, qvi sacerdotii cujusdam collationem Romæ petens, pecunia parum civiliter emunctus fuerit, indeqve irritato Electoris adversus curiam Romanam animo, vix meruerunt, ut neglectis magis ad rem pertinentibus, Maimburgius suæ insereret historiæ. Longe profecto infra Friderici sapientiam & pietatem, cujus insignia documenta tota vita dedit, fuisset, ob leviculam causam tam molestum negotium Pontifici facessere, ex qvo totius Ecclesiæ status in discrimen vocari videbatur. Ob eandem rationem non magis verisimilia sunt, qvæ ex æmulatione inter Electores, Saxonem & Moguntinum propter turbas Erfurti [anno 1510 obortas] conjicit Pallavicinus. Eundem male habet, qvod Lutherus tam impudens, ut ait, fuerit, ut apud Miltitium allegaret, imo scripto profiteretur, culpam omnem controversiæ de indulgentiis ipsi Pontifici adscribendam esse, qvia Alberti Brandenburgici causa leges canonicas solverit, duosqve ei Archiepiscopatus & Episcopatum præterea insignem contulisset, neqve tamen id gratis, sed pro palliis exiguis multa aureorum millia acceperit, ad qvæ corradenda populum christianum fœdissime deglubendum ei dederit, coacto hunc in modum Episcopo, ut hominem qværeret *indulgentiarum*, ut loqvitur, *despumatorem*, qvalis erat Tezelius. Sed hæc libertas Luthero propria erat, & vero innixa. Nec ejus fundamentum infringit Pallavicinus, cum *d. c. XIV. n. 4.* scribit: *Germaniæ Principibus non posse denegari pluralitatem beneficiorum, ne nunc qvidem, postqvam a Concilio Tridentino illa interdicta fuit*; nisi agnoscat auri sacram famem, & politicæ considerationis vim esse, qvæ legum vincula perrumpat. Nam qvod addit, de debitis ex collatione beneficiorum proventibus ad sustentationem Pontificis, non *qva Domini*, ut loqvitur, *profani*, sed *qvatenus est Patriarcha*, talia sunt, qvæ præsupponunt id, qvod est in qvæstione & contradictione. Magnum præterea excessum inter alia observare licet, occasione Miltitianæ commissionis, ex profusione in præcones indulgentiarum; qvia Tezelio tantum superfuit aut concessum est ex nundinatione [cujus tamen non nisi inferioris notæ vicarius erat] ut nonaginta florenos (aurei tunc erant) menstruos pro stipendio acciperet, præter expensas

1519. trium equitum & currus. Magna illa tunc & invidiosa pecunia fuit, in monachum ex mendicantium ordine collata, quæ Episcopo, certe in Italia, vel cupidissimo satisfeciſſet. Quapropter non immerito Tezelium Miltitius increpavit, ut est apud Luth. *Lib. I. epist. 97.* sed de tota hac Miltitii legatione plenius edoceri potuissemus, si Pallavicinus ex Vaticanis scriniis, ex quibus quæ voluit contra Paulum Venetum produxit, Miltitii relationes proferre voluisset. Hujus enim qualiscunque fuerit, judicium de Luthero & de Electore, totiusque negotii a se gesti serie, non contemnendam lucem historiæ afferre potuisset: majorem certe quam fabella de notho Friderici in contumeliam tanti Principis intempestive expositа, eique superstructa indigna suspicio, & de avaritia sacerdotum affectata declamatiuncula, quæ *cap. 13. n. 6.* legitur. De iis vero, quæ Miltitium attinent, & ex secretis scriniorum Papalium revelantur, cum ad annum 1520. venerimus, agendum erit.

§. L.

Ad vernum hujus anni 1519. tempus pertinet elaboratio & procurata editio aliquot scriptorum Lutheri, inprimis *Commentarii in Epistolam ad Galatas*; sed quoniam Maimburgius eorum mentionem in anni sequentis historiam rejecit, nos quoque eum sequentes, annotationes nostras eo differimus. Mense Januario Lutherus, ut ex epistola ejus ad Spalatinum scripta *Lib. I. n. 92.* apparet, apud Episcopum Brandenburgensem fuit, quem multis secum expostulasse refert, quod tanta auderet. Addit: *Intelligo Episcopos nunc tandem sapere, sui fuisse officii, quod in me vident, ideoque nonnihil pudere.* Cœpit etiam hoc mense epistolicum aliquod Lutheri cum *Hieronymo Dungersheimio*, a patrio Franconiæ oppido *Ochsenfart* dicto, Theologo Lipsiensi, commercium, quo secutæ hac æstate disputationi cum Eccio prælusum quasi est, de primatu Pontificis *Lib. I. ep. 93. & seqq.* Monenti vero ex aula Spalatino de servanda veneratione & obedientia erga Pontificem, & declarationem edi cupienti, respondit Lutherus 3. Non. Martii *ep. 99.* sibi nunquam fuisse in animo, ut ab Apostolica sede velit discisсere, provocat ad declarationem Germanice & populariter editam, quam puto esse eam, quæ *Tom. I. Altenb. fol. 294.* (quanquam post Lipsiensis disputationis tempus collocata) legitur. In hac non solum

de

Suspicatur Papam esse AntiChristum, Libri ejus vulgantur & placent. §. 51. Erasmus de Luthero scribit: literæ eorum mutuæ: I. §. 50. §. 51.

1519.

de *intercessione sanctorum*, de *purgatorio*, de *præceptis Ecclesiasticis* & de *bonis operibus*, sed & de *potestate Pontificia* ita agit, ut imputationem hæreseos depellat, & disputabilia a credendis separet. Interim angi se animo non obscure significat, dum ad eundem Spalatinum Dominica Invocavit *epist. 100.* scribit: *Verso decreta Pontificum pro mea disputatione* (Lipsiæ scilicet habenda) *& (in aurem tibi loqvor) nescio an Papa sit Antichristus ipse, vel Apostolus ejus, adeo misere corrumpitur & crucifigitur Christus (id est veritas) ab eo in decretis. Discrucior mirum in modum, sis illudi populum Christi specie legum & christiani nominis.* Et paulo post: *Nascitur mihi indies magis ac magis subsidium & præsidium pro sacris literis.* Lætum eo tempore fuit Luthero, qvod audiret doctrinæ suæ longe lateqve applaudi. *Johannes* enim *Frobenius*, celebris tunc Basileæ typographus, ei significaverat d. 14. Febr. *legi & probari scripta ejus Lutetiæ etiam a Sorbonicis, & dispersa a se omnia, qvæ Basileæ recuderat, exemplaria esse in Italia, Hispania & alibi, omnium Doctorum judiciis approbata;* Sedunensem etiam Episcopum *Matthæum Scheiverum*, celeberrimum illo tempore virum, acceptis Lutheri lucubrationibus dixisse; *Luther, tu es vere Luther*, id est, liqvidus & purus: (lauter) & alicui, qvi Eccii propositiones obtulerat, & victoriam ei in disputatione instanti, ominatus erat, respondisse: *dispuset Eccius, quantum velit; Lutherus veritatem scribit.*

§. LI.

Circa idem tempus *Erasmum*, qvem ob magnam eruditionis famam demereri & sibi conciliare cupiebat, literis adiit 5. Cal. April. qvæ extant *Lib. I. n. 101.* Hic interim 18. Cal. Maji Antwerpia ad Fridericum Electorem scribens, Lutheri [ut jam supra tetigi] ita meminerat, ut *ignotissimum qvidem eum sibi esse, & scripta ejus nec tueri se, nec improbare vellet* diceret, *pro hæretico tamen haberi agre ferat, & vitam ejus ab omnibus probari, libros vero ab optimis qvibusqve cupidissime legi adseveret. Tomo I. f. 222.* Ad qvæ qvid d. 14. Maji responderit Elector, supra qvoqve per occasionem relatum est. Erasmus vero postea Luthero peramanter respondet, ejusqve commentarios in Psalmos laudat, monens tamen de temperandis affectibus & stylo, & ne in Pontificem, sed in eos, qvi Pontificibus abutuntur, detoner. Vide *Lib. VI. edit. Frobenianæ p. 257. Londinens. Lib. VI. ep. 4.* Pensaverane-

qva-

I. §. 51. §. 52. 1519. certamen cum Franciscanis. §. 52. Lutherus, volente aula, declarat thesin de potestate Pontificis, eamqve asserit jure

qvalecunqve hoc Lutheri delectamentum monachi Franciscani, qvos *Minoritas* vocant, molestia qvadam. Hi conventum in oppido *Jüterbok* prope Wittebergam celebrantes, scriptis ad Episcopum Brandenburgensem literis, Lutherum convitiis prosciderant, & theses XV ex ejus scriptis excerpserant, malæ, ut putabant, notæ. Sed illis acerrimo scripto Dom. Jubilate dato, insciriam & malitiam exprobravit, & qvædam ad objecta respondens, minatus est, nisi revocent adversum se vulgata, se eos ita tractaturum, ut id ordini illorum non futurum sit honorificum. Vide *Tom. I. f. 225. & seqq.* Exarsit vero postea vehementius, cum Eccium judicio suo monachorum dicta approbare intellexisset. Sed apologia illa, qva *fol. 227. & seqq.* monachis simul & Eccio respondetur, licet actis disputationis d. l. præponatur, postea tamen conscripta & publicata est, & de ea infra agemus.

§. LII.

In aula interim timuisse Spalatinum & alios apparet, ob theses Lutheri, qvas Eccii thesibus opposuerat, maxime ob *decimam tertiam*, qvæ agit de potestate Pontificis. Nec satisfecerat, ut apparet, Spalatino Lutherus, licet epistola satis ampla secretum mentis, qvare ita concepisset thesin suam, explicasset. Mira itaqve fiducia denuo literas dat, qvæ *n. 105.* habentur, scribens: Obsecro te, mi Spalatine, noli nimio timere, nec humanis cogitationibus totum cor cædere. Scis, qvod nisi Christus me & mea ageret, jamdiu prima disputatione indulgentiarum, deinde vulgari sermone, tandem resolutionibus & responsione mea ad Sylvestrum, novissime Actis meis (cum Cajetano, qvæ ediderat) me perdideram, maxime profectione Augustana. Qvis enim mortalium horum singulum non timebat, aut sperabat mihi excidium allaturum? Deniqve nuper ex Urbe scripsit Olsnitzer Cancellario Ducis Pomerani nostri, me adeo conturbasse totam Romam resolutionibus & dialogo, ut nesciant, qvomodo compescant. Esse tamen illis propositum, non scientia juris, sed Italicis subtilitatibus (hæc enim verba ejus sunt) me aggrediendi: has autem ego intelligo venena, vel mortem insidiarum. Multa ego premo, & causa Principis & universitatis nostræ cohibeo, qvæ (si alibi essem) evomerem in vastatricem Scripturæ & Ecclesiæ Romam, melius Babylonem. Non potest Scripturæ & Ecclesiæ veritas tractari, mi Spalatine, nisi hæc bellua offendatur.

datur. Non ergo speres me qvietum & salvum futurum, nisi velis & 1519.
me penitus Theologiam intermittere. Sine ergo amicos putare, me „
insanire. Res ista finem non accipiet (si ex Deo est) nisi, sicut Chri- „
stum discipuli & noti sui; ita & me derelinqvant omnes amici mei: & „
sola sit veritas, qvæ salvet se dextera sua, non mea, non tua, non ulli- „
us hominis, & hanc horam ab initio spectavi. *Concludit:* Dixi tibi „
semper, me paratum esse cedere loco, si qva ego Principis illustrissimi „
viderer periculo hic vivere. Aliqvando certe moriendum est: qvan- „
qvam jam edita vernacula qvadam apologia satis aduler Romanæ Ec- „
clesiæ, & Pontifici, si qvid forte id prosit. Ut vero trepidationi auli- „
corum consuleret, *Resolutionem* sive *probationem thesis XIII.* compo- „
suit Latine, de qva ad Langum Fer. 2. post Exaudi *Lib. I. ep. 123.* scri-
bit: Edo jam probationes super odiosissimam propositionem tertiam „
decimam propter invidiam, qvæ hoc agit, ne Lipsiæ admittar ad re- „
spondendum. Ternis literis a Duce Georgio non potui certum obti- „
nere responsum, adero tamen saltem oblaturus me ad respondendum. „
Habetur hæc explicatio sive resolutio *Tom. I. Lat. Jen. fol. 311.* qvan- „
qvam præponi, meo judicio, illis debuisset, qvæ ibi sequuntur *a fol. 394. ad 311.* nisi, qvod ex Emseri scripto *Tomo I. f. 369.* suspicari licet, edi-
tio ejus post disputationem dilata est. Erat autem Eccii propositio
XIII. ista: *Romanam Ecclesiam non fuisse superiorem aliis Ecclesiis ante tempora Sylvestri, negamus. Sed eum, qvi sedem beatissimi Petri habuit & fidem, successorem Petri & Vicarium Christi generalem semper agnovimus.*
Huic Lutherus hanc opposuit: *Romanam Ecclesiam aliis Ecclesiis fuisse superiorem probatur ex frigidissimis decretis Romanorum Pontificum, contra qva sunt textus divinæ Scripturæ, historiæ approbatæ mille centumqve annorum, & decretum concilii Nicani omnium sanctissimi.* Præ- „ „ „
fatur resolutioni sive probationi hujus thesis Lutherus, & excusat ab
initio stylum, qvem aliqvando sordidiorem, suiqve dissimilem ex in-
dustria sibi esse fatetur, *qvia spem nominis & memoriæ diuturnæ non habeat, nec qværat, sed vi in publicum tractus, qvam citissime de reditu in angulum suum cogitaret, salvo Christiano suo nomine. Putare theatrum suum habere suam horam, prodituram post se alium, Deo volente, si ipse tempori suo satisfecerit.* Hæc indicio sunt, qvam injuste Luthero
ambitio sive inclarescendi studium imputetur; & qvod adversus com-
moda ipsius egerint, qvi eum a qvietis & secessus studio insectatione

1519. sua avocarunt. Excusat porro imputationem asperioris & immodestæ in adversarios linguæ, & objectioni isti, per totam postea vitam factæ, veluti prævention̄e quadam occurrit *Tom. I. f. 311. b. Videor & multis paulo durior in adversarios, & velut modestiæ theologicæ oblitus: His si qua & alia vitia mea inveniantur, non magnopere deprecor culpam, quod hoc me alia causa facere non sum mihi conscius, quam nimio publici tædio & odio, in quod me mergunt illi, plurimum mihi pretiosissimi temporis suffurantes. Deinde, quod tam præfractos & obstinatos obstratores patior, ut quavis syllaba mihi ignominiam, sibi victoriam nominis Christiani insidiosissime & pertinacissime quærant, ut malo nodo malus mihi cuneus necessarius videatur. Quanquam videor mihi stomacho meo multum semper feciſſe vim, ne facerem, quæ possem. Et nescio, si molliter simul & utiliter tangi queant, qui inveteratissima jamdiu consvetudine opprobrandi hæretici nominis, ita in judicandis aliorum scriptis obstupuerunt, & ad audiendam veritatem obdurverunt, suisque opinionibus obsurduerunt, ut vix caduceo divino quopiam excitari posse videantur. Ut id taceam, quam intolerabile sit leviter arguere eos, qui e templo Dei speluncam latronum fecerunt, & e Scriptura Dei negotium hominum; abominationem eam e loco sancto & Christus flagellis popvlit, & Paulus dure increpandos censuit hos vaniloqvos. Nam id coguntur, velint, nolint, confiteri, sacras literas passim in universis studiis fuisse neglectas penitus, quantumvis se jactent Scripturas intelligere religiosius humano aliorum sensu, quam illarum proprio.*

§. LIII.

In tota vero hac declaratione, ad scopum, quem Principis & aulæ respectu tenendum sibi præfixerat, non sine magna, ut ex epistola supra allegata cognoscitur, lucta, & reclamante pene mente consentire cum Eccio præ se tulit, de primatu Pontificis, & de obedientia ei præstanda *I. f. 312. 313.* sed ex alio fundamento. Ipse nempe ex generali regula Apostoli Rom. XIII. qvod *omnis potestas*, etiam qvæ nobis injusta videtur, *a Deo sit*, Pontificatum agnoscit, & divinæ voluntati tribuit, qvæ ex signo, id est, eventu & consensu fidelium per tot secula hanc potestatem ferentium, agnosci debeat; sed probationes, huc usqve pro Pontificatu ex Scripturis & canonibus afferri solitas (qvasqve sciebat ab Eccio in futura disputatione allatum iri) rationibus robustissimis (ut d. l. loqvitur) oppugnandas sibi sumit. Scio qvidem,

 L. §. 53.

dem, & ex actis disputationis mox secutæ, totqve aliis scriptis constat, neqve tunc defuisse Eccio, neqve nunc deesse, qvæ scriptis dictisve a Luthero reponantur; neqve mihi propositum est, vel huc transcribere, qvæ disceptata sunt, vel supervacuo labore in defendenda Protestantium sententia, ab innumeris aliis dudum suscepto, & ad hoc usqve tempus continuato, me & lectores onerare. Lectis tamen & expensis omnibus, atqve seqvestrato præjudicio, qvod ab educatione & disciplina non potui non habere, deprehendo, qvæ Lutherus adversus scripturæ dicta, *Tu es Petrus &c. oravi pro te, Petre &c. pasce oves meas, &c.* pro Pontificis universali potestate & vicariatu adduci solita, opposuit, & qvæ ad Patrum loca & decreta Pontificum replicavit, summi ponderis, nec ab Eccio ita confutata esse, ut conscientiæ satisfieri possit. Tanto nempe Lutherus vel unica hac præliminari declaratione rationum & argumentorum robore causam suam firmavit, tantamqve scripturarum & antiqvitatis peritiam demonstravit, ut successoribus licet plurium, & tunc non æqve cognitorum librorum adminiculis, multisqve argumentationum subtilitatibus instructis, & creberrimis disceptationibus exercitatis, parum aut nihil reliqverit, qvo superare industriam ejus potuerint. Tantum abest, ut Maimburgio credam, qvi *Eccium* scribit *veritatem & causam Dei in partibus habuisse.* Sed anteqvam narrata hujus de disputatione Lipsiensi audiamus, mentem Lutheri de Pontificatu, ad Petrum Lupinum & Andream Carolostadium in *dedicatione commentarii in Epist. ad Galat. Tom. I. fol. 390. & Lib. I. ep. 84.* circa hæc eadem tempora, aut paulo ante, (dies enim non adscriptus est literis) masculе explicatam, cognoscendam damus. Postqvam igitur de Cajetano, & de decreto Pontificio in causa indulgentiarum qvestus erat, & invectus in Italos, qvi Germanos *meros* (omitto cætera) *barbaros & bestias* habeant, & ut *incredibilis illusionis & explicationis patientes* irrideant; summis laudibus evehit Principes & Proceres Germanorum, qvi in comitiis Augustanis an. 1518. *recte, sancte & auguste inter Romanam Ecclesiam & Romanam curiam discreverint, & decimas, vigesimas, qvinqvagesimas, in concilio Lateranensi sancitas, & tantopere a Legatis Apostolicæ sedis expetitas, recusaverint, eoqve ipso viderint & agnoverint, ermisse Papam & Concilium.* Subdit: *Deum fessum blasphemiis & irrisionibus sui & sanctæ Romanæ Ecclesiæ nominis, monere voluisse Romanos Proceres, ut res* 1519.

I. §. 53. §. bb. 1519. *Ecclesia posito joco & ludo, aliquando serio currerent, antequam eliciant sanguinem, dum nimium emungunt Germaniam. Quare & ego* (scribit) *horum Theologorum Laicorum* (id est, Statuum Imperii) *exemplo pulcherrimo, longissime, latissime, profundissime distinguo inter Romanam ecclesiam & Romanam curiam. Illam scio purissimum esse thalamum Christi, matrem Ecclesiarum, dominam mundi, sed spiritu, id est, vitiorum, non rerum mundi, sponsam Christi, filiam Dei, terrorem inferni, victoriam carnis. Et quid dicam? Cujus sunt omnia: juxta Paulum 1. Cor. 3. Ipsa autem Christi, Christus autem Dei.* Magistrum hic Lutherum agnoscat Maimburgius, etiam in definienda vera Ecclesia Romana, quemadmodum agnovisse in nupero tractatu deprehenditur, *curiam* a *sede* Romana distingvens.

§. bb.

Cochlæ. Acta disput. Lipsic. Ep. Luth. l. 1. Ep. Phil. Melanchth. ep. Ecbb. ibid.

Eares sic se habuit. Andreas Bondestein *vulgo a loco nativitatis in Franconia*, Carolostadius *dictus, Doctor & Archidiaconus VVittebergensis, ille, ipse, qvi primus, & omnium rabidissime a Luthero, (cujus tunc adorator erat) postea in diversas partes ivit, pro defensione thesium hujus novi Dogmatistæ contra Eccium scripserat; qvi illas fortiter oppugnaverat, & jam novum hunc adversarium rigide urgebat, satis prævidens, a Luthero desertum eum non iri. Itaqve cum Carolostadius, homo præceps, inflatus & vehemens, in replicis suis ad publicam disputationem cum Eccio provocasset, Lutherus aut diffidens Carolostadii viribus, qvas Eccio impares esse sciebat, aut honoris sui interesse existimans ut certamini huic misceretur, socium sese ad disputandum obtulit, idqve ipsum Eccius flagrantissime desiderabat. Neqve enim*

l. 5. bb. 1519. Cochlaus.

nim dubitabat, cum veritatem & Deum, cujus causam propugnaturus erat, in partibus haberet, qvin superior evaderet; idqve sæpe ei in ejusmodi conflictibus contigerat, ut nempe semper profundæ doctrinæ, excellentis ingenii, solidissimi etiam judicii & prodigiosæ memoriæ laude reportata discederet. Georgius, Dux Saxoniæ, Friderici Electoris patruelis, Lipsiæ ad ditionem suam pertinentis Dominus, duos tantæ famæ viros in certamen prodituros videre desiderans, arcem Lipsiensem omnemqve ad disputandum commoditatem & securitatem illis obtulit. Qvanqvam vero neqve Episcopus Merseburgensis, in cujus diœcesi est Lipsia, neqve hujus urbis Academia approbaret, qvod causa religionis populi judiciis exponeretur, processit tamen negotium, & dies dicta est XXVII. Junii; qva etiam antagonistæ comparuerunt. Luthero qvidem, cum spectator & testis tantum esse vellet, de securitate, qvemadmodum Carolostadio, non erat a Duce cautum; sed Eccius omnino cum Luthero congredi cupiens, facile id obtinuit, atqve ita iste in partes admissus est. Celebris hæc actio peracta fuit in cœnaculo arcis majori, præsentibus Duce, ejusqve Consiliariis, Magistratu, Doctoribus & Baccalaureis Academiæ, infinitaqve multitudine hominum ex vicinis oppidis accurrentium, qvo theses, de qvibus ultro citroqve disputandum erat, missæ fuerant. Conventum erat de forma & regula

Luth. in præfat. in T. I.

1519. *disputandi, ut nempe qvisque suo loco & ordine placide exponeret, qvæ adversario vel objicere vel objicienti respondere vellet. Scribæ constituti erant, qvi fideliter omnia hinc inde dicta notarent; id qvidem non lubenter concedente Eccio, qvi langvidam fore disputationem metuebat ob tempus scribis tribuendum. Lutherus etiam, qvi alios judices, qvam cœtum adsistentem, ferre nolebat, qvod idem erat ac nullum ferre, tandem tamen in universitates Erfurtensem & Parisiensem consensit, qvo Acta hujus disputationis ad decidendum mitterentur. Sperabat, utramqve sibi favituram; illam, qvod in ea studiis operam dederat; hanc, qvod ei cum Pontifice post abolitam sanctionem pragmaticam non bene convenire credebat. His ita constitutis, Carolostadius primus contra Eccium insurrexit, & postqvam ab utraqve parte protestatio facta erat, nihil esse statuendum contra sententiam & doctrinam Ecclesiæ Catholicæ, Eccius oppugnare dogmata Carolostadii & Lutheri cœpit, de libero arbitrio; qvod dicebant, sine gratiæ auxilio homines nihil nisi malum facere posse, nec solum sine illa, qvæ voluntatem movet, sed & sine illa, qvam Deus mentibus sanctificandis per Spiritum sanctum immittit, id est, sine charitate, ita ut homo, qvi hac careat, nil nisi malum facere possit, ad bonum vero voluntas nihil contribuat, nisi recipiendo gratiam, qvæ sola in homine operetur, ita tamen, ut*

nemo

nemo sit, qvantumcunqve justus & sanctus, qvi etiam in bona actione a Deo producta non peccet. Haec thesis ventilata fuit usqve ad diem 4. Julii, qvo Carolostadius admodum duriter ab Eccio tractatus, & fatigatus disputationis finem fecit. Rediit ad eam die 14. & 15. Julii non majori successu. Interim Lutherus locum ejus occupavit, tenuitqve decem diebus. Singulis vero diebus mane & a meridie disputabatur, scilicet de purgatorio, qvod Lutherus negabat ex sacra Scriptura probari posse: de indulgentiis, qvas inutiles esse statuebat; de remissione pœnæ, qvam inseparabilem a remissione culpæ esse dicebat, & porro inferebat, qvod eam qvilibet Presbyter non minus ac Pontifex dare posset: de pœnitentia, qvam semper a charitate seu amore incipere debere asserebat, non vero a metu, talem enim falsam esse: de primatu Papæ, qvem nonnisi jure humano, neqvaqvam vero divino niti contendebat. De hoc articulo omnium vehementissime & diutissime disputatum fuit, & ex actis apparet, utrumqve disputatorem, unum, dum bonam causam defenderet, alterum dum oppugnaret, multum ingenii & eruditionis ostentasse, hoc tamen cum discrimine, ut facile conspiciatur, veritatem a solidæ doctrinæ viro, qvalis Eccius erat, defensam, erroris victricem fuisse, qvam vis error scientia & subtilitate pulchri ingenii sustineretur.

1519.

§. LIV.

1519.

§. LIV.

Moneo primo: erratum esse in voce *Bondestein*, scribi enim debet *Bodenstein*: dein qvamvis Carolostadius adorator Lutheri a Maimburgio dicatur, constat tamen, illi ut ætate & dignitate antecedenti a Luthero honorem delatum esse, *Præceptorem enim & majorem suum in Christo* eum vocabat. *Lib. I. Ep. 84. Tom. I. f. 385. b.* Erat nempe Canonicus & Archidiaconus in Ecclesia collegiata omnium sanctorum, a Friderico Electore non tam fundata, qvam restituta & aucta, & cum Decanus esset, Luthero Doctoris Theologi titulum anno 1512. contulerat. Occasionem disputationis Lipsiensis verum est a Carolostadii thesibus ortam. Eccius enim Augustæ cum Luthero comiter conversatus, vel ad disputandum cum Carolostadio sese obtulerat, ut in relatione Germanica *Tom. I. Alt. f. 124.* memoratur, vel a Luthero ipso ad id inductus fuit, ut ex hujus literis ad Joh. Egranum *Lib. I. ep. 88.* colligitur. Sed Eccium sive disputandi pruritus, sive, qvod ei Lutherus sæpe exprobravit, flagrantissimum gloriæ studium, & adulandi curiæ Romanæ & honores opesqve oppresso Luthero qværendi propositum eo perpulit, ut cum Luthero publice congredi vellet, ideo & theses illas XIII. *fol. 241.* jam vulgaverat, qvæ postea Lipsiæ disputatæ fuerunt, & apud Georgium, Principem Sax. effecerat, ut Lipsiensem Academiam ad locum disputationi concedendum, invitam licet, permoveret, ut ex Eccii ad Lutherum epistola d. 19. Febr. scripta *Tom. 1. f. 387.* videre licet. Dein cum Lutherus, ut comes Carolostadii, sed non ut ipse disputaturus Lipsiam veniisset, & nisi salvo conductu speciatim accepto disputare nollet, etiam hunc ei Eccius impetravit. Qvapropter incertum est, qvod Maimburgius putat, Georgio Duci id destinatum ab initio fuisse, ut Eccius cum Luthero concurreret. Theses Carolostadii & disputata cum eo, integre licet tunc edita, in Actis Lutheri non extant sed Lutheri saltem & Eccii Disputatio *Tomo I. fol. 242. seqq.* legitur. Adjunctus etiam est *fol. 292.* sermo Lutheri, compendium qvoddam disputationis complectens, *in festo Petri Pauli*, adeoqve ante disputationem suam in sacello arcis, rogatu Ducis Pomeraniæ Barnomi, qvi Wittembergæ studiis operam dans, & tunc honoris causâ Academiæ Rectoratum gerens, Lipsiam venerat, habitus. Nam in templis urbis concionandi facultas concessa non fuit Luthero, qva tamen Eccius in rem suam strenue & sæpe

usus

 I. § 54. § 55.

usus est, aliaqve pro concione, alia in disputatione statuisse perhibetur. Qvod disputationem & disputatores ipsos attinet, sperni video a Maimburgio Carolostadium, sed Lutheri & Eccii ingenium ex æqvo laudari, veruntamen palmam veritatis Eccio, ut supra jam dictum est, tribui. Qvam sincere, nescio; nam concilia supra Papam evehentem, & infallibilitatem ei negantem Lutherum publice nunc sequitur ipse Maimburgius. Cæterum optandum foret, ut Acta disputationis, & qvæ Lutherus vel ante vel post eam ad sententiæ suæ defensionem commentatus est separatim ut olim edita, in multorum versarentur manibus, qvæ nunc aut vastis Tomorum voluminibus inserta, aut perditis veteribus editionibus, fere in oblivionem venerunt. Nam etsi Luthero adversa & suspecta Lipsiæ erant fere omnia, ita ut favore & applausu caruisse ipse ingenue agnoscat; dixit tamen, qvæ ingenii & doctrinæ copiam ita ostenderunt, ut nec adversarius die 23. Jul. ad Electorem postea scribens, laude ejus plane potuerit abstinere, etsi Carolostadio nil nisi insciciam adscribat. Excresceret ultra, qvam ferre possim, labor meus, & libri modus, si saltem maxime notabilia adscribere vellem. Interim verum est, Eccium, qvod voluerat, obtinuisse, nempe, ut ex Luthero eliceret, qvæ Romæ condemnationem ejus maturarunt, & qvæ, si aulæ consiliis sese accommodasset, tacere debuisset. Inter hæc omnia odiosissimum erat, qvod decreta Constantiensis concilii contra qvosdam Husi articulos, in dubium vocaret. Hoc enim statim d. 23. Julii Eccius in literis ad Electorem, & ad Hochstratenum d. 24. Julii *Tom. I. fol. 360.* qvestus est. Periculose etiam laborabat Lutherus in evitando fulmine excommunicationis, qvod Bulla nupera Leonis in dissentientes circa dogma indulgentiarum intentabat; *(fol. 282. & seq.)* Si enim etiam huic aperte contradixisset, actum de ejus statu & securitate fuisset, nondum obfirmato ad censuras Papales spernendas Principum consilio. Ad amicos autem scribens, reprehendit stylum Bullæ, qvæ pro decidendi ratione non sacræ Scripturæ testimonium, sed immemorabile tempus allegabat. Vide *Lib. I. ep. 84. p. 135. b.* 1519.

§. LV.

Expedire puto, ut qvædam ex Lutheri relatione de hac disputatione apponamus. Scribens igitur Spalatino d. 21. Jul. *Lib. I. ep. 114.* Eccium prævaluisse fatetur Carlstadio, voce & gestu, *sed* (per Deum jurat)

I. §. 55. 1519. literæ de successu disputationis, queritur de Eccio; Hic se purgat: Lutherus prolixe refert ad Spalatinum

jurat) *hunc egregie & locupletissime adductis libris argumenta sua defendisse, & solvisse contraria:* adactum vero, poscente Eccio & acclamantium tumultu, ut absqve libris postea disputaretur, eoqve factum esse, ut Eccius memoria & lingva validior speciosius pugnaret. In fine, pergit, subdolus homo (*Eccius*) omnia concessit, qvæ Carlstadius arguebat, qvæ tamen fortiter impugnaverat, & omnino per omnia cum eo consensit, glorificatus, qvod in suam sententiam pertraxisset Carlstadium. Nam Scotum cum Scotistis, & Capreolum cum Thomistis rejecit, dicens, cæteros Scholasticos idem & sapuisse & docuisse, qvod Carlstadius, ita cecidit tunc Scotus & Capreolus, id est, duæ celeberrimæ factiones Thomistarum & Scotorum. Qvod vero hic privatim ad Spalatinum scripsit, publice Eccio objecerat, die 6. Julii *fol. 255.* Iste, *dicens*, articulus (de divisione operum in bona & mala ratione subjecti operantis) triumphatus est præcedente hebdomate, ita, ut egregius D. D. Joh. Eccius (semper enim honorum titulis mutuo utebantur) coactus sit Scotum & Scotistas, Capreolum & Thomistas cum universis suæ factionis Doctoribus celebrioribus repudiare, & Antagonistæ consentire. Qvanqvam id Eccius audacter negarit. Sed & postea de hoc ipso inter se in scriptis publicis certarunt, & Lutherus sophisma Eccii, qvo elabi voluit, vehementer improbavit, indeqve Sycophantiam & hypocrisin ei attribuit, epistola adversus eum edita. *Tom. I. f. 369.* Cum enim Lipsiæ in disputatione cum Carolostadio fassum esse Eccium Lutherus dicat, liberum arbitrium sine gratia non posse nisi malum facere: Eccius edita, qvam vocavit *expurgatione*, id ita est interpretatus, ut *malum* idem sit ac *non meritorium*, id est, indifferens, vel ita saltem bonum, ut gratiam mereatur, qvam Scholastici vocant, *de congruo*. *Expurgatio* vero ista Eccii opposita erat alteri Lutheri Epistolæ ad Spalatinum, in qva de disputatione Lipsiensi amplam satis relationem fecit *die assumtionis Mariæ*, id est, d. 15. Augusti. *Lib. I. ep. 116.* Præfixa est eadem Resolutionibus post disputationem *Tomo I.* editis *fol. 294. & seqq.* Ex hac inter multa notatu digna, brevitatis studio pauca excerpemus. Disputationem perditionem temporis fuisse, *ait*, non inqvisitionem veritatis, neqve scopum fere ullum ab Eccio tactum, & conclusiones suas

a Wit-

a Wittenbergensibus per annos duos multo acrius & validius oppu- 1519.
gnatas fuisse, quas Eccius vix in facie cutis leviter perstrinxerit, no-
tissimis & vulgo proculcatis argumentis utens. *Addit tamen*: Ita
me Deus amet, fateri cogor, victos nos esse clamore & gestu. Con-
cedit adversarium in literis humanis & scholasticis varie & copiose
eruditum, sed sacrarum literarum inanem esse disputatorem, & im-
peritiæ suæ credibilia nimis testimonia in papyrum effudisse: sibi qui-
dem soli (*quod objiciebatur*) se non vendicare Scripturarum sacrarum
scientiam; arbitrari tamen, se in sacris literis tantum versatum & ex-
ercitatum, ut de Scholastici Theologi sententia, qui sacras literas vix
a limine salutaverit, possit sine periculo pronuntiare. Carolostadii
vero propositiones (*ait*) velint nolint, testari coguntur, domum salvas
rediisse, nec una vel syllaba refutatas, licet crudas eas devorare Eccius
statuerit. Repetit aliqva de artificio, qvo consentire sibi Carlstadi-
um finxisset Eccius, cum ipse Carlstadio cessisset, approbata *Gregorii*
Ariminensis, adversantis omnibus Scholasticis sententia, & qvidem
necessario, *nisi Pelagianus Ingolstadium reverti* voluisset. De indul-
gentiis (*scribit*) pene concordamus, qvæ & prope in risum abierunt,
siqvidem & ipse (*Eccius*) palam in vulgus qvoqve concionatus est, non
esse qvidem eas contemnendas, nec tamen iis fidendum. Qvomodo
si fuissent per indulgentiarios prædicatæ, nec Lutheri nomen hodie
ullus forte nosset. *Et postea*: de primatu Ecclesiæ Romanæ acrius
certatum est. Ego primatum honoris non negavi, nec potestatis de-
di, saltem jure divino, nihil repugnaturus, immo constanter confes-
surus ac defensurus, si facto vel jure humano eum habeat. Nihil enim
minus qværo, qvam ut a summa sede S. Petri & Pauli ulla causa qvis-
qvam recedat, aut obedientiam debitam subtrahat. Solum ne tot
sanctos Patres in cœlo regnantes, qvi in Oriente viventes, sub Roma-
na sede non fuerunt, contra jus divinum egisse concedam. Ille con-
tra jure divino utrumqve conatus asserere, cum multas autoritates
Patrum converheret, inventum tandem est, eos ambiguos & varios es-
se, inqve alteram sententiam aliqvando videri inclinasse. Exponit
inde, qvæ *de conciliis* disputata sunt, & contrariari sibi *Constantiense*
& *Lateranense* monstrat; distinctionem vero Eccii irridet, qva conces-
sit, *Papam non esse Episcopum universalem, sed tamen universalis Eccle-*
sia. Georgium Ducem laudat, qvod Principali clementia & munifi-

I. §. 55. §. 56. 1519. narrat Georgii Ducis dictum, recenset perversas Scholasticorum opiniones. §. 56 Epicrisis quædam,

centia nihil omiserit qvod ad felicissimum disputationis eventum facere potuisset: narrat etiam, ut Princeps convivio exceptum se & Eccium manu palpaverit, & disputationis eorum recordans dixerit, *sive hoc sit jure divino sive humano, Romanus Pontifex est & manet summus Pontifex. Ita vere dixit* (ait Lutherus) *& non leviter inutilem hanc nostram disputationem insigni hac modestia taxavit.* In secretiori vero illa, qvam supra allegavi, epistola d. 21. Julii data, ad Spalatinum retulit etiam alia a Principe sibi adversus doctrinam suam objecta, aliorum scilicet instinctu. Nec ego eram, *ait*, tam stupidus, qvi non distingverem inter fistulam & flatum, doluiqve optimum & piissimum Principem alienis ita patere & parere affectibus, qvem videbam & expertus eram satis principaliter loqvi, qvando sua loqvebatur. Deniqve ad Carlstadii propositiones rediens, hæc scribit: Sufficit mihi, qvod carnifex illa conscientiarum Theologistria, cui totum debeo, qvod conscientia mea patitur, cecidit in hac disputatione: Nam prius didiceram, meritum aliud esse congrui, aliud condigni; facere hominem posse, qvod in se est ad obtinendam gratiam, posse removere obicem, posse non ob cem ponere gratiæ, posse implere præcepta Dei, qvoad substantiam facti, licet non ad intentionem præcipientis; liberum arbitrium posse in utrumqve contradictorium; voluntatem posse ex puris naturalibus diligere Deum super omnia, posse ex naturalibus haberi actum amoris, amicitiæ, & id genus monstra, qvæ pro primis ferme principiis feruntur scholasticæ Theologiæ, & omnium libros & aures impleverunt. At strenue ceciderunt, sine ullo ferme Martè, conterriti ad solum conspectum duarum propositionum illarum, qvarum prior hæc Augustini: liberum arbitrium sine gratia nihil valet, nisi ad peccandum; Posterior Ambrosii hæc: liberum Arbitrium sine gratia tanto citius propinqvat iniqvitati, qvanto fortius intenderit actioni.

§. LVI.

Hæc & alia plurima pro Lutheri sententia defendenda postea publicata, si cum narratis Maimburgii conferantur, apud æqvos judices facile evincent, qvam nihil ex illis veritati christianæ & pietati adversum erui possit; & sophismata esse, qvæ tunc Eccius, & post illum tot alii, ad tuenda Scholasticorum commenta, & ad lucem veritatis obfuscan-

scandam, tanto nixu & acumine procuderunt. Etiam Pallavicino, qvi *Lib. I. cap. 15. & 16.* nihil non movet, qvo Eccii partes tueatur, non magno negotio responderi posset, nisi id controversiarum potius tractatoribus relinqvendum esset. Mirari se dicit *cap. 17. n. 4. qvod homines ingeniosi atqve eruditi, qvales erant*, ut ait, *Lutherus & Melanchthon, in confutationibus subtile cum sophistico male confuderint.* Exemplum autem paulo ante attulerat, de distinctione inter *totum & totaliter*, per qvam Eccius effugium qværebat, concedens, Deum *totum* operari in homine per gratiam, sed non *totaliter*. Hanc distinctionem subtilem esse dicit, non sophisticam; Eccius enim adversus Melanchthonem (ut postea referemus) scribens, ita tueri voluit inventum suum *Tomo I. fol. 363. b.* Cum bonum opus dixissem totum esse a Deo, „ non totaliter, irridet Grammatista hoc, velut commentum indignum „ majestate theologica, cum in disputatione clare me exposuerim. Ne- „ scit essentiam Dei videri totam a beato, at qvia non comprehenditur „ a beato, non videtur totaliter. Qvidditas generis est tota in una „ specie, sed non totaliter, cum etiam sit in alia. Sic anima est tota in „ manu, non sic, qvin etiam sit in pede. Sic bonum opus est totum a Deo, „ non tamen sic, qvin etiam sit a libero arbitrio, qvia simul agunt non „ vicissim, mixtim, non sigillatim. Id expresse ait Bernhardus perti- „ nentissime ad propositum. Sed de hoc in additionibus plusqvla di- „ *Add.* cam, & infra §. 59. Melanchthonis judicium referam.

§. cc.

Certum est, etsi (ut in plerisqve talibus disputationibus fieri solet) utraqve pars victoriam sibi tribueret, qvod tamen Dux Georgius magis qvam unqvam firmus post hanc disceptationem in fide Catholica perstiterit, & præter Universitates Lovanii & Colonia, etiam Parisiensis, cui judicium de doctrina Lutherus detulerat, aliqvo post tempore eum condemnaverint, ut ex iis, qvæ in hac historia sequentur, constabit.

L. §. 57. §. 58. 1519.

§. 57. examinatur diversum Pallavicini judicium. Episc. Brandenburg. irx. § 58. Excerpta ex defensione

§. LVII.

Verum est, qvod Dux Georgius pertinaci adversus Lutherum odio grassatus sit, sed de hoc non haberet, qvod glorietur Maimburgius, si ad deplorabilem exitum Principis respexisset, qvem Lib. III. ipse refert, minus etiam, si eandem Lipsiam, post annos viginti (ut ipse itidem narrat) una concione Lutheri reformatam cogitasset. Acutius vidit Pallavicinus, qvantum nocuerit hæc disputatio Pontificiis partibus. Qvapropter *cap. XIV. n. 9.* prudentiam Episcopi Merseburgensis laudat, disputationem, qvantum in se erat, impeditum euntis. Scribit enim; (qvod ob pares nostrorum temporum casus notari meretur)

Add.

„ Huic congressui obstitit Episcopus Merseburgensis, in cujus Diœcesi
„ Lipsia sita est, nec certe sine causa: etenim, ut in locis, ubi permissu
„ Principum hæresis grassatur, hæ concertationes incredulis lucem af-
„ fundunt, ita, ubi catholica religio sola dominatur, sinceros fidelium
„ animos importunis nebulis involvunt, atqve in controversiam revo-
„ cant id, qvod pacifice possidebatur. Et *cap. XVII. n. 6.* fatetur publicatis actis disputationis in dubitationem adductos qvosdam fuisse, circa eos articulos, qvos antea pro compertis recipiebant, dum qvædam ex argumentationibus vel solutionibus Eccii minus inexpugnabiles videbantur. Inter inimicissimos Lutheri post disputationem hanc locum sumsit, de qvo huc usqve bene confidebat, *Hieronymus Episcopus Brandenburgensis*, ab Eccio incitatus, qvem dixisse refert Lutherus *Lib. I. ep. 118. & 121. non reclinaturum se caput, nisi prius Martinum in ignem conjecerit, sicut titionem ipsum, qvem, hæc dicens, simul in ignem misit.*

§. LVIII.

Ex iis, qvæ post publicata acta disputationis prodierunt, brevis sed tersa est Lutheri defensio, cui, ut supra dicere cœpi, *Minoritarum* theses Luthero oppositæ, sed ut ipse conjecit, ab Eccio elaboratæ, occasionem dederunt *Tomo I. Jenensi fol. 227. b. & seqq. & Tom. I. Witt. f. 356.* ubi recte postponitur Actis disputationis. In hac & de primatu Papæ, & de libero arbitrio & gratia divina egregie & cordate dis-
„ putat, soli Scripturæ palmam deferens. Scribit enim: Plus mihi va-
„ let unus locus Scripturæ, qvam omnes Doctores per Eccium adducti,
„ qvanqvam nec ipsos recte adduxerit. Adducat mihi, ait, vel unum

Scri-

Scripturæ locum, in qvo Petrus Petra dicitur, petra enim est Christus 1519.
1. Cor. 10. Omittimus alia adversus primatum, qvem juris divini esse pernegat; humano vero jure admittit. De libero arbitrio scribit
fol. 235. b. Scito, lector. & certus esto, Eccium nihil prorsus in hac re dissentire mihi, nisi ad meram vocem & speciem. Qvod ut noscas, advertе: Eccius Lipsiæ concessit, liberum arbitrium ante gratiam non valere, nisi ad peccandum. Ergo non valet ad bonum, sed tantum ad malum. Ubi ergo libertas ejus? nam omnis homo, saltem rudis, audiens liberum arbitrium, intelligit, ipsum æqve posse in bonum, & in malum, prorsus non cogitans, qvod solum possit in malum. Inde procedit in fiducia sui, præsumens, posse se ad Deum ex suis viribus converti. Hæc esse impia Eccius bene novit, nec tamen Fratres erudit, sed eorum erroribus impiissime cooperatur. Dico ergo, qvod homo habet liberum arbitrium, non qvia sit modo, qvale fuit in Paradiso [de qvo loqvitur Eccles. 15. per Eccium inductus] sed qvia fuit liberum, & potest fieri per gratiam iterum liberum: alioqvi vere est servum arbitrium. Non ergo liberum arbitrium, tam a facto esse, qvam a debito esse dicitur. Unde Augustinus L. 2. contra Julianum, vocat ipsum servum arbitrium. Et Christus: Qvi facit peccatum, servus est peccati. Et iterum: Nemo potest accipere qvidqvam, nisi ei datum fuerit. Joh. 3. Sicut ergo civitas devastata, vel collapsa domus habet qvidem nomen & titulum, qvem prius habuit & posterius habebit, non tamen idem potest qvod prius, ita liberum arbitrium. Qvid autem cum indoctissimis Fratribus agam? Eccius respondeat, si liberum arbitrium est liberum, cur in potestate Pauli non fuit, *Rom. 7.* facere qvod volebat? cur servit peccato, qvod odiebat? Ecce in gratia Apostolus captivum se dicit in lege peccati; & tu homini peccatori tribuis liberum arbitrium? Sed iterum, si liberum est arbitrium, cur oramus: Sanctificetur nomen tuum: fiat voluntas tua? An, ut facilius possimus, sicut Pelagiani dixerunt? Si oramus, impossibile est qvod oramus, ac per hoc nullo pacto in libertate nostra. Qvid moror? Augustinus dicit, contemnendos esse, qvi ex malitia resistunt veritati, docendos, qvi ex ignorantia. Eccius autem hæc non ignorat, ut dixi. Qvando ergo sancti Patres liberum arbitrium defendunt, capacitatem libertatis ejus prædicant, qvod scilicet verti potest ad bonum per gratiam Dei, & fieri revera liberum, ad qvod creatum est.

Memo-

1519. Memorabili etiam cum libertate de restricta plebanis [sive ordinariis Pastoribus] absolvendi potestate qveritur *fol. 234.* & adducto loco Cypriani, adversus evocationes causarum pœnitentialium statuentis, singulis Pastoribus adscriptam esse portionem gregis, subjungit:

„ Vides unicuiqve Pastori portionem gregis adscriptam, at nunc unus
„ grex qvatuor, immo centum Pastores vel depastores habet. Vides nul-
„ lum casum reservatum, sed in sua Ecclesia qvemqve debere pœnitere.
„ Si hoc est contra jus divinum, Cyprianus est hæreticus in hoc dogma-
„ te, qvod & Nicænum concilium constituit. Nec est, qvod garrit Ec-
„ cius, disciplinam Christianam everti hac sententia. Cur Cypria-
„ nus eam & Nicænum concilium non evertunt? Imo per Romanam
„ curiam & casuum reservationem disciplina evertitur. Si servaretur
„ hoc Cypriani & concilii Nicæni decretum, minus impunita esset pec-
„ candi hodie licentia. Plebani nullam habent potestatem, paulo ma-
„ jorem Episcopi, totam Romana curia. At illic nemo disciplinatur, sed
„ pro pecuniis omnia peccata venduntur, ubi est urbs mere indulgen-
„ tiis, id est, disciplinæ eversionibus plena, usqve ad clamorem in cœlum.

Addit deniqve 24. articulos hæreticos, qvos ex Eccii & monachorum assertis deduxit *f. 238.* Plura annotatione dignissima, ut prolixitatem vitem, prætereo.

§. LIX.

Tractus est occasione hujus disputationis in Theologorum lites *Philippus Melanchthon.* Is Lipsiæ, ut qvidem ipse scribit, ut ociosus spectator disputationi adfuerat, & in reliqvo vulgo sederat, *(fol. 365. b.)* qvanqvam alii tradant succurrisse eum non parum Carolostadio, & ab Eccio increpatum propterea fuisse, dicente, *Tace tu Philippe, ac tua studia cura, nec me perturba.* Observaverat autem & excerpserat qvædam; cumqve se iis, qvæ de non publicandis actis disputationis inter partes cauta erant, teneri non putaret, relationem per epistolam scripserat, judicii profecto & modestiæ plenam. Edita tunc est seperatim, & diem habet, non 25 Julii, qvi in Tomis erronee legitur, sed 21. nomen etiam ejus, ad qvem scripta fuit, exprimitur, nempe *Johannis Oecolampadii*, qvod in Tomis omissum est. Neqve enim dissimulat, a scopo aberrasse disputatores, & horum tamen omnium honorifice
„ meminit, ita claudens epistolam: Cæterum apud nos magnæ admi-
„ rationi plerisqve fuit Eccius, ob varias & insignes ingenii dotes. Ca-

rolo-

rolostadium de scriptis, credo nosti. Bonus est vir, & rara doctrina, 1519.
planeqve nonnihil extra vulgi aleam eruditus. In Luthero longo jam usu mihi familiariter cognito, vivax ingenium, eruditionem & facundiam admiror, sincerum & pure christianum animum non possum non deamare. Epistolam eam nescio qvomodo, statim nactus Eccius, edita d. 25. Julii excusatione *f. 363. & seqq.* acriter in Philippum invehitur, sed ut Grammaticum contemnit, ait enim: *Etsi Græce & Latine non sit indoctus, cum tamen non esse, cum qvo Theologus in theologico studio congrediatur.* Luthero eruditionis laudem in hoc scripto tribuit. Negat inter alia, qvæ de libero arbitrio concessisse Carolostadio dicebatur, & affirmat, *hunc tandem concessisse voluntatem habere activitatem ad bonum opus:* Scilicet, (ut ex disputatione apparet) *post gratiam.* Philippus adversus Eccianam inculpationem defensionem edidit, *fol. 364. b. & seqq.* qvæ indicio esse potest, an ut Grammatista exagitari ab Eccio meruerit: pauca ex illa adscribemus. Postqvam notasset, qvomodo Eccius non solum Patrum dictis abusus, sed & sacras literas audacius interpretatus sit, qvam ratio patitur; subjungit *fol. 365.* qvæ ad scholasticæ Theologiæ pulverem collata, purissimi auri pretium apud cordatos æstimatores obtinebunt: Plane eo sum in sanctas literas animo, „
ut nihil indignius censeam, qvam ipsas pro more humanarum fabula- „
rum in varios sensus dilacerari, imo, ut Penelopes telam texi & retexi, „
ut sua cujusqve fert libido; ut interim taceam, qvam sit impium, Scri- „
pturam rapi ad humanos affectus & sancta sanctorum prophanis ma- „
nibus, imo idolothytis violari. Qvo nomine ipse scit Eccius, qvid de- „
ploratæ qvæstionum Theologiæ debeamus, qvæ tam clementer affecti- „
bus indulget humanis, qvanqvam hujus se patronum & assertorem velit „
haberi. Postea de Patrum interpretamentis loqvens ita *f. 366.* scribit: Pri- „
mum non est cordi mihi cujusqvam autoritati qvidqvam derogare, ve- „
neror & adoro tot Ecclesiæ lumina, celeberrimos vindices Christianæ „
doctrinæ. Deinde puto non temere fieri, sicubi sententiis S. Patres vari- „
ant, qvemadmodum solent, ut judice Scriptura recipiantur, non ipsorũ, „
nempe variantibus judiciis, Scriptura vim patiatur. Qvandoqvidem u- „
nus aliqvis & simplex Scripturæ sensus est (ut & cœlestis veritas simpli- „
cissima est) qvẽ collatis Scripturis, e filo ductuq; orationis licet assequi. „
In hoc enim jubemur discere Scripturas divinas, ut hominum senten- „
tias decretaqve ad ipsas, ceu ad Lydium lapidem exigamus. Deinde ut „

L. §. 59. 1519.. omnino ad judicandas Scripturas adhibendi sint S. Patres, satius est ex
„ his locis Scripturæ sententiam colligere, ubi hoc ipsum agunt, ut e-
„ narrent, qvam iis, ubi vel rhetoricantur vel affectibus suis qvocunqve
„ modo indulgent. Qvemadmodum hoc & ipsi fere experimur, varie
„ nos Scripturam intelligere, qvia varie afficimur: jam hic, jam ille ar-
„ ridet sensus, qvia qvo qvemqve rapit affectus, in id incumbit, in eo se
„ multiplici animi cogitatione oblectat, & ut polypus, cuicunqve petræ
„ adhæserit, ejus colorem imitatur, ita nos qvorsum propensum animi
„ studium rapit, id omnibus viribus effigiare studemus. Jam qvoties
„ evenit, ut excipiat vim alicujus sententiæ propriam & sinceram mens
„ nostra, oblectetqve se paulisper in ea, mirabili qvodam modo; qvem
„ revocare postea elapsum prorsus neqvit. In eum modum sancti Pa-
„ tres & affectu qvodam rapti, in sensum non malum qvidem, sed im-
„ pertinentem sæpe numero Scriptura sunt abusi. Qvod ut non damno,
„ sic tamen recipio, ut in controversia parum valere arbitrer. Nam ut
„ Græci dicunt: καλὰς τρίχας, ἀλλὰ ἐκτὸς ὁδοῦ. Imo ausim & hoc
„ dicere, nonnunqvam sensu qvodam S. Patres interpretatos esse Scri-
„ pturas, qvem suggerebat & inspirabat vivax aliqvis affectus, qvi sen-
„ sus & verus sit, & non impertinens, qvem tamen nos homunculi ad li-
„ teram qvadrare non videmus, nempe alio nos nostra mediocritas ra-
„ pit. Est enim ejusmodi qvædam tacita mentis alimonia, & manna
„ qvoddam, qvod puto Paulum intellectum spiritualem vocare, qvæ
„ facilius sit percipere, qvam verbis delineare. Jam vero qvis non vi-
„ det, veteres liberrime Scripturis abusos, pleraqve temporibus plera-
„ qve dissensionibus hæreticorum data sunt, qvod genus exempla liceat
„ innumera producere. Neqve raro accidit, præsertim in recentiori-
„ bus, ut pugnet cum origine sua expositio qvæpiam. De Scholasticis
„ non est, ut multis agam, qvibus divinæ literæ qvidvis sunt potius,
„ qvam simplices, imo, nescio, qvem Proteum fingunt, dum eas in alle-
„ goricos, tropologicos, anagogicos, literales, grammaticales, histori-
„ cos sensus transformant, & transfundunt in, nescio, qvas lacunas.

Qvod vero qvæstionem de libero arbitrio, sive operatione Dei in ho-
mine attinet, illamqve Scholæ subtilitatem de *toto* & *totaliter*, ita se
„ defendit Philippus *fol. 365. b.* Susceperat Carolostadius defenden-
„ dam conclusionem suam undecimam, liberum arbitrium ante grati-
„ am non valere, nisi ad peccandum. Hanc oppugnabat Eccius, qvam

vides

vides de humanis viribus propositam, atqve adeo de justitia humana, 1519.
seu merito congrui. Neqve jam disputo, accedat peculiare auxilium,
nec no variant; enim & ipsi qvæstionum Magistri. Certe magno con-
sensu Scholæ id peculiare auxilium gratiam Jesu Christi esse non per-
mittunt. Atqve id erat, qvod avidi auditores expectabamus. Qvod
lectorem ad suam conclusionem celegat, nemo tam stupidus est, qvi
putet, Carolostadium Eccianam conclusionem defendendam suscepis-
se. Ab illo instituto in angustias qvasdam, an recipiat voluntas tan-
tum, causa sensim tracta est, cum in Carolostadii conclusionibus unica
est, qvæ obiter causatur, totum opus bonum a Deo esse, atqve eam
ipsam Eccius largitus est, modo non sit opus divinitus totaliter. Ego
vero certum habeo, Carolostadio nunqvam in mentem venisse, cau-
sam in has ymplegadas cogere. Credo, permovit eum, ut diceret,
atqve id recte, totum opus bonum a Deo esse, propter Eccii propha-
nam scholam, qvæ gratiæ & naturæ opera non distingvit, nisi respe-
ctu rationis, ut vocant, planeqve eadem specie censet actus, qvos cum
natura citra gratiam, tum voluntas & gratia efficiunt. Hic vero tu-
tandus seu excusandus erat Barbarus ille Heraclitus, Scotus, qvem me-
ministis in rhapsodiis suis qvam Christiana hac de re doceat. Non
displicuit argutia de toto & totaliter, nempe festiva, eoqve ipso gra-
tior, qvod nova est & digna Eccii professione, penes qvem hodie cum
rerum, tum verborum arbitrium est. Jam qvod docet, inter illa qvid
interfit, non est ingratum amici studium, qvanqvam jam olim Por-
phyrium didicimus, & nunc ad id genus nugalia theoremata revocari
molestum est. Porro, qvia necesse erat novis glossematis & plane fi-
ctitiis asserere vim liberi arbitrii, qva bonum efficiat, cum receptissi-
mum sit, & apud Scholasticos vel summæ notæ, nempe Occamicos,
qvosdam voluntatis actus tantum recipi. Denique (ut omittam, qvæ
de dicto: *Tues Petrum*, doctissime commentatur) ad objectam Theo-
logiæ imperitiam ita respondet *fol. 367.* Qvod vero crassiores nos
putat, qvam ut de sublimibus Theologorum qvæstionibus aliqvid at-
tingamus, non displicet: modo permittat, & vulgus Christianum de
piis nonnunqvam qvæstionibus colloqvi, atqve adeo nos, qvi a theolo-
giæ studiis non omnino abhorremus, id genus sacris deliciis animum
nonnunqvam pascere. Qvanto satius erat parvulos, in qvibus nos
qvoqve sumus, favore ac studio animare ad pias literas, imo etiamsi

1519. qvid delinqverent per imprudentiam, connivere, qvam hujusmodi
» tragicis vocibus deterrere Addo etiam Lutheri de hac Philippi &
» Eccii concertatione judicium *ex Resolutionibus*, Spalatino *fol. 298. b.*
» inscriptis: Vidisse te credo Eccii excusationem adversus Philippum
» nostrum, satis dignam Ecciano ingenio, in qva homini etiam in sacris
» literis terqve qvaterqve omnibus Ecciis doctiori, deniqve & sordidæ
» illius Eccianæ theologiæ non ignaro, opprobrat pro magno vitio
» Grammaticam professionem. Tam recto sunt judicio Magistri illi
» nostri eximii, ut eruditionem metiantur secundum qvalificationes
» suas & inanes titulos. Conatus est & eundem mihi invidiosum red-
» dere, dum mihi & ingenium & eruditionem, nescio qvantam, tribuit.
» Nam ut hoc etiam scias, me qvoqve nonnihil gloriæ retulisse ex dis-
» putatione ista. Tribuit mihi Eccius eruditionem, tribuunt & Lipsi-
» enses, adeo (qvantum fama cepi) ut nisi Eccio subsidiarias opes suffe-
» cissent ipsi, fateantur Eccium a me fuisse prostratum, atqve ita vicio-
» ria jam ab Eccio in Lipsienses incipit migrare. Rursus dicitur, illum
» magnificum contemtorem Lipsienses habuisse pro bonis qvidem ho-
» minibus, sed in qvibus longe plura speraſſet, & se solum omnia feciſſe.
» Ita vides novam qvandam Iliada & Æneida illos cantare, & me saltem
» Hectora & Turnum arbitrari, qvo illum Achillem & Æneam statuant,
» nisi qvod in hac victoria fluctuat, an suis id Eccius præstiterit, an Li-
» psiensium viribus & copiis. Certum est ipsum solum semper clamas-
» se, illos autem semper tacuisse. Putasne magnas me illis debere gra-
» tias? Sed redeo ad Philippum; qvem tantum abest, ut ullus Eccius mi-
» hi reddere possit invidiosum, ut in omni mea professione nihil ducam
» antiqvius Philippi calculo, cujus unius judicium & autoritas mihi
» stant pro multis millibus sordidorum Ecciorum. Neqve me pudet,
» etsi Magistrum artium, philosophiæ & theologiæ, & omnibus pene
» Eccii titulis insignem, si hujus mihi Grammatistæ dissenserit ingeni-
» um, meo sensu cedere; qvod & sæpius feci, & qvotidie facio, ob divi-
» num donum, qvod Deus in hoc fictile vasculum (Eccio qvidem con-
» temtibile) larga benedictione infudit. Philippum non laudo, crea-
» tura est Dei, & nihil, sed opus Dei mei in ipso veneror. Nec Ecci-
» um vitupero, sed crassas istas seminandæ discordiæ & invidiæ concis-
» tandæ vafritias toto corde detestor abominorqve, qvas neqve fre-
» qventiores, neqve maligniores usqvam vidi, qvam in Eccio, qvibus &

pene

pene totius nostræ disputationis farraginem fermentavit. Nam hac 1519.
una sola pene re pessima potens est Eccius; ad rem Theologicam ὁ ὁ „
πρὸς λύραν. Hæc Lutherus. Etsi vero suspecta haberi possint ut ab „
amico Melanchthonis & inimico Eccii profecta, confido tamen, candida ingenia, qvæ Melanchthonis ista (qvanqvam nonnisi viginti trium annorum tunc juvenis) expendent, aliam longe eruditionem, piam nempe & solidam, qvam in Eccio aliorumqve ex difficilibus Scholasticorum nugis sapientium scriptis placitisqve deprehensura esse.

§. LX.

Sed Luthero multum laboris post disputationem accessit, referendi nempe, qvid actum esset, ut obtrectationibus responderet. Attulimus jam aliqva ex literis ad Spalatinum. Adjunxit iis, qvas d. 15. Aug. scripsit, *Resolutiones conclusionum suarum*, qvas Eccius impugnaverat *fol. 299. ad fol. 311.* In his statim ad concl. 1. profitetur, se Theo- „
logorum scholæ reverentiam omnem debere, veniam tamen petere, si „
divinas literas iis præferat. Concilia & Episcopos errare posse & er- „
rasse; se liberum ab illorum & Pontificum captivitate esse velle, & ve- „
rum profiteri, a qvocunqve adsertum sit, Panormitani exemplo, qvi „
statuerit, uni privato fideli, si meliorem habeat autoritatem & ratio- „
nem, plus credendum, qvam toti Concilio, aut Papæ. Hieronymi „
etiam effatum allegat: Orbis est major urbe: immo perspicue scribit, „
male damnatum esse Constantiæ Hussi hunc articulum: Papa non „
est jure divino super omnes ecclesias: cum tamen in eodem Concilio „
non sine manifesta, ut putat, contradictione decretum sit, Concilium „
esse supra Papam, qvod cum nuper mutatum sit in Lateranensi Conci- „
lio, incertos per vicarias conciliorum nostri seculi determinationes & „
reprobationes fieri christianos conqveritur, ubi qværendus sit Chri- „
stus, Ecclesia, Concilium, Spiritus Sanctus, & omnia in primum chaos „
confundi. Male etiam damnatum aliud Hussi dogma dicit, qvo o- „
mnes actus in *malos & bonos* [ex personarum nempe operantium qva- „
litate] distinxerat. Nam etsi bona sint opera sapientiæ & virtutum, „
qvæ mali faciunt, non bene tamen ab illis fieri: bona illa Dei dona, „
mala reddi vitio hominum. Porro omnem Christianum qvotidie „
pœnitere debere & qvotidie remissionem petere, qvia qvotidie peccat, „
non qvidem perpetrando crimina, sed non perficiendo mandata Dei. „

1519. Allegat D. Pauli exemplum, & illam renitentiam sive noluntatem carnis, de qva *Rom. VII.* qviritatur, in causa esse, ut numqvam impleatur „ lex Dei, hæc enim perfectam voluntatem reqvirit. Igitur *ait:* tantum tibi peccati est, qvantum est noluntatis, difficultatis, repugnantiæ: tantum tibi meriti, qvantum voluntatis, libertatis, hilaritatis. „ Tota noluntas est peccatum mortale, defectus totius voluntatis [qvæ „ in hac vita non datur] facit, ut semper peccemus, etiamsi bene agamus. Hæc est causa, cur non sit justus in terra. Reprehendit inde Theologos, qvi de rebus divinis humano modo loqvi, relictis Scripturis, maluerint, & *fomitem* non *peccatum*, sed *infirmitatem* vocaverint. Fatetur itaqve, *se nihil ex illa theologia didicisse*. Refutat, qvæ de levitate peccatorum venialium, & qvod Deus perfectam impletionem legis non reqvirat, huc usqve in scholis statuta fuerant, persistens in sententia, peccatum nullum sua natura veniale esse, & actum bonum totum & totaliter, qvicqvid garriant Sophistæ, a Deo esse, qva voluntas „ rapitur, trahitur, movetur per gratiam, atqve ita passiva sit, qvemadmodum serra tum demum secat, cum manu trahitur; tracta, *ait*, operatur, & serratio opus ejus esse dicitur, cum tamen mere patiatur. Fide vero sola justificari homines ideo dici, qvia corde creditur ad justiam, *Rom. X. 10.* Solo itaqve corde [qvod non operatur] nominato, „ excludi tacite cætera membra, qvæ operantur. Ad objectum Jacobi locum non saltem regerit, qvo Epistolæ ipsius autoritatem imminuat, „ [in qvo vix habet hodie, qvi eum seqvantur] sed hoc qvoqve: De fide „ viva loqvitur D. Paulus: nam fides mortua non est fides, sed opinio. „ At vide Theologos, hanc unam Jacobi autoritatem mordicus tenentes, nihil prorsus curantes, qvod tota alia Scriptura fidem sine operibus commendet. *Et postea:* Multo periculo opera præ fide prædicantur; fides autem sine opere nullo periculo prædicatur, propterea, qvod „ facilis est, & proclivis populus in fiduciam operum, & opera facile præponderant fidei. Ubi autem pura fides recte docetur, sponte sua & sine periculo venient opera, dum didicerint, majorem vim, immo totam in fide positam, qvæ facit opera. At nunc Ecclesia repleta est jactantia operum externorum, ut Christus de nostro tempore dixisse „ videatur: Filius hominis cum venerit, putas inveniet fidem in terra? „ Breviter: cum fides sit recta & bona opinio de Deo: opinio autem „ qvælibet per se solam hominem trahat in opera; non est dubitandum,

qvin omnia opera faciat, qvi fidem habuerit. Si enim opinio & amor 1519.
mulieris non sinit esse otiosum, sed sine lege & magistro facit plura „
qvam postulatur: qvomodo non fides multo magis idem præstet? „
Mundus regitur solis opinionibus suis, & sola fides non possit regere „
Christianos? Ex his jam tum scriptis, doctrina de fide, qvam con- „
stanter tenuit Lutherus, ita ob oculos ponitur, ut fundamentum ejus
nemini ignotum esse possit, simulqve appareat, qvam immerito hoc
dogma in tantam invidiam fuerit adductum, ac si omnem pietatem
subverteret: cum sanctius & efficacius argumentum pro bonis operi-
bus ex divinarum literarum regulis erui non possit. Sed non minus
clarum est odium doctrinæ huic inde natum, qvod ea admissa merce-
naria illa, per opera externa & in Cleri commodum cedentia pietatis
ostentatio funditus periret. Sed pergendum est; De Bulla Clementi-
na & declaratione ejus nupera Leonina, ita se expedivit Lutherus *ad*
concl. 10. ut dicat: Non esse in manu Ecclesiæ, nec Pontificis, articulos „
fidei statuere, & cum dicatur Ecclesiam non deseri a spiritu Christi, in- „
telligi id non posse de Papa & Cardinalibus, vel, *ut postea loqvitur*, de „
notariis & pœnitentiariis aut magistris palatii Papæ. *Interim se in* „
sententia stare, merita Christi nullius hominis potestate dispensari, „
nisi ministerialiter, cum absolutio confertur credentibus. Declara- „
toriam illam tamen *(Leonis)* non damno, *ait*, sed in suo sensu relin- „
qvo. Si autem aptata fuerit, ut contra prædicta militet, respuo, & po- „
stulo ut reddatur ratio dictorum; deinde ut ostendatur potestas fa- „
ciendi articulos fidei, aut proferatur probata revelatio; nudis verbis „
prohibet me Paulus credere. Iterum de autoritate Ecclesiæ *(ad concl.* „
12.) lu culenter respondet ad objectum illud Augustini dictum vulga-
tissimum: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoveret auto-*
ritas. Id enim voluisse, ut Manichæos toto christiano orbi adversan-
tes, per argumentum externum consensus illius universalis moveret,
ut Evangelium audirent, eiqve crederent, cum sine maximo Dei mira-
culo non esset factum, ut tot resistentibus tyrannis, tot morientibus
Christianis, Evangelium maneret. Crediturum autem fuisse Augusti-
num non dubitat, etsi totus orbis insaniisset contra Evangelium. Lo-
qvi igitur eum magis de probanda fide catholica, qvam de sua propria
fide. Deniqve & hoc modo stare Augustini dictum, qvia fides est ex
auditu, & sine prædicatione credi non potest. De potestate Pontificis

brevis

l. §. 60. §. 61. gustino, de primatu Papæ jure humano. §. 61 Responsio Lutheri & Ca-

1519. brevis est in hoc scripto, & allegat *resolutionem suam propositionis XIII.* separatim editam, de qva supra eg mus. Tandem vero ita conclu-
„ dit: In fine repeto, qvæ in principio dixi, me prorsus confiteri &
„ tueri primatum Romani Pontificis, qvantus qvantus est, fuit aut fu-
„ turus est, solum, qvod novum dogma esse cio. jure divino eundem
„ stabiliri, qvia nullus antiqvorum Patrum meminit ejus articuli fidei,
„ qvi tamen omnia tam pie & sollicite, qvæ nostræ fidei sunt, exqvisive-
„ runt, nec secundum eundem egerunt aut vixerunt, qvos omnes hære-
„ ticos dici nulla ratione patiar. Atqve indies magis mihi placeo & su-
„ perbus fio, qvod video, nomen pessimum mihi crescere. Veritatem
„ enim, *id est*, Christum, oportet crescere, me autem minui. Plus gau-
„ deo ad vocem sponsi & sponsæ, qvam tumultum & clamorem luxuri-
„ osorum procorum metuo; certus, qvod homines, qvi videntur mihi
„ adversarii, ipsi non sunt malorum autores, nec eos odio habeo, sed Be-
„ hemoth ille princeps malorum, qvi per umbras suas, ut video, vellet
„ mihi formidabilis fieri, si posset, & veritatem e regno suo mei occasi-
„ one exturbare; sed major est, qvi in nobis est, qvam qvi in mundo, qvo
„ duce, nihil proficiet inimicus iste, Amen. Versum etiam subscribit:
Præsens male judicat ætas, judicium melius posteritatis erit.

§. LXI.

Scripserat vero primus post disputationem, uti jam innui, Eccius ad Fridericum Electorem d. 23. Julii multa cum Lutheri infectatione, ita, ut libros ejus ne legendos qvidem sed comburendos esse Electori svaderet. Responsum come sed dilatorium tulit, qvod legitur *Tomo I. Altenburg. fol. 275.* Postea ad communicatam secum Eccii epistolam Lutherus & Carolostadius prolixe & acriter responderunt d. 18. Aug. ceu *Tomo I. Alt. f. 277. & seqq.* refertur. Replicavit hic d. 8. Nov. & eum qvidem in modum, ut nihil omiserit, qvæ & ad personam & ad doctrinam Lutheri infamandam possent conducere, adeo, ut in his literis compendium qvoddam fere omnium deprehendatur, qvæ ad hunc usqve diem in præcipuis, de qvibus controvertitur, articulis opponi vulgo Protestantibus solent. Historia etiam lucem ex illis accipit, & Eccius literas Lutheri tunc produxit, secunda post Martini feria 1518. ad se datas, in qvibus pactum se esse cum Eccio scribit, ut Lipsiæ vel Erfordiæ cum Carolostadio disputaretur;

ex

ex qvibus tamen non apparet, de qvo altercabantur, qvis nempe primam propoſitionem diſputationis Lipſiæ feciſſet, invitatum vero poſtea Lutherum ad diſputandum ab Eccio Lipſiam fuiſſe, ex hujus literis, qvæ *fol. 387.* extant d. 19. Febr. manifeſtum eſt: itaqve vere Lutherus Spalatino ſcribit, Eccii excuſationes elevans d. 3. Decembr. *Lib. I. ep. 131. Non obtulimus Lipſiam, ſed oblatam accepimus.* Adeo vero exarſerat in Lutherum calumniandi impetus, ut & levia & fortuita fœdis criminationibus a Lipſienſibus qvibusdam traducerentur, ita ut inter alia dæmoniacum aliqvid ei objicerent. Id etſi adſerere noluit Eccius, in literis tamen ad Electorem, qvas allegavimus, vaniſſime ſcribere non eſt veritus: habuiſſe Lutherum aliqvid filo & annulo argenteo, qvem digito gerebat, alligatum, qvod multis ſermonibus occaſionem dediſſet. Reprehenderant etiam, qvod ſertum odoris & ſpectandi gratia in manu geſſerat. *Lib. I. ep. 122. p. 213.* Lutherus ſane multum de iniqvo civitatis & Academiæ in ſe animo qveſtus eſt. Scribit enim in epiſtola ſupra allegata: *Lib. I. ep. 114.* Lipſienſes ſane nos neqve ſalutarunt neqve viſitarunt, ac velut hoſtes inviſiſſimos habuerunt: illum Eccium comitabantur, adhærebant, convivabantur, invitabant, deniqve tunica donarunt, & ſchamlottum [eſt telæ ſubtilioris tunc multum æſtimatæ ſpecies] addiderunt, cum ipſo ſpatiatum eqvitarunt: breviter qvicqvid cogitare potuerunt, in noſtram injuriam tentaverunt. Eccius vero apud Electorem de ſumtu qveritur, qvem privatus & pauperculus Sacerdos (ein armes Pfäfflein) in iter hoc feciſſet *Tomo I. Alt. f. 274.* Et ad Hochſtratenum *Tom. I. Lat. fol. 360. ſe ſolum non niſi æqvitate comitatum adverſus plures ſteriſſe jactat: Erant,* ait, *eorum plures; ipſi Doctores duo* (Lutherus ſcilicet & Caroloſtadius) *Dominus Langus Auguſtinianorum Vicarius, duo Licentiati Theologiæ, unus nepos Reuchlini, multum arrogans, tres Doctores juris, Magiſtri plurimi, qvi privatim & publice juvabant, etiam in ipſo facto diſputationis.* Extat vero etiam Nicolai Amsdorffii, Canonici tunc Wittenbergenſis, relatio de diſputatione hac. d. 1. Auguſt. ad Spalatinum ſcripta, in qva Lutherum Eccio ob eruditionem & eloqvium & memoriam tantum præfert, qvantum aurum luto. *Tom. I. Alt. fol. 276.*

§. LXII.

Sed novus & malignus adverſarius ex ejusdem diſputationis occaſio-

1519. caſione oblatus eſt Luthero *Hieronymus Emſerus* Svevus, Juris Canonici Lic. & Prof. Lipſienſis. Laudaverant Lutherum & animaverant Bohemi qvidam Doctores aut Eccleſiaſtæ ex illis, qvi *ſub utraqve* vocabantur, poſt finitum tumultum Huſiticum & Baſileenſis concilii tempora utcunqve tolerati. Extant duorum literæ *Tomo I. f. 387. & 388.* ad Lutherum Pragæ datæ, menſe Julio, qvas tamen Octobri demum accepiſſe videtur, *Lib. I. ep. 121.* in qva eos ob ſtylum & ſenſum *Enasmiſare* dicit. At Emſerus, qvem dixi, Romani ritus Doctori & Pragenſis Eccleſiæ Adminiſtratori Idibus Auguſti de Lipſienſi diſputatione ſcribens, id potiſſimum agebat, ut Bohemis iſtis opinionem, qva ſuperbire videbantur, adimeret, ac ſi Lutherus doctrinæ Huſiticæ conſentiret, aut eorum partes multum juvare vellet. Licet vero in hac epiſtola de Luthero ſatis honorifice locutus eſſet, eumqve & Eccium cum Xenophonte & Platone compararet, male tamen habuit Lutherum hoc Emſeri ſcriptum, ut ſubdola & maligna mente profectum, adeo, ut prolixa epiſtola *Tomo I. f. 370. ſqq.* id exagitaret, *Ægocerotis* ſive *Capricorni* nomen autori imponens. Solebat enim Emſerus, neſcio qva nobilitatis oſtentatione, libellis ſuis inſignia gentilitia præfigere, in qvibus caper ſaliens & cornupetens conſpicitur. Sed Lutherus ei aſſutam invidiam & effœminatam mentem exprobrat, qvod peſſima ſentiens & moliens, nulla tamen paterni ſangvinis vena, nec tanta virilitate præditus eſſet, ut aperto Marte ſecum congrederetur; itaqve blanditias ejus pro Judæ oſculis reputabat, ſegnemqve laudationem manifeſto poſtponebat vituperio. Dein minime ſeqvi ſcribit, ſi dogmata ſua Hæreticis Bohemis placeant, ideo hæretica eſſe. „Sic enim hæreticos fore viros eruditiſſimos in diverſis mundi partibus, qvorum literæ qvotidie ad ſe veniant gratulantium veritati, & id „unice (*ut ait*) timentium ne felicibus cœptis deſiſtat & palinodiam canat. O infelices vos, *addit*, & nihili Theologos, idolaqve mundi, qvi „ſacrarum literarum ignari Eccleſiaſticas ſententias non aliis armis „tueri poteſtis, qvam qvod timetis, indignamini, ſuſpicamini pueriliter „& muliebriter, placitura eſſe dogmata hæreticis. Hæc monſtra di„diciſſe illum dicit ab Eccio, qvi ſcientia Scripturæ inanis, robuſtius „argumentum Lipſiæ non habuerit, qvam locum illum communem de „hæreticis. Vagari per regiones ſua dogmata, & a Chriſtianiſſimis „multis, Gallis, Italis, Anglis, Germanis, Hiſpanis qvoqve, jactari, illos vero

vero Theologos Bohemicam fovere pertinaciam, qvi tam frigida & in- 1519.
constantia scribant: pigre enim confutare, esse bis confirmare. Cum „
vero Emserus narrasset, Bohemos sacra pro Luthero feciisse; ne id qvi- „
dem consensus argumentum esse regerit, se enim pro Emsero & Eccio „
magno affectu sacra facere, imo pro nemine ardentius qvam pro il- „
lis orare, qvemadmodum oraverit pro Tezelio, hujus Tragœdiæ autore; *Addit qve*: cujus anima sit in pace: decesserat enim mense Augusto „
hoc ipso anno Lipsiæ: Dogmata vero, qvæ Emserus in epistola sua le- „
viter tetigerat, percurrens, irridet argumentum ejus pro Pontificatu a sacerdotio Veteris Testamenti desumtum, & ad epistolam ad Hebræos eum ablegat, qvæ Christum ipsum veteris Pontificis loco exhibet. Non vestium, *scribit, fol. 374.* pompa aut potentiæ magnitudo, Novi „
Testamenti honor, sed figura fuit, & nunc ignominia est. Spiritus „
nunc regnat, qvi talibus umbris non eget, nec ornatur. Hanc glori- „
am Emserus noster fastidiens, honorem carnis & umbras rursus e Vete- „
ri Testamento suscitat. Pugnat dein argumento suo a Nicæno Con- „
cilio, qvod invictum esse dicit; & deplorat, qvod postea Romani Pon- „
tifices adeo pertinaces fuerint in primatu potestatis sibi acqvirendo, ut maluerint integram Græciam, Bohemiam, Galliam & omnes provin- „
cias fulminibus suis perdere, & excommunicare, qvam uno momento „
voluntatis suæ mutationem pati. Affert qvædam de suo in Theolo- „
gia studio, & in eo se Eccio præfert, Deo tamen omnia fert accepta & non hoc, sed Christi nomine gloriandum esse censet, in qvo fortissi- „
mus sit infirmissimus & viceversa: A nulla disputatione libentius se „
recessisse ait, cum non nisi pulverulenta & trivialia argumenta ab Ec- „
cio audivisset, qvæ in Summistis & Sententiariis tirones Theologi le- „
gant. Laudat Carolostadii divites & uberes solutiones. Denique „
totum Pontificii primatus arcanum revelaturus, nunqvam se creditu- „
rum esse contestatur, illum jure divino esse supra concilium. Vis sci- „
re, *scribit fol. 377.* qva causa? audi. A multis jam annis id qvæsitum „
est, per Romanos Pontifices & adulatores eorum, ut essent jure divino „
supra concilium, & super omnes in tota Ecclesia, super ipsam qvoqve „
universalem Ecclesiam. Qvid, putas, hac industria qværebant? nem- „
pe, cum eum, qvi sit jure divino superior, non liceat judicare, refor- „
mare, emendare; (ut sentiunt) jam qvodlibet audendi in omnibus re- „
gnaret potestas, sicut est dies hæc, staretqve in Ecclesia Dei horrendum „

L. §. 62. pro se allegent Pontifices. Laudat Parisienses ob libertatem adversus adulatores curiæ Romanæ: de Emseri replica, & de Lutheri scripto
1519.

"illud, ut Oseas dicit, & abominatio illa in loco sancto, scilicet impu-
"nita neqvitia & peccandi secura licentia. Qva qvid fieret, nisi Eccle-
"siæ vastitas & desolatio? Hac enim potestate, qvæ ad ædificationem
"solum data est, molirentur aliud nihil, qvam destructionem. *Et post*
"*alia:* Verbum Dei super omnes est, qvod si habet inferior & non supe-
"rior, cedere debet superior inferiori, idqve exemplo Prophetarum fir-
"mat, qvibus Reges & Sacerdotes cedere debuerint. Adde, *ait*, qvod
"potestas in Ecclesia nulla est, nisi pro coercendo peccato, qvod liget &
"solvat. Atqve hic audacter loqvar, & qvod tu cum adulatoribus Ro-
"mani Pontificis vehementer sis admiraturus, ac forte hæresin definitu-
"rus, dico, Pontifices primo teneri sub peccato mortali & reatu æternæ
"damnationis, ut resistant pestilentibus monstris Romanæ curiæ, qvi-
"bus passim venduntur omnia Christi, exuguntur populi, vorantur E-
"piscopatus palliis, sacerdotia annatis. Nec eos ullo pacto excusat
"superioritas Papæ, qvia plus debent supremo omnium Christo, id est,
"veritati, qvam ubi vident per Papam pessundari, & non succurrunt,
"rei sunt omnium malorum, qvæ Papa vel volendo vel dissimulando
"facit. *Pergit fol. 378.* Hinc multis nominibus commendanda est U-
"niversitas Christianissima Parisiensis, qvæ plus Principis omnium ve-
"ritatis & dominantis in Ecclesia verbi, qvam servientis potestatis per
"verbum constitutæ, cura sollicita, Leoni X. vel potius sub nomine Le-
"onis X. adulatoribus furentibus, appellatione interposita, resistit co-
"ram omnibus, sicut Paulus Petro Gal. 2. Atqve utinam exemplo isto
"Christianissimo ita facerent singuli Episcopi, singuli Abbates, Pasto-
"res, Principes, Magistratus, deniqve singuli Christiani, qvoties ex Ur-
"be sub nomine Papæ viderent monstra adversus Evangelium Christi
"prodire. Evangelio enim inprimis ab omnibus adstandum est, nulli
"cedendum, nulli connivendum, nulli favendum, qvi contra Evange-
"lium Christi qvidqvam molitur, nec patri nec matri, sicut dicit Chri-
"stus: Qvi amat patrem plus qvam me, non est me dignus. Dolet de-
"niqve de infelicitate seculi, & qvod tempus & operam in causa indul-
"gentiarum & potestatis Pontificiæ perdere debuerit, qvam ad fidem
"Dei & salutem minime dicit pertinere. Emserus hoc ipso anno repli-
"cavit acerbissime, sed de illo infra agetur. Alio etiam scripto forma

Add. epi-

epistolæ dicto *Tomo I. fol. 378. & seqq.* & *Lib. I. ep. 117.* Lutherus Expurgationi Eccii respondit, simulationem potissimum ei objiciens, & mutatum controversiæ statum, multaqve cum constantia pronunciat victum esse a Carolostadio. Inter omnia vero, qvæ tunc edita sunt, scripta, nullum acrius pupugisse ferunt Eccium, qvam responsum nomine *Canonicorum indoctorum Lutheranorum* evulgatum, qvod legitur *fol. 382.* cujus autorem professus se est in literis ad Philippum *Johannes Oecolampadius*, notissimus in Helvetia postea Doctor Cinglianarum partium *Lib. I. Ep. 157.* Objicitur inter alia, qvod *Lutheri scripta variis prælis excudantur, Eccii a paucis æstimentur doctis, pariter & indoctis improbata.* Confirmat id Lutherus Gallorum & Batavorum testimoniis *epist. 121.* Sed pergimus ad finiendam anni hujus historiam.

Add.

§. LXIII.

Ex decretis, qvæ adversus Lutherum a Theologorum Facultatibus edita Maimburgius nominat, duo hoc anno publicata sunt; *Colonienſium*, qvos Lovanienses consuluerant d. 30. Augusti, & ipsorum *Lovanienſium* d. 7. Novembr. *Parisienses* nonnisi anno 1521. nec ad disputationem Lipsiensem, sed ad excerptas ex libris Lutheri theses, censuras suas ediderunt. Agemus aliqvid de omnibus, cum ad responsiones Lutheri narrandas tempus nos vocabit. Induci se passus erat Lutherus, cum ad disputationem alia conditione non admitteretur, ut qvemadmodum commemorat Maimburgius & alii, *Erfurtenſis* & *Parisienſis* Academiæ judicium de disputatione Lipsiensi recepturum se esse promitteret. At Erfurtenses, apud qvos Langus Augustinianorum Vicarius Lutheri partes tuebatur, tardarunt primo, dein, etsi urgente Georgio Duce, prorsus siluerunt, non improbante id Luthero, immo acerrimam refutationem, si pronunciassent minitante. *Lib. I. epistolis 119. 125. 131. 150.* Ægrotavit circa hoc tempus Fridericus Elector, ejusqve consolandi causa tractatum scripsit Lutherus, qvem *Tessaradecada* vocavit; Continet enim *bis septem*, ut vocat, *spectra*, sive considerationum capita, septem nempe malorum, qvibus affliguntur Christiani, & toridem bonorum, qvibus eriguntur. Relatum hoc scriptum est cum Lutheri epistola ad Electorem in Acta anno 1520, illo enim ineunte prodiit. Vide *Lib. I. ep. 134. 149. 152.* Præteriri de illo non debet E-

1519. rasmi ad Christophorum Basileensem Episcopum judicium, qvanqvam post annos qvatuor, anno scilicet 1523. prolatum, qvod extat *Lib. XXI. ep. 8.* edit. Londinensis, & *f. 816.* edit. vet. Basileensis. *Misto*, scribit, *Celsitudini tuæ libellum Lutheri de qvatuordecim spectris, qvi magnopere probatus est, etiam ab his, qvi doctrinam illius omnibus modis aversantur; scripsit enim hunc prius, qvam res ad hanc rabiem est progressa.* Addit vero ex suo ingenio & instituto: *utinam vir ille sic amicorum monitis potuisset ad moderationem revocari, qvemadmodum qvorundam odiis efferari.* Sed ut alibi monuimus, non erat is Ecclesiæ morbus, qvi emplastris Erasmi curari posset. De aliis Lutheri libris hoc anno editis infra, ubi Maimburgius eorum meminit, agetur. Mense Octobri, Bohemus qvidam ad Lutherum veniens omnes ejus libellos accepit domum referendos, ut cognoscitur ex *Luth. ep. 124. Libri I.* Cum Eccio vero Lutherus amicitiam prorsus abrupit, ita enim ad Spalatinum exeunte hoc anno scribit *Lib. I. ep. 134: Eccio nihil respondi, nisi tria verba, eum Sophistam per orbem, non mea, sed sua culpa famari. Nolo cum homine pluribus agere: totus infidus est, & aperte rupit amicitiam jam.* Impatientior tamen ob multitudinem insectantium, *opto prope*, ait *ep. 133. in manus istorum venire, qvo furias suas aliqvando satiarent, nisi verbo Dei timerem & pusillo populo Dei.* Maximum vero sibi esse odium ab Emsero apud Episcopum Misnensem conflatum postea memorat *epist. 137.* ob Bohemorum in se studia. Lubet addere, qvæ sollicitatus ab Electore per Spalatinum, ut *Postilla* (qvæ vocant) sive commentarios & exegeses in Evangelia & epistolas Qvadragesimæ
» scriberet, respondit *epist. 134.* Nihil est, mi Georgi, qvod sæpius a plu-
» ribus enixius a me petitum est, qvam qvod tu scribis a Principe illustriss-
» simo a me peti: sed nec ego inter omnia, qvæ facio, libentius illo qvid
» facerem: qvod hac una ratione sacerdotibus & religiosis posse succurri crederem, ut rescisis rejectisqve illotis illis fabulis sermocinistarum, Christum proscribentibus magis, qvam describentibus, haberent, qvo puram Christi theologiam in populo vulgarent, & errores pellerent, qvi velut diluvium inundarunt. Atqve utinam hoc summi Pontifices curarent: hoc enim erat eorum officium. Verum qvantum est in hac re votum, tantum timeo defuturum esse successum, qvod sim occupatior, qvam ut huic rei serviam: aut necesse erit publicæ tum lectioni tum concioni non nihil detrahi, qvod difficile erit. Tentabo tamen

men & ordiar: si Deo placuerit, procedet, aut opto in hoc totus servire. Immensi porro labores ejus, qvibus onerabatur, ex *epistola 135.* 1519. cognosci possunt: Qvod de enarrandis Evangeliis & Epistolis qvadragesimalibus tantopere urges, nescio si qveam præstare; multa sunt, & ego oneratissimus. Putas ne, Psalterium exigit integrum virum? totum eundem concio in populum per Evangelium & Genesin laborans: tertio totum ipsum preculæ & instituti mei [*Augustiniani*] cultus: qvarto totum hoc enarrandi munus; ut taceam epistolarum scribendarum, deinde negotiorum alienorum occupationem: inter qvæ & congressus familiarium, qvem pene commessationem nomino, plurimum mihi temporum pessime furatur. Certe homo sum & unus. Ex his ipsis literis aliisq; tunc scriptis progressum Lutheri in deprehendendis Ecclesiæ corruptelis videre licet. Qvo magis enim in eum sæviebant adversarii, nec tamen haberent, qvod valide opponerent, qvam Scholasticorum dogmata, Pontificum autoritate vel jam probata, vel qvæ probatum iri non dubitabant, tanto magis ille suspecta omnia habere, qvæ Scripturæ manifesto testimonio non niterentur, & fulcra illa inveteratarum opinionum contrectare & explorare ea cœpit fiducia, ut infirmitatem eorum deprehensam producere in publicum non vereretur. Itaqve jam tum de numero Sacramentorum septenario dubitavit, & de confessione peccatorum, item de communione, qvam vocant, sub una, de officio Sacerdotum, de qvo eum Spalatinus consuluerat, & alia plura meditatus & locutus est, qvæ postea clarius protulit & constanter defendit. Labor Lutheri in Psalterium, de qvo aliqvid in epistola allegata meminit, ad prælectiones ejus pertinet, qvas in Psalterium publice fecit easqve hoc anno 1519. mense Martio cœpit. Sed commodior alibi de his dicendi locus erit. Aucta interea erat Friderici Electoris erga eum benevolentia, ita tamen, qvantum ex Spalatini [qvo interprete ad Lutherum utebatur] literis conjici potest, ut si fieri posset *sine offensa Pontificis doctrina Evangelica procederet*, epist. 139. In cultu vero publico neqve hoc anno mutatum aliqvid reperio. Electionem Caroli V. Imp. mense Junio factam constat, sed de illa per occasionem in anni seqventis gestis agit Maimburgius, cujus ordo qvaliscunqve seqvendus nobis est, nisi eadem sæpius dicere velimus.

1. §. dd.

1520.

§. dd.

Pallavicin. lib. 1. c. 14.

Inter hæc Miltitius, nuncius, sibi persvadens, qvod lenitate, aut potius vili & majestate mittentis indigno obsequio, Lutheri pervicaciam superaturus esset, Patres Augustinianos induxerat, ut ex congregatione sua (capitulum generale vocant) qvam tunc in Saxonia habebant, deputatos ordinis nomine ad Lutherum mitterent, rogantes, ut petitis locum daret. Hac occasione Patres istius ordinis, qvi semper magna officia Ecclesiæ præstitit, omniqve tempore viros excellentes doctrina & moribus produxit, satis ostenderunt, non plus sibi ex infamia rebellionis & apostasiæ Lutheri attribui posse, qvam sacro Apostolorum collegio ex maledictione, qvæ Judæ ob abominabilem proditionem data est, & æternum dabitur. Fecerunt qvidqvid poterant, remonstrando, exhortando, precibus etiam & lacrymis, ut pectus hoc refractarium emollirent, & perditum atqve prodigum filium in domum Patris, id est, Ecclesiam Catholicam, ex qva per

1520. *hæresin excesserat, reducerent. Sed nihil effecerunt, qvam ut ferocior fieret, cum jam non autoritate sed precibus & submissionibus secum agi cerneret. Finge-*

d. 6. April. t. 2. Luth. *bat qvidem, ac si in eorum gratiam aliqvid remittere vellet, & Pontifici scripsit, sed tali modo, ex qvo satis apparebat, malum qvod leniri posse sperabatur, incurabile esse. Maligne etiam literis hisce Leoneni, lau-*

1520.

laudare simulans, insolentissime & abjecte de prædecessoribus qvibusdam ejus, & sanctæ sedis, sive potentiæ & autoritatis Pontificiæ, qvam pro nihilo habebat, defensoribus loqvitur, tandemqve Papæ, tanqvam pari aut potius inferiori, veluti ex commiseratione pacem offert, hac tamen conditione, ne unqvam a Lutheropostularet, ut qvidqvam dictorum scriptorumve retractaret, aut ullius, qvisqvis id fuerit, judiciis aut legibus interpretandum verbum Dei subjiceret, id enim ajebat, talibus vinculis, ut servum, ligari nonposse, cum ipsum ostendat, nos perfecte liberos esse. Eo ipso tempore, qvasi insultaret Pontifici librum suum de libertate Christiana, *ei misit qvam ad solam fidem* restringit, *qvæ instar omnium sit, nos justificet, liberet & salvet, sine bonorum operum auxilio, qvippe qvæ nihil ad salutem faciant, qvanqvam a fide producantur. Qvæ nos omnes æqvo jure Sacerdotes, Episcopos, Pontifices faciat. Eos itaqve qvi splendida hæc nomina & munia gerant, ea tantum ratione Laicis præstare, ait, qvod servire illis & verbum Dei prædicare debeant. Per hoc liberari nos ab intolerabili traditionum & legum humanarum jugo, inprimis Pontificum, qvi in populum Christianum tyrannidem exercuerint.*

Porro palinodiam ut canam, non est, qvod ullus præsumat.

Deinde leges interpretandi verbi Dei non patior, cumoporteat verbum Dei esse non alligatum, qvod libertatē docet omnium aliorū. Luth. ep. ad Leon. X. t. 2.

Succedente humanorum operum & legum intolerabili captivitate fol. 17.

Leges Pontificum acriter vituperandæ, qvibus in populum Dei gnassantur.

§. LXIV.

Anteqvam de Miltitii postremo conatu, qvem ex Pallavicini *cap. XVII.* Maimburgius refert (licet *cap XIV.* margini adscripserit) agamus, inseremus qvædam ad historiam anni hujus 1520. incuntis pertinentia,

Plebem, qvā captivam tenēt impii illi tyranni. f. 11.

I. §. 64. 1520. §. 64. Supplentur qvædam ad hunc annum. Concio Lutheri de Eucharistia censetur ab Episc. Misn. defendi eam Lutherus

nentia, qvæ vel ex Sleidano Auctor petere potuisset. Concionatus fuerat anno præterito de gravissimis dogmatibus Lutherus, inter alia de Eucharistia, dixeratqve *Tomo I. Alt. f. 331. probari sibi aut desiderari, ut Ecclesia per concilium universale statueret, ut in Sacramento Cœnæ utrqve, qvam vocant, species populo non minus qvam sacerdotibus exhiberetur*: neqve plus ei imputavit Johannes ex nobilissima Schleinizionum gente, Episcopus Misnensis, edito Stolpæ, ubi residebat, adversus istum sermonem decreto d. 24. Jan. 1520. qvod legitur *Tomo I. Jen. Lat. f. 493.* qvanqvam in sermonibus iis postea Latine editis alia qvædam reperiantur. Sed jam ante Episcopale decretum invidiosissime ob Sermonem illum traducebatur, Lipsiæ potissimum, ita qvidem, ut & in Bohemia natus, Pragæ educatus, & in Wiclefi libris institutus diceretur. Edidit ergo declarationem lingva Germanica paulo post Calendas Januarii, in qva nondum qvidem urget, *sed optat, ex Ecclesiæ decreto, communionem sub utrqve*; Bohemos autem, qvi eam servant, pro hæreticis haberi debere negat, qvia Ecclesiæ consensu facultatem illam obtinuerint. At qvi ex illis Picardi vocabantur, præsentiam realem corporis & sangvinis Christi inficiantes, inter hæreticos numerat; de tertio sectariorum in Bohemia genere, qvos Grubenhagneros cognominari scribit, nihil sibi constare ait: Erant autem illi ex Hussitica plebe reliqvi, qvos cæterorum odium cogebat in speluncis & cavernis (Gruben) sacris suis vacare. Dein nativitatis & educationis suæ rationem reddit, & ad Comitum Mansfeldensium, in qvorum ditione lucem aspexerat, notitiam provocat. Sed in autores decreti Episcopalis officiales Stolpenses, (Stolpæ enim residebat Episcopus) qvos duos aut tres *rudissimos Sycophantas* vocat, stylum vehementer acuit, & minime scandalosum, nedum hæreticum esse scribit, qvod optare aliqvid a futuro Concilio ausus sit, exemplum Pii II. allegans, qvi matrimonium Clericis concedi desideraverit. *Vide*, ait, *Lector, infelicitatem meam: hac usqve vexatus sum, qvia de credendo, sperando, amando, opinando, sciendo locutus sum. Nunc de optando & desiderando arguor.* Sed ista paulo serius publicata sunt, & ægre ferente Spalatino & aula Electorali, ut videre licet ex *epist. 199. Lib. I.* Ibi enim ad temperamenta, ut fit, respectum fuisse, apparet ex responso Lutheri ad Spalatinum d. 14. Januar. dato; *epist. 139.* Ex eo tamen simul con-

constat, qvanta ei causæ suæ fiducia, qvantaqve patiendi omnia pro veritate determinatio fuerit. Ita enim scribit: *Me petunt omnia: atqve utinam fieret cito, qvo a legendi & docendi officio solverer. Nihil enim aqve optarim (qvantum in me est). Qvod si perstiendum est in docendo, mi Spalatine, non intelligo consilium tuum & tuorum, qvos memoras, posse videlicet sacram theologiam sine offensione Pontificum doceri, Scripturæ potiorem sacrorum abusum persequitur, qvod non poterunt Pontifices sustinere. Ego tradidi & obtuli me in nomine Domini. Fiat voluntas ejus.* Et postea: *Istam hominum causam fideli oratione Deo committamus, & securi simus. Qvid enim facere poterunt? Occident? nunqvid resuscitabunt, ut iterum occidant? Hæreticum infamabunt? at Christus cum iniqvis, seductoribus, maledictis damnatus est. Ejus passionem si qvando intueor, mire uror, hanc meam tentationem non solum aliqvid, sed etiam maximam videri, tam magnis & multis, cum sit revera nihil, nisi qvod funditus desevimus passionibus & malis, id est, Christiana vita. Proinde sine, qvanto illi insurgunt potentius; tanto a me rident securius. Statutum est apud me, nolle qvicqvam in hoc timere, sed omnia contemnere. Et nisi Principem vererer involvere, Apologiam fiducia plenam ederem: provocaturus amplius istas Erynnidas, irrisurus stultissimum eorum furorem in me.* 1520.

§. LXV.

Seqventi die nempe 15. Januar. ad Carolum Cæsarem literas scripsit Lutherus, qvarum mentionem in alienum locum trajecit Maimburgius, ut postea videbimus. Edidit d. 17. Januar. *Protestationem*, qvæ habetur *Tom. II. Lat. Jen. fol. 268.* in qva de infelicitate sua qveritur, qva factum, *ait*, ut toto pene triennio pro Evangelica veritate „ infinitas persecutiones passus, & invitus in publicum pertractus sit; „ Deum testem advocans, nihil se volentem aut scientem docere pro „ concione vel in schola, qvod Deo vel saluti animarum esset contrarium. *Profitetur deinde*, se fidelem & obedientem S. Ecclesiæ Catholicæ „ filium mori velle, &, si per adversarios liceat, qvieturum, & permissurum meliora & Christianiora ex sacris literis doceri & institui; in „ publicas disputationes descensurum; omnium academiarum non suspectarum cognitionem & sententiam passurum; coram judicibus spi- „ ritualibus & secularibus, conductu libero impetrato, compariturum: „ qvæ cum jam sæpius oblata minime obtinuisset, neqve tamen aliud „

„ qvam pro gloria Dei, & pro salute, commoditate, solatio & felicitate „ totius Reipublicæ Christianæ, & pro officio Doctoris Theologi agat, „ sine omni spe & expectatione privatæ laudis, qvæstus & commodi, & „ tamen, ut Hæreticus, & impius ab adversariis traducatur; (qvod qvi- „ dem illis ex corde ignoscere se, *scribit*) obsecrat per Deum omnes, ut „ a temerario adversum se judicio, odioqve & invidia sibi caveant, & si „ qvid scripserit vel scripturus sit, vel serio vel joco, secus qvam deceat, „ id sibi benevolenter ignoscant, ob bonum qvod habeat propositum, & „ adversariorum iniqvitatem & maledicentiam. Accepit hoc ipso men- se exemplum literarum, qvas Erasmus ad Albertum Cardinalem Mo- guntinum dederat; has laudat apud Spalatinum, & egregie se defendi ab Erasmo putat, *qvamvis, qva soleret dexteritate, nihil minus agere Erasmus videatur.* ut loqvitur *Lib. I. ep. 143.* Datæ erant literæ Erasmi Lovanii Cal. Nov. 1519. & extant *Lib. XII. epistolarum Erasmi n. 10. fol. 400. seqq* edit. Basil. In his alienissimum qvidem se a Lutheri non mi- nus qvam Reuchlini causa, licet in hanc a Lovanien sibus doctoribus invitus tractus sit profitetur, sed pro excusandis, qvæ Lutherus, ut pu- „ tat, non tam impie, qvam imprudenter scripserit, multa adfert, eiqve „ bonarum literarum studia mediocria, sed præclaras qvasdam Evan- „ gelicæ doctrinæ scintillas, & vitæ probatissimæ laudem tribuit; mo- „ nachorum vero insicitiam, crudelitatem & potentiam miris modis de- *Ada.* pingit: ut profecto dignissima lectu sit ista epistola, statum Ecclesiæ, ut tunc fuit, egregie repræsentans. Divulgata autem est, ut optaverat Lutherus, sine dubio *Ulrici Hutteni*, de qvo infra dicetur, opera, tunc in aula Moguntina versantis, cui eam Erasmus commendaverat, Car- dinali tradendam; sed valde id doluit Erasmus, ut ex literis ejus ad Cardinalem Octobri mense hujus anni 1520. scriptis aliisqve apparet.

§. LXVI.

Lutherus vero continuato consilio modestæ submissionis, aulæ etiam hactenus obtemperans, ad Archiepiscopum Moguntinum lite- „ ras dedit, d. 4. Febr. in qvibus testatur Jesum Christum omnium ju- „ dicem, se non esse sibi conscium mala docuisse, & paratum esse, doce- „ ri, & errore cognito sententiam mutare, petitqve, ne calumniantibus „ fides habeatur. In eandem sententiam & eodem die ad Adolphum, Episcopum Mersburgensem scripsit, ab utroqve etiam responsum tu- lit.

lit. A Moguntino qvidem 5. Cal. Martii ſatis benignum, in qvo fatetur, ſe ſcripta Lutheri non legiſſe, & judicium de iis ſuperioribus permittere, monet vero, ut reverenter, religioſe & ſine tumultu res ſacras tractet, & a temeraria de poteſtate Pontificis, & de Sacramento Euchariſtico, digladiatione abſtineat, licet inter literarum peritos commodo loco & tempore disqviri de talibus non improbet. *Concludit his verbis:* Cæterum qvod te veritatem, qvam ſacris in literis legeris didicerisqve, docere profiteris: non poſſumus improbare, modo id a te fiat pie, manſvete, citra mordacitatem, absqve inobedientiæ in publicam Eccleſiæ autoritatem incitamento fomentoqve. Qvod ſi ita fiat, opus tuum ex Deo erit utiqve laudabile fructuoſumqve & ut cum Gamaliele illo, *(de qvo Act. 5.)* tibi loqvamur, firmum ac indiſſolubile; ſin vero ex invidia opus tuum faſtuqve & malevolentia ex hominibusqve eſt, facile diſſolvi poterit. Qvando nulli non periculum eſſe conſtat, Dei beneficiis abuti, veritati Deoqve repugnare: qvi & nobis & tibi omnibusqve Chriſtianis bene agere concedat. Mersburgenſis brevius & acrius reſpondit VI. Cal. Mart. improbatis & dogmatibus Lutheri & ſtyli aculeis, & ab his eum dehortatur, cætera ad colloqvium differt. Nec multum diſplicuit hoc reſponſum Luthero, ut videre eſt ex literis ad Spalatinum paulo poſt datis. Vid. *Lib. 1 Ep. Luth. n. 145--148.* A Moguntino titulum tulit *Honorabilis & religioſi*, à Mersburgenſi, *venerabilis fratris*. De Moguntino, qvi adverſus mendicantes monachos aliqvid decreverat, neſcio qvid boni ſperare incepiſſe Lutherum ex epiſtola allegata apparet, & infra clarius fiet. Inter Eccium interea & Caroloſtadium libellis tam acerbis & fœdis certatum eſt, ut Lutherus ipſe Caroloſtadium ab aula moneri ad ſilentium deſideraverit, ſed ne reſciſcat id a ſe conſilii ſuppeditatum: *eſt enim* (uti ſcribit) *homo infirmatus ſuſpicionibus* ep. 149. At Eccius irarum adverſus utrumq; plenus, Romam ipſe profectus eſt, *ſuccenſurus*, ut Lutherus loqvitur, *ſaltum Libani, concitato nempe ad condemnationem Lutheri Pontifice.* Vid. *ep. 161.* De hujus rei fama & inſidiis ſibi ſtructis, ita ſcribit Lutherus ad Spalatinum altera *poſt Qvaſimod. ep. 167.* De mea cauſa jactatur, eſſe contra me cenſuram præ manibus omnium duriſſimam: ſic enim præpoſitus Hallenſis Novi operis me fecit moneri & aviſari, ut vocant. Deinde etiam inimici qvidam mei miſerti per amicos ex Halberſtadio fecerunt

1520. cerunt moneri me, esse qvendam Doctorem medicinæ, qvi arte magi-
„ca factus pro libito invisibilis, qvendam occidit, mandatum haben-
„tem & occidendi Lutheri, venturumqve ad futuram Dominicam o-
„stensionis reliqviarum, valde hoc constanter narratur.

§. LXVII.

Sed veniendum est ad Epistolam Lutheri ad Pontificem, qvæ mire displicet Maimburgio, Pallavicinum pro more seqventi. Extat die VI. April. hujus anni data, & legitur *Tomo I. fol. 461. seqq.* ut & *Libro I. Epistolarum Luth. n. 166.* Adde *Sleidan. initio libri II.* Nec temperare mihi possum, qvin omnes, etiam Lutheranismo infensos, qvæ possum animi contentione, rogem, ut legere illam & relegere, sepositoqve affectu agnoscere velint, qvantus in ultimo hoc conatu ad movendum Pontificis animum, ut seriæ reformationi operam daret, sit spiritus, qvantaqve solertia, invidiam a Leone amoventis, & culpam exasperatæ causæ in Cajetanum & Eccium devolventis, ut profecto inter rara & admiratione dignissima scripta referri merito debeat. Neqve sine providentia divina accidisse credo, ut literæ tam animosæ, adjunctusqve liber, opera *Militii*, Papalis ministri, Romam perferrentur, testimonium simplicissimæ veritatis perpetuum futuræ. De tempore tamen, qvo tradita est, dubitationem qvandam infra aperiam. Fuisse autem tunc Lutherum in aliqva adhuc spe, correctionem obtineri posse, servata Pontificatus prærogativa, negare non ausim, qvanqvam ei non tam ex suo ingenio, qvam aliorum, in aula præcipue Electorali, nata aut conservata. Nam d. 24. Febr. ad Spalatinum scribens: *Ego* (ait) *sic angor, ut prope non dubitem, Papam esse proprie Antichristum illum, qvem vulgata opinione expectat mundus, adeo conveniunt omnia, qvæ vivit, facit, loqvitur, statuit.* Immitis ergo est censorum conjectura, ac si insultationis tantum & ludificationis causa ad Pontificem scripsisset. Serio egisse ostendit epistola ad Spalatinum *Lib. I. ep. 141.* cujus hæc sunt verba: Convenimus Lichtenbergæ, mi
„Spalatine, Dn. Carolus Miltitius & ego: qvantumqve ex eo audio, ma-
„gna spe statuimus, ut ego ad summum Pontificem epistolam edam u-
„traqve lingva, præfixam parvulo alicui opusculo; in qva narrem hi-
„storiam meam, & qvod non unqvam personam ejus appetierim, to-
„tum pondus in Eccium versurus. Qvæ omnia, cum ita vere se habeant,
„facile facio, & qvam possum humillimæ offeram silentium: modo cæ-

teri

scripta fuisse ostenditur: disqviritur de die: calumniæ repel-

teri qvoqve sileant, ut nihil videar omittere, qvod in me ad pacem 1520.
qvoqvo modo facere possit, desiderandum: id qvod semper facere pa-
ratus fui, qvod non ignoras. Parabo itaqve hæc ante omnia prope-
diem: si eveniet, qvod speramus, bene factum est; sin aliud erit, id
qvoqve bonum erit. Cum vero dies huic epistolæ Lutheri ad Spala-
tinum adscriptus non sit, & literæ ejus ad Pontificem Germanice ver-
sæ *Tomo I. Altenb. f. 337* non VI. April. sed VI. Septembr. datæ legan-
tur, scrupulum aliqvem de tempore non levem hic animadverto. Re-
fert, ut dixi, Maimburgius ex Pallavicino, Miltitium per Augustinia-
nos Lutherum ad epistolam illam Pontifici d. 6. April. scriptam permo-
visse; At ex epistolis Lutheri 171. 191. 193. apparet, Capitulum Augu-
stinianorum generale Islebiæ die Augustini, id est 28. Augusti hoc an-
no habitum fuisse, in qvo Staupitius Vicarii officio sese abdicavit, ei-
qve Wenceslaus Linckius suffectus est. Hi duo Doctores cum ali-
qvot *fratribus* ad Lutherum venerunt Cal. Septembr. & Miltitii sva-
su cum eo egerunt, ut ad Pontificem scribens testaretur, se nihil in ca-
put sive personam ejus unqvam fuisse molitum; id qvod facilime a se
fieri posse, Spalatino scribit d. 11. Septembr. sed agnoscit, cavendum
etiam sibi esse, *ne sedem ipsam atrocius tundat; ita tamen, ut sale aliqvo
illam aspergat*; addit, *non displicere Augustinianis causam suam, displi-
cere potius Romam.* Postea d. 3. Octobr. ad eundem Spalatinum lite-
ras dans, *mutasse se animum*, indicat, *& nolle jam ad Pontificem scribere.*
Hæc conciliare me fateor non posse, nec conjecturam pro veritate hi-
storica tradere ausim, qvod Lutherus epistolam, Miltitio rogante,
composuerit mense Aprili, sed non nisi mense Septembri, accedente
Augustinianorum adhortatione, perfecerit, serius etiam exhibuerit.
Rectius fecisset Pallavicinus, si autographum Lutheri in Vaticanis scri-
niis consuluisset. Nec Maimburgius hic historiam, sed declamatio-
nem scripsit, & calumniis impertinentibus indulget, cum Augusti-
nianorum preces & lacrymas fingit, & illos cum Apostolorum colle-
gio, Lutherum autem cum Juda comparat: optimi enim & doctissi-
mi ex illo ordine haud pauci Lutherum seqvebantur; qvidam etiam
cum vitæ jactura, ut in tempore memorabitur. Judæ vero adsimilari
merentur, qvibus pecunia ante fidem est, qvo vitio ne acerrimi qvi-
dem persecutores Lutherum infamare ausi sunt, cui contemtor opum
& bonorum animus ad mortem usqve duravit. Qvicqvid autem sit

de

1520. de tempore scriptæ & traditæ Miltitio epistolæ, nihil agit magno nisu Pallavicinus, ut Lutherum ob illam mendaciorum & contumeliarum reum faciat, & sectatores æstimatoresqve ei auferat; nec plus, cum libellum epistolæ adjunctum, *de libertate christiana*, impudentissimum vocat.

§. LXIIX.

Non inepte Lutherus libellum hunc, in literis ad Pontificem pro *compendio qvodam vitæ christianæ*, & pro specimine exhibet, qvibus studiis malit & fructuosius possit occupari. Duo in illo axiomata, verbis pugnantia, sed optime conciliata tractat: *Christianus homo omnium dominus est liberrimus, nulli subjectus. Christianus homo omnium servus est officiosissimus, omnibus subjectus.* Utinam vero duo isthæc, ita ut Lutherus explicavit, omnium Christianorum animis insiderent! Videamus qvæ Maimburgio in illo maxime displicent, dogmata *de fide, qvæ qvod sola justificet*; & *de sacerdotio Christianorum*, tum qverela *de tyrannide Pontificum*. Liceat nobis verba qvædam libri apponere ex *Tomo I. fol. 464. & seqq.* Postqvam, ut jam alibi fecerat, docuisset, fidem ideo solam justificare, qvia non nisi in homine interiore regnat, neqve hic externo opere justificari possit, verbum Dei universum in præcepta & promissa distingvit. Igitur ubi per præcepta homo cognoscit, se bona illa, qvæ præcipiuntur, facere & implere non posse, succedere promissa; qvæ cum sint vera, sancta, justa, libera, pacata & universa bonitate plena, ita absorbeant animam, qvæ firma fide illi adhæret, ut non modo participet, sed satietur & inebrietur omni virtute eorum: atqve hoc modo per fidem solam, sine operibus, e verbo Dei justificetur, liberetur, omni bono impleatur, veraqve filia Dei efficiatur, sicut dicit Joh. I. 12, *dedit eis potestatem* filios Dei fieri, his *qvi credunt* in nomine ejus. Hinc fidei virtutes prosequitur, qvæ sint, ut Deum, qvem pro verace habet, omnium piissime colat, & per omnia Deo obedientissime serviat. Qvod ergo *(ait)* præceptum est reliqvum, qvod talis obedientia non abunde impleat, qvæ plenitudo plenior, qvam omnimoda obedientia, at hanc non opera, sed sola fides præstat. Dein ostendit, ut anima copuletur per fidem Christo, ut sponso sponsa, omniaqve cum eo communia habeat. Vides, *scribit*, qva causa tantum tribuatur fidei, ut sola impleat legem, & sine ullis operibus justificet. Vides enim primum præceptum, qvod dicit

cit, unum Deum coles, sola fide impleri. Si enim ipse *aliud* non esses, a planta pedis ad verticem, qvam bona opera, non tamen justus esses, nec Deum coleres, nec primum præceptum impleres, cum Deus coli non possit, nisi tribuatur ei veritas & universa bonitatis gloria, sicut vere tribuenda est: hoc autem opera non faciunt, sed sola fides cordis." Egregie autem occurrit omnibus objectionibus v. g. cum *f. 468.* scribit: Qvanqvam homo, ut dixi, intus secundum Spiritum per fidem abunde satis justificetur, habens qvicqvid habere debet, nisi qvod hanc ipsam fidem & opulentiam oportet de die in diem augescere, usqve in futuram vitam, tamen manet in hac vita mortali super terram, in qva necesse est, ut corpus suum proprium regat, & cum hominibus conversetur. Hic jam incipiunt opera; hic non est otiandum, hic certe curandum, ut corpus jejuniis, vigiliis, laboribus aliisqve disciplinis moderatis exerceatur, & spiritui subdatur, ut homini interiori & fidei obediat, & conformis fiat, nec ei rebellet, aut ipsum impediat, sicut est ingenium ejus, si coercitum non fuerit. Interior enim homo conformis Deo, & ad imaginem Dei creatus per fidem & gaudet & jucundatur propter Christum, in qvo tanta sibi collata sunt bona, unde & hoc solum negotii sibi habet, ut cum gaudio & gratis Deo serviat in libera charitate. Dein similitudinem affert de Episcopo sacris operante: Si hæc, inqvit, facit, anteqvam consecretur, nihil agit; at recte agit, si consecratus sive Episcopus constitutus est; ita Christianus per fidem suam consecratus, facit bona opera; sed non per hæc magis sacer aut Christianus efficitur; hoc enim solius fidei est, imo nisi ante crederet, & Christianus esset, nihil prorsus valerent omnia sua opera. Vera itaqve sunt duo verba: Bona opera non faciunt bonum; sed bonus vir facit bona opera. Mala opera non faciunt malum virum; sed malus vir facit mala opera, ita, ut semper oporteat ipsam substantiam seu personam esse bonam, ante omnia opera bona. Itaqve Christianum ita apud se loqventem inducit *fol. 470. b.* En mihi indigno damnatoqve homuncioni citra omne meritum, mera gratuitaqve misericordia, dedit Deus meus in Christo omnes divitias justitiæ & salutis, ut amplius nulla re prorsus indigeam, nisi fide, qvæ credat, hoc se sic habere. Huic ergo tali Patri, qvi me suis his inæstimabilibus divitiis obruit, cur non liberaliter, hilariter, toto corde spontaneoqve studio

1. §. 68. 1520. omnia faciam, qvæcunqve scivero placita & grata coram illo esse. „ Dabo itaqve me qvendam Christum proximo meo, qvemadmodum „ Christus sese præbuit mihi, nihil facturus in hac vita, nisi qvod videro „ proximo meo necessarium, commodum & salutare fore, qvandoqvidem per fidem omnium bonorum in Christo abundans sum. De regno vero & sacerdotio omnium Christianorum, etiam laicorum, qvos vocant, perspicuis dictis sacrarum literarum firmat, qvæ scribit; ad „ objecta vero ita respondet *fol. 467.* Hic qværes: Si omnes, qvi in Ecclesia sunt, Sacerdotes sunt, qvo nomine discernuntur ii, qvos nunc „ Sacerdotes dicimus a Laicis? Respondeo: vocabulis istis, *Sacerdos*, „ *Clericus*, *Spiritualis*, *Ecclesiasticus*, injuria facta est, dum a reliqvis „ Christianis omnibus translata sunt ad paucos istos, qvi nunc usu nostro *Ecclesiastici* dicuntur. Scriptura enim sancta nihil discernit inter „ eos, nisi qvod *ministros*, *servos*, *œconomos* appellat, qvi nunc *Papa*, *Episcopi Dominiqve* jactantur, qvi cæteris serviant ministerio verbi, ad „ docendam fidem Christi & libertatem fidelium. Nam etsi verum est, „ nos omnes æqvaliter sacerdotes esse, non possumus, nec si possemus, „ debemus omnes publice servire & docere. Sic Paulus 1. Cor. 4. Sic „ *nos existimet homo, sicut ministros Christi & dispensatores mysteriorum „ Dei.* Ar dispensatio ista nunc in tantam pompam potestatis & terrificam qvandam tyrannidem evasit, ut nec gentium, nec ulla mundi „ imperia qveant ei conferri, qvasi Laici aliud qviddam, qvam Christiani sint. Qva perversitate factum est, ut penitus interciderit scientia „ Christianæ gratiæ, fidei, libertatis, & totius Christi, succedente in locum ejus humanorum operum & legum intolerabili captivitate, factiqve sumus juxta lamentationes Jeremiæ servi hominum vilissimorum, qvi in terra sunt, qvi nostra miseria abuntur in omnes turpitudines, & ignominias voluntatis suæ. Etsi vero ex hac assertione non fluat qvam maxime timebat Clerus, vitæ clericæ aut monasticæ, qvam tanto cum emolumento ingens hominum numerus colebat, contemtus aut abolitio, corrigi tamen illam posse & debere ostendit, „ ita scribens *fol. 471.* Talia oportuit esse omnium collegiorum, monasteriorum, sacerdotumqve opera, ut qvisqve suæ professionis & status „ opera solum in hoc faceret, ut per hæc non justitiam, sed corporis sui subjectionem exerceret, aliis in exemplum, qvi & ipsi opus habent corporis sui castigatione. Deinde ut aliis duntaxat obsequerentur, ad

eorum

eorum voluntatem, gratuita charitate, hoc tamen semper & summa 1520.
cura observato, ne vana fiducia præsumat, per ipsa qvisqvam justificari, mereri aut salvus fieri, qvod solius fidei est, ut sæpius dixi. Inde etiam obedientiam Pontifici & Prælatis non derogat, sed roborat, pergens *fol. 471. b.* Si qvis ergo hanc scientiam haberet, facile se posset gerere citra periculum in infinitis illis mandatis & præceptis Papæ, Episcoporum, Monasteriorum, Ecclesiarum, Principum & Magistratuum, qvæ aliqvi stulti pastores sic urgent, qvasi ad justitiam & salutem sint necessaria, appellantes ea præcepta Ecclesiæ, cum sint nihil minus. Christianus enim liber sic dicet: Ego jejunabo, orabo, hoc & hoc faciam, qvod per homines mandatum est; non qvod illo mihi fit opus ad justitiam aut salutem, sed qvod in hoc morem geram Papæ, Episcopo, communitati illi, & illi Magistratui, aut proximo meo ad exemplum, faciam & patiar omnia, sicut Christus mihi multo plura fecit & passus est, qvorum ipse nullo prorsus egebat, factus propter me sub lege, cum non esset sub lege. Et qvamvis tyranni vim aut injuriam faciunt hoc exigentes, non tamen nocebit, donec contra Deum non fuerit. Ex iis omnibus qvisqve poterit certum judicium & fidele discrimen omnium operum & legum accipere, & scire, qvi sint cœci & stulti, & qvi feri & boni pastores. Nam qvodcunqve opus non huc solum dirigitur, ut fiat vel ad castigandum corpus, vel ad obsequium proximi (modo contra Deum nihil postulet) non est bonum nec Christianum. Et hinc ego vehementer metuo, pauca vel nulla collegia, monasteria, altaria, officia Ecclesiastica esse Christiana hodie, nec non & jejunia & preculas peculiares de certis sanctis. Metuo, inqvam, in his omnibus qværi non nisi ea, qvæ nostra sunt, dum arbitramur per hæc purgari peccata nostra & salutem inveniri, & sic funditus extingvitur libertas Christiana, qvod ex ignorantia Christianæ fidei & libertatis venit. Deniqve jam tum impudenti, qva prosciissus est, qvamqve etiam hodie patimur, calumniæ de libertate carnis per hanc doctrinam lascivientis, optime respondet *fol. 472. a* scribens: In fine propter eos, qvibus nil tam bene dicitur, qvod non depravent male intelligendo, addendum est, si tamen & id ipsum intelligere possint. Sunt qvam plurimi, qvi hanc libertatem fidei audientes, mox eam in occasionem carnis vertant, omnia sibi statim licere arbitrantes, nec alia re ulla liberi & Christiani

1520. ani videri volentes, qvam contemtu & reprehensione cæremoniarum, „traditionum, legum humanarum. Qvasi ideo Christiani sint, qvia „statis diebus non jejunant, aut aliis jejunantibus ipsi carnes come„dunt, aut preculas usitatas omittunt, suspenso naso præcepta homi„num illudentes, cætera vero ad Christianam religionem pertinentia „prorsus pollhabentes. *Et post alia.* Qvare hic audienda est Scri„ptura, qvæ docet, ut nec ad dextram nec ad sinistram declinemus, „sed seqvamur justitias Domini, recte lætificantes corda. Ut enim „non justus est qvisqvam, qvia operibus & ritibus cæremoniarum ser„vit & addictus est, ita nec justus ex eo censebitur solo, qvod illa o„mittit & contemnit. Non enim liberi sumus per fidem Christi ab „operibus, sed ab opinionibus operum, id est, a stulta præsumtione „justificationis per opera qvæsitæ. Offensam vero maximam incur„rit sine dubio ea, qvam sub finem subjungit censura, inter alia his „verbis *fol. 472. b.* Cum ergo hæc vita agi non possit, sine ceremo„niis & operibus, imo fervens & rudis ætas adolescentium opus ha„beat, hinc vinculis arceri & servari, & unicuiqve corpus suum eisdem „studiis castigandum sit, prudentem & fidelem oportet esse ministrum „Christi, ut sic regat & doceat populum Christi in his omnibus, ne „conscientia & fides eorum offendatur, ne in eis opinio aut radix ama„ritudinis oriatur, & per illam inqvinentur multi, ut Paulus præmo„nuit Ebræos; hoc est, ne amissa fide incipiant opinione operum inqvi„nari, qvasi per ipsa justificandi. Qvod facile fit, & plurimos inqvi„nat, nisi fides constanter simul inculcatur. Impossibile autem est vi„tari, ubi tacita fide, constitutiones hominum solæ docentur, sicut „hactenus factum est, per pestilentes, impias, animicidas Pontificum „postrorum traditiones, & Theologistarum opiniones, infinitis ani„mabus ad inferos his laqveis pertractis, ut Antichristum agnoscere „possis.

§. LXIX.

Omisit Maimburgius, qvæ hoc ipso tempore, & anteqvam Lutherus epistolam ad Pontificem Miltitio tradidisset, Fridericus Elector ad *Valentin. a Teutleben* Romæ tunc agentem, postea Hildesiensem Episcopum, Cal. April. scripsit, a Sleidano fideliter relata & in *Tomo I. Alt. Germ. f. 352. Tomo II. Lat. Jen. f. 269. b.* extantia. Considerari vero ex mandatis Electoris maxime debet, eum inveterata opi-

opinione, ac si Principibus in causa religionis nil nisi obsequium erga Clerum relictum esset, adhuc ita imbutum fuisse, ut negaret, sibi unqvam in mentem venisse, sua autoritate Lutheri doctrinæ patrocinari, neqve sibi judicandi potestatem de ea sumere, licet a multis doctis viris pia & Christiana prædicetur: permittere saltem, ut Lutherus eam suo tueatur periculo, præsertim cum ad dicendum causam coram commissariis Pontificiis, obtenta prius securitate, paratum se etiam nunc exhiberet, & si veris & liqvidis scripturæ testimoniis convinci posset, revocationem offerret. Nihilominus se dudum cum Luthero egisse, ut ex ditione sua abiret, eumqve id præstiturum fuisse, nisi Pontificius nuntius Miltitius multis precibus a se contendisset, ne id permitteret, metuens, ne alibi locum inveniret, ubi majori libertate & securitate scriberet ageretve, qvam Wittembergæ, ubi & Electorem & Academiam respicere deberet. Familiarius postea Teutlebium, ut vasallum suum & pro communis patriæ utilitate compellans; audire se, scribit, Lutherum ab Eccio aliisqve, qvi gratificaturi Pontifici eum læserint, lacessitum scripsisse, qvæ alias scripturus non fuisset: *addit*, non esse eum nunc, qvi olim, Germaniæ statum: efflorescere bonas artes & literas, & plebejos etiam cognoscendæ Scripturæ desiderio teneri, inde fore, si non nisi vi ecclesiasticæ potestatis agatur, & conditiones a Luthero propositæ, denegato examine doctrinæ, recusentur, nec ex Scriptura sacra testimonia & solida argumenta proferantur, ut maximi sint orituri motus, ex qvibus ad Pontificem nulla sit utilitas reditura. Verum vatem fuisse Principem hunc sapientissimum, eventus docuit. Literas Teutlebii aliasqve Roma acceptas Elector per Spalatinum Luthero miserat, ad qvem d. 9. Julii epistolam illam scripsit, qvæ habetur *Lib. I. n. 179.* ex qva aliqvid ad §. 71. allegavi. In exordio ejus ita loqvitur: Legi tacitus literas istas Romanas magno cum dolore, tantam video in tantis Ecclesiæ verticibus hebetudinem & impietatem. Timeo eos conscientiæ & veritatis luce sic confusos, ut nullius amplius esse qveant judicii aut sensus. Damnant nilea, & simul fatentur, esse ea ingenii & eruditionis, deinde nec lecta nec legi petita sibi. Dominus nostri omnium misereatur. Germanice versa extat *Tom. I. Alt. f. 473.* ubi *Doctoris Teutlebii* literæ expresse nominantur, cujus tamen in Latina nulla fit mentio. Inter alia notabiliter scribit: Omnibus

1520.

1520. modis placet, ut illustrissimus Princeps se prorsus alienum gerat a causa mea, sicut hucusque gessit: & me in publicum projiciat vel eruditorum vel convincendum; se vero, ut eruditorem agere non possit, ita nec judicem velle nec executorem, nisi producta & exposita sententia; nec videre se, qvomodo sine cognita causa, qvam & ipsi ne verbo qvidem tangunt, possit qvenqvam sive Turcam sive Judæum plectere: nisi velint Romani, ut ipsis hominibus plus obediat qvam Deo; & in eum grassetur, qvem nesciat, nocens ne an innocens sit, qvod salva conscientia fieri non potest, nec ad talem conscientiam ullis præceptis ne divinis qvidem urgeri qveat. Plectant Sylvestrum, Eccium, Cajetanum, & alios: qvi pro gloria sua hanc Ecclesiæ Romanæ sine ulla causa moverunt tragœdiam: ego sum extra noxam. Qvicqvid feci & facio, coactus facio, semper qviescere paratus, modo veritatem Evangelicam non jubeant qviescere, nihil a me non impetrabunt, imo oblata omnia sponte habebunt, si salutis viam Christianis permittant esse liberam. Hoc unum peto ab illis vicissim, ac præterea nihil. Qvid honestius peti potest? non peto galerum, non aurum, non qvicqvid Roma hodie in pretio habet. Aut si hoc non impetro, Ministerio privent: & in angulo deserti sinant vivere & mori. Ego miser invitus doceo; simul tamen pro eo patior mala, cum cæteri & libenter doceant, & pro eo honorentur: prorsus non potest animus meus sic affectus vel minas timere, vel pollicitationes suscipere. An qværunt, ut motum vel spem violenter insculpam in animum, vel foris tantum simulem? Habes qvid sentiam. Cæterum spero illustrissimum Principem ita scripturum, ut capita ista Romana intelligant Germaniam fuisse hactenus non sua, sed Italorum ruditate per occultum Dei judicium oppressam. Audito Teutlebio Pontifex postmodum ipse ad Electorem literas dedit d. 8. Julii [Sleidanus diem VI. ponit: Leguntur autem integræ *Tomo II. Jen. Lat. f. 270. b.*] ejusqve oblata aulico more sic interpretatus est, ac si Elector infensus Lutheri causæ esset; ideoqve blandis verbis collaudatum urget, ut hominem hæreseos aperte reum, & jam decreto sive Bulla, cujus exemplum mittebat, damnatum ad revocationem adigeret, aut custodiri faceret.

§. LXX.

Sed ante ista Lutherus in Lovanienſium & colonienſium cenſuras ſtylum ſtrinxerat, reſponſumq; *Chriſtophoro Franco J. C.* inſcriptum, ſub finem

finem Martii, ut colligitur ex Ep. ad Spalatinum *Lib. I. ep. 160.* typis publicare fecit. qvod habetur, *Tom. I. f. 500. b. & ſeqq. Arrogantia nempe & tyrannide*, ut ait, plus qvam Turcica Theologorum illorum, nulla allata ratione, nudis verbis in condemnationem prorumpentium ita ſe fractum muratumqve eſſe dicit, ut fiere magis libeat, qvam qvidqvam ſcribere. Antichriſtum enim aut jam regnare, aut propediem regnaturum eſſe, hominibus tam impudenter ſupra verbum Dei ſeſe extollentibus. Mallet tamen id non totis tribuere collegiis, ipſumqve Cardinalem Adrianum qvi poſtea Pontifex fuit, excuſatum habere. Viderat enim ejus epiſtolam d. 4. Decembr. 1519. ſcriptam, ſibi maxime iniqvam, qva Lovanienſes ad condemnationem ſtimulaverat. *Tom. I. f. 498.* Qvamvis circa idem tempus Spalatino ſcribens, Cardinalis illius doctrinam ſcholaſticam valde improbet, *Lib. I. ep. 164.* Solatium qvoddam ſumit a communi cum aliis viris doctiſſimis ſorte, qvorum recentes libri præcipitantia damnata, poſtmodum magni habiti fuerint, inter qvos laudat *Occamum, Picum, Vallam*, deinde etiam *Weſſelum, Fabrum Stapulenſem ipſumqve Eraſmum.* Pariſienſis etiam ſcholæ exemplum allegat, qvæ multories revocaverit, qvæ antea damnaſſet, ut ejus inconſtantia in proverbium abierit. Tum *Capnionis cauſam* adverſus Johannem Pfefferkornum, Judæum converſum a qvinqve univerſitatum Theologis temere damnatam iterum tangit. Ejus compendioſam hiſtoriam ex Sleidani Lib. II. qvi volet, petere poteſt. Etiam Joh. Huſſi & ſocii condemnationem Epiſtola Poggii Florentini, & robuſtiſſima fama, & privatis magiſtrorum confabulationibus taxatam, in exemplum adducit. Inhumaniſſimos vocat, qvi cum Ariſtotelem impiiſſimum & publicum veritatis hoſtem atqve animarum carnificem, per officioſa interpretamenta excuſent & honeſtent, ejusqve turpitudinem, etiam cum Chriſti ignominia impurpurent & inaurent, ſe tamen Chriſtianum & fratrem, ſua imprudentia & aliena vi in publicum tractum non veſtiant, ſed doctrinalitatibus ſuis ſubtiliſſimis denudent, adverſus charitatis legem jurisqve ordinem, qvi vult, ut prius audiantur, & ad explicationem admittantur, qvi errare videntur. Prætereo qvæ ad ipſas propoſitiones de bonorum operum imperfectione, & Sanctorum erroribus pertinent, & ex alibi dictis ſatis nota ſunt, ut & alia, in qvibus cenſoribus inſcitiam veræ philoſophiæ objicit, ſuumqve in ea per duodecim annos

1520.

Add.

ſtudium

1. §. 70. 1520. Veram Philosophiam & sectam Occamicam commendat. refutat Romanistam Lipsi. disputat

„ studium allegat. *Philosophiam* vero non esse, ait, garrulitatem de
„ materia, motu, infinito, loco, vacuo, tempore, qvæ fere sola ex Ari-
„ stotele discantur, neqve intellectum, neqve affectum, nec commu-
„ nes hominum mores qvidqvam juvent, tantum contentionibus seren-
„ dis servandisqve idoneam. In fine sectam suam philosophicam, qvam penitus imbiberit, adversus Scotistas & Thomistas, qvos Pelagianos vocat, aperte profitetur, *Occamicam* nempe sive *Modernorum, fol. 406. b.* Sleidanus contenta scripti hujus prolixius refert, Maimburgius neglexit. Interea plurimi Lutherum variis scriptis exagitabant. Inter eos erant *Abbas Ord. Cistert. veteris Cellæ* (Alten Cella prope Nossenam) *Paulus Amnicola*, vulgo Bachmann/ & imprimis *Augustinus qvidam Alfeldensis*, *Franciscanus* Lipsiæ Monachus, scribacissimus. Huic qvem Romanistam vocat libello Germanico Lutherus *Tom. I. Alt. f. 452. & seqq.* magna cum eloqventia nec minori argumentorum vigore respondit. Convitia vero adversus se largiter effusa, sale aliqvo respersa paucis diluit, pleraqve condonat, protestans, nihilominus acriter defensurum se esse S. Scripturæ sententiam, nec ullam a se moderationem in hoc expectari debere. Impugnat toto hoc scripto clare & efficaciter omnia, qvæ pro potestate Pontificis ex jure divino afferri solent, & qvid sit Ecclesia Christi, qvod ejus caput, qvod regimen, egregie explicat, argumenta a forma regnorum mundi & sacerdotio Aaronis ad Ecclesiasticam Monarchiam conqvisita irridens. Liberrime etiam qveritur de abusu potestatis Papalis & immanibus exactionibus, qvibus Germania exhauriatur, notatqve, intra hominum memoriam octo pallia Moguntinam solum Metropolin redimere Romæ debuisse, singula fere triginta florenorum millibus. Cum igitur plus qvam dimi-
„ dia Germanicarum ditionum & opum pars in patrimonium Cleri jam
„ coneesserit, & qvæ ex Palliis & Annatis Romam portetur pecunia,
„ turpissime prodigatur, tandem aliqvando opus esse ait, ut pigri &
„ ebrioſi Germani, principes maxime & nobiles, de remediis cogitent.
„ Nondum tamen ad abrogandum Pontificatum provehitur. Sed
„ qvoniam Dei vel gubernatione, vel, ut magis putat, ira hucusqve in-
„ valuerit, ferri & honorari eum posse, non repugnat, dummodo pro
„ articulo fidei non statuatur, nec pro hæreticis habeantur tot & tanti

per

per orbem Christianum cœtus, qvi potestatem ejus non agnoscunt, nec 1520.
pallia, mitras & bullas ab eo emunt: dein ut decreta Pontificia ad „
normam S. Scripturæ examinare liceat. His conditionibus se non „
passurum solum Pontificem, sed & adjuturum, ut magis magisqve „
extollatur. De *Thoma Rhadini*, Dominicani oratione Romæ contra „
Lutherum hoc tempore edita & Lipsiæ recusa, & *Melanchthonis* ad- *Add.*
versus eam responso in additionibus dicam.

§. LXXI.

Inter hæc *Sylvester a Schaumburg*, splendidus in Franconia ex libera, qvam vocant, nobilitate eqves, (Familia nobilissima etiam nunc supereſt) filium Wittembergam miserat Philippo Melanchthoni commendatum, eaqve occasione Luthero patrocinium obtulerat, ut ex hujus epistola ad Spalatinum apparet, Dom. Voc. Jucund. scripta. *Lib. I ep. 172.* Idem fecerat *Franciscus Sickingius* magni nominis in tractu Rhenano eqves, (*ep. 183.*) de qvo plura postea dicenda erunt. Sed *Schaumburgius* mentem uberius explicans, literas ad Lutherum (*Tom. I. Alt. fol 549.*) dedit, in qvibus audivisse se scribit a viris eruditis, do- „
ctrinam ejus verbi divini autoritate niti, intelligere tamen, Luthe- „
rum, licet se concilio, & piorum doctorumqve virorum judicio sub- „
misisset, de vita periclitari, & fugam ad exteros, maxime Bohemos „
meditari, qvi Ecclesiasticam potestatem haud multum curent. Id ne „
faciat, nec causam suspectam odiosamqve ex Bohemorum societate „
reddat, impense rogat, offertqve suum & centum, qvos accessuros sibi „
sperat, Nobilium patrocinium, sub qvo tutus esse possit, donec de do- „
ctrina ejus cognoscatur. Hanc epistolam Lutherus, cum jam de Bul- „
la Pontificia aliqvid ex literis Pontificis & Cardinalis S. Georgii, ad
Electorem datis, certior factus esset, Spalatino misit d. 10. Jul. his ver- „
bis *Lib. I. ep. 180.* Mitto literas Francici eqvitis, Sylvestri Schauenber- „
gen, & nisi molestum esset, vellem in literis Principis id subindicari „
Cardinali S. Georgii: ut scirent, etiamsi me pellerent diris suis e Wit- „
temberga, nihil effecturos, nisi ut rem pejorem e mala reddant: qvan- „
doqvidem jam non in Bohemia sed media qvoqve Germania sint, qvi „
expulsum tueri possint & velint, invitis ipsis, contra omnia sua fulmi- „
na. Ubi periculum est, ne iis protectoribus tutus sævius in Romanen- „
ses sim grassaturus: qvam si sub Principis imperio publicis militarem „
officiis docendi: id qvod sine dubio, nisi Deus obsistat, futurum est: „

1520. Principem vero, ut hactenus in multis suspexi, etiam irritatus, tunc
„ certe non necesse erit suspicere. Itaqve, qvæ illis a me nondum sunt
„ illata, nec meæ modestiæ, nec suæ tyrannidi aut meritis, sed Principis
„ nomini & autoritati, tum communi studiosorum Wittenbergensium
„ causæ sciant deberi. A me qvidem, jacta mihi alea, contemtus est Ro-
„ manus furor & favor: nolo eis reconciliari nec communicare in per-
„ petuum: damnent exurantqve mea. Ego vicissim, nisi ignem habe-
„ re neqveam, damnabo publiceqve concremabo Jus Pontificium to-
„ tum, id est, lernam illam hæresium & finem habebit humilitatis exhi-
„ bitæ hactenusqve frustratæ observantia; qva nolo amplius inflari ho-
„ stes Evangelii. Qvanto magis epistolam Card. Georgiani cogito,
„ tanto magis eos contemno, qvos mera ignavia & pessima conscientia
„ video compulsos, velut extremo halitu simulare ferociam. Vi ten-
„ tant suam ignorantiam tueri: sed metuunt, ne non sicut heri & nudi-
„ us tertius feliciter succedat. Dominus autem, qvi scit me esse teter-
„ rimum peccatorem, suam causam sive per me, sive per alium perficiet,
„ qvod non dubito. Eodem fere sensu Romam ipse scripsit, ut ex Lite-
ris d. 23. August. ad Spalatinum datis apparet *Lib. I. ep. 188.* ubi eum, ad qvem scripsit nominat *S. Crucem*, Cardinalem forte ejus tituli. Qvapropter alieno loco, nec sine maligno interpretamento, Maimburgius infra de eqvitum Franconicorum protectione Luthero oblata commentatur; uti postea videbimus. §. LXXXII. Hoc tamen ex literis his constare videtur, Lutherum confirmatiori animo acceptis Schaumburgii literis fuisse. Qvæ enim præcedenti die 9. Julii ad eundem Spalatinum scripserat, perturbationem non levem indicant, nec minus adscribi merentur. Qvestus nempe qvædam de odiis Ro-
„ manensium in se ita pergit, *Lib. I. ep. 179.* Nosti, qvod justiore causa
„ ego qverularer qvam ipsi: testes sunt mei editi libelli, in qvibus toties
„ confiteor & qveror, me in hanc rem nulla libidine veniisse, sed per vim
„ tractum esse: deinde toties obtuli pacem & silentium: ubi autem non
„ rogo & extorqvere conor informationem meliorem? Adhuc sic sum
„ animatus ut taceam, si tacere permittar, hoc est, si illi qvoqve com-
„ pescantur. Omnibus notum est, Eccium nulla alia causa me rapuisse
„ in rem Pontificiam, qvam ut me, nomen meum, omnia mea, deniqve
„ Universitatem nostram in ludibrium poneret & conculcaret. Nunc,
„ cum videant homini divinitus resisti, me gloriæ insanæ accusant. Qvid

ego

§. ee. Maimburg. taxat libros Lutheri ad Nobilitatem & de Captiv. Babyl. I. §. ee §. 72.
§. 72. Contenta qvædam Libr. 1520.

ego gloriam qværam miser? qvi aliud non peto, qvam ut privatus & „
latentissimus deserto publico, agere sinerer? Habeat officia mea, qvi „
volet: exurat mea, qvi volet: qvid amplius faciam, rogo? Sed hoc si- „
mul dico, si non permittor ab officio docendi & ministerio verbi liber „
esse, certe liber ero in ministerio fungendo: sat multis peccatis sum o- „
nustus: non addam etiam hoc irremissibile, ut in ministerium positus, „
ministerio desim, & reus inveniar impii silentii, neglectæ veritatis, & „
tot millium animarum. „

§. ee.

Sic Lutherus ludos faciebat Papam, qvem laudare simulabat; cumqve animadverteret hac doctrina, falsæ libertatis Christianæ, licentiæ hominum faventis, plures sibi qvam unqvam sectatores qværi, voce & scripto id operosissime agebat, ut Ecclesiam Romanam in dies magis invisam redderet, disciplinam & leges ejus culpans, & autoritatem negans, libello Germanico, qvem ausus est Imperatori & Germanicæ nobilitati inscribere. Omnem etiam doctrinam de sacramentis corrupit, libro Latino de captivitate Babylonica, & in hujus fine cruentius bellum minatur, qvia comperisset, fulminantem adversus se Bullam parari.

Cochlæus.

Capt. Babylon. Luth. l. 1.

§. LXXII.

Piget reiteratam toties calumniam de licentia plebis per Lutherum procurata refellere, cum ex tot ejus scriptis dictisve contrarium manifeste appareat; neqve aliud scripserit, qvam ipsæ de libertate Christianorum clarissime docent sacræ literæ. Verum autem est, Lutherum non tam fama, qvæ de condemnatione ejus Romæ decreta vulgabatur, qvam conscientiæ scrupulis & indies aucta veritatis erudendæ cupidine impulsum, ad libellos illos edendos progressum esse,

1520.. qvos culpat Maimburgius. Et prior qvidem Germanice ſcriptus eſt *ad Cæſarem & Nobilitatem Imperii*, cum brevi ad *Nicolaum Amsdorffium* præfatione d. 24. Jun. data extatqve *Tomo I. Alt. fol. 480. ad 510.* Retulit libelli contenta Cochlæus in hiſtoria hujus anni, eaqve facilius vituperat qvam refutat. Tanta qvidem cum libertate ſcripſit Lutherus, ut etiam amici ejus libellum iſtum pro claſſico belli haberent, qvapropter apud Langum Auguſtinianorum Vicarium, non alia ſe ratione excuſat, qvam qvod perſvaſus ſit, *Papatum verum & Germanam Antichriſti ſedem eſſe, Lib. I. ep. 187.* addit tamen, *multis placere, nec aulæ Electorali penitus diſplicere.* Et jam d. 20. Julii ad Linccium, Norimbergenſem Auguſtinianum, ita ſcripſerat: *Editur libellus noſter in Papam, de reformanda Eccleſia vernaculus, ad univerſam Nobilitatem Germaniæ, qui ſumme offenſurus eſt Romam, ductis in publicum impiis artibus & violentis poteſtatibus ejus.* Nihil ſane in illo omiſit, qvæ ad abuſus per tot ſecula invectos detegendos & corrigendos facere putabat. Triplicem ante omnia murum, qvo Pontificatum adverſus reformationes ſemet muniiſſe dicit, ſubruendum aggreditur. Primo „enim negat prærogativam Cleri, qva Laicis præcellere volunt, tan„tam eſſe, qvanta prædicari hucusqve ſolita fuerit. Exaggerat e con„trario præſtantiam conditionis, qvæ omnibus Chriſtianis, ut ſpiri„tualibus & Sacerdotibus competat, adeo ut ad miniſterium exercen„dum in caſu neceſſitatis qvilibet aptus ſit. Negat ſecundo, Scriptu„ram dependere ab autoritate Pontificis, cum is æqve ac alii falli poſſit. „Tertio itidem negat convocandi concilii poteſtatem ad Pontifices per„tinere; ſed jus illud qvoties eo opus eſt, Principibus vindicat: deinde „remedia expendit adverſus luxum, avaritiam, Simoniam Eccleſiaſti„cam, omnesqve Romanæ curiæ defectus, qvos longo ordine recenſet, ut tantam rerum peritiam non niſi cum admiratione, in homine monacho & ſcholæ atqve cathedræ addicto cognoſcere liceat. Complectitur fere omnia, qvæ poſtmodum Imperii ordines de Pontificii regiminis vitiis publice qveſti ſunt. Qvædam etiam adverſus confeſſionum, miſſarum, peregrinationum, adeoqve contra cultus & dogmatum abuſus & errores inſerit, & Pontificum invaſiones in regna & urbes Italiæ improbat. Monaſteriorum & collegiatarum eccleſiarum rectum & ſalutarem uſum reducendum ſvadet, ad Nobilitatis etiam conſervationem reſpiciens. Bohemorum ſchiſma facile tolli poſſe, arbi-

arbitratur, imo & Picardos, qvos vocabant, Ecclesiæ conciliari, etsi dogma scholasticum de transubstantiali præsentia non admittant, dum modo veram & naturalem confiteri velint. Academica studia omnia & singula corrigi debere contendit; in impietatem Aristotelis graviter invectus, neqve ex eo præter Logicam, Rhetoricam & Poeticam qvidqvam doceri optat. Rejicit jus Pontificium seu Canonicum, emendandum vero & contrahendum Cæsareum, & in subsidium tantum eo utendum censet, restitutis legibus patriis. Egregia monet de studio theologico, utqve id primario ad intellectum sacræ Scripturæ destinetur; Scholas tam puerorum qvam puellarum, præcipue ad pietatis præcepta institui debere docet. Qvæ de translatione Imperii ad Germanos a Græcis, & de Imperatorum majestate tractat, infra recurrent. §. LXXXI. Tandem etiam Politiæ vitia emendanda monstrat: luxum vestium & mensæ, invectionem aromatum & mercium peregrinarum, damna usurarum & monopoliorum, neglectam educationem liberorum, turpitudinem lupanarium: qva occasione promiscua & præmatura vitæ monasticæ vota improbat, & ante annum trigesimum neminem ad illa admittendum esse existimat. Mendicos, sive monachi sint sive laici, tolerari debere negat. In epilogo certum se esse, ait, odii & persecutionum, scire tamen plus qvam vitam sibi eripi non posse: se jam satis diu petiisse ut audiatur, repulso & contemto sibi Deum os aperuisse, & alia magis invisa se habere, qvæ Romæ objiciat. Qvocunqve vero Zelo in libello hoc utatur, Pontificatum tamen ipsum bonis legibus ordinatum non rejicit, & Cardinalium Collegium ex piis & peritis viris constituendum, & intra duodecim numerum restringendum esse monet. 1520.

§. LXXIII.

Alter libellus Latine mense Augusto & Septembri compositus sub initium Octobris publicatus fuit, titulum habens: *De captivitate Babylonica Ecclesiæ, præludium D. Mart. Lutheri*, ubi præcipue de natura, numero & usu Sacramentorum agitur, & extat *Tomo II. Lat. f. 273. & seqq.* De jure Pontificum in hoc pauca qvidem, sed talia præmittit, qvibus ea, qvæ Lipsiæ concesserat, retractat, & jam Papatum regnum Babylonis, sive Nimrodicam venationem esse aperte statuit. Reliqva hujus libri, cum dogmatica sint, & postea fusius disputata; enarrare hic supersedeo. Cum vero Lutherus Eccium jam Lipsiam venisse, &

I. §. 73. 1520. Babyl. Lutherus scribit contra Eccium, laudat Hussum, allegat Andream Prolem. afflig itur ob tumultum studiosorum;

Bullam afferre intellexisset, scripto Germanico (*Tomo I. Alt. f. 526.*) acriter in eum invectus est, & allegatis tractatibus paulo ante publicatis *indoctorum Canonicorum* & *Eccii dedolati* imputationes qvasdam ejus adversus se, ut mendaces & malignas refellit. Etiam *Husi*, cujus libros interea legerat, causam aperte tueri incipit, dolens qvod Lipsiæ id non æqve fecisset. De condemnatione ejus memorabilem historiolam refert, ut a qvodam Doctore *Joh. Zacharia* adjuta fuerit, producto ex Husi diversorio, per fraudem, Bibliorum exemplari qvod ab aliis omnibus discrepans, in loco *Ezech. XXXIV. 11.* verba inserta habebat, *& non populus meus*, qvæ Hussus ibi reperiri negaverat. Audisse se hæc scribit Lutherus ex *Andrea Prole*, Lipsiensi, Priore Augustiniano. Is Leoni Pontifici totiqve consessui festa multiplicaturo, in concilio Lateranensi liberius contradicens, excommunicationem incurrerat; & decrepita ætate nec qvicqvam ab Ernesto, Electoris Sax. fratre, Archiepiscopo Magdeburgensi, [qvi anno 1513. decesserit] protectus, ante cœptam a Luthero disputationem exul aut vagus obierat. Erat vir doctus & reformationis cupidissimus, qvam etiam instare vaticinabatur. Vide *Melch. Adami in vit. Theol. pag. 5. Dresser. Mell. VI. p. 40. & seqq.* Sub finem scripti, de qvo loqvor, Lutherus negat se Bullam Pontificiam, qvam Eccius attulisse dicebatur, pro vera habere, nisi avtographum viderit, & adversus executionem ejus protestatur: Sublegenda, anteqvam de Bulla tot turbarum auctrice agamus, qvædam sunt, qvæ historiæ hujus temporis partem faciunt. Mense Julio cum tumultus Wittembergæ inter Studiosos & cives concitatus, & Lutherus in juventutis Academicæ licentiam durius concionatus esset, magnam invidiam sibi conflavit, qvam ipse inter insignia pericula, qvæ intra triennium sibi contigerint, refert. Spalatinum etiam in hoc negotio iratum habuit, & Amsdorfium dissentientem. Vide *Lib. I. ep. 181. & seqq.* Sed Pontificiæ condemnationis major metus instabat, & consilium ab amicis sibi datum Lutherus d. 3. Octobr. Spalatino aperuit, ut ab Electore edictum imperiale impetraretur, ne qvis eum nisi Scriptura convictum damnaret; simul de libellorum suorum multiplicatione ipse qveritur, optatqve ut concionatores potius multiplicari possent, qvi, qvæ scripserat, vulgo traderent; nuntiat etiam, nescio qvid, qvod ad eum scopum in Italia fieri, & ab Electore promoveri posse

I. §. 73. §. ff. 1520.

posse credebat. Eccium non eo qvo antea favore, sed male tutum & contemtum haberi scribit, & apud Dominicanos latitare pericula metuentem, a qvibus tamen eum salvum cupiat. Ex Lutheri epistola d. 3. Octobr. data hoc qvoqve discimus: Qvod Hutteni libri Moguntiæ prohibiti fuerint, ipse vero ingenti spiritu in Pontificem accensus, armis & ingenio rem tentarit. Scripserat Huttenus jam d. 4. Junii ad Lutherum, eumqve animaverat, Eccio insultans. Retulit epistolam scriptor vitæ Hutteni *Melchior Adamus*, & Germanica eorum versio extat *Tomo I. Altenb. fol. 444.* Sed & aliis postea literis de cavendo veneno Lutherum monuit, qvo se jam tentatum esse qvestus est. Vide *Lib. I. ep. 193.* & *Tom. I. Altenb. fol. 546.*

§. ff.

Sane Leo a Legatis suis ipsoqve Eccio, qvi ad eum informandum Romam profectus erat, edoctus, ingens hoc malum, in qvo avertendo tres fere anni frustra consumti erant, lenia remedia non admittere, ad ultimum rigorem descendere demum decrevit, qvo in similibus casibus Ecclesia semper usa est. Ideoqve previa matura deliberatione edidit tandem constitutionem d. 15. Junii hujus anni, qva propositiones Lutheri, ex libris ejus excerptas, partim ut manifeste hæreticas, partim ut scandalosas & temerarias condemnavit, & ei sexaginta dies præfixit, intra qvos retractationem in forma probante Romam mitteret, aut eam ipse afferret, literas salvi conductus omnemqve securitatem impetraturus. Hoc si negligat, & terminum non observet, excommunicatum declarat, & prohibet omnes, qvicunqve sint, ab ejus protectione, sub pœna incurrendi easdem censuras, & amittendi omnes functiones & dignitates.

Epist. Eccii ap. Luth. t. 2.

§. LXXIV.

L. §. 74. 1520.

§. LXXIV.

Venit tandem, *verba sunt Lutheri ad Spalatinum d. 13. Octobr. epist. 196.* Bulla ista Romana per Eccium allata: de qva nostri scribunt ad Pontificem plura: ego eam contemno, & jam invado tanqvam impiam & mendacem, omnibusqve modis Eccianam. Vides in ea damnari Christum ipsum: deinde nihil afferri causæ: tandem me vocari non ad audientiam, sed ad palinodiam: ut scias eos plenos esse furore, cœcitate & amentia, qvi nihil videant neqve cogitent. Agam tamen adhuc presso nomine Papæ, tanqvam in effictam & mentitam bullam: qvanqvam credo veram & propriam esse eorum. O utinam Carolus vir esset, & pro Christo hos Satanas aggrederetur! Ego sane mihi nihil metuo; fiat qvod voluntas Dei volet. Nec qvid Principi faciendum sit scio; nisi qvod dissimulare mihi hic optimum videtur. Nam & Lipsiæ & ubiqve tam bulla qvam Eccius contemtissimi sunt; unde hoc suspicor, ne autoritatem sibi acqvirat nimia forte nostra cura aut solicitudine, qvæ in se ipsa facile corruens qviescet. Mitto exemplar ejus, ut videas monstra Romana: qvæ si dominentur, actum est de fide & Ecclesia. Gaudeo tamen toto corde mihi pro optima causa inferri mala: neqve dignus sum tam sancta vexatione. Jam multo liberior sum, certus tandem factus, Papam esse Antichristum, & Satanæ sedem manifeste inventam: tantum servet Deus suos, ne seducantur ejus impiissima specie. Erasmus scribit, aulam Imperatoris esse mendico-tyrannis occupatam, ut nulla in Carolo spes esse possit: nec mirum. Nolite confidere in Principibus, in filiis hominum, in qvibus non est salus. Exemplum Bullæ cum notis Hutteni marginalibus extat *Tomo I. Lat. fol. 508.* Secreta qvædam circa ejus compositionem Pallavicinus aperuit *lib. I. cap. 20.* zelum nempe Cajetani, qvi licet æger deportari se in consistorium fecerat, dein rixas mordaces, inter Petrum de Accolitis Cardinalem Anconitanum & Laurentium Puccium, Cardinalem Datarium [qvorum uterqve diversam diplomatis formam conscripserat] ægre ab ipso Pontifice sopitas, qvi demum Anconitani stylum approbavit, sed post qvatuor consultationes intra decendium habitas, & a se ipso interpolatum & reconcinnatum. Qvid Lutherus taxaverit & opposuerit, postea videbimus. Paulus Venetus in historia concilii Tridentini, qvæ judicio virorum sapientum in Bulla Papali desiderata fuerint, annotavit; ea Pallavicinus

cap.

cap. 21. refutanda sumsit, barbariem stili, vetustate observantiæ, quam 1520.
Aristotelis [hic enim in omnibus sequendus est] monitu mutare non expediat, utcunque excusat, perplexitatem formularum, quibus theses Lutheri respective *tanquam hæretici* vel *tanquam scandalosi*, vel *tanquam piarum aurium offensivi* damnabantur, non expresso, quodnam vitium singulis conveniret, prudentiæ & libertati Christianæ tribuit, non omnia nimio rigore persequentis, sic & alia diluere conatur, & a præsentia doctorum virorum, qui deliberationi interfuere, diplomati laudem quærit. Inter primos nominat *Sylvestrum Prieriatem*, & *Joh. Eccium*, ex quibus de aliis judicium esto. Ut vero Pauli reprehensionem elevet, quod Pontifex cum aulicis saltem tantam rem aggressus sit, omissa non solum Concilii convocatione, sed & communicatione cum Episcopis & Academiis, extollit Lovaniensium & Coloniensium allegata in Bulla autoritatem, & ad exempla Pontificum provocat, qui eodem modo ad decisionem progressi sint; quo cum emolumento Ecclesiæ, alibi expenditur. Interim qui Bullam legent, observabunt, non solum constructionis distractionem, quam Paulus Venetus notavit, quod nempe quadringenta vocabula inter duo verba periodum circumscribentia interjaceant, sed & multa alia tumida & fastidiosa; v. g. inclamationes illas, *Exurge Domine, Exurge Petre, Exurge tu quoque Paule, Exurgat omnis Sanctorum Ecclesia.* Deinfastum in Pontificia potestate & jurisdictione magnifice debuccinanda, intimatas privationes & amissiones non solum Ecclesiasticorum munerum, sed & regnorum, ditionum & omnium bonorum: allegata Pii II. & Julii II. Edicta, quibus hæretici declarantur, qui a Papa ad concilium provocant. Deniqve octodecim vocum forensium ex rabulari disciplina cumulatarum inanem strepitum. Diploma enim nominatur *pagina damnationis, reprobationis, rejectionis, decreti, declarationis, inhibitionis, voluntatis, mandati, hortationis, obsecrationis, requisitionis, monitionis, assignationis, confessionis, condemnationis, subjectionis, excommunicationis & anathematizationis.* Hæc atque alia si ad normam sacrarum literarum, ad stylum Apostolicum, & primitivæ puræque a mundano tumore Ecclesiæ morem, imo secundum Gallicana principia, quæ nuper ipse publice defendenda sumsit, examinare voluisset Maimburgius, non tam generaliter scripsisset, *Leonem rigore usum esse, quo Ecclesia semper uti solita fuerit:* & subdola est cau-

l. §. gg. §. 75. notatur Maimburgius §. gg *de exiguo Bullæ effectu.* §. 75. Eccius ejus

1520. tio, qvod sanctionem hanc recitans tantum *suspensionum & dignitatum jactarum interminatam* notet, clausulam illam prætervectus, qva Leo secularibus amissionem feudorum non solum a Romana Ecclesia, sed & qvomodo libet obtentorum comminatur. Vidit sine dubio etiam Hutteni glossam, cum scribit: *qvid secularibus te negotiis implicas, qvi Christo militas? est hoc vicem Christi gerere, trahere ad se, qva Christus non agnoscit?* Qvocunqve autem odio Lutheri flagraverit Romana curia, moderationem tamen non imprudenter, pro rerum suarum statu, tenuit, cum capiti sive personæ Lutheri, damnata licet ejus doctrina, parcendum duxit, eiqve denuo posticum monstravit, per qvod elabi, & periculum corpori fortunæqve, si reniti pergeret, imminens, vitare haud difficulter potuisset. Sed ille causæ potius Pontificiæ debilitatem inde collegit, qvam suæ ullo modo diffidere voluit, ut paulo post dicemus.

§. gg.

Cochlæus. *Ad hanc Bullam in Germaniam deferendam Eccius nuntius constituitur, acceptis ad Ducem Saxoniæ & universitatem VVittembergensem literis, in qvibus ad publicationem ejus commonebantur. Sed hoc ipsum non parum nocuit huic negotio. Amici enim Lutheri Bullam istam tantum odio & fervori Eccii contra Lutherum attribuebant. Itaqve in Saxonia veluti suspensa habebatur, & Elector Lutherum semper, qvamvis id adhuc dissimularet, protegens, effecit, ut Bulla aliqvo tempore nec reciperetur, nec rejiceretur.*

§. LXXV.

Videri voluit Eccius invitus legationem suscepisse, sed nactus est, nescio qvo modo, ejus literas ex Urbe d. 3. Maji scriptas, & additis notis publicavit Lutherus, sycophantiam & utilitatis privatæ procurationem detegentes *Tomo I. Lat. Jen. f. 507.* Literas autem Pontificis

I. §. 75. 1520.

cis ad Wittembergensem Academiam, qvas Maimburgius innuit, qvarumqve diem 8. Julii Pallavicinus *Lib. I. c. 22. n. 1.* ex Archivo Vaticano notat, allatas fuisse, dubitandum est, qvia Eccius ad Magistratum Academicum 3. Octobris scribens, nullam earum mentionem facit, sed tantum Bullæ exemplum mittit, per Salvatorem orans, ut obseqvium præstent. Urgentibus, ut ait, de causis ejici jubet Lutherum, cujus solius meminit Bulla, pariterqve Carolostadium & Dolschium (qvi *Johannes Dolsch* dictus a Veldtkirch Professor Theologiæ erat, *Dulcius* a Sleidano alicubi vocatus); sed pœnitentibus & revocaturis veniam & absolutionem Pontificis nomine blande offert. Aberat tunc Elector: itaqve Eccius Lipsia in Franconiam rediens ad fratrem ejus Ducem Johannem qvi Coburgi erat d. 6. Octobr. misso itidem Bullæ exemplo, scribit *se pro injuncto munere Episcopis, Misnensi, Mersburgensi & Brandenburgensi Bullam publicasse, hosqve obedientiam obtulisse.* Addit epistolam Pontificis ad Electorem (qvam supra retuli) seqve, Bambergæ responsum expectaturum esse aliqvandiu scribit, & excusationem annectit, qvod religionis tantum causa multo cum labore & sumtu ista agat. Nomen subscribit aliter qvam alias solebat, *Johannes Mayr ab Eck* Nuntius Apostolicus. Pallavicinus summa lætitia exceptam esse in Germania Bullam memorat. Qvod ex parte verum est; placuit enim Clero, neqve tamen omni. Nam ut Lutherus d. 4. Novembr. *Lib. I. ep. 197.* scribit, Bambergensis Episcopus noluit eam publicare, nescio qvem insinuationis defectum obtendens; Erfurtensis Academia idem causata est, & juvenes Academici Eccium armati obsederunt, Bullamqve discerptam in aqvam jecerunt. Primus forte publicavit Episcopus Eichstetensis Canonico suo, Eccio, puto, gratificans: Ejus diploma habetur *Tomo I. Alt. fol. 512.* d. 24. Octobr. datum. Elector Saxoniæ, cujus dissimulationem aut tacitum consensum hic & paulo post notat Maimburgius, Coloniæ & Aqvisgrani tunc erat, ubi hoc mense Octobri Carolus Cæsar coronatus fuit. Ibi cum eo Pontificii legati de Lutheri causa egerunt, ut postea videbimus.

§. hh.

Interim Lutherus, cui neqve Dux neqve Academia

l. §. bb. §. 76. 1520. qvædam. Lutheri primum.

d. 17. Nov. d. 1. Decemb.

mia seſe opponebant, ſed tacite potius cum eo conſpirabant, denuo ad Papam aut Concilium appellavit; ſcripſit etiam contra Bullam, omnesqve errores per eam damnatas defendit, autorem Bullæ ſemper ut Antichriſtum tractans, & atrociſſimas injurias, majori qvam cogitari aut dici poteſt, ſcribendi furore, & inſania effundens. Negari tamen non poteſt, hac intemperie, qvæ ei naturalis erat, impeditum eum non fuiſſe, qvo minus conſideraret, qvæ ſcriberet, ſemperqve ingenium & doctrinam in ſcriptis ſuis oſtenderet.

§. LXXVI.

Appellatio die 17. Novembris adhibitis Notario & teſtibus, Wittembergæ in monaſterio Auguſtinianorum facta, repetitio & appendix fuit Appellationis die 28. Novembr. 1518. a Papa ad concilium interpoſitæ, qvam ſupra retulimus. Sed nunc commotior Lutherus Pontificem ipſum ob editam Bullam pro *tyranno, hæretico, apoſtata, Antichriſto, & ſuperbo concilii contemtore* habet, oratqve Cæſarem & omnes Imperii ordines, ut huic Appellationi adhærere, Papæ tyrannidi adverſari, aut ſaltem qvieſcere, & Bullæ executionem differre velint, donec legitime vocatus, per æqvos judices auditus & Scriptura dignisqve documentis convictus fuerit. Vide *Tomo II. Lat. fol. 272.* Duobus autem libellis ad Bullam reſpondit, qvorum utriqve dies 1. Decembris adſcriptus eſt. Qvi prior prodiit, inſcribitur *adverſus execrabilem Antichriſti bullam*, & habetur *Tomo II. fol. 301. ad fol. 308.* Utitur tamen Lutherus in hoc ipſo fervore ſuo hoc ſchemate, ut dicat, „ſe id agere, ut credat, Leonem X. Romanum Epiſcopum cum ſuis eru„ditis Cardinalibus non eſſe inſanæ Bullæ autores; qvanqvam non tam „pro honore Leonis, qvam ſuæ modeſtiæ cauſa ita ſentiat, ſe enim in„dignum eſſe reputat tantæ felicitatis, ut tam pulchra & glorioſa pro „veritate Dei patiatur, a tanto vertice damnatus, eoqve caſu optare, ut nunqvam abſolveretur, aut cum Antichriſto conciliaretur. *Felix*

illa

illa dies, (ait) *felix illa mors, cum gaudio & summa gratitudine Deo re-* 1520.
ferenda, si qvando fiat, ut in ista causa apprehendar & perdar. Damnat „
postea & execratur Bullam, suosqve articulos, per eam damnatos, o- „
mnibus Christianis sub æternæ damnationis pœna asserendos com- „
mendat, qvi secus fecerint, pro Ethnicis se habiturum pronuntians. „
Inscitiam vero Bullæ ante omnia arguit, qvod nudis verbis sua damnet „
dogmata, nullis (ut tamen Episcopos & Christianos omnes deceat) „
allatis rationibus, qvas ipse jam in tertium annum efflagitaverit. Ex- „
agitat *respectivam* illam & *confusam* damnationem, & ad *Occamica*, „
qvam seqvi se profitetur, scholæ præcepta *absolutam, determinatam &* „
distinctam urget, ut dicatur, qvinam sint articuli *hæretici*, qvi *erronei*, „
qvi *scandalosi*; monstratqve, qvomodo ista differant, & qvod *malis ve-* „
ritas ipsa semper scandalosa & offensiva esse soleat: Imo aperte asserit, „
Christianam veritatem eamqve cognitam in suis articulis damnari.
Exclamat *f. 304.* Ubi es nunc, optime Carole Imperator? Ubi estis „
Reges & Principes Christiani? Christo dedistis nomen in Baptismo, & „
has tartareas voces Antichristi potestis ferre? Ubi estis Episcopi? Ubi „
Doctores? Ubi qvicunqve Christum confitemini? ad hæc horribilia „
Papistarum portenta tacere potestis? Miseram Ecclesiam Dei, factam „
Satanæ tantum ludibrium! Miseros omnes, qvi his temporibus vi- „
vunt! Venit, venit ira Dei in finem super Papistas, inimicos crucis „
Christi & veritatis Dei, ut resistant & ipsi omnibus hominibus prohi- „
bentes prædicari & doceri veritatem, sicut de Judæis dicit Paulus. Indi- „
gnatur porro & expostulat, cur omnia sua damnēt, & qvis eos docuerit,
ut triticum cum zizaniis, si qvæ habeat, evellant? cur Origenem ferant?
cur impiissimum Aristotelem? cur impias & barbaras decretales Pontifi-
cum? Ipsum etiam Pontificem & Cardinales graviter alloqvitur & hor-
tatur, ne in furore illo perseverent, & Antichristum repræsentent. Ad-
dit iterum euphemismum, se Eccio potius qvam illis Bullam tribuere.
Negat speciatim, qvod in Bulla narratur, pecuniam sibi oblatam fuisse
ad iter Romanum. Cajetani id figmentum esse; qvi tantum abfuerit a
pecunia offerenda, ut Augustæ tam sordida & infami ageret penuria, ut
crederetur familiam suam fame occisurus esse. Ad se vero relatum esse,
offerri centenarios aliqvot aureorum sicariis, qvi necem sibi inferant. Lu-
dit inde & tantam expetit pecuniam, ut viginti peditum & qvinqve-
qvitum millia conducere posfit, qvibus comitatus, absqve salvo con-

 ductu,

I. §. 76. §. 77. 1520.

ductu, tutus Romam ire velit. Dolet universalis Ecclesiæ titulum ad viginti hominum numerum, paucos Cardinales nempe, & aliqvos Priores & Doctores reductum. Scripturam omnibus præfert. His præmissis non nisi aliqvos Articulos *de fide ad salutarem sacramentorum usum requisita*, de *peccato vel fomite*; (qvæ pro iisdem habet) *in baptizatis residuo*; de *imperfecta charitate ad damnationem sufficienti*; de *rejicienda satisfactione, qvalis huc usqve exigebatur*; & de *insufficientia contritionis* breviter defendit, & ad amplectendam veritatem, omnes commonefacit, pro qva se ultimum, qvod habet, nempe vitam & sangvinem expositurum esse protestatur.

§. LXXVII.

At alter tractatus *Fabiano Feilitschio*, (*Felicem* ipse per allusionem vocat) Eqviti & Electoris Consiliario inscriptus, cui titulus est: *Assertio omnium articulorum Mart. Lutheri per Bullam Leonis X. novissime damnatorum*, eundem præfert diem, ut dixi, 1. Decembr. sed serius perfectus est: extat autem in *Tomo II. Lat. Jen. fol. 308. ad fol. 330.* Refert enim in illo *fol. 318.* exustos a se esse Decretales, qvod d. 10. Decembr. factum esse constat. In hoc scripto XLI articulos, qvos Bulla condemnat, singulatim explicat & tuetur, ea sane cum eruditione & argumentorum evidentia, ut laudanda sit Maimburgii ingenuitas, qvi dotes ingenii & doctrinæ hic observavit. Legi inprimis merentur, qvæ de autoritate & interpretatione Scripturæ *ab initio* commentatur. Ostendit enim, qvam frivola sit, qvæ sibi objici soleat exceptio, Scripturas non esse interpretandas proprio spiritu. Id enim facere, adversarios, sensum non Scripturæ, sed qvi in eas commentati sunt, hominum qværentes, eumqve tandem uni homini, at indoctissimo, & sophistis indoctissimis circumvallato deferentes. Cur Augustinum, aut Thomam sequantur, qvi tamen proprio spiritu Scripturas explicarint, & sæpissime a sensu Scripturæ recesserint. Scripturas, *ait*, „ non nisi eo spiritu intelligendas esse, qvam qvo scriptæ sunt, qvi spi„ ritus nunqvam præsentius & vivacius qvam in ipsis sacris suis, qvos „ scripsit, literis inveniatur. Insudandum esse sepositis omnium homi„ num scriptis, tanto magis & pertinacius solis sacris, qvo præsentius „ periculum est, ne qvis proprio spiritu eas intelligat. Id placuisse, id li„ cuisse primitivæ Ecclesiæ, qvæ Patrum dicta nulla viderit. Scripturæ „ principem deberi locum, ut sit ipsa per se certissima, facillima, apertis-

sima,

sima, sui ipsius interpres, omnium omnia probans, judicans & illu- 1520.
minans, secundum Psalmum octonarium (119.) qvi totus nos ad hunc „
Scripturæ fontem deducat. Qvod si non ita sit, cur Augustinus & re- „
liqvi sancti Patres ad sacras literas ut prima principia veritatis recur- „
runt, & sua obscuriora & ignotiora ex Scriptura confirmant, qvæ „
ideo notior & clarior esse debet, qvia si incertior & obscurior esset, ad „
eam non deberet provocari, contrarium enim ratio exigit, & vel A- „
ristoteles docet. Hujus argumenti vim non enervant, qvæ de ob- „
scuritate Scripturæ & necessitate interpretationis objici solent. Ne-
cessitatem illam non negavit Lutherus, qvi scivit dictum Christi:
Scrutamini (ἐρευνᾶτε) *Scripturas*, *Joh. V. 39.* nec Pauli Zelum Pro-
phetias exigentis 1. Corinth. XIV, 39. sed ex clarioribus & collatis in-
ter se locis faciendam esse ursit. Qvod eleganti alicubi similitudine
explicat, cum post nubes obscuritatum, qvæ nobis inpenetrabiles vi-
dentur, nihil tamen aliud, qvam solem, id est, eandem veritatem, qvæ
in aliis locis effulget, latere docet, in *explicat. Ps. XXXVII. Tom. I.
Alt. f. 825.* Seqvitur inde, qvacunqve interpretum multitudine aut
autoritate aliqvid statuatur, pro articulo tamen fidei ad salutem ne-
cessario obtrudi Ecclesiæ non posse, ideoqve nihil agere, qvi clare &
determinate definire velint, qvæ non ex claris & liqvidis Scripturæ
locis, aut necessaria & evidenti eorum seqvela, sed ex locis singulari-
bus, obscuris, & faciliores magisqve analogas explicationes admit-
tentibus deducunt: qvod tamen factum est in asserendo imperio Pon-
tificio, purgatorio, aliisqve. Sed audiamus reliqva Lutheri huc per-
tinentia. Qvæ ergo est (*pergit fol. 309. b.*) nostra tam irreligiosa per- „
versitas, ut sacras literas non per se ipsas & illarum proprium spiri „
tum, sed per hominum glossas velimus discere, diverso omnium Pa- „
trum exemplo, & in hac perversitate gloriemur, ceu religiosissima pie „
tate? Si enim hoc volumus, concedemus Scripturas sanctas esse obscu- „
riores & ignotiores, qvam Patrum scripturas. Hoc autem admis „
so, ulterius dabimus, S. Patres suis commentariis nihil aliud feci- „
se, qvam ut, dum sua probant per Scripturas, notiora probarint per „
ignotiora, & sic tam se ipsos qvam nos mire illuserint, prorsusqve
in vanum laboraverint, & erit, ut plus credamus interpretantibus „
qvam loqventi Scripturæ. Qvis ita insaniat? Posthæc errores Pa- „
trum notat, ut Scripturas sæpius torserint, ut Augustinus disputet,

non

1520. non definiat; Hieronymus qvoqve fere nihil asserat. Allegat iterum
„ Augustini dictum, qvod honorem infallibilitatis soli Scripturæ cano-
„ nicæ deferat, & Hilarii, qvi scribit: optimum interpretem esse, qvi
„ sensum ex Scripturis retulerit potius, qvam illis intulerit. Affert di-
„ cta Apostolorum *1. Thess. V. 21. Gal. I. 8. 1. Joh. IV. 1. Act. XVII. 11.* &
eorundem exempla, qvod omnia ex Scripturis probaverint, cum sine
„ dubio autoritate sua rectius qvam Patres uti potuissent. Addit, nolle
„ se per hæc sanctis Patribus detrahere & pro sanctis eorum laboribus
„ ingratitudinem rependere, sed libertatem Spiritus & Majestatem ver-
„ bi Dei illis præponere. Sint *(ait fol. 310.)* sancti viri & Ecclesiarum
„ Patres, sed homines, & Apostolis & Prophetis impares, & horum au-
„ toritate non prælati, nec æqvati, sed subjecti, ut qvos non ipsi erudie-
„ runt aut illustraverunt, sed a qvibus ipsi eruditi & illustrati sunt, tan-
„ tum nobis exemplo sint, & qvemadmodum ipsi in verbo Dei pro suo
„ tempore laboraverunt, ita & nos pro nostro seculo in eodem labore-
„ mus. Una est vinea, sed diversi diversarum horarum operarii, omnes
„ tamen in ipsa vinea, non in sarculis aut cultris operariorum laborant.
„ Satis est e Patribus didicisse studium & diligentiam in Scripturis labo-
„ randi, non omne opus eorum probari necesse est: siqvidem & diligen-
„ tia pluribus qvandoqve non dat qvod dat vel uni sola occasio, & ne-
„ scio qvæ Spiritus incomprehensibilis impulsio. Exemplo itaqve S. Bern-
„ hardi, si id poterimus, potius ex fonte ipso qvam ex rivulis bibamus,
„ sic enim de se confitetur, ob id non raro Patribus sanctis reluctari ausus.
„ Alioqvi si Pontificibus aut Doctoribus solis fidendum est, nec ad Scri-
„ pturæ tribunal vocandi sunt, cur non Scripturas sanctas explodimus,
„ tanqvam superfluas & obscuriores, qvam ut eas possimus consequi?
„ Eodem exemplo tandem & Patres S. repellamus, receptis in eorum lo-
„ cum apertioribus (ut jactant) Theologis scholasticis, donec & his ab-
„ jectis, Aristotelem, & qvo qvisqve remotior a sacris literis & S. Patri-
„ bus fuerit, duces habeamus, sicuti revera habuimus & habemus. Tum
„ revera erit, ut Scripturas sanctas non solum spiritu proprio non inter-
„ pretemur, sed nihil nisi proprium spiritum, Scripturis in totum inco-
„ gnitis, reliqvum retineamus, & meris opinionum nostrarum turbini-
„ bus & procellis sine fine agitemur, sicut est dies hæc. Declarat deni-
„ qve antehac a se dicta atqve scripta, cur Scholasticis Theologis Eccle-
„ siasticos, id est, Patres Scripturarum interpretes prætulerit; id nempe

non

non eo pertinere, ut omnia eorum vera arbitraretur, sed qvod propiora vero sensserint. 1520.

§. LXXIIX.

Articulorum XLI. qvam subjungit exegesin recensere longum foret; sancta maxime & pia sunt, qvæ de fomite peccati & de fidelium infirmitatibus post baptismum remanentibus ad art. 2. & 31. 32. 35. 36. disputat, ex qvibus monstrari posset, nihil nisi logomachiam & cavillationes in vocibus *peccati* & *defectus* seu infirmitatis superesse: ubi vero *de Indulgentiis* agit, jam olim mollius dicta retractat, imo exuri petit, totamqve illam Indulgentiarum œconomiam disturbat. Adversus *primatum Pontificis* denuo pugnat, & ad dicta Scripturæ pro eo afferri solita respondet. Husi etiam librum *de Ecclesia* laudat, omniaqve ejus dogmata, qvæ Constantiæ damnata fuerunt, asserit, qvanqvam alia ejusdem non damnata non admittat. Calumniam de se qvod bella contra Turcos improbaverit, diluit, *ad art. 34.* ita explicans mentem, ut rem Christianam prius intus corrigi & constitui debere statuat, si feliciter adversus illos præliari velimus. Sententiam vero suam *de liberi arbitrii* in salute hominis operanda imporentia, pro primario fidei a Pelagianismi errore conservandæ fundamento commendat, cæteros *de Papatu*, *conciliis*, *indulgentiis*, & ut ait, *aliis non necessariis nugis* ei posthabens: Agnoscit tamen & qvasi vaticinatur, veritatem hanc nunqvam admissum iri ab Ecclesia Pontificia. Notatu dignissima sunt verba ejus *ad Art. 36.* qvæ vulnus illud insanabile, de qvo hodie etiam cordati piiqve omnes dolent, qvodqve nullo malagmate placari potuit, ingenue denudant. Ita ergo *fol. 329. b.* Nisi Papæ Ecclesia opera bona doceret ac venderet, aut sola gratia nos justificari sincere doceret; neqve in hanc pompam crevisset, neqve ad horam, si qvo casu crevisset, stetisset. Crucis est enim hæc Theologia, qvæ damnat, qvicqvid Papa probat, & martyres facit. Unde & Ecclesia, finito martyrum tempore, optima ac pene tota sui parte defloruit. Mox pro cruce successit voluptas, pro penuria opulentia, pro ignominia gloria, donec ea, qvæ nunc Ecclesia vocatur, ipso mundo, ut sic dicam, mundanior, & ipsa carne carnalior facta sit. Et ego non habeo aliud contra Papæ regnum robustius argumentum, qvam qvod sine cruce regnat. Prorsus nihil pati, omnibus autem abundare & excellere studet, & non est fraudatus desiderio suo. Habet qvod voluit,

1520. voluit, factaqve est meretrix civitas fidelis, vereqve regnum veri illius Antichristi. Suppliciis in hæreticos sæviri improbat, & pro argumento inter alia habet, qvod Ecclesiastici judices pro puniendis, qvos secularibus tradunt, (qvanqvam ficte & fucate) intercedere soleant, ut vitæ eorum parcatur. Inter injuste damnatos non Hussum modo habet & Hieronymum Pragensem, sed Hieronymum etiam Savonarolam Dominicanum, & socios anno 1408. Florentiæ exustos. Vehementiam styli, qvem cum Pallavicino suo hic maxime reprehendit & exagitat Maimburgius, ut sæpe alias, ita & hoc ipso tempore, non una Lutherus excusat & tuetur ratione. Nam & aula Electoralis fervorem ei nimium non semel exprobraverat, & aliqvando acrius, qvam ut patienter id ferret Lutherus. Operose itaqve se in epistola ad Spalatinum *Lib. I. ep. 199.* defendit, qvæ etsi occasione eorum qvæ Misnensium officialium censuris (supra memoratis) opposuerat, scripta est, rationes tamen adfert, qvæ ad alios etiam ejus libros pertinent. „ Fatetur, se esse vehementiorem qvam oporteat: rem sibi esse dicit cum „ blasphemis in veritatem evangelicam hominibus, cum lupis, cum iis, „ qvi se inauditum, non monitum, non edoctum damnent, & atrocissimis criminationibus in se & verbum Dei grassentur; ita fieri, ut si nec „ calore nec stylo raperetur, tamen indignitate rei vel saxeus animus ad „ arma qveat moveri, tanto magis se, qvi & calidus sit, & stylum habeat „ non penitus obtusum, & mores qvibus ultra modestiam feratur. Mirari tamen se, unde ista nata sit religio nova, ut qvicqvid in adversarium dicatur convitium appelletur. De Christo, ait, qvid sentis? an „ conviciator fuit, qvando Judæos appellat generationem adulteram & „ perversam, progeniem viperarum, hypocritas, filios diaboli? deinde „ Paulus, canes, vaniloqvos, seductores, indoctos: qvi Actor. 13. sic invehitur in Pseudoprophetam, ut videri possit insanus, dicens: *O plene omni dolo & omni fallacia, fili diaboli, inimice veritatis?* Cur non hic „ Paulus modeste potius blanditur, ut convertat, qvam sic tonat? Nec „ potest sane conscientia veritatis esse patiens in præfractos & indomitos hostes veritatis. Et mox: Video ab omnibus in me peti modestiam, maxime ab hostibus, qvi minime tamen omnium eam præstant: „ ego si immodestior sum, simplex tamen & apertus sum, qvo illis meo puto præstare, cum non nisi insidiosissime commententur. Satisfactum esse Spalatino oportet, qvia hic Germanice vertere voluit *assertiones*

I. §. 78. §. ii. 1520.

tiones XLI. articulorum, qvos Lutherus Latine scripserat, ut apparet ex ep. hujus d. 29. Novembr. data, *Lib. I. ep. 209.* in qva tamen monet Spalatinum, *ut majori eas cum libertate vertat, qvam hucusqve alia versisset, aut sibi istam provinciam relinqvat.* Extat sane Germanica versio, ab ipso Luthero, & liberiori qvidem, ut Cochlæus qveritur, stylo composita. *Tom. I. Act. fol. 615.* Spalatinus enim interim cum Electore ad comitia profectus erat, & mense demum Martio 1521. versio illa publicum vidit. Vide *Lib. I. ep. 216.*

§. ii.

Tandem cum de favore plebis & aulæ confidere Cochlæus. *posset, & a literatis, & qvi ingenii laudem affectabant, magnis elogiis extolleretur, qvi liberatos se per eum ab Antichristi Romani tyrannide, & in libertatem Evangelicam assertos dicebant, rem ausus est omnium insolentissimam, ut eos omnes ad æternum bellum Pontifici denuntiandum, & se ab Ecclesia Romana semper separandos implicaret. Ut enim ultionem sumeret ob libros suos Romæ, & in qvibusdam Belgii & Germaniæ civitatibus combustos, rogum ingentem extra muros VVittenbergenses extrui, eiqve, comitantibus, qvos invitaverat, omnibus civibus, multisqve Doctoribus, maxime vero juventute literis operam dante,* decretum Gratiani, Decretales Pontificum, Clementinas & Extravagantes, *dein* Bullam Leonis *imponi fecit, ignemqve ipse subjecit, voce sua tonanti proclamans:* Qvia turbasti sanctum Domini, æterno igne comburaris. *Exceptum hoc fuit a fanaticis illis, qvi eum seqvebantur magnis ac-*

1520. *clamationibus, & exemplum imitati sunt discipuli falsi hujus Prophetæ, in qvibusdam urbibus, etiam Lipsiæ, qvod Dux Georgius, infensus licet Luthero, & vere Catholicus impedire neqvibat; tantam sibi potentiam novus hic dogmatista in Saxonia paraverat. Multum tamen obfuit, ut idem præsidium apud novum Imperatorem inveniret, qvemadmodum vane sperarverat.*

§. LXXIX.

Invectivas hic audimus, aut echo potius earum, qvas Pallavicinus eructat *Lib. I. cap. 24. n. 3.* eatenus diligentior, qvod non prorsus tacuit, qvæ Lutherus pro facti sui defensione adducit. Extant illa *Tomo II. fol. 334.* ubi triginta ex Juris Pontificii libris sententias adducit, ob qvas comburi meruissent, interqve eas præcipue *cap. Si Papa dist. 40. & cap. cuncta caus. 9. q. 3.* aliaqve, qvibus Pontifici & peccandi licentia & judicandi de omnibus potestas adscribitur, ipso ab omnium judicio exemto, contra præceptum Christi, qvi differentiam secularis & ecclesiasticæ potestatis in hoc maxime constituit *Luc. XXII. 25. 26.* ut illa qvidem nemini, at hæc omnibus subjecta esse debeat, veriora scilicet docentibus. Ex iis enim aliisqve Lutherus summam totius juris Canonici hanc colligit: Papa est Deus in terris, superior omnibus cœlestibus, terrenis, spiritualibus & secularibus, & omnia Papæ sunt propria, cui nemo audeat dicere, qvid facis? Plures articulos producturum se minatur, hi enim *(ait)* sunt initium tragœdiæ, siqvidem hactenus cum causa Papæ lusi tantum & jocatus sum. At qvoniam audent meos articulos comburere, in qvibus plus evangelii & veræ theologiæ est (id qvod sine jactantia & cum veritate dicere & probare possum) qvam in omnibus Papæ libris, multo majore merito & jure impii eorum libri Juris exuri possunt, in qvibus nihil boni inest. Qvod si in illis etiam aliqvid boni inesset, qvod de Decretis fateri cogor, totum tamen eo detortum est, ut noceat, & Papam in sua Antichristiana & impia tyrannide confirmet. Connexio, qva hic utitur Maimburgius, ad inferendam de Caroli V. electione hi-

I. §. 79. §. kk. 1520.

ne historiam, valde impertinens est: Neqve enim tunc post delatam ad se Bullam, sed ante menses decem, die nempe 15. Januarii ad Imperatorem scripserat Lutherus, ut supra notavimus, & postea iterum dicendum erit; imo spem de Carolo, ut ex supra relatis tractatibus ejus apparet, jam fere abjecerat. Qvæ de actis Lipsiæ Maimburgius hic memorat in Scriptoribus probatis nondum invenire potui; Vide tamen qvæ infra §. 91. notavi.

§. kk.

Imperator hic erat Carolus Austriacus, Hispaniæ Rex, sex circiter ante menses, anno præterito, post mortem avi sui Maximiliani Imperatoris electus, & qvidem opera singulari Ducis Saxoniæ, qvi in hoc negotio præstitit aliqvid extraordinariæ plane magnanimitatis, cui certum est a Carolo Imperatoriam dignitatem deberi. Cum enim ambigeretur inter duos Reges ambientes, & qvidam Treverensem Archiepiscopum secuti, Gallo adhærerent, alii cum Moguntino Hispanum præferrent, qvidam adhuc dubii essent cui parti accederent, uno impetu consenserunt, ut ad dissidia tollenda neuter adsumeretur, sed Fridericus, Saxoniæ Dux, Imperator fieret, & ita dignitatem hanc in natione Germanica retineret. Verum Princeps hic gratiis collegio actis, honorem oblatum constanter recusavit, dicens, res Imperii in eo statu esse, ut potentior se Princeps, qvi viribus Ottomannicis, qvæ metuebantur, par esset, ad tuendum id reqvireretur: & sic suffragium suum Carolo dedit, qvi Galliæ Regem sorte nascendi (Germanicæ enim originis erat) Sleidanus. Ep. Cardin. Caj. ad Lecon. Erasm. epist. l. 13. ep. 4.

L§.kk.§.80. *imperium recusans.* §.80. de recusato a Friderico Imperio. judicia & testimonia qvædam Funccii, Indicis expurgatorii: Hulsemanni, Varillasii, Erasmi,
1520,

superabat, magnasqve ditiones in Germania possidebat. Sic lance ad Caroli partes inclinata, electus is fuit die seqventi 28. Jan. Ejus Legati cum pro compensando beneficio Generoso huic Duci triginta ducatorum millia offerrent, rejecti sunt illico, & cum ab eo peterent, ut saltem aulicis ejus decem millia distribui sineret, respondit, se qvidem Legatis inhibere nihil posse, at si qvis ex suis denarium vel unum acciperet, eum se die seqventi ex ministerio suo dimissurum esse.

§. LXXX.

Recte facit Maimburgius, Pallavicini qvidem exemplo (*Lib. I. cap. 22.*) qvod Friderici Electoris prudentiam & magnanimitatem in recusando imperio & oblato a Carolo sibi suisqve præmio, merita non fraudat laude. Atfecerunt hoc librorum censores Romani, qvi ex *Joh. Funccii chronologia* exturbari mentionem ejus jusserunt, neqve tamen, (ut loqvitur D. Joh. Hülsemannus in *epistola dedic. Breviarii sui extensi* anno 1648. editi,) *hac loligine aut sepia tam illustris exempli memoriam de monumentis historiarum & mentium humanarum delere potuerunt.* Inventus nuper est in Gallia Varillasius, qvi in *historia Francisci I.* ex documentis, ut scribit, antea incognitis recens compilata, & Parisiis anno 1685. Gallice edita, insigni elogio Fridericum honorat, totumqve rei gestæ ordinem exponit, *Roberti Cardinalis Ursini*, & *Erardi Marcani* Episcopi, & *Card. Leodiensis* testimoniis nixus. Ad Episcopi hujus relationem in *epistola ad Johannem Episcopum Roffensem* provocavit Erasmus *Lib. XIII. ep. 4.* cujus verba hic inseri merentur, cum & Lutheri aliqvam mentionem faciant. *Dux Saxoniæ Fridericus bis ad me scripsit, eidem meæ respondens epistolæ: hujus unius præsidio substitit Lutherus. Id ait se causæ dedisse verius qvam personæ. Addit, non commissurum sese, ut in sua ditione opprimatur innocentia, eorum malitia, qvi sua qværunt, non qvæ Jesu Christi. Ab omnibus delatum*

I. 5. 80.
1520.

latum imperium ingenti animo recusavit, idque pridie, quam Carolus eligeretur, cui nunquam contigisset Imperii titulus, nisi Fridericus deprecatus esset, clarior honore contemto, quam fuisset adepto. Mox rogatus, quem igitur conferret eligendum? negavit sibi quenquam alium videri tanti nominis oneri sustinendo parem, quam Carolum. Ob hunc insignem animum a nostris (id est, Cæsaris ministris) *oblata triginta florenorum millia constantissime rejecit. Quumque urgeretur, ut saltem decem millia paterentur dari famulis: accipiant* (inquit) *si velint, attamen nemo manebit postridie apud me, qui vel aureum acceperit: ac postridie conscensis equis subduxit sese, ne pergerent esse molesti. Hoc mihi ut compertissimum retulit Episcopus Leodiensis, qui comitiis imperialibus interfuit.* Nescio tamen quid moverit Varillasium, ut tradat, nullum Germaniæ Scriptorem superioris seculi hæc narrasse. Nam ut alios omittam taceam, ipsi forte non visos, Sleidanus eadem memorat, tumis, de quo dixi, Funccius, exteris non ignotus, in *commentario Chronologia adjecto edit. Basil. 1554. p. 242.* Sed nec spernendum est testimonium ipsius Lutheri, a nemine adversariorum, quod sciam, rejectum, cum in epilogo Libri *de abroganda Missa privata Tomo II. Lat. Jen. fol. 493. b.* anno 1522. mense Januario editi, [licet prius scripti] ad vaticinium quoddam vulgo creditum alludens, ita de Friderico Electore scribit: *Nonne in comitiis Electorum concordibus suffragiis & designatus & petitus est in Imperatorem? eratque vere Imperator, nisi noluisset.* Novam etiam Varillasius secreti revelationem venditat, de *Francisco Sickingio* Equite, non quidem, ut scribit, *Svevo*, sed *Rhenano*, supra a me memorato, magno Lutheri patrono, quomodo electionem Caroli apud Electores quosdam, Moguntinum maxime, juverit, & desertis Gallicis partibus pro ea, qua apud militares viros in Germania pollebat gratia, & quodam sub prætextu ingentem exercitum pro Caroli electione tuenda collegerit. Pallavicinus Friderici virtutem *d. l.* commendans, divinum tamen aliquid suspicatur, quod Princeps, qui, ut loquitur, Lutheranam hæresin jam pro filia adoptasset, ad dominationis fastigium in perditionem, ut putat, Germaniæ non fuerit evectus. Sed mihi id potius consideratione dignum videtur, quod ex tot Lutheri scriptis, in quorum plurimis Fridericum magnis extollit laudibus, ne minimum quidem vestigium conspiciatur, quod is evectionem talem desideraverit aut svaserit. Fixum nempe illi erat in reformam

Add.

I. §. 80. §. II. 1520.

manda religione, nihil ab externæ potentiæ adminiculis desiderare: eodemque animo Electorem fuisse, ex moderatis pacificisque ejus consiliis, quibus, quamdiu vixit, insistebat, concludi potest. Censura vero, quam Jesuita de perditione Germaniæ fert, si Fridericus Imperii thronum conscendisset, retorqueri facile posset, diciqve: indignam ea felicitate judicatam a Deo esse illam Germaniæ partem, quæ cum oculos ad tantam lucem verbi Divini clauderet, etiam optimi Principis autoritatem eadem contumacia sprevisset.

§. II.

Epist. Luth. ad Carol. t. 2. Cochlæus.

Spem igitur Lutherus concepit, ut favore Ducis Saxoniæ, cui juvenis Imperator tantum debebat, conciliare sibi illum posset. Propterea literas extreme blandas & demissas ad Imperatorem scripsit, quibus protectionem ejus ad exemplum Athanasii Constantinum implorantis petere se dicebat, similem ob Evangelii veritatem persecutionem patiens. Sparsit etiam ubique libellos plurimos, in quibus Pontifices horribili modo traducens, subjectos Imperatori esse debere contendit ad Reformationem Ecclesiæ obtinendam, cujus is protector esset. Caruit tamen hac spes, quam Lutherus ejusque factio conceperat, fundamento. Imperator enim ex Hispania in Belgium reversus, ut Aquisgrani, consveto more coronaretur, benigne audivit Hieronymum Aleandrum, *Nuncium Pontificium, qui exhibita Bulla Leonis contra Lutherum, nomine ejus duo petiit; unum, ut publicata Bulla libros hæretici hujus comburi mandaret, alterum, ut condito edicto Imperiali, hæresin hanc pernicioſissimam*

una

una cum Autore suo, Imperio exterminaret. Primum sine mora obtinuit, jussit enim Imperator, ut libri in ditione sua Belgica comburerentur, idemque factum est in civitatibus Electorum & Archiepiscoporum Trevirensis, Moguntini, Coloniensis. Alterum differendum erat ad comitia Imperii, ut magna, quæ huic rei obstabant, impedimenta superari possent. 1520.

§. LXXXI.

Non intelligo, qva ratione de literis Lutheri ad Cæsarem hoc loco agat Maimburgius. Pallavicinus sane, qvem sequitur, *d. l. n.* 2. non de literis, sed de libellis Lutheri aliqvid habet, eo scilicet maxime, qvem supra §. 72. allegavimus ad *Cæsarem & Nobilitatem Germaniæ*, in qvo Imperii Jura adversus Pontificiam dominationem mascule assertum ivit, ad qvem etiam noster hic iterato videtur respexisse. Literæ autem d. 15. Januar. ut supra innuimus, ad Cæsarem datæ, extant non inelegantes, & modestissimæ, absqve ulla Pontificis insectatione. Aliqvam nempe tunc Lutherus de Carolo spem habebat, sed illam nunc deposuerat, Erasmi judicio motus, ut apparet ex *epistola 196. libri I.* ad Spalatinum d. 13. Octobr. data, ubi dictum allegat: *Nolite confidere in Principibus.* Sed etsi verum est, Imperatorem a Pontificiis legatis ministrisqve suis permotum, in prohibitionem & exussionem librorum Lutheri in provinciis Belgicis consensisse, eodemqve modo etiam Prælatos qvosdam grassatos esse, nihil tamen ex eo sequitur, qvam qvod cœco impetu vis opposita fuerit veritati, qvam tot hominum millia jam agnoscebant, qvæ profecto indagationem qvietam & affectibus vacuam merebatur, nec per præcipitata Scholarum paucorumqve Pontificiæ dominationi metuentium judicia opprimi poterat, ut eventus docuit. Cæterum combustionem librorum suorum constanti animo accepit Lutherus, ut videre licet ex iis, qvæ ad Spalatinum, & postea ad Staupitium sub initium anni sequentis scripsit *n.* 207. dicens: *Meaer arserunt Lovanii, Coloniæ, Moguntiæ; sed Moguntiæ cum magno contemtu, adeoqve periculo comburentium.* Speciatim vero totam combustionis Lovanii factæ ceremoniam persequitur, publicata nar- *Add.*

I. §. 81. 1520. ratione *Tomo I. f. 496. & seqq.* in qva multa de Erasmo aliisqve notatu digna reperiuntur, ex ejus epistolis hausta. Pallavicinus *Lib. I. cap. XXII. & seq.* mire deprædicat *Hieronymi Aleandri*, Pontificii ad Imperatorem nuncii industriam, qva effecit, ut spectacula illa comburendorum librorum exhiberentur, multisqve rationibus eam severitatem defendit; &, qvi jam tum eam reprehendebant, nec doctrinam hoc modo supprimi posse monebant, interqve eos *Emsmum*, pro fautoribus Lutheri, id est, hæreticis habet. Vide *c. XXIII. n. 2. & seqq.* Hic vero temporis rationem neglexit, & plurima omisit Noster, cum aliqvid inferere debuisset de gestis nuntiorum Pontificiorum cum Friderico Electore, qvi Cæsari tunc Aqvisgrani coronato, & inde Coloniæ aderat, qvia postea demum ad comburendos libros Coloniæ ventum est, sed tacente Pallavicino etiam ipse tacuit. Retulit autem diligenter qvæ acta sunt Sleidanus *Lib. II.* Nuntii erant *Marinus Caracciolus* & *Hieronymus Aleander*, ille Neapolitanus, hic in Carnia, ut Pallavicinus scribit, natus, Erasmus *Motzanum* vocat, uterqve postea Cardinalitia purpura ornatus, qvorum magna encomia apud Pallavicinum *cap. 23.* leguntur. Sed Aleandrum (qvi paulo ante *Cancellarius Leodiensis* & olim famosissimi *Cæsaris* illius *Borgiæ* seu Ducis Valentini *Secretarius* fuerat, famulus Hero dignus & pars aulæ Romanæ sub Alexandro VI.) pessime describit Lutherus *Tom. I. fol 496.* his verbis: „ Venit his diebus *Hieronymus Aleander*, vir sua opinione longe „ maximus, non solum propter lingvas, qvas eximie callet, siqvidem E„ bræa illi vernacula est, Græca a puero illi coaluit, Latine autem didi„ cit diutina professione, sed etiam mirabilis sibi videtur ob antiqvita„ tem generis. Nam Judæus natus est, qvæ gens immodice gloriatur „ de Abraham vetustissimo se originem ducere. An vero baptisatus sit, „ nescitur. Certum est, eum non esse Pharisæum, qvia non credit re„ surrectionem mortuorum, qvoniam vivit perinde atqve cum corpore „ sit totus periturus, adeo nullum a se pravum affectum abstinens. Usq; ad „ insaniam iracundus est, qvavis occasione furens. Impotentis arrogan„ tiæ, avaritiæ inexplebilis, nefandæ libidinis & immodicæ, summum „ gloriæ mancipium, qvanqvam mollior, qvam qvi possit elaborato stylo „ gloriam parare, & pejor, qvam qvi vel conetur in argumento honesto. „ At ne nesciamus, cessit felicissime simulata defectio ad Christianos. Nactus enim sic est ansam illustrandi Messiæ sui, & obscurandi Christi glo-

gloriam, qvæ hoc seculo cœpit reflorescere, flaccescente superstitione & pestiferis hominum traditiunculis. Itaqve instructus literis pontificiis nuper venit, perditurus (qvantum potest) optima qvæqve. Pallavicinus, nescio cur hæc intacta relinqvens, alia memorat, qvæ adversus eum sparsa sint *d. l. n. 5.* & extant Hutteni in eum invectivæ. Qvaliscunqve autem fuerit Aleander, ad causam contra Lutherum agendam specialiter delectus, & Marino Caracciolo adjunctus erat; qvi postqvam Dominica post Festum omnium Sanctorum, id est, mense Novembri ineunte in templo Minoritarum Coloniæ initium loqvendi ad Fridericum Electorem fecisset, & Pontificias literas exhibuisset, plurimis verbis & argumentis Collegæ dicta prosecutus, institit, ut & libros Lutheri comburere & ipsum vel supplicio affici vel capi juberet, Pontifici transmittendum. Elector interprete *Bernardo, Episcopo Tridentino*, qvi aderat, dilationem petiit, posteaqve per consiliarios d. 4. Novembr. respondit, ea, qvæ *Tomo II. Lat. Luth. fol. 332. sqq.* referuntur. Summa est, Electorem cum fratre, Duce Johanne, venerari Pontificiam dignitatem, commune nihil cum causa Lutheri habere, misisse eum Augustam ad Cajetanum, & huic postea responsum dedisse, qvod ne Momus qvidem calumniari possit: in eo etiam fuisse, ut Lutherum ex Academia sua Wittembergensi dimitteret, nisi Pontificis Nuntius, Miltitius, restitisset: commisso vero a Pontifice negotio Treverensi Electori, Lutherum paratum ad sistendum se fuisse, sed commeatus tuti literas non potuisse impetrare. Viros probos & eruditos plurimos Lutherum excusare, neqve constare Principi Electori, an libri ejus incendium mereantur, rogare igitur, ne id fiat sine causæ cognitione; hanc æqvis, eruditis, piis & non suspectis judicibus committi petit, ut Lutherus argumentis, doctis rationibus, piis & solidis Scripturis convincatur, qvo facto se præstiturum, qvæ obedientissimum sacratissimæ matris Ecclesiæ filium deceat. Regesserunt multa nuntii, inprimis Aleander, qvi inter alia, Trevirensis mandata expirasse dicebat, postqvam Pontifex causam ad se traxisset, a cujus solius judicio decisio penderet, nec majori ratione ab eo nunc flagitari posse, ut alii eam deleget, qvam a Friderico, ut de subditi cujusdam sui causa a Rege Galliæ cognosci pateretur. Sed persistente Saxoniæ Electore in sua sententia, finis sermonis fuit, ut Nuntii dicerent, se, ut

1520. mandatum erat, ad libros Lutheri comburendos processuros. Addidit Aleander, prioribus contradicens, & repulsam arte vulpina occultaturus, a Pontifice personam Lutheri non peti, neqve ejus sangvine manus illiturum. Erasmus qvi tunc aderat d. 5. Novembr. ab Electore consultus multa pro Luthero disseruisse dicitur, qvorum aliqva ex tempore ab eo scripta & Spalatino tradita, aut, qvod magis puto, ex

Add.

» ore ejus excepta habentur *Tomo II f. 331.* inter qvæ sunt: Optimum » qvemqve & Evangelicæ doctrinæ proximum minime offensum esse » Luthero; Bullæ vero sævitiam probos omnes offendere, ut indignam » mitissimo Christi vicario: duas Academias damnasse Lutherum, sed » non convicisse: æqvum peti a Luthero, ut a non suspectis judicibus » audiatur: suspectum ipsum minime esse, qvia nihil ambiret: Pontificei » priorem esse suam, qvam Christi gloriam: qvæ hucusqve contra Lutherum Scripta sint, etiam a Theologis Luthero non adsentientibus » improbari: mundum fatali desiderio Evangelicæ veritatis nunc ferri, » nec odiose resistendum esse, nec Caroli Imp. auspicia rigore illo funesta » landa. Scribitur in relatione supra allegata *fol. 333. b.* Oratores Pontificis Erasmo pingvissimum Episcopatum promisisse, si adversus Lutherum scriberet, at respondisse illum: *Major est Lutherus, qvam ut a me intelligatur, tantusqve est, ut plus eruditar & proficiam ex lectione unius pagellæ Lutheranæ, qvam ex toto Thoma.* Observandum tamen, hæc ab Erasmo ipso non affirmari, sed id tantum, qvod Episcopatum mereri potuisset, stylum adversus Lutherum stringendo; alias vero causas cur tunc non scriberet, Paulo Bombasio Romæ viventi, aperuit *Lib. XVII. ep. 14. fol. 545. ed. Basil.* Dicta etiam Coloniæ aut secreta habuit, aut non agnovit. Ex Lutheri certe epistola *Lib. I. ep. 214.* apparet, invito utroqve & ad invidiam eorum Lipsiæ publicata ea fuisse. Sed de Erasmo infra plura dicenda erunt, ubi ad digressionem Maimburgii, ejus causa factam, veniemus.

§. *mm.*

Nam Lutheri partes sensim ita invaluerant in Germania, ut plurimi ex Consiliariis Imperatoris prudentiæ non convenire judicarent, si autoritatem suam statim ab initio in periculum mitteret, condito edicto,

edicto, cui nemo obediturus esse videbatur. Nonenim solum Dux Saxoniæ inter omnes Electores tunc maximæ in Imperio autoritatis, aperte Luthero favebat; sed & Ludovicus, Elector Palatinus, Princeps potentissimus, multos ex familia sua proceres secum trahens. Nobilitas Equestris spe utilitatis ex opulentorum monasteriorum spoliis & ex magnis beneficiis, quæ novus reformator pollicebatur, capiendæ inescata, toto pectore reformationem sibi tam proficuam amplectebantur, & jam minitabantur se eam armis defensuram esse. Caput eorum erat Udalricus Huttenus, homo audax, sed gratiosus, amœni ingenii, prosa & carmine Latine & Germanice eloquens, Pontifici etiam magis quam ipse Lutherus offensus, & hujus perpetuus Encomiastes. Hic sermonibus & scriptis seditiosis omnes contra Romam incitabat, ejusque defectus continuo exaggerabat. Plebs, cum nihil nisi de tyrannide Antichristi Romani in concionibus audiret, Lutherum ut magnum Prophetam respiciebat, quem Deus ad verbi divini vim in Ecclesia restituendam, & jugum legum & traditionum humanarum, quo Christiani misere oppressi essent, excutiendum excitasset. Cumque Lutherus vitia acriter pro concione taxaret, multosque jam libros Latinos & Germanicos ad pietatem pertinentes edidisset, v. g. explicationes decalogi, orationis dominicæ, Epistolarum & Evangeliorum Adventus, in- 1520. Cochlæus. Luth. tom. 1.

1.5.mm.§.82. 1520. *Monachi Grammatici, laus librorum Lutheri moralium.* §. 82. Examinatur censura Maimburgii.

Canticum B. Virginis, in Psalmos, & in Epistolam ad Galatas, in qvibus optima dixit; præterea minime avarus aut obnoxius esset, & morate viveret; vir bonus & magnus in universum, imo sanctus habebatur, ita ut capiti ejus effigiato radios circumpingerent, tanqvam Canonizato. Accesit, qvod Ecclesiastici ut plurimum valde corrupti essent, & Monachi, conditionis suæ pertæsi, concionantem de libertate magno cum applausu audiebant. Cupiditati enim eorum hæc mire congruebant. Tandem etiam literati, Grammatici, & qvi ob lingvarum, qvas doctas vocant, peritiam, eo tempore jus interpretandi sacram Scripturam sibi arrogabant, & Scholasticos ignorantiæ & barbariei accusabant (qvia Lutherus pro Theologo egregio habitus, idem faciebat maximosqve in scholis magistros & Theologiæ Doctores, ut corruptores sacræ Scripturæ traducebat) omnes, veluti conspiratione qvadam facta, prætensi hujus Reformatoris laudes extollebant.

§. LXXXII.

Deplorandum est, hæc ex autoritatibus suis exscribentem Maimburgium non affici eo veritatis sensu, ut agnoscat, non nisi divinæ eaqve manifesta providentia & ope progressum hunc Evangelicæ doctrinæ promoveri potuisse. Consideremus qvo tunc rerum statu Lutherus versabatur. Unicus ei Patronus ex Principibus erat *Fridericus Elector*, magnæ qvidem apud Carolum gratiæ, a qvo *Patris* nomine honorabatur, sed non tantæ, ut ministrorum ejus Hispanorum, Belgarum, Italorum, a qvibus educatus & obsessus erat, consilia autoritate sua impedire posset. Ipse, ut audivimus, nullo modo ad vim pro defensio-

fensione Lutheri inclinabat, nec Lutheri argumentis eo tempore movebatur, ut obsequium Pontifici denegaret. Equites vero illi, quorum studia in Lutherum erumpebant, quorumque hic meminit noster, potentia exigua erant, non nisi cum desperatione & ruina rerum suarum usurpanda, ut non multo post Sickingius omnium locupletissimus & potentissimus, expertus est. Repugnat etiam Actis & historicorum testimoniis, quod *Ludovicus Elector Palatinus* aperte Luthero faverit, multosque ex familia sua proceres secum traxerit. Ludovicus enim nihil in religione veteri mutavit, etsi suspicari aliqua de erroribus dogmatum cœpisset, & quibusdam locis suæ aut mixtæ cum aliis ditionis conniveret Evangelii prædicatoribus. Obstabant Theologi Academiæ Heidelbergensis, Pontifici adeo non hoc solum tempore, sed & longe post adhærentes, ut anno 1523. ab Adriano VI. Papa excitari ad scribendum contra Lutherum paterentur. Etiam a Paulo III. anno 1536. ad concilium Tridentinum vocati sunt. Mortuus est Ludovicus anno 1544. ante cœptam in Palatinatu reformationem: hæc enim successoribus ejus debetur, ut in tempore notabitur. Porro qui Lutheri doctrinam sequebantur, ab ipsius consiliis non ita pendebant, ut causam cum eo communem facerent. Id imprimis notari meretur, ut semel ac semper occurratur falsæ persuasioni aut calumniæ, ac si uni Luthero tanquam Apostolo aut Patriarchæ omnes paruissent. Erant quidem, qui ipsum Lutherum videbant & audiebant, quibus ille magnus & sanctus & obsequiose colendus videretur; erant tamen etiam sacerdotes plurimi, in partibus præsertim remotioribus, qui libellis ejus eatenus saltem excitabantur, ut Scripturarum lectioni eousque fere neglectæ ipsi incumberent, adeoque ut par erat, non Lutheri, sed Scripturæ monitu a Pontifice & Scholis dissentirent. Itaque non unius istius viri autoritate, quæ tenuis erat, sed perspecta divinæ veritatis luce, & pontificii dominatus ac scholasticæ servitutis injuria, plurimi ecclesiastæ & pastores populum ad verum purumque cultum adhortari incipiebant; non absimiles Samaritanis illis, qui cum Christi sermones ipsi audissent, mulieri eos referenti dicebant: *jam non propter tuam loquelam credimus, Joh. IV. 42.* Erant etiam qui in aliquibus disfidebant, ut in superiori Germania circa articulum de cœna Domini factum esse negari nequit, nec Zwinglii saltem, sed & aliorum exemplo comprobatur, qui ægre patiebantur se *Lutheranos* vocari, licet 1520.

I. §. 82. 1520. cet occasionem doctrinæ ex Lutheri scriptis accepisse non differentur. Talis erat *Johannes Schvvebelius*, Pforzhemii natus, & anno 1514. Argentorati sacerdos factus. Is monastico sancti Spiritus ordine relicto, & patria profugus, ad Sickingium concessit, ibiqve anno 1521. uxorem duxit. Hujus potissimum opera trans Rhenum in Palatinatu Bipontino Evangelica doctrina ortum habuit. Talis *Martinus Bucerus*, Selestadiensis, Dominicani ordinis monachus, qvem Sickingius, nondum Lutheranus, Electori Palatino commendaverat, ut ei a sacris concionibus esset. Viderat eum Heidelbergæ Lutherus, ut patet ex epistola ad Spalatinum d. 12. Febr. hoc anno 1520. scripta, *Lib. I. epist. 153.* ubi eum nominat *solum in secta sua* (Dominica) *candidum, & optimæ spei juvenem, dignum amore, fide & spe.* Hic ob Lutheri doctrinam aliqvatenus sibi probatam, persecutioni monachorum cedere, & ad Sickingium se recipere eodem tempore coactus est, & paulo post Wormatiam ad Lutherum venit. Taceo alios, qvi ab eodem Eqvite recepti, & inde ad propagationem doctrinæ in varias regiones dispersi fuerunt, postqvam nempe Sickingius Principum æmulatione, ex alia qvam religionis causa, armis petitus, in arce sua anno 1523. occubuisset. Apud eundem etiam securitatem sibi qvæsivit, qvem hic describit Maimburgius, *Ulricus Huttenus.* Natus hic fuit in arce patria Steckelberga, qvæ etiam nunc ad Huttenorum in Franconia gentem inter eqvestres clarissimam pertinet, anno 1488. studiis humanioribus in nova tunc Francofurtensi ad Viadrum Academia operatus, Magistri gradum anno ætatis XVIII. assumsit: poeticam inprimis excoluit, ut carmina ejus qvæ extant, ostendunt. Militavit deinde (relicto, ut qvidam referunt, ordine clerico, cui in Fuldensi Abbatia destinabatur,) Maximiliano Imperatori, & eqvestri torqve, ut & corona seu laurea poetica ab eo donatus est. Parvo & debili erat corpore, ingenti tamen animo, eaqve fortitudine, ut anno 1517. Roma in Germaniam regrediens Viterbii qvinqve Gallos, a qvibus in rixa qvadam impetebatur, solus, accepto licet vulnere, profligaverit. Id factum carmine celebravit, qvod hoc versiculo finitur:

Gloria prima Deo, qvi me servavit, ut illos
Perderet, & vicit, non ego, qvinqve viros.

In aulam inde Alberti Moguntini receptus, tanta non multo post ob Lutheri dogmata, qvæ avide imbiberat, odia incurrit, ut non modo

ab

ab Hero, cui charus erat, discedere, sed & persequente Pontifice, nec protegente (ut speraverat) Carolo Imperatore, latitare cogeretur apud Sickingium primo, dein in insula qvadam lacus Brigantini, ubi anno 1523. omnium rerum egenus &, ut Erasmus scribit, ære alieno oppressus decessit. *Caput* itaqve *Franconicæ nobilitatis* qvi hunc vocat Maimburgius, historiam viri, immitibus fatis agitati, & extra patriam plerumqve agentis, aut ignoravit, aut non satis consideravit; neqve violentia illius, qvam calamo & aliqvando manu cum poterat exercebat, religioni profuit, nocuit potius. Improbavit eam etiam Lutherus, & eo qvidem, qvo in magno periculo versabatur, tempore, ut ex epistola mense Junio anni 1521. ad Spalatinum data, videre licet, *Lib. I. ep. 232.* ubi ita scribit: *Qvid Huttenus petat, vides. Nollem vi & cæde pro Evangelio certari: ita scripsi ad hominem. Verbo victus est mundus, verbo servata est Ecclesia: etiam verbo repambitur: sed & Antichristus, ut sine manu cœpit, ita sine manu conteretur per verbum.* Ex his colligi potest, præsidia ab Eqvitibus illis Reformationi præstita, non ejus esse momenti, qvod iis tribuit Maimburgius. Aperte autem fallitur, cum *Eqvites spe utilitatis ex opulentorum monasteriorum spoliis, & ex magnis beneficiis, qva Lutherus pollicitus esset, inescatos, arma minitatos esse,* dicit. Ne verbum qvidem ex Lutheri dictis scriptisve proferri potest, qvo talem prædam illis ostenderit, longeqve alia ei sententia de bonis Ecclesiæ fuit, imo & Eqvitum, ut alibi dicam. Ipse etiam eventus calumniæ convincit autorem. Neqve enim nobilitas Eqvestris ea erat potentia, ut monasteria, licet a majoribus suis ex parte fundata, invadere aut tueri posset; majorum Principum & Dynastarum ea potestas & cura fuit, ut narrabitur. Qvicqvid autem postea secutum sit, certum est, hoc tempore (anno nempe 1520.) a nemine, nisi stultissime, cogitari de tali re potuisse: non a Luthero, qvi in extremo periculo versabatur, neqve a Principibus & Proceribus, qvi veritati licet aurem præberent, trepidabant tamen, sive causæ nondum certi, sive Pontificis & Imperatoris metu. Nam etsi hic post recens adeptum Imperium, autoritatem suam in discrimen dare eo modo nollet, qvem Pontificis Nuntii svadebant, (contrarium enim suggerebant ministri; qvos memorat Pallavicinus *Lib. I. cap. 24.*) mox tamen in comitiis Wormatiensibus satis ostendit, se Pontifici non esse defuturum, neqve aliud, ut supra dixi, Lutherus sibi ab illo promittebat.

1520.

Mentiris. vid. Tom.

Add.

I. §. 83. 1520. §. 83. Lutheri librorum pondus a Scriptura; exemplo Apostolicorum temporum. Commentarii

§. LXXXIII.

Qvæ vero de libris Lutheri exegeticis & practicis hic referuntur a Maimburgio, ad veram causam propagatæ tam subito religionis purioris efficacissime eum deducere potuissent. Dum enim vel conscientiæ suæ, si libros legit, vel aliorum testimonio convictus, fateri cogitur, *optima in iis a Lutbero scripta esse*, optima autem ista e verbo Dei depromta esse, ipse negaturus non sit, agnoscere simul debuit, unde venerit vis illa corda penetrans, & unde ortum sit lumen, in orbem Christianum tanta celeritate effulgens. Hæc enim verbi divini nativo sensu explicati, & populo Christiano in scriptis Lutheri propositi virtus & energia, nullis externæ potentiæ adminiculis adjuta, tam valida fuit, ut trium annorum spatio, qvæ per annos mille & plures tot Pontificum decretis, tot scholarum dogmatibus, tot fabularum dulcedine, tanta Regum & Principum pro tuendis illis violentia, ad summum fastigium surrexerant, ita labefactari inciperent, ut postea concíderent, & in ludibrium cederent apud omnes, qvi divino motui non resistebant, nec utilitatem temporalem aut magistratuum imperia saluti animæ præferebant. Recte itaqve ostensum jam est ab aliis, eadem via & ratione hanc Evangelii renovatam purgatamqve prædicationem processisse, qvæ in primi illa Apostolorum Ecclesia & proximis seculis observata fuit. Utrobiqve nulla autoritas a potestatibus mundi accessit, non per mulctas & exilia, per tormenta aut militarem sævitiam, per vivicomburia & alias suppliciorum crudelitates religio inculcata fuit, sed potius *contra eam fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania, astiterunt Reges terræ & Principes convenerunt in unum Psalm II. v. 2.* Docuerunt in primitiva Ecclesia ore & scriptis veritatem Evangelicam sine pompa, homines plebeji, a Spiritu Sancto, singulari qvidem & mirifico modo, illuminati, & tunc, qvod ad convincendos Judæos & paganos necessarium erat, miraculorum dono instructi. Prædicavit ore & scriptis, hoc reformationis tempore Lutherus, nulla generis aut dignitatis prærogativa conspicuus, sociosqve & sectatores habuit ejusdem fortunæ, neqve alia fundamenta, qvam qvæ Apostolorum scripta, miraculis jam confirmata, & pro divinis in orbe Christiano recepta, præstruxerant. Legat qvicunqve de hoc dubitat, si non alios, saltem hos, qvos Jesuita hic non potest non laudare

I. §. 83. 1520.

laudare Lutheri libros, vel unicum modo *in Epistolam ad Galatas commentarium*, qvi tunc tanto cum applausu exceptus est, ut in præcipuas Europæ Christianæ lingvas, & ante qvidem apud exteros, qvam apud Germanos transferretur; hi enim eandem doctrinam ex aliis sua lingva editis præcipiebant, aut concionantem Lutherum audire poterant, ita ut demum anno 1525. tractatus hic Germanice verteretur. Vide *Tomum I. Altenburgensem fol. 151. & seqq.* Tradit Pallavicinus *Lib. I. cap. 24. n. 7.* jam hoc anno 1520. Lutheri libros, inter qvos primarius erat Commentarius iste, *Hispanice redditos & Antverpiæ excusos fuisse.* Dum vero iis solummodo Hispanis, qvos vernili convitio *Mauros* vocat, id tribuit, & optimates ad excidium novæ, qvam vocat, hæresis, flagrantissime progressos fuisse celebrat, qvid aliud, qvam spiritum gentiumqve Synagogæ refert, qvæ *Joh. VII. 47. 48. 49.* gloriabatur; *nunqvid ex principibus aliqvis credit in eum, aut ex Pharisæis, sed turba hæc, qvæ non novit legem, maledicta est.* Si qvis objiciat, festinatione etiam falsa invalescere, rogatum illum velim, ut sepositio præjudicio fundamenta doctrinæ (nam de his magis qvam de celeritate propagationis gloriamur) Lutheri libris contenta consideret. Retinuit enim ille, ut dixi, qvæ ab Apostolis erant prædicata, & in Ecclesia, etiam inter admixtos errores, innumerasqve traditionum & legum tricas & qvisqvilias ita servata, ut accedente pia commendatione & justæ interpretationis industria ex sacris literis, ab erroribus facile separari, & in puritatem restitui potuerint, atqve applausum piarum mentium, divinam veritatem esurientium, mereri. Evanuerunt e contrario illa tantum, qvæ Aristotelica Scholasticorum subtilitas in Theologiam transformata, aut barbaries seculorum, morumqve corruptio, maxime vero dominatus & opum honorumqve cupido veris fidei articulis veluti agglutinaverant & consarcinaverant. Sed ad libros Lutheri redeundum est. Turbato ordine eos memorat Maimburgius, & anticipato tempore. Nam *explicationes epistolarum & evangeliorum Adventus* ut & *commentatio in canticum B. Virginis* non hoc sed seqventi anno prodierunt, ut constat ex epistola dedicatoria ad Electorem d. 3. Martii 1621. *Tom. II. f. 339.* & ex epistolis ad Spalatinum *Lib. I. ep. 232. 233.* mense Junio. Sed *orationis Dominicæ paraphrasin* ad populi captum ter Germanice scripsit, nempe semel anno 1518. bis 1520. Vide *Tom. I. Alt. f. 76. 403. 540.* In *decalogum* eodem

I. §. 84. sunt, notatio. §. 84 Excerpta ex comment. ad Galat. de duplici

1520. anno aliqvid edidit *f. 895.* sed eundem in concione explicaverat anno 1518. qvæ Latine extat *Tom. I. Lat. Jen. fol. 122. seqq.* In *Psalmos* a primo ad XXII. commentatus est sub initium anni 1519. teste dedicatione ad Fridericum, qvæ data est VI. April. eo anno, sed serius edidit, adjectis qvibusdam, cum in Pathmo, ut vocat, lateret anno 1521. de qvo infra §. *183.* dicetur.

§. LXXXIV.

Commentarius *in Epistolam ad Galatas* prius qvidem elaboratus, & Petro Lupino Præposito, ac Carolostadio, Canonicis Wittemberg. dicatus, Septembri mense anno 1519. excusus prodiit, ut constat ex literis ad Staupitium *Lib. I. epist. 121.* Tractat autem Lutherus in illo doctrinæ Christianæ nobilissima & summe necessaria capita de fide justificante & per charitatem operante, & de discrimine & usu legis & evangelii, omnia tanta cum eruditione, eloqventia, gravitate, perspicuitate, adductis etiam testimoniis Patrum, ea deniqve in universum ratione, ut omnibus, qvi veritatis studio & implorato Spiritus sancti auxilio, lecturi ea sunt, etiam hodie satisfacere possint, & adversus tot disputationes, contradictiones & condemnationes immota consistere. Qvoniam vero calumniæ ab initio sparsæ & millies postea, indignum putidumqve in modum recoctæ, nullus est finis, sed hodieqve Luthero imputatur, qvasi sua istac de fide doctrina, pietatem & sanctitatem omnem solvisset & enervasset; dein inter nostrates etiam, utinam non tanto numero, reperiantur, qvi nescio qvam fidei in labris natantis spumam, vana imaginatione, concipiunt, non possum, qvin qvædam etiam ex hoc commentario, ut supra ex aliis, ad Lutheri mentem, nostræqve religionis professionem clarius ostendendam adscribam. „ Ad capitis II. vers. 16. *fol. 407. b.* hæc habet: Inprimis sciendum, qvod „ homo dupliciter justificatur, & omnino contrariis modis. Primo ad „ extra ab operibus, ex propriis viribus, qvales sunt, humanæ justitiæ, „ usu [ut dicitur] & consvetudine comparatæ: qvalem describit Aristo„ teles aliiqve Philosophi, qvalem leges civiles & ecclesiasticæ in ceremo„ niis, qvalem dictamen rationis & prudentia parit. Sic enim putant, „ operando justa justum fieri, temperando temperatum, & similia. Hanc „ facit & lex Mosis, ipse qvoqve decalogus, scilicet, ubi timore pœnæ „ aut promissionis mercedis servitur Deo, non juratur per nomen Dei, hono-

honorantur parentes, non occiditur, non rapitur, non adulteratur &c. 1520.
Hæc est justitia servilis, mercenaria, ficta, speciosa, externa, tempora-
lis, mundana, humana, qvæ ad futuram gloriam nihil prodest, sed in
hac vita recipit mercedem, gloriam, divitias, honorem, potentiam, a-
micitiam, sanitatem, aut certe pacem ac tranqvillitatem, minusqve
malorum, qvam ii, qvi secus agunt, sicut Christus Pharisæos describit,
& B. Augustinus Romanos *libr. I. de civit. Dei cap. 8.* Hæc mire fallit,
etiam sapientes & magnos viros, nisi in sacris literis fuerint eruditi &c.
Pergit *fol. 408. a.* Secundo, ab intra ex fide & gratia, ubi homo de
priore justitia prorsus desperans, tanqvam ab immunditia menstrua-
tæ, prorvit ante Deum, gemens humiliter, peccatoremqve se con-
fessus cum publicano dicit: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Hic
(inqvit Christus) descendit justificatus in domum suam. Hæc enim
est aliud nihil, qvam invocatio nominis divini &c. Et porro: Invo-
catio autem nominis divini, si est in corde, & ex corde vere facta, o-
stendit, qvod cor & nomen Domini sint unum simul, & sibi cohæren-
tia. Id eo impossibile est, ut cor non participet ejusdem virtutibus,
qvibus pollet nomen Domini, sicut dicit: *Narrabo nomen tuum fratri-
bus meis*: Et rursum: *ut annunciet in Sion nomen Domini.* Sicut ergo
nomen Domini est purum, sanctum, justum, verax, bonum &c. ita si
tangat, tangaturqve corde (qvod fit per fidem) omnino facit cor simi-
le sibi. Sic fit, ut credentibus in nomen Domini, donentur omnia
peccata, & justitia ei imputetur, propter nomen tuum, Domine, qvo-
niam bonum est, non propter meritum ipsorum, qvoniam nec ut au-
dirent meruerunt. Justificato autem sic corde per fidem, qvæ est in
nomine ejus, dat eis Deus potestatem filios Dei fieri, diffuso mox Spi-
ritu Sancto in cordibus eorum, qvi charitate dilatet eos, ac pacatos
hilaresqve faciat, omnium bonorum operatores, omnium malorum
victores, etiam mortis contemtores & inferni. Hic mox cessant
omnes leges, omnium legum opera, omnia sunt jam libera, licita, & lex per fidem & charitatem est impleta. Qvalem autem libertatem intelligat, in libello *de libertate Christiana*, supra relato, egregie explicavit). Deinde *fol. 409.* operum naturam *qvadrupliciter* considerat. *Opera peccati*, qvæ dominante concupiscentia fiunt resistentia gratiæ. *Opera legis*, qvæ foris, coercita concupiscentia, fiunt, tamen intus eo magis fervente & legem odiente, id est, qvæ sunt bona

1520. in specie, mala in corde. *Opem gratiæ*, qvæ repugnante concupiscentia, victore tamen spiritu gratiæ fiunt. *Opem pacis & perfectæ sanitatis*, qvæ extincta concupiscentia, plenissima facilitate & svavitate fiunt, qvod in futura vita erit, hic incipitur. Docetqve postea, non primum saltem genus, sed & secundum, ob defectum gratiæ inter peccata referri, ut verum sit, *non esse*, (extra illam) *qvi faciat bonum Psalm 14.* At tertium genus post impetratam jam justificationem; qvartum demum in futura vita exerceri. Ad Cap. IV. v. 4. *fol. 427.* charitatis sive vitæ Christianæ naturam ita describit: Ne imagineris tibi vitam Christianam statum & qvietem esse, sed transitum & profectum de vitiis ad virtutem, de claritate in claritatem, de virtute in virtutem. Et qvi non fuerit in transitu, hunc nec Christianum arbitreris, sed populum qvietis & pacis, ad qvos inducit Propheta hostes ejus. Ne ergo credas Theologis istis deceptoribus, qvi tibi dicunt: Si unum & primum gradum charitatis habeas, satis habes ad salutem, stultis opinionibus suis ociosam, ac velut in vase vinum, in corde charitatem fingentes. Non est ociosa charitas, sed crucifigit carnem assidue, & suo gradu stare non potest contenta, sed se dilatat in totum hominem expurgandum. Illi autem cum suo uno gradu, tempore tentationis & mortis, nec primum nec secundum gradum habebunt. Et ad vers. *6. fol. eod. b.* Hoc magis observandum, qvod Apostolus credentibus mox & Spiritum filiorum dari testatur. Qvia, inqvit, estis filii (utiqve per fidem, ut jam sæpe dictum est) misit Deus Spiritum filii in corda nostra. Qvibus facile solvitur illorum qvæstio, qvomodo sola fide hominem justificari & salvari doceatur. Nihil est, qvod movearis; si vera est fides, & vere filius, non deerit Spiritus: si autem adsit Spiritus, charitatem diffundet, & omnem illum virtutum concentum absolvet, qvem *1.* Corinth. 13. tribuit charitati. *Charitas patiens*, benigna est &c. Ideo qvando de fide justificante loqvitur, de fide, qvæ per dilectionem operatur, ut alias dicit, loqvitur. Fides enim meretur, ut Spiritus detur, sicut & supra. Ex operibus, an ex auditu fidei Spiritum accepistis? Cæterum fides, qva & dæmones contremiscunt, & impii miracula faciunt, vera non est, cum non sint filii, nec hæredes benedictionis. Ad Cap. V. vers. 4. *fol. 438. b.* taxat D. Hieronymus interpretem in verbo: Evacuati estis, qvod significet magis, ab opere Christi cessastis. Et mire placet hujus verbi emphasis. Vult dicere:

ociosi,

ociosi, inanes, vacui estis opere Christi, & Christi opus non est in vobis, siqvidem (ut supra dictum est) Christianus non vivit, non loqvitur, non operatur, non patitur, sed Christus in eo. Omnia opera ejus sunt opera Christi, tam inæstimabilis est gratia fidei. Qvi ergo in legem transfertur, jam ipse in se vivit ipso, suum opus, suam vitam, suum verbum exercet, id est, peccat, & legem non implet, ociosus est Christo; Christus non habitat in eo, nec utitur eo, agitqve pessimum & infelix qvoddam Sabbatum ab operibus Domini, cum contra Sabbatisare deberet, ab operibus suis vacare & ociosus esse, ut opera Domini in eo fierent, qvod per Sabbatum olim figuratum docet B. Augustinus. Igitur qvi credit in Christum, evacuatur a se ipso, fit ociosus ab operibus suis, ut vivat & operetur in eo Christus. Qvi lege qværit justificari, evacuatur a Christo, fit ociosus ab operibus Dei, ut vivat & operetur in se ipso, hoc est, pereat & perdatur. Porro *fol. 493. b.* Igitur qvi verbum Christi sinceriter audit, & fideliter adhæret, mox qvoqve Spiritu charitatis induitur, ut supra dixit. Ex auditu fidei, an ex operibus Spiritum accepistis? Neqve enim fieri potest, si Christum sincere audias, non etiam mox eum diligas, ut qvi tanta pro te fecerit ac tulerit. Si diligere potes eum, qvi te viginti florenis donat, aut honorat officio qvocunqve, qvomodo non diliges eum, qvi non aurum, sed seipsum pro te tradit, tot vulnera pro te accepit, sangvinem sudat & fundit, moritur & omnia extrema subit? Sin autem non diligis, certum est, qvod hæc nec sincere audis, nec pure credis pro te facta esse: hoc enim Spiritus facit, ut facias. Reliqva autem fides, qvæ miracula facit, donum est Dei liberale, in ingratos (qvandoqve) dispersum, qvi in suam gloriam operantur, qvæ operantur, de qvibus *1. Cor. 13. dicit: Si habuero omnem fidem*, &c. Elegantissime ergo & significantissime dicit, fides, qvæ charitate operatur, id est, (ut Erasmus ex Græco docet) efficax est, non qvæ per acqvisitionem sui stertit, nec qvæ per miracula potens est, sed qvæ per charitatem efficax est, qvomodo superius dixit: *Qvi operatus est Petro, operatus est & mihi inter gentes*, energiam enim sonat. 1520.

Ad vers. 14. ubi summa legis refertur ex præcepto de dilectione proximi, ita commentatur *f. 443.* Qvam multi describunt, qvid loqvendum, qvid agendum, qvid ferendum, qvid cogitandum? nempe multa sunt, qvæ erga homines invicem fieri possunt, tot sensibus, tot mem-

1520. membris, tot objectis, tot casibus: ita ut legum & librorum faciendorum non sit finis. Qvantis enim præceptis sola indiget lingva? qvantis oculi? qvantis aures? qvantis manus? qvantis gustus? qvantis tactus? deinde, qvantis res familiaris? qvantis amici? o reptilia, qvorum non est numerus! Si non credis, vide jurium & legum hodie infelicissimum studium. At hoc præceptum, qvanto compendio, qvam cito, qvam efficaciter omnia absolvit, ad caput, ad fontem, ad radicem horum omnium mittit manum, ad cor (inqvam) unde, juxta Sapient. aut vita aut mors procedit. Siqvidem inter opera hominis, alia magis vel interiora vel exteriora, nullum vero intimius est dilectione, ultra qvam nihil in humano corde secretius invenitur. Qvo affectu in rectitudinem posito, jam nullis præceptis indigent alia membra. Emphasin porro & epitasin verborum illorum perseqvuturus ita docet. *d. fol. b.* Primo nobilissimam describit virtutem, puta dilectionem. Non enim (inqvit) affabilis esto proximo tuo, dæi manum, benefac, saluta, aut ullum aliud opus externum, sed diliges: siqvidem sunt, qvi loqvuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Deinde nobilissimum depingit objectum, qvia detractis omnibus personis, dicit *proximum* tuum. Non dicit, diliges divitem, potentem, doctum sapientem, probum, justum, formosum, jucundum &c. sed absolute: *proximum tuum*. Per hoc ipsum declarans, nos omnes esse qvidem diversos personis ac conditionibus coram hominibus, verum unius massæ, & æqvalis opinionis apud Deum. Personarum enim differentia observata penitus extingvit hoc præceptum, ut qvi indoctos, pauperes, infirmos, humiles, stultos, peccatores, difficiles fastidiunt. Hi enim non homines, sed larvas & facies eorum considerant, atqve ita falluntur. Tertio nobilissimum exhibet exemplum utriusqve hujus, *Sicut teipsum* inqvit. Cæterarum legum exempla extra nos petenda sunt, hoc intra nos, nobis monstratur. Deinde externa exempla, qvia non sentiuntur neqve vivunt, non satis movent: hoc autem exemplum intus sentitur, vivit, ac efficacissime docet, non literis, non vocibus, non cogitationibus, sed ipso experientiæ sensu. Qvis enim non sentit vitaliter, qvam seipsum diligat, qvam omnia qværat, cogitet, tentet, qvæ sibi salutaria, honesta, necessaria sunt? Ad universus hic sensus vivus est judex, intimum monitorium, præsentissimum documentum, qvid proximo debeas, nempe eadem eodemqve affectu. Qvid

est

est ergo, qvod multis libris occupamur? qvid multos magistros qvæ- 1520.
rimus? qvid operibus & justitiis laboramus? Ad hujus intimi sensus „
& affectus amussim, omnes leges, omnes libri, omnia opera exigenda „
sunt. In hoc exercitandus Christianus homo per omnia opera, per „
totam vitam. Non potuit igitur efficacius tradi exemplum hujus do- „
ctrinæ divinæ, qvia hoc non videmus & audimus, sicut cæterarum le- „
gum exempla, sed experimur & vivimus: nec unqvam nos abipso & „
ipsum a nobis abesse potest. Nec dignius tradi objectum, qvam pro- „
ximus tuus, id est, similimus & cognatissimus tuus. Nec perfectius „
tradi virtutis genus, qvam dilectio, qvæ est fons omnium bonorum, „
sicut radix omnium malorum cupiditas. Et sunt plane omnia sum- „
ma in isto brevissime præcepto, ut verissime sit, summa, caput, perfe- „
ctio, finis omnium legum, sine qvo omnes merito nihil sunt. Et postea „
f. 444. b. Ecce hæc eruditio docebit te, qvantus sis in Christianismo. „
Hic invenies, qvos diligas, & non diligas, qvantum proficias aut defi- „
cias, nam si unum habes, in qvem non es dulcis affectu, jam nihil es, et- „
iamsi miracula opereris. Hac deniqve regula discres tu ipse, sine ma- „
gistro discernere, inter opera & opera bona. Clare tunc tu videbis, „
melius esse proximo bene velle, bene dicere, bene facere, & totam vi- „
tam tuam facere, ut sit servitus proximi in charitate (ut Apostolus „
paulo supra dixit) qvam si omnium omnes ecclesias ædificares, omni- „
um monasteriorum merita haberes, omnium prorsus sanctorum mi- „
racula faceres, absqve hoc, qvod proximo in iis servires. Ecce hæc „
est doctrina, qvam hodie non modo ignorant, sed suis traditionibus „
velut copiis infinitis penitus expugnant. Qvorum institutum hoc „
est, ut proximum nunqvam nisi personalem doceant diligere, dum in- „
ter opera tantum digladiantur & facies distingvunt. Nec minus cau- „
te intelligenda est vulgarissima illa distinctio, legis naturæ, legis scri- „
ptæ, legis evangelicæ. Cum enim Apostolus hic dicat, omnes in uno „
& in summa convenire, certe charitas omnis legis finis est, ut 1. Tim. 1. „
dicit. Sed & Christus Matth. 6. illam legem naturæ (ut vocant) *omnia,* „
qvæ vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis, expresse ean- „
dem facit, cum lege & Prophetis dicens: *hæc enim lex est & Prophetæ.* „
Cum autem ipse evangelium doceat, clarum est, tres has leges, non „
tam officio qvam falso sensu intelligentium differre. Proinde hæc lex „
scripta: *diliges proximum tuum sicut teipsum*, prorsus idem dicit, qvod „
lex „

1520. lex naturæ: *Quæ vultis, ut faciant vobis homines* (hoc enim est seipsum diligere) *eadem facite vos illis* (hoc certe est sicut seipsum, ita diligere ut alios, ut claret) Ar, qvid aliud totum Evangelium qvoqve docet? Igitur una est lex, qvæ transiit per omnia secula, omnibus nota hominibus, scripta in omnium cordibus, nec excusabilem relinqvit ullum ab initio usqve ad finem, licet Judæis accesserint ceremoniæ, tum aliis gentibus suæ propriæ leges, qvæ non universum mundum obligabant, sed hæc sola, qvam spiritus dictat, in cordibus omnium, sine intermissione. Ad vers. 21. *fol. 449. a.* Ecce hoc est, spiritu ambulare, & non perficere carnis desideria, spiritu duci, non esse sub lege, atqve omnem legem in uno charitatis capitulo complecti, scilicet, si hæc (opera carnis qvæ dicto vers. 21. enumerantur) non fiant. Jam vides, qvod non sufficiat sola fides, & tamen sola fides justificat: qvia si vera est, impetrat spiritum charitatis. Spiritus autem charitatis hæc omnia [carnis opera] fugit, ac sic legem implet, & regnum Dei consequitur. Proinde totum fidei tribuendum, fides autem verbo, verbum autem divinæ misericordiæ, mittentis verbi Apostolos & prædicatores, ut sit omnis sufficientia nostra ex Deo, a qvo venit omne donum & datum optimum.* Hæc sunt, qvæ in populo tractari oportuit, & eo ordine tractari, qvo ab Apostolo traduntur: ut primum de suis viribus desperantes, verbum fidei audiant, audientes credant, credentes invocent, invocantes exaudiantur, exauditi spiritum charitatis accipiant, accepto spiritu spiritu ambulent, & desideria carnis non perficiant, sed crucifigant, crucifixi cum Christo resurgant, & regnum Dei possideant. Nos autem in operibus a nobis electis & statutis animas occupamus, semper docentes, & nunqvam veritatis scientiam attingentes, imo contra pietatem, liberum arbitrium & virtutes nostras erigentes, præsumtionem docentes, & merita congrui & condigni vanissime jactantes, tandem notitiam Christi penitus tollentes, & miserrimas conscientias hominibus multiplicantes. Unum addam locum de discrimine legis & evangelii, qvem habet *ad Cap. I. vers. 11. f. 398.* Evangelium & lex proprie in hoc differunt, qvod lex prædicat facienda & omittenda, imo jam commissa & omissa, ac impossibilia fieri & omitti, ideo solam peccati ministrat cognitionem. Evangelium autem remissa peccata, & omnia impleta factaqve. Lex enim dicit: *Redde qvod debes.* Evangelium autem: *dimittuntur tibi peccata tua.*

tus. Sic Rom. 3. *per legem cognitio peccati.* Et cap. 4. *Lex iram operatur.* Ubi enim non est lex, nec prævaricatio. At de Evangelio dicit Lucæ ultimo: *Sic oportuit Christum pati, & a mortuis resurgere & prædicare in nomine ejus* (nota insigniter, in nomine ejus non nostro) *pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Ecce prædicatio remissionis peccatorum per nomen Christi, hoc est, Evangelium. Et Rom. 10. *Quam speciosi pedes Evangelisantium pacem, annunciantium bona,* id est, remissionem peccatorum, & gratiam, legis plenitudinem per Christum. Inde justificatus per gratiam, a lege ad evangelium fugiens, dicit, *dimitte nobis debita nostra.* Sed cur Christus in Evangelio multa præcipit & docet, si hoc legis officium est? item & Apostoli multa præcipiunt, cum tamen sint Evangelici prædicatores? Respondeo: Doctrinæ ejusmodi, quæ ultra fidem traduntur (nam credentibus annunciatur salus & remissio peccatorum in Evangelio, ut Joh. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri credentibus in nomine ejus, quotquot eum receperunt*) sunt vel interpretationes legis, quibus peccatum clarius cognosceretur, ut gratia tanto ardentius quæreretur, quanto peccatum certius sentiretur: vel sunt remedia & observationes, quibus gratia jam accepta & fides donata custodiretur, aleretur, perficereturque, sicut fit, dum ægrotus incipit curari. Sed hæc specimines causa, quid ex lectione hujus commentarii sperari possit, & ut Maimburgii judicium de his libris confirmemus, sufficiant. 1520.

§. LXXXV.

Quanquam vero non leves de defectibus Ecclesiæ, aulæque in primis pontificiæ querelas passim interserat, nondum tamen, dum ista scriberet, fiduciam abjecerat, fore, ut de doctrina sua ex sacris literis statueretur. Hoc præsuppositio Pontifici obsequium magna cum adseveratione, nec non cum Bohemici schismatis seria improbatione in hoc ipso commentario detulit. vide quæ annotat ad *cap. VI. vers. 2. fol. 454.* Excusat etiam, quicquid mordacius dixisse videri poterat, necessitate aperiendæ veritatis, & promovendæ, reformationis. Notabilia sunt quæ *fol. 453. a. differit.* Dices forte, mi lector, me semper in Romanam curiam grassari, quod hucusque nimis insolitum fuit. Respondeo, testis mihi Dominus est, non studio aut libidine mea me hoc facere, qui nihil optem ardentius, quam in angulo latere: sed quando omnino sacras literas publice tractare debeo, Domino Jesu Christo volo

1520. volo pure servire, qvantum possum. Nam si literæ divinæ sic tractantur, ut tantum de præteritis intelligantur, ac non nostris moribus qvoqve accommodentur, qvid proderunt? frigidæ, mortuæ, & ne divinæ qvidem tunc sunt. Vides enim qvam apte & vivaciter hic locus, imo qvam necessario in nostrum seculum cedat: qvod, qvia alii vel non sunt ausi, vel non intellexerunt, qvid mirum, si citra invidiam fuerunt Theologiæ Magistri? Mihi certum est, verbum Dei non posse sine invidia & mortis periculo recte tractari, atqve hoc esse unicum signum, recte fuisse tractatum, si offendat, maxime principes & optimates populi: petra est scandali, juxta qvam absorbentur judices populorum: Deniqve Ecclesia clamat, qvod Principes eam persequantur, & Principes Christum crucifixerunt. Et ad *cap. VI. vers. 6. fol. 456.* ubi adversus assertum a Sylvestro Prieriate Pontifici Imperatorium totius mundi dominatum aliqvid scripserat, subjungit: Iterum mordes? non mordeo, sed necessitate Scripturæ elucidandæ nostri seculi mores commonstro, ut videamus, qvo pervenerit gloria Ecclesiæ, & qvæ sit vera aut ficta Ecclesia. Et, ut dicam libere, impossibile est, Scripturas posse elucidari, & alias Ecclesias reformari, nisi universale illud reale Romana curia qvam primum reformetur. Hæc enim verbum Dei audire non potest, nec sustinere, ut pure tractetur. Verbo Dei autem non tractato, neqve cæteris Ecclesiis succurri potest. Hæc vero qvæ tunc spe movendi adversarios ad veritatis agnitionem scripsit & alia ejusmodi, in altera hujus commentarii editione, qvæ anno 1524. prodiit, omitti curavit, ut patet e *Tomo III. fol. 1. & seqq. 59. & seqq.*

§. LXXXVI.

Jam etiam ex *Commentationibus in Psalmos* qvædam adscribenda essent, sed ne tædium crescat, ad additiones §. 185. ubi de germanica hujus commentarii versione dicendum erit, reliqva differam, & hic unicum ex *dedicatione* locum adscribam, qvo Friderici Electoris pietas commendatur, & Lutheri Theologia cognoscitur. *Retulit olim* (scribit) optimus ac vere mihi reverendus in Christo Pater meus Joan. Staupitius, cum apud D. T. conversarētur, incidisse aliqvando sermonem de iis, qvi ad populum declamant, tum qvæ est judicii tui mira acrimonia, te dixisse, conciones illas, qvæ argutiis & traditionibus hominum constant, mire frigere, ac ad persvadendum in rebus nostris e-

lumbes

lumbes & eviratas esse, qvando nihil potest tam acutum adduci, qvod 1520.
non rursus alia argutia possit convelli. Scripturam vero sanctam u-
niam esse, qvæ tanta majestate & energia, etiam citra nostram operam,
sonet, ut captis consumtisqve mox omnibus machinis disceptationis
urgeat & cogat dicere: *Nunqvam sit locutus est homo: Hic digitus Dei
est, non enim docet, ac scribæ & Pharisæi, sed sicut potestatem habens.* In
qvam sententiam cum ille non illibenter pedibus iviſſet & commen-
dasset, tum te porrecta manu manum illius postulasse, & dixisse: *Stipu-
lare mihi qvæso, ista perpetuo te sensurum.* Obsecro, annon hæc vox & sen-
tentia vel sanctissimum & summum Pontificem deceret? eoqve magis,
qvod non voce tantum, sed affectu qvoqve cordis prolata perspicue
cognoscitur. Qvid? an nondum videmus, qvi sint veri Theologi?
pudeat tandem Theologos & Juristas, eos maxime, qvibus sacræ
literæ pene ridiculum sunt, & qvi consarcinatis infinitis glosis, pe-
stilenter palpant iis; & qvicqvid dixerint, verbum Dei videri velint
(sicut & divus Hieronymus conqveritur) qvasi Christus ad Petrum
dixerit; *jube*, aut *præcipe*, aut *doce*; ac non potius, *pasce oves meas*,
hoc est: illud trade, qvo pascantur: pascuntur autem solo verbo Dei,
non opinionibus aut traditionibus hominum. Porro qvam vere di-
xeris, nihil posse tam argute proponi, qvod non rursus possit retundi;
miserum illud pistrinum abunde docet, in qvo Scotistæ, Thomistæ, Al-
bertistæ Moderni, & singuli in suas qviqve sectas divisi, tempus per-
dunt. Hac fateor historia jucundissima, Illustriss: Princeps, sum totus
in amorem tui raptus. Nescio enim qvi fiat, ut qvoscunqve sacrarum
literarum amantes audio, non possim non diligere; rursum perverso-
res & contemtores earum, non odisse, ita ut in utramqve partem amo-
ris impatientia sim nimio vehemens, & ut amici illi mei criminantur,
mordax & vane glorioſus. Sed criminentur me, ut volent, nomina
mihi possunt vel mala vel bona imponere, sive primæ sive secundæ, aut
etiam tertiæ intentionis, imo impositionis, (neqvid peccem in diale-
ctica eorum) rem ipsam Theologiæ nunqvam auferent, nec amorem
illius extingvent Christo propitio. Scio qvid mihi fecerit Scholastica
Theologia, scio rursum, qvid ei debeam gaudeo me erutum, & gratias
ago Christo Domino meo. Non est qvod me doceant eam, novi eam,
nec qvod concilient mihi eam; nolo eam. * Alios etiam tractatus de ar-
ticulis fidei aut exegeticos his annis publicatos, qvos præterit Maim-

l. §. 86. §. nn. 1520. burgius, recenſere poſſemus, ſed illorum catalogus alibi habetur. Cæterum qvas cauſas, qvibus applauſum adeptus ſit Lutherus, exponit Maimburgius, etſi alia mente ſcribat, veras tamen magna ex parte agnoſcimus. Plebi nempe, jugi Pontificii pertæſæ, libertatis prædicationem acceptiſſimam fuiſſe. Qvid enim æſtimabilius eſt libertate illa, in qvam Chriſtus nos reſtituit, & qvam Lutherus tantopere commendaverat, & ab abuſu vindicaverat, peculiari, qvem ſupra laudavimus, libello. Mores vero ejus ſanctos & inculpatos qvis non, in illa præſertim corruptione cleri, admiretur, illumqve appictis radiis, ſi qvo fundamento illa nititur relatio, digniorem cenſeat, qvam tot ſcholaſticarum nugarum barbaros magiſtros, qvos eo honore mactat Romana eccleſia. Neqve pudere Lutherum debuit, qvod literati, qvi ſub Grammaticorum nomine inſulſe contemnebantur, magni eum facerent. Monachos vero qvosdam conditionis ſuæ pertæſos, eos maxime, qvi mendicando victum qværere cogebantur, ei applauſiſſe, mirandum non eſt, imo haut leve argumentum pro veritate doctrinæ præbet, qvod tot ex illis docti & pii viri in varus remotiſimisqve locis, qvi Lutherum nunqvam viderant, ut ſupra retulimus, ſententiæ ejus, Scriptura duce, accederent, imo, ut refert Pallavicinus *Lib. I. cap. 24. n. 11.* inter Clerum ſummum & infimum diſcordia nata erat, & inferiores Lutherum ſuſtinebant, Eccleſiarum Rectores eundem impugnabant. Hos ſcilicet non illos retinebat dignitatum & opum dulcedo.

§. *n n.*

Modo vero omnium efficaciſſimo exiſtimationem novi hujus dogmatiſtæ ſtabilivit celeberrimus Eraſmus Roterodamus, qvi pro ingenioſiſſimo & eruditiſſimo viro ſui temporis æſtimabatur, & ab initio inter præcipuos Lutheri approbatores fuit. Homo iſte aut incerto aut obſcuro admodum genere natus, aſſectu & phyſiognomia ingratus, ſed ingenio excellenti & ſubtili, naturaqve tam felici erat, ut vir honeſtiſſimus evadere potuiſſet, ſi meliori educatione

uſus

usus fuisset. Sed a parentibus ob paupertatem sorti commissus fuit; qvam ab initio non satis æqvam expertus est, dum Trajecti ad Rhenum inter symphoniacos chori pueros sese sustentabat; dein Goudæ inter Canonicos regulares seu Augustini, ex necessitate potius, qvam ex instituto religioso locum habuit. Inde, nescio qva porta post annos novem egressus, magnam universitatum Europæarum partem percurrit, tantamqve ingenii & eruditionis famam acqvisivit, junctæ etiam modestia, morum honestate, & styli Græci Latiniqve elegantia, ut maximi ea ætate viri, Episcopi, Cardinales, Principes, ipsiqve Pontifices honori sibi ducerent literas ab eo accipere, iisqve semper cum elogio respondebant. Interim certum est, non apparere satis clare ex ejus scriptis, qvid crediderit: in causa enim Lutheri adeo vacillabat, modo eum laudando, modo culpando, ut neqve simpliciter Lutheranus, neqve Catholicus haberi possit. Falso scilicet pacis amore promtum se in utram̃q; partẽ ostendit, qvod ipse Lutherus ei objecit, cum in disidia aliqvo post tempore, cum eo prorumperet, antea enim constat, amicissimos fuisse. Erasmus sane luculenter id testatus est, cum Coloniæ apud ministros Imperatoris contra Alexandrum Nuntium omni vi obniteretur, ne libri Lutheri comburerentur. Cumqve Dux Saxoniæ sententiam ejus de doctrina Lutheri rogasset, sine hæsitatione respondit: bonam a se haberi, & tantum in modo

1520.

Spond. ad hunc ann.

Luth. de servo arbitrio. Litt. Aleand. ad Card. Medic. apud Pallavic. Melanchth. in vit. Luth.

I. §. 87. 1520. *do proponendi aliqvid desiderari, qvo nimis acri & violento uteretur. Hoc Elector Luthero significavit, vehementer ob applausum viri tam insignis gaudenti; sed ex monito illo nihil admisit, qvam qvod commodum erat, geniumqve suum ferum & indomitum corrigere noluit.*

§. LXXXVII.

Hæc qvoqve, qvæ Maimburgius de Erasmo narrat, ex Pallavicino sumsit *Lib. I. cap. 23.* in qvibus plus etiam est invidiæ & loliginis, sed ejus abstergendæ labor a proposito meo longius abit. Etsi enim Erasmus summæ & infinitæ pene eruditionis sacræ & profanæ laudem, nulla censorum malitia, apud eos imminuere possit, qvi declamatorias & sophisticas artes a solida sapientia, & fucum a nativa pulchritudine discernere valent; in religionis tamen negotio, ut dudum cum Luthero & post eum qvesti sunt nostrates, eum se non præstitit Erasmus, qvalem potuisset & debuisset: excusatione qvidem dignior, si pacis tantum & concordiæ, sive vitandi, ut sæpe scripsit, tumultus studio, medius veluti hæsisset. Cogitasse me sæpius fateor, imo doluisse, qvid tantæ scientiæ & moderationis virum ea jam ætate ac conditione, ut ubiqve terrarum honestam stationem invenire potuisset, impediverit, qvo minus veritati manus aperte daret, & Reformationis negotium, ut poterat, abjecta de corrigendis Romanæ curiæ defectibus spe, serio & candide juvaret. In mentem qvidem venit, eum honorum, laudum & præmiorum cupidissimum fuisse, idqve suspicabar ex frequentibus ejus ad aulas itineribus, ex blanditiis, qvibus magnates demulcet, ex deprædicatis remunerationibus, & callidis favoris parandi, vel invidiæ declinandæ artibus, qvibus usum esse epistolæ ostendunt. Vidi postea acriter illi ab Hutteno objectam inconstantiam, levitatem & *constupratam*, ut loqvitur, *conscientiam*, Theologo, qvi veritatem antea docuerit, & adhuc probe norit, minime dignam. Labi autem eum statuit ob inexplebilem famæ sitim, gloriæ avaritiam, animi imbecillitatem, minis terroribusqve cedentem, & muneribus atqve honoris spe facile corrumpendum & ebrium. Sed cum ea

non

non tantum edito libello, cui *Spongiæ* nomen dedit, a se amoliatur, sed 1520.
& in *Epistolis* ad familiares ab honoris & opum cupidine immunem se tota vita fuisse, ad mortem usqve sancto affirmet, sæpe etiam oblatas dignitates & opima sacerdotia recusaverit, nolui meo judicio Hutteni fervori subscribere. Addam qvæ Lutherus de Erasmo senserit, ex epistola anno 1521. d. 9. Septembr. antequam cum eo in disputationem venisset, ad Spalatinum data: Erasmum, *ait*, a cognitione gratiæ longinqvum esse video, qvi non ad crucem sed ad pacem spectat in omnibus scriptis. Hinc omnia putat civiliter & benevolentia qvadam humanitatis tractanda gerendaqve, sed hanc non curat Behemoth, neqve hinc qvicqvam sese emendat. Objicit etiam ei gloriæ studium, se vero de nulla re gloriari audere, nisi de verbo veritatis, a Domino dato. Addit postmodum: Igitur illorum scripta (*loqvitur de Capitone & Erasmo*) qvia abstinent ab increpando, mordendo, offendendo, nihil promovent. Civiliter enim admoniti Pontifices sibi blanditum putant, & veluti jus habeant incorrigibilitatis, perseverant, contenti, qvod tremendi sint, & nemo eos reprehendere audeat. *Lib. I. ep. 243.* Cæterum qvæ Coloniæ pro Lutheri causa Erasmus egerit, fide stant Jesuitarum, Aleandri relationem seqventium, qvi ex contubernali inimicus Erasmo factus erat. Ex actis Lutheri nihil præter illa apparet, qvæ supra retulimus. Nec reperio, qvid Fridericus, Erasmo monente de stylo temperando, ad Lutherum scripserit, qvæ spreta huic esse, narrat Maimburgius. Video tamen, hunc in *dedicatione Evangelicarum explicationum* supra allegata aliqvid ejusmodi agnoscere, & veluti deprecari, qvod Principis monitis in acrimonia contentionum de lana caprina (id est, de indulgentiis) vitanda non satisfecerit, sed improborum procacitates asperius qvam pro religione & modestia tractasset, veniam autem sperat, *si perpendatur, qvantas virulentias unus ipse perpessus sit.* Sed ista, ut dixi, acrius in epistola ad Spalatinum postea propugnavit. Probabile videbitur conferentibus Erasmi & Lutheri ingenia, & eventum spectantibus, nisi Lutherus incredibili adversus pericula animi constantia & severitate proposito suo institisset, sed Erasmi versutam lenitatem imitari voluisset, nihil metuendum Pontifici de reformatione fuisse. De vita Erasmi certiora, qvam Maimburgius refert, aliunde petenda sunt. Ipse amicis scribens, qvæ de se ad famam tuendam memorari post mortem voluerit, non reti-

L. §. 87. §. 00.

1520. cuit, qvæ alii forte disimulassent. Genitus est extra matrimonium a juvene Roterodamense *Gerardo*, qvem pater sacris destinabat, & ab adamatæ puellæ, qvæ Erasmum peperit, conjugio abstraxerat. Cur autem ex *Regularium*, qvos vocant, *Augustinianorum*, sodalitio, in qvod adolescens tutorum iniqvitate detrusus fuerat, discesserit, ipse ad *Servatium* eorum Præpositum, & ad *Lambertum Grunnium* sub Florentii persona scripsit. Annus nativitatis nescitur; cum tamen anno 1518. se qvinqvagenarium esse referat, colligi potest, natum esse circa annum 1468. adeoqve Luthero annis qvindecim majorem fuisse. Obiit Basileæ anno 1536. cum Friburgo in Brisgovia abiens Belgium cogitaret, & in typographia Frobeniana editioni librorum suorum incumberet, arthritide & dysenteria consumtus. Ex *Beati Rhenani* ad Carolum Cæsarem dedicatoria in *Origenem*, ab Erasmo recognitum epistola, pleraqve haberi possunt ad historiam vitæ ejus pertinentia. Præmissa est illa dedicatio editioni epistolarum Erasmi Anglicanæ qvæ anno 1642. prodiit cum aliis eo facientibus. Sed plura de eo dicenda infra occurrent. §. *179. & seq.*

§. 00.

Hoc statu Lutheri factio erat, cum comitia Vormatiæ haberentur. Unde factum, ut aliqvi Imperatoris ministri inconsultum putarent, edictum adversus eum condi, qvod Nuntius urgebat. Sed Princeps juvenis licet, judicio tamen acri præditus animadvertit, maximum negotio huic obstaculum ex præjudicata opinione oriri, qvod putabatur Romæ contra Lutherum non alia de causa excommunicando sine omni conditione procedi, & aliam Bullam d. 3. Jan. emissam esse, qvam ad privatam Papæ & curiæ Romanæ utilitatem; qvia Doctor hic abusus corrigi & potestatem mitigari debere contendebat, ne odiosæ illæ exa-

exactiones per Germaniam continuarentur, de quibus plus una vice jam questi erant Proceres. Itaque Nuntium monuit, ut ante omnia in plenis comitiis liquido demonstraret, a Luthero non Papam solum & curiam Romanam, sed præcipua religionis Christianæ capita oppugnari, eosque errores a Pontifice condemnatos esse. Præstitit hoc Aleander excellenter; admissus enim in comitiis ab Imperatore, ut publice audiretur, tres integras horas summa vi peroravit, magnoque & illustri illi cœtui Principum & deputatorum Imperii, libros Lutheri ipsos producendo, ostendit, necessario hujus hæretici sectam abolendam esse, utpote Ecclesiæ & statui publico pariter perniciosam. Destrui enim per eam autoritatem spiritualem capitis ecclesiastici, ipsiusque concilii generalis, sine qua, & sublato qui de sensu Scripturarum decideret Judice controversiarum, tot religiones extituræ essent, quot capita. Negari ab illo libertatem hominis, & statui bona & mala ex insuperabili necessitate fieri, sic portam late ad effrenem licentiam aperiri, omnibusque criminibus defensionem parari, legitimam nempe excusationem, quod aliter agi non potuerit. Annihilari præterea omnem Sacramentorum novæ legis valorem, negando conferri per ea gratiam: dari promiscue omnibus potestatem absolvendi: eximi Christianos ab omnium legum vinculis sub prætextu Christianæ libertatis, pessime intelle- T. §. 60. 1520.

Ex actis Wormatiensibus in Archivo Vatic. apud Card. Pallavicinum.

l. §. 00. §. 88. 1521.

et æ: contradici votis solenniter Deo factis, qvasi neminem obligent: denique mundum conjici in extremam omnium rerum confusionem, sine legibus, sine hierarchia, sine subordinatione & obedientia in Ecclesia, vel erga Principes, vel erga Deum ipsum, qvia is, si hæretico huic credatur, nobis præcipiat, qvæ effectu sint impossibilia. Addidit: cum frustra fuerint omnia, jam per annos qvatuor adhibita ad liberandam Ecclesiam & Rempublicam ab ingenti hoc malo remedia, nullum jam superesse aliud, qvam ut Edictum Imperatorium conderetur, qvo ab omnibus ordinibus plena submissione observato, detestabilis hæc hæresis cum autore suo communi odio & execrationi exponeretur. Hæc oratio qvamvis longa magna cum attentione audita fuit, bonumqve effectum statim habuit. Inita enim deliberatione conventum est, aboleri debere hanc hæresin, qvæ fundamenta religionis Christianæ subrueret.

§. LXXXIIX.

Imperator prima comitia, qvæ ex lege Caroli IV. qvam auream Bullam vocant, *Norimbergæ* habere debuisset, ob pestem ibi grassantem *Wormatiæ* celebravit. In his, ut patet ex constitutione, qvæ post finita comitia sive discessum Imperatoris & ordinum Germaniæ (ideo *Recessus* vocari solet) publicata fuit, maxima gravissimaqve negotia tractata & concluſa sunt: ordinatio nempe consilii supremi virorum XXII. ex Electoribus, Principibus & Civitatibus Germaniæ delectorum; *Regimentum* appellabatur, cui absente Cæsare tota Imperii gubernatio concredita fuit; Cameræ etiam sive tribunalis summi ad jurisdictionem exercendam, Assessorum XVIII. Interdictum adversus

vim

vim armatam, qva jus suum manu persequebantur qvicunqve poterant, satis juri & honori, ut jactabant, consulentes, si modo vim illam (*Fehdas* seu *diffidationes* vocabant) adversario, certo qvodam ritu & tempore, denuntiassent. Decretus etiam Germaniæ sumtibus Cæsari exercitus, qvo Romam coronæ adipiscendæ causa proficisceretur, *ut ablata, diuqve alienis manibus usurpata in Italia recuperaret.* (sunt verba Recessus) Hæc & alia qvædam singularibus edictis & sanctionibus, qvibus omnibus dies XXVI. Maji adscriptus est, publicata, in volumine *Recessuum Imperii* leguntur. Cur vero, ne unico qvidem verbo religionis, & qvæ contra Lutheri doctrinam Pontificii Legati postulaverint, tandemqve Edictum impetraverint, mentio fiat, cum illo tempore nondum ea diligentia & prolixitate, ut postea factum est, deliberationum & actorum Commentarii diurni (*protocolla* vocant) scribi solebant ex Archivorum libris, qvos mihi inspicere licuit, doceri non potui. Conjecturæ itaqve subjectum manet, an, (qvod infra verisimillimum reddet Pallavicini narratio) Recessus conscriptus, plenisqve omnium suffragiis receptus, & postea demum adhibitis paucis Edictum conditum fuerit; an Legatis Pontificiis, pro potestatis eousqve exercitæ axiomate tuendo consultius tutiusqve visum fuerit, si in legibus Imperii politicis nihil de religione statueretur, utqve Edictum contra Lutherum, non tam ex decreto Imperatoris & Ordinum, qvam ad ministerium Pontifici præstandum condi videretur; an vero Carolus gratificari Friderico Electori voluerit, cavendo, ne de actis contra Lutherum qvidqvam in Recessu diceretur. Moguntini etiam Archiepiscopi & Electoris, qvi stylum Actorum & constitutionum comitialium ex more dirigit & temperat, qvædam providentia & circumspectio fuisse in hacre potest, militares Eqvitum in illis regionibus spiritus vel metuentis vel sibi conciliantis, aut de Reformatione ipsa haud male sentientis: cum Sickingio enim bene ei convenisse, postmodum apparuit, qvanqvam Hutteni minas, pro libris Lutheri oppida & pagos Moguntini combusturum se jactantis, narret Pallavicinus *Lib. I. cap. 25. n. 1.* Historicis itaqve & Actorum Lutheri collectoribus debentur, qvæ de religionis causa in comitiis Wormatiensibus tractata novimus. Maimburgius ex fonte suo, id est, Pallavicino hausit, qvæ nobis propinat, nisi qvod *Bulla Pontificia nova* d. 3. Januar. emissæ meminit, qva Lutherus sine omni conditione denuo ex-

1521.

I. §. 89. 1521. communicatus fuerit, de qva apud alios, qvos consului, autores, fateor me nihil potuisse reperire. *Die viridium* hoc anno sive *in Bulla Cœnæ Domini*, qvam vocant, Lutherum nominatim damnatum & execrationi subjectum fuisse, constat.

§. LXXXIX.

Varillasius, qvicqvid de concilio Cæsaris hic refert Maimburgius, prudentiæ *Cevrii* tribuit, & ab hoc monitum Aleandrum esse scribit, ut dogmata Lutheri, qvæ impia & hæretica essent, non autem ea solum, qvæ Pontificis utilitatibus adversarentur, produceret. Idem etiam rei gestæ ordinem aliter narrat; nempe Aleandrum non eo qvo causam Pontificis contra Lutherum oravit, sed alio postea die, excerptas ex libris Lutheri de captivitate Babylonica *qvadraginta propositiones* coram Cæsare & Ordinibus clara voce prælegisse, nulla vel exaggeratione vel explicatione addita, sed paucis præfatum, legere se illa, ut dictis suis nuperis fidem faceret. Excitatam inde indignationem refert omnium, neqve dubitare potuisse, qvin condemnatio Lutheri per edictum Cæsareum eo ipso consessu secuta fuisset, nisi Fridericus Saxo insigni, ut scribit, artificio, negasset librum illum Lutheri esse, ex qvo excerptas istas theses dicebat legatus, atqve hoc demum modo ab Imperatore obtinuisset, ut Lutherus Wormatiæ audiretur. Vide Varillas. *de educatione Principis* sive *vita Gvil. Croji Cevrii Lib. VI in fin.* ubi etiam formulam salvi conductus pro Luthero ab eo compositam fuisse scribit. Sed si isthæc veritate nituntur, multum tamen ab ea recedunt, qvæ idem Autor in recentiori *de Hæresibus* historia de comitiis Wormatiensibus tradidit; ut infra *ad §. 96.* annotabitur. Differt ab ejus relatione Pallavicinus, cum Aleandri unam salvem orationem absente Friderico, &, ut ait, morbum simulante habitam, & ab eo simul productos & proxime assidentibus ostensos Lutheri libros fuisse narrat *d. cap. XXV. n. 7.* Idem, licet brevius, tradit Maimburgius. Cum vero Aleander, ut Pallavicinus notavit, peroraverit in die, qvi vocari solet cinerum, id est, nisi me computus illius anni fallit, d. 13. Febr. non possum satis percipere aut conciliare, ab his scriptoribus diversimode tradita, qvasi post orationem demum Aleandri de Luthero in comitiis sistendo actum fuerit.

§. XC.

§. XC. 1521.

Nam sub finem anni 1520. & initium hujus 1521. adeoqve ante comitia, cum Imperator & Elector Saxo multiqve Principes Wormatiæ essent, id actitatum fuisse constat. Elector sane scribi fecerat Lutherο, qvid facturus esset, si vocaretur a Cæsare, id enim adversarios moliri? & hic respondit d. 21. Decembr. 1520. se omnino venturum Cæsarisqve vocationem pro divina habiturum esse, si autem vis fiat, sicut verisimile sit, Deo commendaturum esse causam, qvi tres pueros in fornace ignis servaverit, si vero servare nolit, parvam rem esse caput suum, si ad Christum comparetur, & qvæ ille passus sit. Nec minus cordata & pia sunt, qvæ addit: Proinde etsi ita fieri oporteat, ut Reges terræ & Principes conveniant in unum, & cum gentibus & populis fremant adversus Dominum & adversus Christum ejus, tamen eodem Psalmo docet Spiritus, beatos fore, qvi confidunt in eo. Nec solum hoc, verum & irridebit Dominus & subsannabit illos. Nostrum certe definire non est, ex vitane an ex morte mea plus minusve periculi sit oriturum Evangelio & publicæ saluti. Scis, qvod veritas Dei petra scandali est, posita in ruinam & resurrectionem multorum in Israël. Nostræ autem nunc curæ id unicum est officium reliqvum, ut oremus Dominum, ne Caroli imperium in meo aut illius sanguine, pro impietate tuenda, primas operas cruentet: mallemqve me (qvod sæpius dixi) in solis Romanistarum manibus perire, ne ille cum suis in hanc causam involveretur. Scis qvæ miseria Sigismundum Imperatorem post occisum Hussum consecuta sit: ut nihil deinde prosperum habuerit, sine prole obierit, & filius etiam filiæ Ladislaus postea perierit, & in generatione una deletum sit nomen ejus: Uxor vero Barbara infamia reginarum evaserit: & alia, qvæ te nosse credo. Si tamen ita fieri oportet, ut & ego non modo Pontificibus, sed & gentibus tradar, fiat voluntas Domini, Amen. En habes meum consilium & animum: omnia de me præsumas præter fugam & palinodiam: fugere ipse nolo, recantare multo minus. Ita me confortet Dominus Jesus. Neutrum enim sine periculo pietatis & multorum salutis facere possem *Lib. I. ep. 205.* ad Spalatinum. Miror taceri, qvæ ex *epistola 207.* die Felicis, id est, 14. Jan: ad Staupitium data, cognoscuntur, vocatum jam illo mense Lutherum a Cæsare, literis ad Electorem datis, fuisse, sed hunc recusasse, Cæsaremqve aliis literis priores revocasse. Ita eodem die

1521. die *epist. 208.* Linccio scribit Norimbergam: *Vocatus eram a Cæsare & revocata est eadem vocatio.* Caute autem sine dubio versatus est sapientissimus Princeps, ne in periculum mitteret Lutherum, qvanqvam ei hanc Cæsaris de ejus comparitione voluntatem eodem mense significaverit. Qvæ vero responderit, ex epistola ejus d. 25. Januarii ad Electorem cum multa submissione scripta apparet (*qvæ extat lib. I. n. 210.*) cujus inter alia hæc sunt verba: *Caterum qvod* ad me attinet, „paratissimus sum in humili obedientia, si sufficiens securamentum & „liberum conductum ultro citroqve iterum ad meam securitatem ad„secutus fuero, ad proxime futurum conventum Imperialem Worma„tiæ habendum, coram æqvis, doctis, probis & non suspectis judicibus „comparere: & cum adjutorio Dei omnipotentis, me ita exhibere & „excusare, ut omnes in veritate experiantur, me hactenus nihil ex te„meraria, indeliberata & inordinata voluntate, aut propter tempora„lem & secularem honorem & utilitatem, sed qvicqvid scripsi & docui, „secundum meam conscientiam, juramentum & obligationem, ut in„dignum Doctorem sanctæ scripturæ, ad laudem & gloriam Dei, ad sa„lutem & felicitatem Ecclesiæ Catholicæ, bonumqve & commodum „totius Germanicæ nationis, ad evulsionem periculosarum abusionum „& superstitionum, & ad liberationem totius christianæ Reipublicæ, ex „tot infinitis, innumerabilibus, impiis & damnabilibus tyrannicis de„coribus, probris, gravaminibus & blasphemiis proposuisse & feciss„se. Sed qvæ petit aut speravit, qvanqvam pia & justa essent, Pontificii Legati artibus, qvas ipse propalat Pallavicinus *dicto cap. XXV. n. 3. 4.* in summam venerunt difficultatem.

§. XCI.

Aleander enim vel propensionem Germanorum procerum ad Lutheri doctrinam, vel langvorem in autoritate Pontificia tuenda Wormatiæ cernens, impetravit Roma literas & pecuniam ad conciliandas qvorundam mentes. Nec Lutherum machinæ inimicorum prorsus latuerunt; scribit enim *Lib. I. ep. 211.* Staupitio (qvamvis tunc mutato, ut alibi dixi) d. 9. Febr. *Wormatiæ nihil contra me adhuc actum etsi miro furore Papistæ moliantur mihi mala. Spalatinus scribit, tantum favoris Evangelio esse istic, ut me inauditum & inconvictum damnari non speret.* Interim & in Saxonia & in Bohemia crescebat

1521.

fcebat indignatio in Pontificem, & amor doctrinæ Lutheri, ut videre licet ex epistolis Dominica Qvadragesimæ & Invocavit 17. Febr. datis, in qvibus ad Spalatinum refert, ut Bohemi libellos qvosdam suos in lingvam patriam verti curaverint, & ut juventus Academica Bacchanalium tempore in Papam luserit. Etiam *Georgii* Saxoniæ Ducis in Lutherum odium, fratris ejus *Henrici*, qvi Freibergæ residebat, favor utcunqve pensabat. Vide *Lib. I. ep. 219.* Lipsiæ vero, qvæ tanta antea Lutheri invidia flagrabat, non deerant, qvi non obstante Georgii Principis sui rigore, male affecti erant rei Pontificiæ, ita ut Bulla ibi contra Lutherum affixa contaminata & lacerata fuerit. Vide *Lib. I. ep. 218.* Nec mitius tractabantur Emseri adversus eum libelli, de qvibus alibi. Ausus deniqve est celebris pictor, *Lucas Cranachius*, figuras ligno insculpere, & inde chartas excudere, qvæ Christi & Antichristi gesta sibi opposita, dissimilemqve exitum repræsentarent: qvibus iconisinis inscriptiones adjecit Lutherus, & ad Spalatinum misit d. 7. Martii qvæ habentur in *Tomo I. Altenb. Germ. fol. 597. seqq.* Adde *Lib. I. ep. 219.* Subscripsit autem gestis Christi testimonia ex historia Evangelica, Pontificiis vero actionibus dicta ex decretalibus, qvibus potentia & majestas Papæ magnifice asseritur, additis ex Daniele & Apocalypsi vaticiniis ruinam & damnationem Antichristi indicantibus. Paulo post cum ex Spalatini literis intelligeret, eo consilio vocatum se ad Comitia iri, ut articulos suorum dogmatum, qvi mittebantur, revocaret die Martis post Judica, id est, d. 19. Martii ita scribit *Lib. I. ep. 220.* Articulos revocandos, mi Spalatine, & res gerendas a me præscriptas, accepi. Tu ne dubites, nihil me revocaturum: postqvam video, non alio eos niti argumento, qvam qvod contra ritum & consvetudines Ecclesiæ (qvam fingunt) scripserim. Respondebo ergo Carolo Imperatori, solius palinodiæ causa vocatum me non venturum, qvandoqvidem idem sit, ac si jam illuc venissem & huc redissem. Possem enim & hic revocare, si revocandum esset solum. Cæterum si me ad occidendum deinceps vocare velit, & hac responsione Imperii hostem me habuerit, offeram me venturum. Neqve enim fugiam (Christo propitio) verbumve in acie relingvam. Certissimum autem habeo, illos non qvicturos sangvinarios, donec occiderint me, qvanqvam hoc cupiam, ne in meo sangvine rei fiant, nisi Pa-

Add.

1521. pistæ. Sed ad Alexandri orationem veniamus. Exhibuit illam Pallavicinus *dicto cap. XXV. n. 8. & seqq.* non (qvod utiqve rectius & melius fuisset) ut habita est, sed, ut fatetur & Historicorum more excusat, qvibus potuit fucis & cincinnis in summam Lutheri ejusqve dogmatum contumeliam adornatam. Eo ipso tamen causæ Pontificiæ parum consulens, qvæ si Dei & Christi esset, ut confidenter jactant, calumniis & cavillis propugnari minime debuit. Totam vero hanc orationem talibus scatere facillimo ostendi possit negotio, nisi jam ex maligne allegatis Lutheri dogmatibus manifesto appareret. Qvamvis vero non modo compendio usus sit in declamatione illa recensenda Maimburgius, sed & qvædam crassiora mendacia omiserit, retinuit tamen, qvæ eodem vitio pessimæ depravationis aut aperti mendacii laborant: qvalia sunt, qvod Lutherus necessitatem actionum omnium humanarum, & sic etiam patrandorum criminum statuerit; dein qvod absolvendi a peccatis licentiam omnibus attribuerit, promiscuam nempe, ut loqvitur, id est, neglecto aut sublato ministerii ordine; porro, qvod impossibilitatem parendi legibus publicis asseruerit, dum scilicet hominum imbecillitatem ad rigidam & perfectam mandatorum divinorum implctionem, & obtinendam meriti, qvod jactabatur, superabundantis gloriam commonstrabat; (Pallavicinus addit, qvod bellum in Turcas improbaverit) & alia non minus putida & veteratoria. Effectum orationis paulo aliter refert Pallavicinus, qvam noster, neqve tunc defuisse dissimulat, etiam præter Saxonem, qvi Luthero faverint; addit tamen, Cæsarem aversissimo ab eo animo fuisse, & literas ejus non lectas repente concisas Alexandro tradidisse, qvod qvam verum sit, in medio relinqvo: literas enim ante annum datas fuisse, supra retuli, si vero eas indicat, qvas post abitum ex itinere scripsit, tempus turbat. Laudat Alexandrum, qvod disputationem cum Luthero, ab aliqvibus suggestam, recusaverit, & contumeliam janitoris (Lutherani scilicet) qvi eum a consilii Cæsarei introitu pugno in pectus illiso repulerat, prudenter toleraverit.

§. pp.

Sed Saxoniæ Dux, qvi cæteris in qvæstione de jure consentiebat, omnes tamen propositæ qvæstione facti

cti permovit, cum diceret, agi de proscribenda non 1521.
solum doctrina, sed & de Doctore Luthero, qvi ejus autor haberetur, xeqviri itaqve, anteqvam ulterius procedatur, ut in his ipsis Comitiis audiretur, & ex ipso intelligeretur, verum ne esset qvod propositiones istas doceret, qvæ in libris ejus reperiri dicebantur. Hoc valde anxium habuit Nuncium Aleandrum, metuentem, ne Lutherus, qvi loqvendi & disputandi occasionem avide qværebat, eloqventia sua & falsis subtilitatibus homines, non satis ad judicandum de talibus rebus idoneos deciperet, itemqve ut verba sua ita interpretaretur, ut dubitari possit, an recte & secundum sensum, qvem ipse illis daret, intellecta & juste condemnata fuerint. Sed Imperator, qvi Saxoniæ Ducem nolebat offendere, sibi vero ipsi satisfacere, ac Nuncio gratificari cupiebat, sapienti temperamento usus est. Dixit itaqve Lutherum audiendum fore, ne prætendi possit, inauditum damnatum fuisse, sed hactenus solummodo audiendum, ut profiteretur, an retractare vellet errores, qvi in libris suis reperirentur. Ita Luthero scripsit die 6. Martii, injunxitqve, ut intra dies XXI. Vormatiæ se sisteret: misit etiam fecialem, qvi eum adduceret cum literis salviconductus, suo & totius conventus nomine, qvibus munitus tuto accedere, morari & recedere posset, ea tamen conditione, ne in itinere concionaretur. Sed fecialis, Gaspar Sturmius, *totus jam Lutheranus,*

1521. *concionari eum pro lubitu Erfordiæ permisit, contra doctrinam, leges & mores Paparum, neque de hoc quidquam Imperatori renunciavit.*

§. XCII.

Quæ de Friderici Electoris sententia ex Pallavicino refert noster, ex actis Lutheri & Saxonicis non possunt tam clare demonstrari, ut dubitatione careant. Aliæ potius sistendi & audiendi Lutherum & Electori petenti svadentive, aut Cæsari concedenti causæ fuisse videntur. Varillasius, quem supra laudavi, Electorem cum Aleandro, præsente Cæsare, vehementissime rixantem producit, & callide, ut ait, negantem, librum *de captivitate Babylonica*, quem ille monstrabat, Lutheri esse. Sed illa suspicio ab ingenio Principis alienissima est; crediderim hic potius Jesuitis, qui Electorem generatim desiderasse narrant, ut Lutherus ipse de iis, quæ scripsisset, audiretur. Nec sine ratione hoc postulabat Elector, malignitatem interpretationum ex specimine Aleandri facile perspiciens, qui nullo sophismate in referenda Lutheri doctrina abstinuerat. Carolum ipsum videndi Lutheri cupidum fuisse, Varillasius notat. Inter causas, ob quas præsentiam Lutheri impeditum ibat Aleander, tacet Maimburgius, quam gravissimam indicat Pallavicinus, fori scilicet incompetentiam. Angebat enim hominem, quod Cæsar & Ordines, utpote Laici, (Latinus interpres reddit *profani*) condemnatum a Pontifice Lutherum, & jam post bis terve finitos, quos ei ad revocandum constituerat, sexaginta dies excommunicatum & detestabilem, videre & audire cuperent. Nec dissitendum est, Majestatis juri hic locum fuisse, utcunque aulæ Pontificiæ inviso. Idem Pallavicinus *periculosum vel ineptum fuisse statuit, causam istam solennite disputandam ad conventum hunc tmbi; qui communi* (universali) *laboraret ignorantia.* Inter auditores tamen erant Archiepiscopi quinque, Episcopi undecim, præter Legatos reliquorum, qui plerumque Clerici esse solent, ut tot Principes & minorum gentium prælatos taceam. Quod si Laicos saltem *ignorantiæ communis* reos habuit, & a judicio de religione removendos; quid sine cavillo respondebit Paulo, qui de magno mysterio tractaturus, Corinthiis, tum quidem schismate & morum vitiis corruptis, scribit, *ut cum prudenten-*

I. §. 92. 1521.

dentibus loqvor, vos ipsi judicate qvod dico 1. Cor. X, 15. & Thessalonicensibus, per regulam ad omnes applicabilem imperat. *omnia probate, qvod bonum est, tenete. 1. Thess. V, 21.* Sed nondum erectum erat tribunal, cujus decreta Laicorum turba cum Regibus Principibusqve suis cœco seqvi debeat servitio. Qvis deniqve in culpa fuit, qvod in *communi ignorantia* Laici versarentur, qvam illi ipsi, qvi populum erudire debebant de religione, qvam omnes & singuli eatenus nosse oportet, ut in capitibus ad salutem necessariis vocem summi Pastoris Christi a deceptorum fistula distingvere valeant; ut maxime aliæ qvæstiones, qvarum infinitus numerus fidem & religionem pene suffocaverat, ignorari, & doctiorum judicio deferri possint. Sed cum eo usqve præter magnificas potestatis Pontificiæ deprædicationes, fabulasqve & ritus, nihil fere, qvod ad fidem & mores Christianorum requiritur, qva par erat, perspicuitate & sobrietate populo propositum fuisset, id vero Lutherus, & qvi ejus exemplum seqvebantur, magna facerent dexteritate, qvid mirum, si in illo vocem Christi & divini verbi efficaciam magno cum solatio & plausu exciperent & sentirent tot hominum in omnibus nationibus myriades? Hanc veritatis reductionem promovere & melius meliusqve efformare & perficere sua autoritate Pontifex ejusqve Legati potuissent, qvemadmodum Lutherus jam ab annis plus tribus instantissime & cum eo vox omnis pene populi flagitaverat; sed qvid obstiterit, qvo minus tanto beneficio qviete & bono cum ordine potiri potuerit totus Christianorum cœtus, & cur in contrarium omni vi & arte grassati fuerint, omniaqve in summum periculum & tumultum adduxerint, qvi pastorum loco erant, ex iis, qvæ dicta sunt, & porro dicentur, satis notum est. * Alexandri igitur strepitus impedire non potuit Lutheri comparitionem, & displicuisse ei necesse est literas Imperatoris d. VI. Martii, datas, qvibus non solum plenam securitatem, ad iter & reditum Lutherus accepit, sed & benigne & honorifice compellatus fuit. Inscriptæ enim sunt, *Honorabili, dilecto, devoto, Doctori Martino Luthero, Ordinis Augustiniani.* In his, sicut nec in diplomate salvi conductus, qvod fecialis secum ferebat, nihil invenitur de conditione, qvam hic refert Maimburgius, de non concionando in itinere. Interdictum tamen id sibi fuisse non negavit Lutherus, ut postea videbimus. De *salvo conductu* disceptatum

I. §. 92. §. qq. 1521.

esse inter proceres, prout qvisqve in Lutherum affectus erat; & cum essent, qvi Cæsareis literis, exemplo Husi territi, fidendum non esse dicerent, Principum qvorundam fidem speciatim interpositam fuisse, Cochlæus autor est. Id industria & qvidem ultima Cevrii procuratum refert & laudat Varillasius, fidejussores autem fuisse Saxoniæ Electorem, Hasiæ Landgravium, & Principes qvosdam, ut ait, Brunsvicenses atqve Brandenburgenses. Literas salvi conductus, qvas Principes, per qvorum regiones iter Luthero erat, nempe Elector Saxo cum Fratre Johanne, Georgius Dux Saxoniæ, & Philippus Hasiæ Landgravius expedierunt, extant *Tomo I. Alt. fol. 653. 727.* *Cevrius*, qvem dixi, in his comitiis obiit die 18. Maji veneno, ut creditur, per Hispanorum insidias, qvo & paulo ante fratris filius, Gvilielmus Crojus, Cameracensis & Toletanus Archiepiscopus ibidem sublatus habetur. Varill. *d. l.* Lutherus utriusqve obitum notavit *epistolis 231. & 233.* per *Schiferum* enim intelligit *Cevrium*, (ex pronuntiatione Gallobelgica vocis *Chevres*) & millionem aureorum Imperatori reliqvisse ex fama memorat, addens: *Audacem Christum, qvi hos montes aurinihil vereatur, sed utinam agnoscant aliqvando, qvoniam ipse Dominus DEUS noster!*

§. qq.

Acta Wormat. Conv. ex cod. Vat.

Profectus itaqve est VVitteberga curru magnifico vectus, comitante centum eqvitum turma, qvi ei honoris causa aderant, utqve appareret, non defore illi viros, ad defensionem ejus paratos. Intravit die

Acta Mart. Luth. Wormat. 1, 2, Cochlæus hoc anno.

6. April. VVormatiam, octo tantum ex eqvitibus suis comitatus. Amicis autem qvi eum ab itinere dehortabantur, qvia ab Imperatore, qvi libros ejus comburi fecerat, jam condemnatus esset, respondit, qvod se omnes homines toto orbe juncti, omnesqve Dæmones inferni, ab hoc itinere non essent impedituri, se enim causam Dei tueri. Die seqventi, hora qvarta post meri-

meridiem, in conſeſſum Comitialem adductus fuit a Mareſchallo Imperii, Comite Pappenheimio, qvi & ſtatim interdixit, ne qvid loqveretur, ſed præciſe reſponderet ad ea, qvæ Imperatoris nomine ei proponenda forent. 1521.

§. XCIII.

Currum magnificum hic ad Gallicæ elegantiæ genium fingit noſter. Cochlæus, qvi totum ejus iter, & læta convivia, & qvod aliqvando hilarior teſtudinem pulſaverit, (Muſicæ enim peritus erat) inſectatur, talem deſcribit, qvi *in modum lectica pannus* fuerit, *umbroſus & contra cœli injurias munitus.* Neqve alios tunc habebant Germani, panno nempe tectos, qvales mercatoribus etiam hodie in uſu ſunt, ad nundinas euntibus; talis deniqve, qvalem Senatus oppidanus Wittenbergenſis ei præbere potuit, cui eo nomine gratias egit, *Tomo I. Altenb. fol. 732.* De centum eqvitum comitatu nihil reperitur in actis Lutheri. Comites habuit *Jodocum* (ſive ut poſtea nomen ſuum ſcribere ſolebat *Juſtum*) *Jonam*, Præpoſitum Collegiatæ Eccleſiæ Wittemberg. *Nicolaum Amsdorfium*, ejusdem Canonicum, & *Hieronymum Schurfium*, Juris Doctorem celebrem, qvo veluti advocato utebatur. Acceſſerant in itinere alii qvidam: inter qvos Euricius Cordus ludimoderator tunc Erfurtenſis. Vinariæ a Duce Johanne, fratre Electoris, viaticum accepit. Erfurti inſtanter rogatus, Dominica Qvaſimodogeniti concionem habuit, qvæ extat *Tomo I. Altenb. fol. 714.* & a Cochlæo (qvem Maimburgius exſcribit) exagitatur. Extemporanea & brevis eſt, adverſus fiduciam operum, & vitia Cleri directa. Iſennaci etiam concionatum eſſe, ſed in reditu, ipſe refert, *proteſtante tamen, juſſu Superiorum*, ut ajebat, *Parocho.* Conciones excuſat Lutherus, qvod in conditionem illam, de non concionando non conſenſiſſet, *nec verbum Dei alligari poſſit. Lib. I. ep. 229.* imo jam Wormatiæ id reſponſi Principibus dediſſe, ad Comitem Mansfeldium ſcripſit *Tomo I. Altenb. fol. 732.* In aliis etiam locis concionatum eſſe, & qvandam urbem, qvam *Andors* vocat, uno ſermone totam Lutheranam feciſſe narrat Varillaſius, ſed nullo teſte, nec eo nomine ullum eſt in Germania oppidum. Terrebant eum & diſtrahebant in itinere non

L.§.93.§.rr. valetudine, hospitio Wormat. & comparitione in curia. §. rr. Lutherus

1521. non pauca; nuntiabatur condemnatum jam esse Wormatiæ, corpore parum valebat: Francofurto enim ad Spalatinum Wormatiam scribit: *Lib. I. ep. 221. Tota hac via ab Isennaco usque huc langvui, & adhuc langveo, incognitis mihi antehac modis.* Sed & mandatum Caroli esse *in terrorem mei evulgatum intelligo:* (de combustione librorum in Belgio puto) *verum Christus vivit; & intrabimus Wormatiam invitis omnibus portis inferni, & potestatibus aeris.* Et postea: *Satanam terrere & contemnere propositum est.* Oppenheimii autem ab amicis ipsoqve Spalatino, ne veniret, per literas monitus respondit: (qvæ plurimi memorarunt) *Si tot diaboli Wormatiæ essent, qvot in domibus lateritiæ tegulæ, se tamen intrepide eo venturum esse.* Narravit hæc suis paulo ante obitum Islebiæ *Tomo I. Alt. f. 734. Ita Deus*, addens, *impavidum reddere potest hominem, nescio an nunc tam fortis essem.* Tentatus fuit etiam Moguntini, ut putabat, consiliis, ut evitata Wormatia in arcem Sickingii Ebernburgum concederet, ibi cum Joh. Glapione Franciscano (cujus Pallavicinus *Lib. I. cap. 24. n. 4.* meminit) Cæsaris Pœnitentiario collocuturus; ipse qvoqve Sickingius idem rogabat, misso Oppenheimium Martino Bucero cum eqvitibus qvibusdam. Sed cum triduum tantum ex viginti & uno diebus, intra qvos comparere debebat, supereset, & ipse insidias vereretur, *se, qvo jussus erat iturum esse*, constanter respondit, & cucullo suo indutum, curruqve aperto vectum [die Martis, 16. April.] urbem intrasse narrat, magno populi concursu. Hospitium habuit apud eqvites Rhodios, ut Cochlæus scribit, qvi nunc Melitenses vocantur, Lutherus *Teutonicas* nominat, vulgarem appellationem secutus, qva domus illa vocabatur: statimqve a magno procerum & nobilium numero salutatus fuit. Honestum erat, qvod non per alium, qvam ipsum Imperii, qvem vocant, Marescballum, Saxoniæ Electoris, Archi-Marescballi, vicarium hæreditarium, Dynastam Pappenheimium (nondum enim comitum nomen familia illa tum adsumserat) in consessu publico adesse juberetur. Convenerat is eum in hospitio ante prandium, neqve tunc, sed in ipso consessu monuit, ne loqveretur, nisi interrogatus.

§. rr.

Erant in conventu, qvi eum serio monebant, ut firmo esset animo, imo aliqvi ei verba Evangelica recita-

citabant: Cum tradent vos, nolite cogitare, qvomodo aut qvid loqvamini, dabitur enim vobis in illa hora, qvid loqvamini. *Sed parum ex his profecit, satisqve ostendit, spiritum Evangelii se non habere. Cum enim officialis Trevirensis ipsi denuntiaret, velle Imperatorem, ut ad duo responderet: primo an autorem se esse fateretur omnium horum librorum, qvibus nomen suum præfixum esset, & qvorum index ei prælegebatur? dein, an retractare vellet, qvæ in iis condemnata essent? ad primum respondit, agnoscere se libros, nisi aliqvid iis esset additum; ad alterum; qvia de re omnium maximi momenti, de fide nempe & verbo Dei, ageretur, tempus se ad cogitandum petere, ne præcipiti responso plus minusve diceret, hoc enim non esset Christum coram hominibus confiteri, ut facere decrevisset. Hæc profecto responsio non sapiebat genium Prophetæ divinitus inspirati, cum tamen ex ea spes appareret, qvod retractaturus dogmata sua esset. Prævia deliberatione responsum fuit ab Officiali: qvanqvam sciviſſet, qvæ interrogandus esset, & paratus ad promtam responsionem esse debuisset, Doctor præsertim tanti nominis, Imperatoriam tamen Majestatem concedere, ut in posterum diem dilationem haberet.* 1521. *Matth. 10.*

§. XCIV.

Actorum cum Luthero Wormatiæ relatio Latina extat *Tomo II. Lat. Jen. fol. 436. & seqq.* lectu dignissima, qvam nescio qva cavillatione taxat Cochlæus, ac si illam Lutherus semetipsum laudans com-

1521. potuisset. Eadem Germanice reperitur *Tomo I. Altenb. f. 718. & seqq.* Sed præter hanc aliæ tres, una ad Lucam Cranachium, Consulem Wittembergensem *f. 731.* altera ad Hoyerum, Comitem Mansfeldensem, *fol. 732.* tertia Islebiæ, de qva dixi, suis ante obitum facta *fol. 733.* Ex his qvædam Maimburgio omissa supplebo. Ductus est die Mercurii d. XVII. April. in consessum publicum, præeunte Pappenheimio Mareschallo, & feciali Sturmio per hortos & domus ad evitandum concursum, ita tamen, ut magna nihilominus multitudo ad eum videndum, omnibus modis, etiam perruptis tectis, confluxerit. Officialem Trevirensem, (qvi *Johannes ab Eck* vocabatur, alius a disputatore, de qvo supra egimus, sed non minus Luthero infestus) de libris suis recognoscendis interrogantem Cæsaris nomine Lutherum interpellavit Hieronymus Schurfius, exclamans: *Intitulentur libri:* prælecti itaqve sunt eorum tituli. Maimburgius, ut videmus, negat spiritu Evangelii animatum fuisse Lutherum, dum dilationem peteret. Sed etsi promissionem Apostolis factam, si de immediata inspiratione verborum intelligatur, Lutherus sibi non arrogaverit, nemo tamen sine temeritate, ut a spiritu Christi alienum, condemnare potest, qvod extemporanea responsione, in augusto illo consessu, se suamqve causam prostituere noluerit. Audiamus ipsum pie & graviter locutum *fol. 436. b. Qvia de fide est qvæstio & animarum salute, & qvia divinum verbum concernit, qvo nihil majus est, tam in cœlo qvam in terra, qvod nos merito revereri convenit omnes, temerarium ac juxta periculosum fuerit, me qvidqvam incogitatum proferre, cum & minus qvam pro re, & majus qvam pro vero, non præmeditatus, asserere possim, qvorum utramqve me in sententiam adducet, qvam Christus tulit, cum ait: Qvi me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo, qvi in cœlis est. Peto igitur hac de causa, & qvidem suppliciter, a Cæsarea Majestate spatium deliberandi, ut citra divini verbi injuriam, & animæ meæ periculum interrogationi faciat faciam.* At bilem suam hic etiam effundit Pallavicinus, rusticitatem Luthero objectans, qvod in primo hoc aditu ad Cæsarem tantum modestiæ in verbo & gestu ne tantisper qvidem valuerit sibi mutuari ab arte & reverentia, ut, qvalis esset, reapse dissimularet, unde lepide Cæsar dixerit: *hic certe nunqvam efficeret, ut hæreticus fierem.* Qvam elegantiam & urbanitatem desiderarint Itali, eqvidem nescio, nihil tamen a Cochlæo, cui omnia con-

qvi-

conqvirere, qvæ contemtum aut invidiam Luthero moverent, otium & libido fuit, memoratum reperio, qvo indecens aliqvid ei imputetur. Lutherus cum seqventi die denuo coram Cæsare & Principibus staret, in exordio per misericordiam Dei obsecravit, ut benigne sibi „ ignosceretur, si per imperitiam vel dignos titulos cuiqve non dederit, „ vel qvocunqve modo in mores gestusqve aulicos peccaverit; se enim „ non in aulis, sed in angulis monachorum versatum, nihil amplius de „ se testari posse, qvam ea simplicitate animi hactenus docuisse & scripsisse, ut tantum gloriam Dei & sinceram fidelium Christi institutionem „ spectaverit. Hæc elegantiæ magistro Jesuitæ sufficere possunt. Cæ- „ saris vero dictum fide stat narrantis, nec ad rem facit. Deplorandum potius est ingenium hominum, qvi veritatem ex persona æstimant, & qvibus tiaræ & infulæ aliiqve mundani fastus præstigiæ pro Evangelio sunt. De Carolo tamen si non illa, certe provectiori ætate, meliora licet ominari, ut in loco dicetur. Eidem Pallavicino si credas, Lutherus famam præsentia sua Wormatiæ perdidit, intemperantia, superbia, iracundia, imo a Dæmone obsessus habitus fuit: qvæ immania & putida Maimburgius merito prætervectus est. Nos istæ contumeliæ confirmant, Lutherum ex domesticis cœlestis Patrisfamilias fuisse, qvi convitio eodem, qvo ille, excepti, non habent, qvod conqverantur. *Matth X, 25.* Cochlæus e contrario applausibus invidet, qvos audivisse in reditu ex consessu Comitiali Lutherus ipse (nescio ubi) retulerit, & inter hos dictum audiverit, *Beatus venter, qvi te portavit.*

§. 55.

Illo igitur die, hora sexta vespertina iterum admissus repetiit responsum ad primum caput, sed ad secundum perorare cœpit (ad hoc enim, ut meditari posset, qvæ diceret, tempus postulaverat). Sed in summa hæc dicebat: se libros varii generis, nec uniius materiæ, composuisse, qvosdam de fide & pietate Christiana, hos sine impietate revocare non posse; alios

1521. contra decreta, abusus, doctrinam & usurpationes Pontificum, qui tyrannidem in Christianos exercerent, & scandala darent, hæc quoque quæ scripserit, revocare se non posse, nisi manifeste prodere Evangelium, & tyrannidem in Ecclesia Dei fovere vellet. Denique adversus privatos quosdam se scripsisse, qui doctrinam suam impugnaverint, & Papæ dogmata pariter & tyrannidem defenderint, in his fateri se, quod aliquando nimium acris in adversarios fuerit, sed quoniam non de moribus suis, sed de doctrina ageretur, hæc vero a se semper evidentibus Scripturæ testimoniis confirmata fuerit, nunquam se eam negaturum, sed paratum esse ad illam coram quocunque defendendam, revocaturum etiam, & libros suos ipsum combusturum, si ex solo verbo divino, non humano, demonstrari posset, quod erraverit. At cum in sermonem prolixum, quo Principes ad protegendam veritatem adhortabatur, evagaretur, Vicarius eum Imperatoris jussu interpellavit, dicens: non id agi, ut doctrinæ suæ rationem redderet, quæ jam per Concilia, inprimis Constantiense, Germanis singulariter venerabile, damnata esset, post quod nihil examinandum restaret; sed exigi, ut uno verbo simpliciter & absque ambiguitate diceret, an revocare doctrinam suam vellet an non. Respondit autem, quoties iterato idem interrogaretur, simpliciter & pure, se non revocaturum, neque enim se Papas, aut Concilia re-

spice-

spicere, qvæ sæpe erraverint, sed solum verbum Dei, 1521.
qvod a suis partibus stare existimet, hoc esse unicum judicem, qvem agnosceret. Qvoniam igitur conscientia sua divino hoc verbo ligata esset, necessum esse, ut ex hoc erroris convinceretur, si vellent, ut salva conscientia revocationem faceret.

§. XCV.

Admissus est die seqventi, id est, 18. April. circa vesperam, postqvam duas horas expectasset; inde factum, ut in noctem protraheretur confessus. Qvæ dixerit, in relationibus ejus fusius reperiuntur, non male tamen in compendium a Maimburgio contracta. Locutus esse dicitur in relatione supra allegata *Tomo I. Altenb. fol. 720.* modeste & verecunde, non clamans, nec vehementi sed moderata utens voce, Christiana tamen cum fiducia, eaqve animi præsentia, qvam adversarii ei adfuisse noluerint: speraverant enim, qvia dilationem petiisset, mitiora dicturum & revocaturum fuisse. Memorat ipse in Islebiensi, qvam dixi, relatione *fol. 734.* cum Germanice primum locutus esset, & eadem Latine dicere juberetur, hæsisse paululum, & respiratione opus habuisse, incalescentem & sudantem a vapore circumstantis multitudinis, & ob Principum, qvibus proximus erat, præsentiam, ita ut Fridericus Thunavius, Eqves Thuringus, ex primoribus Aulæ Electoralis, cum monuerit, satis locutum esse; sed resumto animo omnia Latine reperiisse, valde id probante Electore. Ultimam orationis partem adscribere non piget, cum, increpante officiali & urgente, ut simplex nec cornutum responsum daret, revocarene vellet an non, ita locutus est: *Qvando ergo Serenissima Majestas vestra, Dominationesqve vestræ, simplex responsum petunt, dabo illud, neqve cornutum neqve denticum, in hunc modum: Nisi convictus fuero testimoniis Scripturarum aut ratione evidenti, (nam neqve Papæ neqve Conciliis solis credo, cum constet, eos errasse sæpius, & sibi ipsis contradixisse) victus sum Scripturis ante adductis, captaqve est conscientia in verbis Dei, revocare neqve possum neqve volo qvidqvam, cum contra conscientiam agere neqve tutum sit neqve integrum.* Addidit verba Germanica: Hier

I. §. 95. 1521. stehe ich/ ich kan nicht anders/ GOtt helff mir/ Amen! id est, *Hic sto, non possum aliter, Deus me adjuvet! Amen.* Varillasius aut autor, qvo usus est, ignoratione Germanicæ lingvæ, putavit juramenti formula, Germanis sveta, usum esse Lutherum, qvo dicta sua veluti confirmaret & clauderet, sed fallitur. Nam & post ista verba cum Officiali Trevirensi in disputationem qvandam venit de conciliorum infallibilitate, nec dixerat, ut jurantes solent: *Ita me Deus adjuvet!* sed more precantis & optantis: *Deus me adjuvet!* Dimidiam vero consessus partem Luthero per duas horas locuto applausisse idem fatetur Varillasius, idqve observasse Lutherum, tantoqve majori fiducia & libertate locutum esse, indignantibus ob id non parum, qvi Pontificiis partibus adhærebant, & Officiali Trevirensi succensentibus, qvod non prius eum interrupisset, dimissum sibi similis prosecuti sunt Hispani. Mererentur plurima ex dictis Lutheri adscribi, sed non nisi sequentia apponam, qvæ leguntur *Tomo II. Lat. Jen. fol. 437. b.* Alio patrocinio meis libellis adesse non possum, qvam ipse Dominus meus Jesus Christus adfuit suæ doctrinæ; qvi cum coram Hanna de sua doctrina fuisset interrogatus, & alapam a ministro accepisset, dixit: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo. Si Dominus ipse, qvi sciebat sese errare non posse, non detrectavit testimonium adversus suam doctrinam audire, etiam a vilissimo servo; qvanto magis ego fex, non nisi errare potens, debeo expetere & expectare, si qvis testimonium reddere velit adversus meam doctrinam. Itaqve rogo per misericordiam Dei, Serenissima Majestas vestra, Illustrissimæqve Dominationes vestræ, aut qvicunqve tandem, vel summus vel infimus, possit, reddat testimonium, convincat errores, superet Scripturis propheticis & evangelicis; paratissimus enim ero, si edoctus fuero, qvemcunqve errorem revocare, eroqve primus, qvi libellos meos in ignem projiciam. Ex his arbitror, liqvidum fieri, me satis curasse & ponderasse discrimina & pericula, seu studia & dissensiones, meæ doctrinæ occasione in orbe excitatas, de qvibus heri graviter & fortiter admonitus fui. Mihi plane omnium jucundissima facies ista in rebus est, videre ob verbum Dei studia & dissensiones fieri. Is enim est verbi Dei cursus, casus & eventus. Nam dicit: Non veni pacem mittere, sed gladium: veni enim separare hominem adversus patrem &c. Proinde cogitandum nobis est, qvod Deus noster sit mirabilis & terribilis in consiliis suis, ne forte id,

d, qvod tantis studiis tentatur, si a damnato verbo Dei exordiamur, vergat postea potius in intolerabile malorum diluvium, & qvod cavendum sit, ne Adolescentis hujus optimi Principis Caroli (in qvo post Deum multa spes est) infelix & inauspicatum fiat imperium. 1521.

§. tt.

Qvanqvam vero ei objiciebatur, eodem verbo divino condemnatos fuisse in Constantiensi concilio errores VVicleſi & Husſi, qvos renovaret, & qvod apud concilium, non apud eum, staret, verum sensum Scripturis dare; nihil tamen aliud ab eo impetrari potuit, neqve in comitiis, neqve in colloqviis, qvæ publice privatimqve cum Doctoribus eruditissimis, præsentibus multis Principibus, & maxime Archiepiscopo Trevirensi, habebantur. Hic enim magnam operam adhibebat ad eum reducendum. Post multos sermones sine fructu hinc inde habitos, pro conclusione omni allegavit dictum Gamalielis ad Proceres Hierosolymitanos, Apostolos in carcerem compingentes: Si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur: Si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere. *Actor. 5.*
Imperator statim atqve Lutherus secunda vice auditus fuisset in conspectu Principum, scriptum sua manu exaratum legi fecit, in qvo paratum se profitebatur, omnes suas vires pro defensione religionis Catholicæ impendere, qvam ab Imperatoribus & Regibus antecessoribus accepisset, & jam a misero Monacho subrui cerneret. Ideo cum adversus ingenium ejus pertinax

I. §. 11. §. 96. 1521. *nax nihil proficeretur, jussit eum d. 26. April. VVormatia excedere, dato iterum XXI. dierum spatio, ut se in locum tutum reciperet, addiditqve eundem fecialem, qvi eum adduxerat, easdemqve salvi conductus literas, qvibus fretus in comitiis comparuerat.*

§. XCVI.

Turbat hic omnia, & plurima præterit Maimburgius memoratu digna. Seqventi post secundam Lutheri admissionem die, id est, d. 19. Aprilis Cæsar ex schedula illa Burgundice (ait Cochlæus) id est, Gallice scripta, qvid sibi videretur, juvenili ardore & præter morem comitiorum recitari fecit, cum Principes sententiam rogare debuisset. Itaqve nihil festinatione illa effectum est, sed is dies cum seqventi deliberationibus consumtus. *Interea*, ut in actis, *Tomo I. Jen. fol. 439. a.* refertur, *visus & visitatus est*, ut ibi dicitur, *Lutherus a multis Principibus, Comitibus, Baronibus, Eqvitibus, Nobilibus, Sacrificis, Religiosis, Profanis; & vulgus curiam circumfidens videndo satiari non potuit. Schedulæ etiam binæ fuerunt affixæ, una contra Lutherum, altera, ut videbatur, pro illo.* Fœdus enim Nobilium qvadringentorum protegendi ejus causa initum significabatur, & Sickingii copiæ, qvas in promtu habebat, metuebantur, sed suppositiæ atqve in ejus invidiam compositæ credebantur minæ, & ab ipso Cæsare irridebantur, ut Pallavicinus notavit. Addit tamen hic, precibus Moguntini plus justo timidi (qvod ei etiam Lutherus objectare solebat) obtentum fuisse a Cæsare, ut triduum indulgeret, intra qvod non qvidem publico nomine, sed ab iis, qvi vellent, ex Principibus, cum Luthero ageretur, tentando, an ad revocationem impelli posset. Suscepit negotium Richardus a Greiffenclau, Archiepiscopus Trevirensis, adscitisqve Electore Brandenburgico, Episcopis Augustano & Brixiensi, Magistro ordinis Teutonici, Georgio Saxoniæ Duce, & ex Comitibus & Civitatum delegatis qvibusdam, Lutherum d. 24. April. ad se introductum *Add.* per Hieronymum Veum, Cancellarium Badensem, eruditionis & eloqventiæ nomine etiam Luthero laudatum, cohortari fecit, multis argumentis ex locis Rhetoricis, ab honestate, utilitate, periculo, salute publi-

publica & privata petitis, ut a proposito discederet. Lutherus actis gratiis, qvod se homuncionem tanti Principes commonefacerent; ad id, qvod inter objecta odiosissimum erat, nempe qvod concilia rejiceret, paucis respondit, se Constantiense solum improbare, qvod contra symbolum Apostolicum in damnanda Husi de Ecclesia doctrina impegisset: scandali vero, qvod metuebatur, culpam a se ita amoliebatur, ut diceret, inevitabile esse, ut doctrina Christi non pariat scandala: ex verbo Dei deniqve omnia sua examinari & decidi cupiit petiitqve. Id cum habita interim a Principibus consultatione digressus & revocatus repeteret, & apud Cæsarem intercedi pro se rogaret, ne contra conscientiam suam qvidqvam agere cogeretur, dimissus ex illo conventu fuit, cum ultimo interrogante Electore Brandenburgico, an in eo persisteret, ut, nisi Scriptura convictus nollet cedere, respondisset: *Etiam, Domine clementissime, vel rationibus clarissimis & evidentibus.* Sevocatum postea in Trevirensis triclinium Eccius officialis, & Cochlæus adorti sunt acri & sophistica, ut refert, disputatione, qvibus assistentibus sibi D. Schurffio & Amsdorffio, respondit. Finis erat, ut eum admonerent, ne amplius doceret aut scriberet. Prorogato iterum ad biduum salvo conductu, d. 25. April. Veus ille Badensis & D. Peutingerus Augustanus permovere conati sunt Lutherum, ut Cæsari & imperio judicium de scriptis suis permitteret; qvod non abnuit, si secundum Scripturam judicare vellent. Redeuntes dein post meridiem postularunt, ut saltem Concilio submitteret dogmata sua; in hoc qvoqve eadem conditione consensit, si ex Scriptura deciderentur. Sed illis, uti qvidem in Lutheri Actis refertur (dissentiente Cochlæo) Trevirensi renuntiantibus, Lutherum simpliciter Concilio decisionem detulisse, vocatus ad ipsum Trevirensem, conditionem adjectam a se fuisse ostendit, & post humanissimum colloqvium, qvod primum cum solo Electore, dein & præsentibus Consiliariis habitum fuit, qværenti Principi, qvale causæ huic remedium inveniri possit? respondit, ut Maimburgius & omnes narrant, allegato dicto *Actor. 5.* ita qvidem, ut diceret, intra triennium aut biennium sponte sua perituram esse propositum suum, si non esset ex Deo. De *Concilio Constantiensi* denuo moto sermone, perstitit in sententia, verbo Dei contraria decidisse, & se caput vitamqve prius amissurum, qvam verbum

L. §. 96.

1521. Dei deserturum. Post qvæ benigne & promissa securitate redeundi unde venerat, dimissus fuit. Eodemqve die denunciatum ei est ab Eccio Trevirensi & Secretario Cæsareo, ut (data ad 21. dies securitate) abiret, qvoniam post tot commonitiones ad cor & unitatem redire nollet, Cæsarqve officium, ut advocatus fidei Catholicæ, facturus esset; addiderunt prohibitionem, ne in itinere concionaretur, aut alio
„ modo populum concitaret. Respondit Lutherus: sicut Domino
„ placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Addiditqve:
„ se supplicem, primum omnium, Serenissimæ Cæsareæ Majestati, & re-
„ liqvis Imperii Ordinibus, gratias agere, qvam posset, maximas, pro
„ tam benigna & clementi audientia, proqve conductu libero & servato
„ & servando. Neqve se qvidqvam desideraſſe, nisi reformationem per
„ Scripturam sanctam, a se tantopere flagitatam. Alioqvi pro Cæsa-
„ rea Majestate & Imperio passurum omnia, vitam & mortem, famam
„ & infamiam, nihilqve sibi prorsus reservaturum, nisi unicum verbum
„ Domini liberum ad confitendum & testificandum illud. Postremo
„ Cæsareæ Majestati & toti Imperio se humillime, tum commendare, tum subjicere. *Tom. II. fol. 440. 441.* Postridie d. 26. April. salutatis, qvi eum freqventissime convenerant, patronis & amicis, sumto jentaculo abiit, comitatus ab iis, qvi eum adduxerant, & inseqvente mox Feciali, qvi illi Oppenheimii pernoctanti junctus est. Pallavicinus alleganti consilium Gamalielis Luthero insultans, etiam Mahommetismum & Calvinismum defendi posse putat, qvia ab hominibus non potuerint dissolvi, impingitqve impudentissime Luthero calumniam, ac si doceat, *scelera etiam ex Deo esse.* Sed Lutherus ad hominem argumentatus est, utqve violentiam, qvæ parabatur, declinaret; satis alioqvin certus, non ab eventu solo causæ suæ justitiam pendere, cujus fundamentum pro conscientia sua unice in verbo divino collocabat. Qvicqvid autem malevoli de gestis Wormatiæ a Luthero & cum eo, muginentur, illustre in omne ævum exemplum, cui par nullum memorari potest, Imperator, Principes Proceresqve, & Lutherus utrinqve ediderunt: Illi qvidem, qvod privatum & monachum, tum qvod maximum erat, damnatum jam solenniter a Pontifice, in consessum suum splendidissimum admissum, benigne & patienter audiverint, securitatem promissam, spretis multorum, qvi tollendum homuncionem dicerent, suggestionibus servaverint, amice & humaniter in col-

loqviis

loqviis particularibus tractaverint, etsi præter unum Saxoniæ Electorem nemo tunc patrocinium ejus neqve hic tam aperte profiteretur, ut causam ejus suam faceret. Errat enim Varillasius, cum Philippum, Hasiæ Landgravium, una cum Saxone, defensionem in his conciliis Luthero præstitisse refert. Nondum enim hic ad partes accesserat, qvod ipse Lutherus in relatione Islebiensi sæpe allegata fatetur, narrans: venisse qvidem ad se Philippum, & jocatum aliqvid esse de doctrina, sed abeuntem, porrecta manu hoc solum dixisse: *Si jure niteris, Deus tibi assistat.* Non multum differunt, qvibus celeberrimus Eqves Georgius Frundsbergius, de qvo alibi dicendi locus erit, Lutherum allocutus esse perhibetur. Hic enim euntis in consessum humerum manu feriens dixisse fertur: *O fratercule, tu gradum nunc facis, qvalem ego multique belli duces, in periculosissima acie vix fecimus: si tamen recte sentis, & tua causa certus es, pergas in nomine Domini, & confidas, non deseret te Deus.* Verba Germanica significantiora sunt, relata in breviarium vitæ Lutheri Tomis Altenb. annexum ex *Cyr. Spangenb. speculo nobilitatis fol. 54. a.* Münchlein/ Münchlein/ du gehest jetzt einen Gang/ dergleichen ich und mancher Oberster/ auch in unser aller ernstesten Schlacht-Ordnung nicht gethan haben. Bistu auff rechter Meinung/ und deiner Sache gewiß/ so fahre in Gottes Namen fort/ und sey nur getrost/ GOtt wird dich nicht verlassen. Illa qvalisenqve Principum & populorum propensio, ingens qvidem omnium studium, cognoscendæ tandem veritatis Evangelicæ & exercendi jugi Pontificii ostendit; sed imperfecta adhuc & incerta erant omnia. Qvapropter admiranda merito est, nec humanis viribus, sed ardentissimis precibus Lutheri (qvarum formula aliqva *Tomo I. Altenb. fol. 726.* exhibetur) tribui debet, qvæ in eo eminuit præsentia animi & invincibilis in veritate profitenda constantia, ad conspectum & minas tremendarum potestatum servata, nec non dexteritas in refutandis adversariis, qvam negare tandem post tot extenuationes non plane ausus Pallavicinus lateribus, id est, clamori & corporis robori Lutheri tribuit *Lib. II. cap. 1. n. 5.* Ipse vero vir admirandus, ut mos est optimo cuiqve, sibi non satisfecit, & hoc anno, qvanqvam desperatis pene rebus suis, exul & semicaptivus, tum corpore pessime valens, in literis ad Spalatinum d. 9. Septembr. datis conqveritur: *Ego timeo valde & vexor conscientia, qvod tuo & amicorum consilio tedens, Wormatiæ remisi* spiri-

1521.

1521. *spiritum meum, & idolis illis non exhibuerim Eliam quendam; Alia audirent, si denuo sisterer coram eis*, & ad Hartmuthum Cronbergium anno sequenti scribens *P. II. Ep. p. 103. b. Wormatiæ in amicorum nonnullorum gratiam, ne viderer reluctari pertinacius, spiritum meum pressi, nec tyrannis animosius & obstrmatius Evangelio confitendo restiti, quo nomine non semel post a perfidis & impiis male audire coactus sum. Ut gentiles impii (ut sunt) judicare solent, & ipsi judicant, qui nullius aut fidei, aut spiritus capaces unquam fuerint. Ejus tamen animi moderationis & habiti honoris sæpe numero me & tædvit & piguit.*

Add.

§. uu.

d. 26. Maji. apud Goldast. Const. Imper. t. 2. Cochl. act. Luth.

Sequenti mense in templo majori præsentibus omnibus Principibus publicari fecit Edictum suum Imperiale, quo Lutherus ab Imperio, ut schismaticus & hæreticus manifestus proscribitur, & interdicitur omnibus, ne illum recipiant aut protegant, neque libros ejus habeant, potestate omnibus facta, ipsum ejusque complices atque protectores invadendi, & eorum bona mobilia atque immobilia capiendi.

§. XCVII.

Prius quidem de itinere Lutheri cum Pallavicino dicendum fuisset, sed sequor Maimburgium. Edictum rigorosissimum fuisse nemo mirabitur, qui ex Pallavicino intelliget, ab Alexandro conscriptum fuisse. Quidquid igitur oratione illa sua jam exprobraverat Luthero, quicquid ex scriptis ejus odiosum erucre, & in pessimam partem interpretari potuit, omne denique affectuum & styli virus in illum effudit, adeo ut dicat, *illum unum non ut hominem, sed diabolum ipsum, sub hominis specie, ad perniciem generis humani assumtum monachi cucullâ, quam plurimorum hæreticorum damnatissimas hæreses jam diu sepultas, in unam sentinam congessisse, aliquas etiam de suo excogitasse: & sub simulata fidei prædicatione, & Evangelicæ veritatis professione, omnem Evangelicam pacem & charitatem, omnemque rerum ordinem, & pulcher-*

rigor summus, cautela in adscribendo die: alia qvædam. §. xx. causæ non — I. §. 97. §. xx. 1521.

cherrimam denique Ecclesiæ faciem invertere, labefactare & penitus pessundare moliri. Hos flores dignos habuit Jesuita, qvos operi suo innecteret. Seqvitur dein, ut moris est, ex illis præmissis atrocissimarum pœnarum interminatio, in Lutherum ejusqve patronos, fautores, doctrinæ sectatores, librorum lectores, evulgatores &c. Sed & alterius secreti revelationem Pallavicino debemus. Qvod dies edicti, licet 26. Maji (postqvam plurimi ex Electoribus & Principibus interqve hos Saxo jam discessissent) publicati, retractus ad diem ejus mensis octavam fuerit, Vide *Lib. I. cap. 28. n. 7.* Id factum est, ut omnibus suffragiis approbatum esse videretur, qvanqvam paucis probatum fuisse fama erat, ut Sleidanus notat. Ut adeo frustra Pallavicinus de universæ Nobilitatis Senatusqve Germaniæ consensu, contra Paulum Venetum glorietur, ab eventu mox secuto satis refutatus. Vulgatum fuit Edictum utraqve lingva, & extat varia forma, insertum etiam Lutheri Tomis Germanicis. Vide *Tom I. Altenburg. fol 736.* De effectu postea videbimus. Parum abfuit, qvin Aleandri consilium statim successerit, de qvo ex Spalatini relatione ad Linccium scripsit hoc anno, anteqvam Wormatiam iret Lutherus *Lib. II. epistolar. p. 8. a.* ausum nempe dicere: *Etiamsi vos Germani, qvi minimum omnium dependitis æris Romano Pontifici, jugum servitutis Romanæ excusseritis; tamen cumbimus, ut mutuis cædibus absumti vestro cruore pereatis.*

§. xx.

Sed multum abfuit, ut edictum hoc, qvem Imperator cupiebat, effectum haberet. Dux enim Saxoniæ, qvi publicandum id fore sciebat, ut & Imperatoris offensam evitaret, nec tamen Lutherum desereret, secreta jussa dederat, qvibus ex compacto obseqvens Lutherus fecialem suum Friburgi a se dimiserat. Inde ab hominibus personatis in sylva qvadam, simulata vi, curru extractus, in arcem Vestberg, monti impositam, in regione fere deserta prope Alstad, du-

 ctus,

1521. *Etus, ibiqve per menses plusqvam novem inclusus, splendide tamen habitus est, nemoqve rescivit, ubi esset. Fertur ipse Saxoniæ Dux id scire noluisse, ideoqve tantum mandasse, ut in locum aliqvem tutum abderetur, nempe ut apud Imperatorem jurare posset, se nescire, qvo Lutherus confugisset. Interea hæretici hujus sectatores ubiqve disseminabant, Papistarum insidiis necatum esse, qvod fere in seditionem VVormatiæ erupisset, in magnum vitæ periculum adducto Nuncio Aleandro, qvem Lutherani vehementer oderant. Majus vero impedimentum executioni Imperatorii edicti attulit, & negotium hoc bene cœptum meliori exitu destituit, qvod Imperator post comitia VVormatiensia cogeretur in Hispaniam ad sedandos tumultus redire, qvos mala gubernatio ministrorum suorum Belgarum ibi excitaverat. Tunc enim magni protectores Lutheri, Dux Saxoniæ, & Comes Palatinus Imperii Vicarii, summa autoritate fruebantur. Itaqve edictum Caroli Qvinti executioni non fuit mandatum, & Lutherani sub illorum præsidio potentiores & insolentiores, qvam unqvam facti sunt.*

Cochlæus.

§. XCIIX.

Dicendum tandem est de itinere Lutheri. Venit is d. 28. April. Dom. Cantate Friedburgum sive Friedbergam: Wetteraviæ id oppidum est Imperiale cum castro Liberæ nobilitatis, a Maimburgio Typographorum errores incante secuto *Friburgum* vocatur. Inde literas ad Imperatorem & Ordines Imperii scripsit, eodem utrasqve tenore:

tenore. Recensetqvæ secum acta erant, gratias agit pro impetrato & servato salvo conductu, qveritur tamen, qvod dogmata sua ex sacris literis non essent examinata, harum veritatem & præeminentiam omnibus modis extollit, & conscientiam suam illis devinctam esse testatur, petitqve iterum instantissime, ut sub fide Cæsaris a judicibus non suspectis, eruditis, liberis, tam profanis qvam Ecclesiasticis audiatur, qvibus libellos & dogmata libentissime esset submissurus: rogare se hæc dicit, non sui causa, qvi se nullius esse sciat pretii, sed totius Ecclesiæ nomine; nihil enim se qværere, qvam gloriam Dei & communem omnium salutem, neqve se considerare, sive ab adversariis condemnetur sive non: orare etiam pro illis, sed maxime pro Cæsare & Germaniæ, patriæ suæ, Ordinibus. *Lib. I. ep. 223. 224.* Has literas postmodum typis divulgatas, omni cum reverentia & submissione, nullaqve cujusqvam infectatione scriptas, feciali Wormatiam ad Spalatinum reportandas dedit postero die. Ibat enim Friedberga in Cattorum provinciam, eaqve nocte Grünbergæ hospitium habuit, qvod oppidum Philippi Landgravii erat, qvi literis commeatus, ut diximus, speciatim ei caverat, ut adeo earum fide tutus in Thuringiam proficisci posset. Dimissum fecialem fuisse suspicatur, Cochlæi ductu, Pallavicinus, ut qvæ secuta est occultatio Lutheri, rutius expediri potuerit: sed ex hujus actis scriptisve, in qvibus nihil dissimulat, tale nihil apparet. Cæterum historia itineris & captivitatis ex Lutheri literis ad amicos d. 11. Maji & seqventibus scriptis recte cognoscitur. Vide *Libri I. epist. 226. & 229.* Mire prædicat Abbatis Hersfeldensis, qvi Imperii Principibus accensebatur & Benedictini Ordinis erat, humanitatem sibi exhibitam, & ut ipso flagitante concionatus fuerit, neqvicqvam inhibitionem Wormatien em opponens. Captus autem est, cum Isennaco, non recta, qvam in Saxoniam euntes per Gotham Erfurtumqve habent via, sed ad invisendos propinqvos suos, in tractu Salzungensi, magno numero, ut refert, habitantes, deflecteret, prope arcem Eqvitum Hundiorum, Altenstein, & vicum Schvveina, ad radices sylvæ Thuringiacæ, Vierram amnem versus sitæ, in ditione Electorali. Retro inde ductus fuit per sylvas in arcem supra Isennacum in altissimo montium vertice constructam, vetustissimam Landgraviorum Thuringiæ sedem, & Sanctæ Elisabethæ habitatione abiqve

1.5.98. 1521. qve caſibus notam, qvæ vocatur *Wartburg* vel *Wartemburgum*, qvaſi dicas *Caſtellum ſpeculæ*. Mirus hic eſt noſter, de locis, ut apparet, ſibi incognitis tam confidenter qvam falſiſime ſcribens. Cum enim apud Pallavicinum *Waſtburgum*, vel, ut interpres Latinus ſcripſit, *Weſtbergam* inveniſſet, (voces nihili) Cochlæum etiam conſuluit; at hic ex ſermonibus tunc ſparſis mendacisſimum lubenter arripuerat, ut Lutherum in arcem *Alſtet*, abductum ſcriberet. Ea cum oppido cognomine plus bidui itinere Wartburgo diſtat, & Munzerum Parochum habuit, ruſticæ ſeditionis incentorem, cujus cum Luthero comparatio qvædam opportunisſima hic viſa eſt Cochlæo. Ex diverſis his erroribus unum conflavit Maimburgius, ſimul &, neſcio qvod, deſertum, in tractu, qvalis circa *Alſtedium* eſt, freqventisſime habitato, effinxit. Neqve montes & ſylvæ circum Iſennacum & Wartburgum deſertam faciunt regionem, qvæ & populoſa eſt, & ob viam regiam ex Thuringia in Cattos & ad Rhenum notisſima. Sed talos lapſus, (qvamvis ab audacia veniant, incomperta tradentis) condonari poſſunt homini peregrino, modo nocentioribus aliis careret. Modeſtior tamen idem eſt Pallavicino magiſtro. Hic enim non ſolum refert, qvod locum cuſtoditi Lutheri ideo neſcire voluerit Elector, ut jurare Cæſari, ſi opus eſſet, de ignorantia poſſet, qvod hactenus ſeqvitur Maimburgius, ſed & juraſſe dicit. Si conjecturis uti licet, ubi deſunt rei geſtæ clara teſtimonia, credere malim, non ſine Cæſaris ipſius conſcientia hunc ſervandi Lutheri modum adhibitum fuiſſe. Ipſe mihi Pallavicinus facem præfert *Lib. I. cap. 28. n. 5.* Caroli calliditatem revelans, qvi Pontificis amicitiam contra æmulum Galliæ Regem, condemnando Lutherum, ita ambiebat, ut tamen neglecta Edicti executione media ſibi ſervaret, ſuis commodis varie proſpiciendi, ſi Pontificis fides, qvæ lubrica habebatur, labaſceret. Certe qvæ poſtea acciderunt, dubitare vix ſinunt, cauſam Lutheranam & prætextibus & utilitati ſæpius ſerviſſe. Qvapropter præter abſentiam Imperatoris alias etiam cauſas non obſervati Edicti fuiſſe oportet; inter qvas Dei providentia pro ſumma & præcipua numerari debet. Nam Principes ad hoc usqve tempus præter conniventiam qvandam nihil præſtabant, ſola Sickingii circa Rhenum eaqve debilis factio tumultuoſius agebat, infelici, ut in tempore dicetur, exitu.

§. 99.

§. yy.

Lutherus ipse in solitudine sua, quam Pathmon Insulam *vocabat, indefesse laborans, multis novis libellis subinde editis, suos confirmabat, & veteres errores stabiliens etiam novos indies invenit. Eo ipso in loco tractatum* de confessione secreta *conscripsit, quam crudeliter a Papis inventam esse dicit, ad torquendas immaniter conscientias. Ibidem Doctori* Latomo *respondit, defenditque omnia, quæ Lovanienses Doctores inscriptis suis condemnaverant, præcipue hanc propositionem, quod Deus homini mandet, quæ præstare non sit possibile, & quod gratia ita operetur bonum a Deo præceptum, ut voluntas nihil contribuat, quam malum & peccatum, & semper in omnibus bonis operibus peccet. Ibidem præterea composuit tractatus* adversus Missas privatas, *aliosque, in quibus ultra ea, quæ in libro* de captivitate Babylonica *dixerat provectus; statuit Missam non posse esse sacrificium; nullum esse purgatorium, neque transsubstantiationem, sed corpus & sanguinem Jesu Christi in Sacramento sub substantia panis & vini esse; Laicis duas Sacramenti species esse porrigendas; nullam esse inter Clericos & Laicos differentiam; cuilibet in Ecclesia eandem consecrandi & administrandi Sacramenta, itemque docendi potestatem competere, quamvis ordinis & decoris causa Senio-*

Luth. tom. 2.

omne opus bonum est peccatum Luth. t. 2.

I. §. 97. §. 99. 1521.

nioribus demandetur, per qvos intelligit Presbyteros & Episcopos, duoqve hæc nomina non nisi unam, ait, rem significare; nihil esse qvod conscientiam nostram obliget, qvam qvod in Evangelio præscriptum & præceptum est, præcepta vero & consilia æqvali modo omnes Christianos obligare; nullum votum qvam qvod in Baptismo fit, obligatorium esse. Ex hoc capite in secessu illo suo tractatum contra vota monastica & cœlibatum Ecclesiasticum *composuit, illaqve & hunc directe libertati filiorum Dei adversari asserit. Ita ostium ad vitam dissolutam apertum fuit iis, qvi amissæ libertatis desiderio angebantur, & brevi tempore monasteria utriusqve sexus deserta, multiqve Monachi & Presbyteri in magna Germaniæ parte, uxoribus juncti, apparebant. Eodem vero tempore non parum commotus est, cum intelligeret, qvod* Sorbona, *cujus judicio se cum magno ejus elogio submiserat d. 15. April. plusqvam centum theses doctrinæ suæ, ex libris suis excerptas, tanqvam execrabiles, hæreticas, impias, schismaticas & blasphemas condemnasset.*

§. XCIX.

Multa hic sed imperfecte, crude, maligne, confuse dicuntur, qvæ si evolvere, ordinare, refutare, ut fieri posset, vellem, volumen conficerem, sed brevitatis causa pauca annotabo. Lutherus prudentiæ & potestati politicæ obtemperans potius, qvam suo consilio vel consensu in arcis solitudinem abditus, multa patiebatur; qveritur enim in epistolis, qvas dixi, de valetudine ex obstructionibus pene desperata, ita ut multoties medicinæ causa Erfordiam excurrere vellet:

let: improbat vir laboriosus & parsimoniæ monasticæ svetus, abundantiorem & delicatiorem victum (qvem post aliqvod demum tempus a Principe sibi suppeditari divinavit potius, qvam scivit) tentationibus non satis fortiter se dicebat resistere, ad orationem langvere, crapulosum atqve otiosum desidere: maxime vero de Ecclesiæ statu & Wittenberga sua angebatur. Ego, *scribit, Melanchthoni Lib. I. ep. 228.* „ hic sedens tota die, faciem Ecclesiæ ante me constituo, & illud video „ Psalm 88. nunqvid vane constituisti omnes filios hominum? Deus, „ qvam horrendum iræ Dei spectrum est, abominale illud Romani Antichristi regnum: ac meam duritiam detestor, qvi non totus in lachrymas resolvor, ut & ego fontibus lachrymarum flerem interfectos „ filios populi mei. Sed non est, qvi surgat & teneat Deum, aut oppo- „ nat se se murum pro domo Israel, in hoc die novissimo iræ ejus. O di- „ gnum regnum Papæ, fine & fece seculorum. Deus misereatur nostri. „ Et *epistola 231.* ad eundem: Pro verbi gloria, & aliorum & mea mu- „ tua confirmatione mallem inter carbones vivos ardere, qvam solus se- „ mivivus atqve utinam non mortuus, putere. Consolatur tamen se, „ ex Dei voluntate, additqve. Ego etiam, si peream, nihil peribit Evangelio, & Philippum sperat Helisæum fore, Eliæ succedentem. *item:* „ Si Papa omnes aggreditur, qvi mecum sentiunt, sine tumultu non erit „ Germania, & qvo citius id tentaverit, hoc citius & ipse & sui peribunt, „ & ego revertar. Deus suscitat spiritus multorum, atqve adeo & vulgi corda, ut mihi verisimile non sit, posse rem istam vi compesci, aut si „ compesci cœperit, decuplo major erit. Sæpius optat, ut dignus habeatur mortem pro veritate oppetere, honoremqve sui occidendi Georgio, Saxoniæ Duci, veluti defert; neqveenim alius majori zelo edicti Wormatiensis executionem curabat, qvanqvam & de Electoris Brandenburgici rigore qveritur. Interim a vi & tumultu ita abhorrebat, ut Erfurtensis plebis & Academicæ Juventutis petulantiam in Clerum omnibus modis improbaret, licet sui causa fieri audiret. Notanter sane in fragmento qvodam Epistolæ *(n. 230. Lib. I.)* scribit: Etsi bonum est impios coerceri, modus tamen iste Evangelio nostro parit „ & infamiam & justam repulsam. Vehementer me offendit gratia ista „ hominum in nos. Ex qva liqvido videmus, nondum esse nos dignos „ coram Deo verbi sui ministros, & Satanam in nostra studia ludere & „ ridere. Affligebat etiam aulæ timiditas, ex qva difficultas oriebatur

1521.

1521. in publicandis scriptis qvibusdam Lutheri & habendis disputationibus, ita ut Academiæ Professores, interqve eos Melanchthon animum fere desponderent. Itaqve hunc, & cum eo reliqvos, d. 13. Julii scribens cohortatur, *ne aulæ consilia sequantur, sed præveniant, sicut ipse fecerit; dimidium* (ait) *factum non esset, si ab illius* (Spalatini) *consilio pependissem, sunt etiam ibi homines, sicut & nos. Lib. I. epist. 234.* Sed postea die Martini sive 11. Novembris acerrime respondet Spalatino *(epist. 251.)* & scriptum qvod adversus Moguntinum, ut postea dicemus, paraverat, invito ipso & Principe publicaturum se esse constanter affirmat, perditionem utriqve comminatus; & mascule affirmans, pacem Dei paci mundi præferri debere, nec se moveri, qvod qvidam ex suis immodestius agant, non ideo ruiturum Evangelium; etiam inter Apostolos Judam fuisse; verbo, non gloriæ verbi adhærendum esse: *alienetur*, ait, *a nobis, qvi alienatur; cur non spectat nostra meliora & firmiora? cur spectat pejora & infirmiora?*

§. C.

Qvod vero ad libros ejus in hoc secessu elaboratos attinet, stupendus est labor viri, tot curis agitati & corpore male habentis. Non omnes enumerat Maimburgius, nec mihi necesse videtur catalogum omnium ex Tomis huc transcribere, aut contenta promiscue enarrare. Confirmavit in qvibusdam qvæ antea scripserat & contradicentes refutavit; qvædam vero post novas meditationes & disputationes proposuit, qvæ utinam sincero retulisset Maimburgius. Sed non alibi magis, qvam in librorum & dogmatum recensione ostendit, Jesuitam se & sectæ propugnatorem non Historicum esse. Duobus fundamentis omnia scripta Lutheri dogmatica innituntur: Affirmat *ut certa & credenda, qvæ ex sacra Scriptura probari possunt.* Negat *articulos fidei esse, qvæ ex Scriptura pro talibus non possunt demonstrari.* Itaqve frustra debacchantur in Lutherum adversarii, & in his Maimburgius, qvi ex aliis principiis eum adoriuntur, ut jam sub initium commentarii hujus monuimus. Confessionem igitur privatam, qvalem Romanæ Ecclesiæ Sacerdotes ex Bulla Pontificia, præcipue in septimana sancta exigebant, rejecit Lutherus, qvia, ut brevissime ad articulos Wormatiæ excerptos respondit, ex Scriptura probari neqvit *(Tomo II. Jen. fol. 441. b.)* retinendam autem censet debita cum moderatione. Tractat

hæc

hæc libello Germanico d. 1. Jun. 1521. Francisco a Sickingen dedicato, qvi extat *Tomo I. Altenb. f. 783. & seqq.* Vehementissime in abusus, qvi partim dominatu partim negligentia & pravis moribus Episcoporum irrepserant detonasse Lutherum, non potest negari; imprimis qvod nihil effecerint omnibus illis de confessione legibus & conscientiæ torturis, ad fidem populi augendam & vitam corrigendam, sed stulta saltem opinione homines imbuerint, ac si confessione privata, & qvæ eam sequuntur satisfactionibus a Clero impositis, omnia crimina expiarentur, qvæ interim millies & publice repetebantur. Docet e contrario confessionis & censuræ salutaris modum ex *Matth. XVIII. 15-20.* qvibusqve rationibus Christiani ad spontaneas confessiones moveri possint & debeant, nempe ex utilitate submissionis & mortificationis, & ex solatii ubertate, qvod absolutio Ecclesiastica ob promissionem Christi secum fert. Ex his constat, nihil agi adversus hoc dogma, si nil nisi decreta Pontificis pro eo allegentur, donec horum divina stabiliatur autoritas; ideoqve nec hæreticum esse, qvod Scripturæ dictis firmatur, donec horum stat (ut merito stare debet) adversus decreta & temporum præscriptiones majestas. De hoc tractatu (qvamvis ejus versionem promiserit Lutherus) qvia Latine non extat, ex Cochlæo edoctus fuit noster, sapienter tamen omisit, qvæ vitilitigator iste ex præfatione ad Sickingium extorsit, qvasi Lutherus vim minitatus fuerit Pontifici & Clero: neqve enim plus qvam hoc scribit, *vereri se, ne post strem omnia, qvæ verbo & scriptis, & in duobus comitiis examinanda proposuisset, se jam ex acie qvasi abducto, inveniatur aliqvis, qvi non verbis sed re doceat.* Id vero non multo post (ut alia taceam) magnam cleri partem in Germania per tumultum rusticum expertam esse constat, improbante & dolente Luthero, ut in loco dicemus. Qvi & hoc ipso anno ult. Febr. ad Spalatinum scribens (*Lib. I. ep. 214.*) mentem suam satis explicat. „Omnes, *ait*, divinant, fore Bohemicæ similem seditionem in nostros qvoqve clericos grassaturam. Ego sine „culpa sum; qvi hoc molitus fui, ut nobilitas Germaniæ non ferro sed „consiliis & edictis, qvod facile possunt, Romanistis illis modum po„neret: nam contra imbellem vulgum Cleri, idem est ac contra fœmi„nas & pueros bellare.“ *Add.* 1521.

§. CI.

De Lutheri scripto *adversus Jacobum Latomum*, Theologum Lovanien-

vanienſem, ob rixas cum Reuchlino & Eraſmo non incelebrem, (qvod extat *Tom. II. fol. 400. & ſeqq.*) ſub titulo *Rationis Latomianæ pro incendiariis Lovanienſis Scholæ ſophiſtis reddita, confutatio Lutherana*, jejune & maligne agit Maimburgius. *Primo* enim verum non eſt, qvod omnia defenderit in hoc tractatu Lutherus, qvæ Lovanienſes condemnaverant; ſed præteritis, ut expreſſe ait, qvæ de pœnitentia & indulgentia diſputata ſunt, ſolummodo paradoxum illud aſſeruit, qvo ſuperbam de viribus humanis ſeu merito congrui ſententiam exagitabat: *Omne bonum opus eſt peccatum.* Vide *fol. 407. 434.* *Deinde* Tomum ſecundum citat, foliorum plusqvam ſexcentorum librum, Maimburgius, in qvo iſtam propoſitionem, veluti piſciculum in mare projectum indagare jubet Lectorem, ut profecto dubitandum ſit, an vel Tomum, vel confutationem unqvam evolverit legeritqve. Sed *tertio* inſigniter perverſus eſt, qvod dogmata Lutheri, omiſſa eorum pia & ſancta explicatione, qvam paucisſimis verbis ex confutatione adderepotuiſſet, eo ſolum fine eaqve verſutia proponit, ut imperitis fucum faciat, & invidiam religioni concitet, qvaſi opera bona aſpernaretur. Propoſitionem enim illam: *Dei præcepta impleri impoſſibile eſt*, ita intelligit Lutherus, *niſi gratia accedat auxilium*; ſive: *impleri, non operantibus plene nobis, ſed ignoſcente copioſe gratia Dei f. 406.* Alteri: *omne bonum opus eſt peccatum*, addit ipſe breviſſimam veriſſimamqve explicationem, *niſi Dei ignoſcat miſericordia. fol. 420. b.* Jam ad judicium cujusvis non plane obtuſi aut ſumme malevoli provocare poſſumus, qvi confutationem legerit; an non Lutherus nullo qvidem tunc alio qvam ſacræ Scripturæ libro, ut refert, inſtructus, utramqve hanc theſin tam erudite & ſolide, imo divine explicaverit, omnibusqve adverſariis os adeo obſtruxerit, ut ſine manifeſta impietate aut cavillatione frigidisſima nihil reponi potuerit. Micat profecto hic Lutheri libellus inter alios eo tempore ſcriptos, ut inter ſtellas luna minores: & auſim dicere, ſi nihil aliud tota vita ſcripſiſſet, eſſet tamen vel ob hunc unicum maximis Eccleſiæ doctoribus comparandus. In hoc præcipua Prophetarum & Apoſtolorum dicta tam docte interpretatur, gloſſas vero Sophiſtarum exqviſitisſime annihilat, ut Spiritus ſancti genuinus ſenſus non poſſit non cordibus pie & attente legentium innoteſcere. Uſum vero (ad qvem ultimo reſpiciendum eſt ſacra

era tractantibus) repurgatæ a Scholasticis fermentis doctrinæ de gra- 1521.
tia & fide, inter alia a contrario demonstrat, ut hominem inducat, qvi
post bonum opus etiam auxiliante gratia a se perpetratum, Deum hoc
modo compellet: Ecce Domine Deus, hoc opus bonum per tuæ gra- „
tiæ auxilium feci, non est in eo vitium, aut peccatum ullum, nec indi- „
get misericordia tua ignoscente, qvam super eo nec peto; deinde vo- „
lo, ut judicio tuo verissimo & strictissimo ipsum judices. In hoc e „
nim gloriari coram te possum, qvod nec tu possis illud damnare, cum „
sis justus & verax, imo nisi te ipsum neges, non damnabis, certus sum; „
non jam opus misericordia, qvæ remittat debitum in isto opere, sicut „
oratio tua docet, evacuata hic est utiqve, sed tantum justitia, qvæ co- „
ronet. *fol. 415. a.* Huc, ait, redire fallum scholasticum, de perfectio- „
ne bonorum operum gloriantem. Cum vero non negat qvosdam ex
Patribus *peccati* voce in describenda hominis infirmitate abstinuisse,
indeqve motos Scholasticos, Aristotelis, non Scripturæ, vestigia se-
qventes, homini plus virium tribuisse, ex qvibus thesaurum illum di-
spensandæ aliis indulgentiæ Pontifices & Clerus accumularent; sibi ta-
men certius tutiusqve visum esse cum Scriptura loqvi, & alia potius
Patrum, inprimis Augustini, dicta præferre, qvæ cum stylo Apostolico
concordant. Audiamus pauca qvædam ex ipso *fol. 422.* Summa re- „
sponsionis Lutheranæ & confutationis Latomianæ est hæc, si pecca- „
tum in locis Apostoli Pauli citatis probari potest, non esse vere & pro- „
prie peccatum, ruit Lutherus; si non potest probari, ruit Latomus. At „
probari non potest nisi per qvædam Patrum dicta, sibi etiam pugnan- „
tium, insuper humana, etsi non pugnarent qvibus præferri debent di- „
vina, sine qvorum autoritate nihil est asserendum; qvare ruit Lato- „
mus & omnia sua, & stat Lutherus cum omnibus suis. Et postea *fol.* „
423. b. Ego vero tibi promitto & orbi, me non velle uti vocabulo ali- „
ter qvam Paulus, in qvod invoco nomen Domini, ut mihi resistat, si „
aliter usus fuero. Qvid vis amplius? At vocabulum ipsum volo tene- „
re, & tua Patrumqve vocabula nolo, qvod scias. Volo, inqvam, pec- „
catum dicere, qvod vos defectum vel imperfectionem dicitis, num- „
qvid me aliter coges? Nihil moveor vestro impetuosissimo tumultu, „
qvem non sine causa vos concitare video, nempe ne succumbatis, & „
inveniamini temere in tanta crimina irruisse, sed hoc antea fuerat „
prævidendum. Irridet postea contrarium statuentes, etiam hanc ob „
caus-

I. §. 101. & Scholasticorum sententiam deserat. Pœnitet eum

1521. causam, qvod similes sint Stoicis, qvi sapientem definiunt, qvalem nunqvam viderunt, & Qvintiliano, qvi Oratorem format, qvalis nec fuit, nec erit. Suo igitur illos argumento confutat, qvi dubitare unumqvemqve de sua præcipiunt justitia, adeoqve exemplum propositionis & regulæ, qvam Lutheranæ opponunt, nempe *omne opus bonum est sine peccato*, in hac vita dare non possint. Tandem utilitatem suæ sententiæ ita ostendit *f. 428. b.* Dices autem: videmini verbi controversia torqveri, qvando in summa convenitis, neutri asserentes, damnabile esse illud reliqvum Baptismi, sive peccatum sit sive pœna. Respondeo, de fine concordamus, esse scilicet innoxium, sed neqvaqvam de causa ipsa. Nam ipsi naturæ tribuunt, qvod gratiæ Dei est, qvod ferendum non est. Deinde securos faciunt homines, ne peccatum expurgent. Minuunt etiam mysterii Christi notitiam, per hoc & laudem & amorem Dei, dum non considerant effusissimæ gratiæ bonitatem super peccatores expansam, sed innocentem naturam faciunt, atqve si nihil aliud obstaret, sine Scripturis loqvuntur, tum Scripturæ sinceritatem sine causa perdunt, & intelligentiam rerum obscurant. Qvo fit, ut amissa simplicitate sua scandalum fiat, qvod nos ab ipsa longius ducat, sicut contigit, cum primo admisimus hominum glossas tanqvam pias & lucidiores, qvam sit Scriptura, tandem & hujus glossæ aliam glossam, ut jam non sit modus glossas glossarum augendi, & nos in confusionem verborum confusissimam trahendi, donec prorsus nihil Christianarum rerum amplius noscceremus, & jam gentiles insanias nostris pares & utiles arbitraremur. Miseranda est cœcitas eorum & culpanda pertinacia, qvi ne his qvidem intellectis sapere volunt, sed in malitia, hæresin Luthero, & tot regnorum & provinciarum incolis, ob verissimam & salubertimam doctrinam objiciendi, perseverant. Possent & alia notatu dignissima ex hoc scripto Lutheri afferri, inprimis qvæ adversus Theologiam scholasticam *fol. 434. b.* graviter monuit, qvibusqve rationibus, suo damno, ut ait, edoctus simplicitatem studii theologici, ad exemplum veteris Ecclesiæ, qvæ sine ulla Scholasticarum nugarum cognitione, puellas etiam, Theologiæ peritissimas & martyres produxit, commendavit. Qvestus erat sub initium libri *f. 404. b.* qvod Maximilianus Cæsar tempore controversiæ Reuchlinianæ, cum Judæorum libros omnes præter Biblia comburi mandasset, non idem adversus Scholasticos statuerit,

cosqve

I. §. 101. 102. 1521.

eosqve ad solam Scripturam adegerit, ablatis omnibus *crucis*, ut loqvitur, *bruchis, locustis, ranis, pediculis sophisticis*. Inscripsit hunc librum Justo Jonæ, Præposito Wittembergensi, in locum defuncti Lupini tum facto, eiqve de honoris accessione gratulatur, incepto, ut patet ex epistola d. 8. Junii & d. 20. finito opere. Nec prætereundum est, qvod ad præfationem Latomi, in qva Lutherum criminatur, qvod verbotenus saltem Papæ ab initio scripta sua submisisset, dolere se dicit, qvod tam serio submiserit, se enim ex animo non alia tunc de Papa Conciliis & Universitatibus sensisse, qvam qvod vulgo audiverit, „ & cogitationes suas ultra decennium frenasse, dicto Salomonis: ne „ innitaris prudentiæ tuæ, semperqve arbitratum esse latere in Academiis Theologos, qvi non silerent, si impia docerentur; creviſſe autem „ cognitionem suam & animum, cum adversarii inscitiam & ignorantiam suam immani copia revelassent, qvod nisi feciſſent, se in finem „ usqve stultum & dementatum mansurum fuisse. Gratias inde agit „ Domino Jesu Christo, qvi pro tentatione hac se centuplo temporalis il- „ lius scientiæ (scholasticam intelligit) honoraverit, ut jam persvasissi- „ mus sit, de iis, qvæ adversus Papam & Academias sentiat. Vide *f. 401. b.* „ Hæc mire confirmant, qvæ supra non uno loco indicavi, de profectu Lutheri, ejusqve primitiis in puriori doctrina ante tot annos perceptis, & mente tamdiu volutatis; tum qvæ de adversantium importunitate eorumqve in erroribus pertinacia dicta sunt.

§. CII.

Pergit Maimburgius ad alia Lutheri dogmata, de qvibus in eremo ut vocat, suo, hoc anno scripsit. Et vera qvidem sunt, qvæ refert de sententia Lutheri, circa Missam & Sacramentum Cœnæ; sed præterqvam qvod rationes ejus reticet, manifeste errat, qvod ultra ea provectum esse scribat, qvæ in libro *de captivitate Babylonica* docuit, qvasi hoc demum anno negare cœpisset, qvod Missa non sit sacrificium. Nam hoc ipsum jam disertis verbis, eodemqve rationum fundamento docuit in eo, qvi allegatur libro *de captivitate Babylonica* plusqvam integrum ante annum nempe 1520. edito *fol. 282. & seqq.* Imo in dedicatione tractatus *de abroganda missa privata* ad fratres Augustinianos conventus Wittenbergensis Cal. Novembr. hoc anno 1521. repetere se

1521. fatetur, qvæ jam scripserit, qvia adversus Episcopos priora damnantes id necesse sit. Hoc ideo notari peto, ut fœda calumnia, qvam qvidem Maimburgius, nescio an ignoratione, an, qvod mallem & laudarem, consulto præteriit, vel ex hac una temporis observatione respuatur. Eam enim impudentes & maleferiati inter Germanos Jesuitæ & Monachi jamdudum evomuerunt, nec alios hodie, post plurimos refutationes piguit eandem putidissimam crambem semper recoqvere. Imo nuper emunctioris naris etiam inter Gallos viri, *Antonius* puta *Arnaldus* tot scriptis celebris, nec senio mitigatus, & *Abbas* qvidam *Cordemoyus*, deniqve, qvi Maimburgio in historiographia hac successisse videtur, *Antonius Varillasius* invenisse se putant, qvibus Lutheranam doctrinam pro Diabolica diffament, & maxime in provinciis ab Imperio avulsis tanto atrocius persequendam sistant, aliisqve exemplo præeant. *Addit.*

§. CIII.

Pergit etiam ex dogmatibus Lutheri hoc referre Maimburgius, qvod nulla sit inter Clericos & Laicos, neqve inter Episcopos & Presbyteros differentia; & qvod cuilibet in Ecclesia eadem consecrandi & administrandi Sacramenta, itemqve docendi potestas competat. Hæc invidiosius qvam verius proponuntur. Lutherus jam sæpius ad fastum Cleri intolerabilem, qvo ad id usqve tempus populum Christianum tractaverat, retundendum, in discrimen illud Cleri & Laicorum accuratius inqvirens, Scripturæ locis clarissimis *1. Pet. II. 9.* & *Apocal. V. 10. & XX.* convictum se esse existimavit, post sublatum veteris Testamenti sacerdotium, & Christo unico novi fœderis sacerdote constituto, Christianos veros sive fideles omnes, *sacerdotum spiritualium* nomine censendos esse, neqve aliis Sacerdotibus proprie sic dictis magis opus habere, qvam sacrificio vel cruento, vel ceremoniali & repræsentativo, nisi qvod se ipsos hostias Deo spirituales qvotidie sisterent, & sacrificii loco preces & gratiarum actiones in spiritu & veritate, & qvicqvid ex cultu & obsequio nostro Deo placere per Christum potest, offerrent. Ursit vero adversus contraria docentes, qvod ne unicus qvidem locus ex novo Testamento ostendi possit, in qvo ministri Ecclesiæ *Sacerdotes* vocentur. Itaqve iis nomen illud, eo qvo utebantur sensu, qvantum in se erat, abstulit, non nescius, horribile id visum iri, sed veritate irrefragibili convictum se esse asseveravit. Frustra vero dicit,

dicit, ad Ecclesiæ leges provocari, Ecclesiam enim illam qvæ creditur 1521.
in Symbolo Apostolico, non esse eam, qvæ tales leges faciat sine verbo
Dei: neqve enim verbum Dei esse, qvod Ecclesia dicit, sed ex verbo Dei
fieri Ecclesiam. Adducit Pauli locum 1. Cor. XIV. 24. 25. qvo proba-
tur, ex Prophetia, id est, ex verbi divini prædicatione dignosci, in qvi-
bus sit Deus, vel ubi sit Ecclesia. Itaqve jure suo & ex natura voca-
tionis omnes omnino Christianos Deo hostias spirituales, uti dictum
est, præter qvas aliæ non exigantur, offerre, eosdemqve verbum etiam
Dei docere, atqve adeo prophetare posse, ex eodem D. Pauli capite v.
26. & seqq. concludit; hos omnes esse Christos Dei, qvos tangi nolit.
Psal. CIV. 15. nec mulieres a Prophetia aut docendi facultate repelli
posse, etsi decoris causa publico munere abstinere debeant; sic prophe-
tasse Oldam, Mariam Deiparam, septem Philippi filias. Gravem in-
de antithesin facit inter Sacerdotes, ab Hierarchia papali institutos,
& veros Christi Sacerdotes sive fideles: & vitia Cleri & Episcoporum,
ut tunc erant, qvos *eqvestre & heroicum genus vocat*, satis aperte taxat,
veros autem Episcopos sive Presbyteros unos eosdemqve facit atqve
describit ex notissimis Apostolorum dictis *Tit. II. 7. 8. 9. 1. Pet. V. 2.*
Interim non negat ad docendum verbum Dei (cum præsertim in po-
pulo studia & dona docendi magis magisqve, nec sine Cleri culpa ces-
saverint) & ad administranda sacramenta certos viros constitui debe-
re; neqve nisi summa necessitate, & modo decenti atqve analogo, sin-
gulos fideles præstare aliis fraterna charitate posse, qvæ a ministerio
Ecclesiastico ordinarie præstari debent. Vide *tract. de abroganda missa*
af. 468. ad 477. Si qvæ igitur liberius in hoc articulo scripsit dixit-
ve, ea, ut monui, ad deprimendas Cleri, qvas jure divino sibi deberi
putabat, qvibusqve abutebatur, nimias prærogativas, revinciendi
qvodammodo causa, qvæ in alteram partem detorta erant, scripsit,
praxi vero & ipsius Lutheri & Ecclesiarum, qvæ ejus doctrinam secutæ
sunt, ita explicata & observata fuere, ut scandalo careant. Sed & de
his ulterius agendi occasio alibi dabitur.

§. CIV.

Qvæ vero idem *de consiliis & præceptis* Evangelicis disputavit,
eodem collimant. Neqve enim populum a decenti ritu & disciplina
abducit, sed ostendit, Clerum ideo solvisse sanctissima Christi verba,
qvibus legis divinæ veram intentionem adversus Synagogæ super-

Digitized by Google

I. §. 104. 1521. disputandi de cœlibatu: Nuptiæ præpositi Kemberg: & Pastoris Hersfeld. Disceptat Lutherus

structiones & depravationes explicavit, ut sibi vitæ genus arrogarent, qvod plus præstare videretur, qvam Christus exegisset: scilicet ut haberent, qvo populum præcellerent, & merita superflua aliis applicare tum lucro & honore suo possent. Ultima qvæ his refert noster, ad *voti* pertinent *monastica*, de qvorum validitate & præcipue de conjugiis monachorum, non sine magna lucta diu ambegit Lutherus, licet de reliqvorum Ecclesiasticorum nuptiis non tam voto qvam ecclesiastica solum lege prohibitorum, minus dubitaret. Primus in Saxonia, qvod sciam, conjugem ducere ausus est, hoc anno 1521. *Bartholomæus Bernhardi*, Veldtkirchensis Bavarus, Curiæ in Rhætis Sacerdos factus; sed Kembergæ (*Camenacum* nominat Lutherus) qvod est cis Albim oppidum, ditionis Electoralis, haud procul Wittenberga, Præpositus sive Parochus. Ejus *Apologia ad officiales Diœcesanos Magdeburgensis Archiepiscopatus* extat *Tomo II. Jen. f. 462. & seqq.* admodum docta, sed a Melanchthone scripta, qvod & stylus arguit, & MS. qvoddam Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis indicat. Habetur & *libellus* ejus *supplex ad Fridericum Electorem f. 464. b.* Tutatur autem se argumentis notissimis, a libertate, jure divino humanoqve permissa, a praxi veteris Ecclesiæ, a necessitate, qvæ conscientiam urget ad vitandas impuritates, cui nec oppositione legis Pontificiæ, nec votis de servanda castitate satisfacere potuerit, paratum tamen se scribit, ut portet iram Domini, si secundum traditionem Pontificiam potius, qvam divinas literas, & veteres Synodos adversum se decerneretur. Latitabat tunc Lutherus, sed factum non improbavit. Ad Philippum enim scribens Amsdorffio nuntiari jubet, qvod *Pastor Hersfelda* (Abbatis, de qvo diximus, oppidum erat) *vir optimus, uxorem duxerit, nesoli Wittenbergenses*, ut ait, *habeant propositum illum Neogamon:* metuit tamen *ne hic expellatur & duplo ventre egeat*, addens: *Dominus vivit, Pastor omnium, per qvem nec ales esurit.* Sciendum itaqve non tam a Luthero qvam aliis Wittenbergensibus Doctoribus, Philippo (qvi sacris non initiatus uxorem jam anno 1520. duxerat) & maxime Carolostadio, pro libertate Clericorum circa matrimonia voce & scriptis actum esse. Contendebat Lutherus, qvoad Sacerdotes, urgens Pauli dictum, inter Diaboli doctrinas prohibitionem matrimonii referentis; sed hæsit circa *Monachos*, qvi a Deo non instituti, neqve sola lege Pontificia

tificia prohibiti, ſed ſpontaneis votis obſtricti illum ſtatum elegerint, & Deo obtulerint. Nec Caroloſtadii argumenta ſufficere credidit ad Monachos a voto liberandos, qvanqvam *miſereri ſe* ſcribat *pollutionibus & uredinibus vexatorum.* Vide *ep. 238. Lib. I.* Seqventi epiſtola nondum ſe poteſt expedire, ſed *vexari* qveritur *nube qvadam pompæ & opinionis humanæ.* Inde ad Spalatinum die Sixti (6. Auguſt.) ſcribens, *noſtri Wittenbergenſes*, ait, *etiam monachis dabunt uxores: at mihi non obtrudent uxorem. Utinam Caroloſtadii qvoqve ſcripta plus lucis haberent, cum & ingenii & eruditionis magna vis in eis ſit. epiſt. 240.* Repetit idem fere in *ep. 241.* metuens, ne ille fabulam excitet, aptioribus argumentis ex Scripturis non utens, periculoſum etiam arbitratur, tantam turbam cœlibum ad nuptias, infidis & incertis Scripturæ locis provocare, ut perpetua conſcientiarum cruce, pejore qvam nunc divexentur. Verum Philippo contra votorum monaſticorum obligationem argumentanti, hac ſuccurrit ratiocinatione, qvod eatenus improbanda & reſcindenda ſint, *ſi animo ſalutis & juſtitiæ qværendæ facta fuerint, ut a vulgo voventium fieri ſoleat*; qvanqvam de ſe id non affirmet, qvi incertus ſit, qvo animo voverit, cum raptus potius qvam captus fuerit, & contra parentis voluntatem, ut ſupra notavimus. Miſit etiam *theſes* eas, puta qvas Epiſcopis & presbyteris Eccleſiæ Wittenbergenſis de voto religionum diſputantibus, hoc anno 1521. inſcripſit, qvæ habentur inter cæteras diſputationes. *Tomo I. fol. 425. ſeqq.* ſubjunxit alias, qvas pro diſputandis & inqvirendis, non pro certis & tenendis habet: his tamen annus 1522. præſcriptus eſt, qvia forte eo demum editæ ſunt; Philippi autem judicio detulit, an edendæ ſint. Jocatur deinde, & Philippum, cui Lutherus uxorem dederat, *id agere* dicit, *ut ſibi qvoqve det, ſed pulchre*, ait, *cavebo ne id poſſis Lib. I. ep. 242.* Idem fere ad Amsdorffium ſeqventi die ſcripſit *ep. 244.* Extat fragmentum epiſtolæ ad Philippum *n. 245.* ſine die, ſed circa idem tempus, ſine dubio datæ, in qva jam manus dat: Fidendum eſt, *ait*, Evangelio, & vota iſta qvocunqve caſu, qvocunqve animo, qvocunqve tempore emiſſa, cum tota fiducia deſerenda ſunt, & ad libertatem fidei Chriſtianæ revertendum. Hæc mea eſt firma & indubitata ſententia, de qva benedico & gratias ago benigniſſimo liberatori, Domino noſtro Jeſu Chriſto, qvi eſt benedictus in ſecula. Amen. Adde, ſis, qvæ ad Gerbelium Jureconſultum, ſcribit *in odium miſerrimi vel uredine perpetua*

1521.

I. §. 105. 1521. §. 105. liber Luth. de vot. Monasticis ad parentem. docet non niti verbo Dei,

vel immundis fluxibus damnabilis cœlibatus, & in laudem conjugii, qvod paradisum vocat, etsi summa inopia laborans. ep. 250. nec multo aliter ad Spalatinum die Martini *ep. 251.* Hæc profecto neqve lascivientem neqve præcipitem animum arguunt, qvem Luthero hostiles calumniæ tribuunt,

§. CV.

Proposuit autem sententiæ suæ argumenta in tractatu *de votis monasticis*, qvem Patri suo Joh. Luthero d. 21. Novembr. 1521. inscripsit. *Tomo II. f. 504. & seqq.* Narrat in epistola dedicatoria, ut jam supra tetigi, qvomodo Pater monasterium ingressuro restiterit, dicens, „caveret ne, qvem allegabat, terror & agon, illusio esset, & præstigium, „dein ut replicanti sibi, & filiali fiducia Patri duritiem dissensus oppro„branti, iste opposuerit, Audistine etiam tu, parentibus esse obedien„dum? ait tamen: etsi in tota vita non audiverit verbum potentius, se„curum nihilominus in justitia sua, Patrem velut hominem fortiter „contemsisse. Scribit porro neqve Patrem neqve se tum intellexisse „vim divini mandati, & sic doctrinam hominum & hypocritarum su„perstitionem prælatam fuisse. Addit *fol. 504. b.* Verum Deus, cujus „misericordiæ non est numerus, & sapientiæ ejus non est finis, ex omni„bus his erroribus & peccatis qvanta bona, ecce, promovit! Nonne cen„tum filios nunc malles amisisse, qvam hoc bonum non vidisse? Videtur „mihi Satanas a pueritia mea aliqvid in me prævidisse eorum, qvæ nunc „patitur, ideo ad perdendum impediendumqve me insanivit incredibi„libus machinis, ut sæpius fuerim admiratus, egone solus essem inter „mortales, qvem peteret? Profitetur, vixisse se qvidem ut monachum „non sine peccato, sed sine crimine, nisi illo, qvod fuerit inobediens: at „se ejus filium nihil ominus esse, & vota omnia nullius esse momenti. Hoc in tractatu multis & gravissimis rationibus deducit, statuitqve (1.) vota monastica non niti verbo Dei, sed illi adversari, invento scilicet a Clero discrimine inter præcepta & consilia evangelica, cum nulla sint præcepta (proprie nempe sic dicta) evangelica, sed tantum promissiones, & in his qvædam declarationes mandatorum Dei & exhortationes ad eadem servanda Matth. 5. 6. 7. consilium autem unicum esse de continentia, si qvis dono peculiari Dei instructus eam servare libere & sine voto velit. Damnat igitur votorum vincula, ita tamen, ut sanctos piosqve monachos excuset, & prædicet nominatim Bernhar-

hardum sanctum & beatum, qvia ex scriptis ejus constet, & de aliis 1521.
etiam sperari possit, qvod vota monastica ex fide, non meriti opinione servaverint. (2) Ostendit vota adversari fidei, pluribus explicans dictum Pauli Rom. XIV. 23. *omne qvod non est ex fide, peccatum est*, fidem qve ibi non pro fide conscientiæ (qvanqvam etiam eam interpretationem suo modo admittat) sed justificante intelligendam esse contendit. Sententiam vero suam hac occasione egregie stabilit, qvod sola fide justificemur, & qvod opera ante fidem peccata sint, post fidem vero fructus ex remissione peccatorum & bona conscientia provenientes. Concludit inde, illos qvi ea vovent opinione, ut per vitam monasticam boni & salvi fiant, peccata deleant, & operibus bonis diteſcant, impios & judæis similes esse, a fide apostatare, eamqve blasphemare & abnegare. Si vero sint, qvi meliori mente voverint, comparari posse pueris in fornace ardenti per miraculum servatis. Severe postea ex *1. Tim. IV. 3.* contra doctrinam Dæmoniorum prohibentium nubere, argumentatur, & ad objectionem, qva diu detentum se esse dicit, qvod scilicet non prohibeantur, sed voto abdicentur nuptiæ, respondet, qvia illa vota non nisi per abusum & neglectum fidei justificantis & spe meriti singularis & præcipui fiant, ideoqve impia sint, nullo modo per hæc excusari doctrinam aut leges de cœlibatu posse. Iterum tamen sanctos, qvi bene in monasteriis vixerint, excusatos habet, neqve ideo magis vitam in monasteriis, qvod qvidam in illis sancte moriantur, voveri debere; qvam ignes, cruces, bestias, in qvibus sancti sancte mortui sunt. Votum vero pium & licitum admittit, qvod fit, reservata, si conscientia urgeat, solvendi facultate, & secundum fundamentum fidei, ex formula, qvam proponit *fol. 517.* (3) rejicit vota monastica, qvia sunt contra libertatem Christianam sive Evangelicam, definit autem hanc *fol. 528.* qvod sit libertas conscientiæ, qva solvitur conscientia ab operibus, non ut ulla faciat, sed ut in nullis confidat, hærens nempe in solis operibus Christi absolutisime, sicut columba in foraminibus petræ, bona vero opera sua apprehendens, & dictans, ea facienda gratis, ad commodum solum proximi & ad exercendum corpus, neqvaqvam ad justitiam, pacem, & satisfactionem, & remissionem peccatorum parandam, qvia hanc non nisi in operibus Christi qværit. Taxat hic obiter scholam Parisiensem, qvæ statuit, dogmata Aristotelis moralia non dissentire a Christi dogmatibus, cum tamen

I. §. 105. 1521. Christianæ, operum meritum fovere: veræ virginitatis laus. votum liberum

tamen ille aliud non doceat, qvam per opera acqviri virtutes v. g. faciendo temperantiam efficimur temperati. Id vero Christiana conscientia, *ait*, execratur & dicit, credendo in Christum temperatum, efficiar & ego temperatus. Intelligi inde posse monstrat, cur toties dixerit, nec vota nec opera necessaria esse ad justitiam & salutem. Sola enim opera Christi in baptismo in nos effusa, necessaria ad salutem esse, sed bona opera facienda esse secundum substantiam, sed non secundum conscientiam sive opinionem, velut defendentia & justificantia, hoc enim esset conscientiam corrumpere, & a Christo sponso suo abstrahere; sed si libera sint & gratis fiant, jam non opera esse legis, sed Christi in nobis per fidem operantis & viventis per omnia, ideo non posse magis omitti qvam ipsam fidem, nec minus necessaria esse qvam fidem. Vide *fol. 519.* Monet postea, qvantum obstent doctrinæ huic vota monastica, spe & intentione meriti singularis facta, & ad Hieronymi nimias virginitatis laudes respondet. Virginitatem fatetur qvidem esse rem maximam, si nulla lege, nulla necessitate, nulla spe præmii, sed gratuita & voluntaria mente servetur, & si virgo sic cogitet: Qvanqvam possim nubere, tamen placet virginem manere, non qvia præcepta, non qvia consulta, non qvia pretiosa & magna præ cæteris virtutibus, sed qvia mihi sic visum est vivere, sicuti alteri visum est nubere, vel agricolari. Nolo enim molestias conjugii, volo liberà esse a curis & Deo vacare. Ecce, hoc est simplicitate Christiana virginem esse, qvæ non in se ipsa, sed in Christo glorietur. Unusqvisqve enim in dono suo debet gratis Deo servire, omnes autem communi fidei virginitate, in uno Christo gloriari, ubi non est masculus neqve fœmina, ita nec virgo nec conjunx, nec vidua nec cœlebs, sed omnes unum in Christo *fol. 520.* Porro *fol. 521.* ita statuit: Votum castitatis & totius vitæ monasticæ, si pium est, debet necessario secum involvere libertatem rursus omittendi, & in hanc ferme sententiam interpretari: Voveo tibi obedientiam, castitatem, paupertatem servandam, cum tota regula S. Augustini usqve ad mortem, libere, hoc est, ut mutare possim, qvando visum fuerit. Si aliter interpreteris aut intellexeris, cernis ex prædictis peccari adversus libertatem divinam nobis mandatam, nec posse fieri, ut Deus aliter acceptet, nisi révocet libertatem, id est, nisi neget se ipsum. Qvid ad me, si S. Patres vel nulli ita voverint aut senserint? Qvid si omnes erraverint, aut miracu-

raculose intus ducti fuerint? Aperta est & irrefragabilis Evangelii sententia, damnari doctrinas hominum, & liberas eas, nosqve illarum Dominos esse, qvare non possumus earum fieri servi ulla autoritate Angelorum, ne dum nostra stulta superstitione & humilitate, ut Paulus ait. Animadvertit fore ut subsannetur & irrideatur tale, qvod ipse svadet aut admittit votum, sed se scire scribit, qvod sermo Dei sit veritas, verbum hominis mendacium; humanum inventum esse votum, nec aliter utile futurum nisi liberum maneat. Videmus enim (ait) primitivæ Ecclesiæ institutum fuisse, & morem plane saluberrimum, ut juventutem seniores sibi ad tempus commendatam, instituerent in fide & disciplina, qvod & Apostolorum Petri & Pauli epistolæ indicant, ubi juniores volunt subdi senioribus. Hinc primum natæ scholæ Christianæ, in qvibus & puellæ qvoqve erudiebantur, ut sanctæ Hagnes (Agnetis) habet historia. Ex his tandem collegia & monasteria pullulaverunt, propter eos, qvi perpetuo & libere in scholis istis manere volebant. Ubi autem cœperunt ii, qvi juventutem instituendam susceperunt segnes fieri, & sua curare, aucti opibus & ocio, & juventus rebellior facta, tum voti laqveos invenerunt, qvibus conscientias alligatas tenerent sub disciplina, ut qvisqve se ipsum metu peccati cohiberet, & ocium fieret curatoribus. Sicut & nunc mos est furiosus Academiarum, juventutem irretire juramentis & conscientias eorum excarnificare, ne sit necesse illis vigilare & sollicitos esse, sed ut in utramqve aurem secure dormiant. Sic ex liberis & Christianis scholis servilia & judaica monasteria, veræqve Synagogæ impietatis factæ sunt. Si igitur votum hodiernum ad priscum illum morem revocaretur, & ita servaretur, nihil ibi periculi esset, & absqve dubio apud Deum aliter non agnoscitur, qvam ad illum morem servandum temporaliter, tantum ut institutionem Christianam infirmiores & rudiores animi imbibant, & postea rursum liberi dimittantur (4) vota adversari tradit præceptis Dei: impediri enim monachos a legitima observatione decalogi in prima tabula. Cum enim primum præceptum fidem, secundum laudem, tertium opera Dei proponat, nihil horum recte a monachis tractari aut præstari (5) idem ostendit ratione secundæ tabulæ, ut peccet contra charitatem & obedientiam parentibus & superioribus debitam, inducta alio obedientiæ, alioqve victus genere, qvod Deus nec exigat nec probet (6) adversari etiam

1521. rationi. Hoc præcipue deducit ab impossibilitate servandi vota, & qvod his semper insit conditio, si servari poterit, ex qvo fundamento etiam in hierarchia Pontificia dispensationes oriri notat. Injustum itaqve & absurdum esse, cum alia vota facillime solvant Pontifices, cur in solo virginitatis voto tam duri esse velint: De paupertate autem imaginaria & illusoria monachorum multa habet *fol. 532. & seqq.* & Satanæ commentum esse judicat, qvo religiosi liberi facti sunt a juvanda paupertate aliorum, & ab impendendis operibus charitatis, urqve nulli qvam sibi serviant, imo ociosi & manuum operibus tantum ab aliis sibi sinant serviri *f. 534.* Obedientiæ deniqve monasticæ vitia describit, illiqve præfert, qvæ parentibus, magistratibus, maritis & heris præstatur. De castitatis periculis in vita monastica scribens *f. 536.* deplorat non tantum scortationes, stupra & adulteria, sed qvas vocat monasticas, moniales, & monachales, id est, solitarias libidines, in qvas per Satanæ insidias labantur, qvi alienis opibus saginati, saturitate & abundantia securi agant: solari se interim unumqvemqve & de altero præsumere castitatem, qvam ipse se non servare sentiat. Laudat castitatem, qvæ libere servetur, & qvamdiu servari sine conscientiæ vulnere qveat, dummodo ea colatur intentione, qvam supra explicavit. Vide *fol. 537.* Qvi secus docent, eos seductores esse, qvos Christus caveri jusserit. *Matth. XXIV, 5.* Id de nullis hæreticis intelligi posse ait, qvam de illis, qvi vias & modos vivendi ad justitiam & salutem docent, qvi jactant Eremitas, & vocant ad desertum & penetralia, id est, ad claustra & monasteria *f. 539.* Baptismi votum extollit, in qvo Dei se nobis offerentis est promissio, nostra vero acceptatio. Sic bona omnia a Deo dari, a nobis accipi, neqve alia a nobis præstari, qvam ad qvæ peragenda nobis Deus gratiam suam donat, inter qvæ non possit referri virginitas, qvia nec sit in nostra potestate, nec a Deo voventibus promissa, itaqve minime vovenda, nisi qvando & qvamdiu appareat Dei dono nobis eam dari. Annum vero probationis ad hanc explorationem non putat sufficere, sed tentari temporis præfinitione Deum. Hæc fere est summa eorum qvæ de ista hac materia hoc anno scripsit: recuso tamen tractatui qvædam addidit *f. 540. b.* ubi iterum urget votum castitatis (qvia sit *lex mere corporalis & de re corporalissima*) hunc sensum, Christo interprete, habere debere, *ut servetur qvantum fieri possit absqve periculo corporis & animæ.* Occurrit cavil-

cavillationi, si qvis dicat, ergo etiam licet in casu necessitatis occidere, furari & omnia præcepta solvere. Ait enim, non necesse est peccare, sunt mulieres, sunt viri, duc uxorem, nube. Respondet denique ad locum Pauli *1. Tim. V. 11.* de viduis lascivientibus, & ex eo minime seqvi ostendit, qvod ex Augustino de prohibita voti retractatione affertur, cum nec eo tempore vovendi ritus in Ecclesia fuerit, nec tale qvid, sed contrarium potius ab Apostolo intendatur. Notabilis in fine est admonitio, qva libellum, qvemadmodum cœperat, concludit, nempe ut conscientiis infirmorum potius consulat, qvam obstinationem adversariorum impugnaret. Scribit itaqve *fol. 543. b.* Per Christum oro omnes, qvi meo voluerint hoc consilio uti, & deserta monastice, libertati sese reddere, ut ante omnia suam conscientiam probent, ne forte hoc tentent novitate rei allecti, aut solo hominum contemtu vel odio. Nam ii in morte, suscitata & vexata per Satanam conscientia, de apostasia, de soluto voto &c. non subsistent, sed ad sacrilegam pœnitentiam spectabunt, fientqve novissima pejora prioribus. Duo subjungit Apostolorum dicta, nempe Petri *1. Pet. II. 16. qvasi liberi, & non qvasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei.* & Pauli *Gal. V. 13. In libertatem vocati estis tantum ne libertatem detis in occasionem carni.* Hæc itaqve fuit doctrina Lutheri sincere relata, qva ostium apertum esse scribit Maimburgius ad vitam dissolutam iis, qvi amissæ libertatis desiderio angebantur, qvaqve effectum sit, ut brevi tempore monasteria in magna Germaniæ parte deserta fuerint, monachiqve & presbyteri multi uxoribus juncti apparuerint. Negari factum neqvit, de jure qværitur. Ejus fundamenta ita proposuit Lutherus, ut ad hunc usqve diem conscientiæ Christianorum consultum per ea fuerit, immani illa & infanda, qvæ ex cœlibatu coacto oriebatur, impuritate in provinciis Protestantium sublata. Si qvi tunc fuerunt, qvod nolim abnuere, & ipse animadvertit & qvestus est Lutherus, qvi non bona mente, lecto ejus libello, monasteria deseruerunt, & dissolutæ vitæ turpitudine sese contaminarunt, siqve etiam hodie sunt, qvales proh dolor! inveniuntur, qvi permisso matrimonio non contenti, libertate abutuntur in velamen malitiæ, nihilominus stant Lutheri argumenta, nec illi imputari possunt, qvæ per abusum malorum hominum seqvuntur. ita nempe comparatæ sunt res humanæ, ut etiam, Christo teste, *necesse sit, ut veniant*

1521.

1521. *niant scandala*, neqve fas est, aliis qvam legitimis modis iis resistere, aut graviora malo remedia adhibere, qvod cœlibatus lege factum esse apparuit. Interim qvicqvid oppositum jam tanto tempore fuit doctrinæ huic Lutheri, qvantumcunqve a Romanæ Ecclesiæ Doctoribus improbatæ & exagitatæ, nullum tamen pondus habuit, nisi ubi vis coactiva per exilia, carceres & supplicia, vel spes honorum & lucri, accesserit. Stat potius divinarum literarum aliisqve validissimis argumentis probatum, ob conjugia Clericis monachisqve permissa, damnari neqve Lutherum, neqve doctrinam ejus secutos, jure posse. Ipse certe Lutherus de tractatu illo suo aliqvo post tempore non immerito ita judicat, *esse omnium, qvos scripserit munitissimum, imo qvod gloriari audeat invictum*: Ita scripsit ad *Johannem Brismannum* de qvo alibi dicetur, anno 1523. eumqve rogat *ut Minorita Wurtzburgensi* (qvalis ipse Brismannus fuerat) *Casparo Schazgeyer*, qvi Lutheri libellum de votis refutaverat, *responderet, cum sibi nec vacaret nec operæ pretium videretur*, Vide *Lib. II. p. 113. b.* Erasmus libertatem votorum, sive jus ex monasteriis discedendi & conjugia clericorum, laudat aut non improbat, pluribus locis ita ut in longa illa, qva suæ juventutis „casus sub nomine *Florentii* descripsit epistola *Lib. XXIV. 5.* notanter „dicat; si vere piorum & spiritualium sententia plus valeret, qvam crassorum judicia, nullum posthac esse votum insolubile, præter vota baptismi, præsertim ut nunc habet mortalium vel malitia vel imbecillitas. Qvia tamen invidia Lutheranissimi ut qveritur in literis, ad *Jodocum sive Justum Jonam* hoc anno 1521. datis *Lib. XVII. epist. 18.* ob hanc qvoqve sententiam gravabatur, oppositionem fecit suæ & Lutheri sententiæ. Moneo, *ait*; juvenes non esse pelliciendos ad vincula religionis, priusqvam sibi ipsi noti sunt & norint qvid sit religio. Lutherus, ut ajunt, in totum damnat omnia vota. Sed falsus est Erasmus, illud, ut ajunt, aliter pronuntiaturus si tractatum Lutheri *de votis monasticis* legere voluisset. Post decennium anno 1531. purgans se apud *Georgium Sax. Ducem*, in literis ad ejus consiliarium *D. Simonem Pistoris*, hæc habet de conjugio sacerdotum: *Lib. XVIII. ep. 4.* Ego „nec Sacerdotibus permitto conjugium, nec monachis relaxo vota, ni „id fiat ex autoritate Pontificum, & ad ædificationem Ecclesiæ, non ad „destructionem. Eo perpellere pueros ac puellas inhumanum arbi„tror, & pium, eximere fraude captos, imprimis optandum esset sacerdotes

dotes castitatem & cœlestem vitam amplecti. Nunc rebus adeo contaminatis fortasse levius malum esset eligendum. Hæc opinio si non placet Ecclesiæ præfectis, pro somnio ducatur. Ita attemperare dicta sua ad genium eorum qvibus scribebat, noverat Erasmus. Interim qvod a Pontificibus frustra petierunt Reges & cordatissimus qvisqve, qvod tamen ipsi Pontificii juris assertores agnoscunt positivum & arbitrarium esse, in qvo etiam cum lubet, dispensationibus utuntur: bona conscientia suoqve jure in Germania & alibi statuerunt proceres Reip. & Ecclesiæ, & assensit populus. Attamen collegia hominum in casto cœlibatu libere viventium cum utilitate Ecclesiæ & ad excolenda bonarum literarum studia; tum etiam virginum monasteria, eodem libertatis jure (uti qvidem aliqvibus locis etiam inter nostrates factum est) instituta, non repugnant Protestantium religioni, nec abhorrent a Lutheri consiliis, ut ex hoc ipso tractatu patet. De Parisiensi censura paulo post dicemus, ubi de refutatione ejus agitur a Maimburgio. Nunc de aliis Lutheri libris hoc anno 1521. editis, qvos noster ille omisit, dicendum est. 1521,

§. CVI.

Memorari meretur ante omnes, qvem adversus *Ambrosium Catharinum Senensem*, Dominicanum, tunc juvenem, postea ad Episcopales dignitates evectum, & ex concilii Tridentini Actis celeberrimum composuit. Pervenerat ad eum Catharini liber ante iter Wormatiense, opera Linccii, Augustiniani Norimbergensis, ut constat ex Lutheri ad hunc *epistola 218. Libri I.* d. 7. Mart. data. Scribit enim: *Deus bone, qvanta farrago insulsissimi istius Thomistæ Catharini! Respondebo ei paucis, ad summum qvatuor qvaternionibus.* Sed crevit refutatio ad qvatuordecim, non tamen nisi sub finem anni publicata. Vide *ep. 250.* Extat Latina *Tom. II. f. 376. b.* Germanica vero, interprete *Paulo Spemto*, insigni Lutheri adjutore, & postea in Borussia Episcopo Evangelico Pomezanensi, *Tom. I. Alt. f. 653.* Dedicavit librum suum Lutherus Linccio d. 1. April. Catharinum inter alia vocat *Sylvestrini Registri consummatorem. Prodiit enim*, ait, *primum Sylvester, & sicut forex mutivit, ac mox periit. Secutus est Cajetanus ille. Sacratum implet numerum Catharinus, Thomistarum (Dominicani ordinis) jam tertius. Hi Thomistica factionis in Italia proceres sunt, ex qvibus alios*

1521. *alios licebit æstimare.* Thomam ipsum hæreticæ docuisse confidenter asserit, forte imprudentem, qvapropter sanctum fuisse non vult negare. Omisit autem in tractatu suo Lutherus qvæstiones *de indulgentiis & de libero arbitrio*, aliasqve a Lovanienſibus & Colonienſibus damnatas; & Catharino contradictiones & variationes objicienti ultro largitur, se nunc in multis aliter sentire. Unum jam probandum sumit, *Papam esse Antichristum.* Aggreditur autem primo, locum illum solennem *Matth. XVI. Tu es Petrus*, multis argumentationibus ostendens, nihil hoc dicto pro Romana Hierarchia effici, neqve eam Ecclesiam esse Romanam, multo minus Papam, adversus qvam portæ inferorum, id est, peccata non prævaleant. Petram in qva fundatur Ecclesia, esse invisibilem & spiritualem, sola fide perceptibilem, de qva non demonstretur, sed credatur, esse Ecclesiam Catholicam. Deinde Catharini sententiam per syllogismos qvosdam proponit, interqve eos hunc. *Omnia qva facit Ecclesia, Spiritus Sanctus facit: Omnia qva Papa cum suis facit, facit Ecclesia: Ergo omnia qva Papa cum suis facit, facit Spiritus Sanctus.* Majoris probationem non exigit, præsupponens, Ecclesiam, de qva loqvitur, esse cœtum vere fidelium, qvi a Spiritu sancto regitur. At minorem a Catharino vult probari, idqve nec factum esse, nec unqvam fieri posse contendit. Irridet consequentias. *Petrus est Apostolus*, Ergo *Papa etiam est Apostolus. Petrus fuit sanctus*, ergo *Papa etiam est sanctus.* Dicta Patrum sine Scripturis nil se dicit morari. Locum Scripturæ clarum in tanta re non producere, „ impudentissimum esse dicit: Interim & vocabulum *Ecclesia* & *Petra* „ scenica qvadam & portentosa cavillatione torqveri, ut inde pro *Petra* „ substituant hominem, eundemqve impium; pro *Ecclesia*, homines im- „ pios, & in has cloacas Spiritum Sanctum incarcerent, qvi inerrabiles „ faciat; cum tamen sub petra deberet intelligi res sanctissima. Et ut „ effugium occludat distingventibus inter personam & officium Pontificum, negat ullum locum Scripturæ dari posse, in qvo idem vocabulum simul significet hominem in totum impium, & simul pium & sanctum, sicut de vocabulo *Petra* fingere necesse habeant, qvi per id Pontificem intelligunt. Opponentibus vero vulgatum illud, qvod & nunc qvotidie aures Protestantium circumstrepit, qvo signo Ecclesia cognoscatur, si visibilem illam petram auferamus? respondit, signa necessaria, & qvæ habemus, esse baptismum, panem eucharisticum, & omnium potis-

si-

tissimum Evangelium. Tria hæc esse Christianorum symbola, tesseras, characteres. Evangelium autem non modo scriptum sed vocale exigit, non qvidqvid de suggestu declametur, sed qvod germanam & genuinã Christi fidem doceat. Ecclesiæ deinde Romanæ statum cum eo comparat, qvem Danielis prophetia c. *VIII.* præfiguravit, & nihil omittit, qvo omnia, qvæ tunc Pontifici ejusqve curiæ & hierarchiæ objecta sunt, & adhuc objiciuntur, ex Prophetæ dictis stabiliat. Inprimis omnem illam Ecclesiasticarum legum & rituum molem, Moysi non Christo convenire docet. Non enim in vestibus, cibis, personis, domibus, gestibus & similibus, externam speciem præ se ferentibus, nec in tota morum doctrina, sed in fide Christi sanctitatem Ecclesiæ spectari, qvi nos non ideo solum sangvine suo mercatus fuerit, ut doceret bene vivere, sed ut ipse vivat & regnet in nobis sitqve Dominus noster operans in nobis omnia opera nostra, idqve per solam in eum fidem fieri. Excusat tamen, qvos in Romana Ecclesia sanctos habent, monasticæ præsertim vitæ institutores; putatqve qvæ illi libertate Spiritus & fidei fecerint aut ordinaverint, in necessarias postea leges, fallacia insensibili, degenerasse: fidem itaqve eorum non exempla & facta nuda imitanda esse. Qvæ adversus luxum, avaritiam, rapinas, dominatum, superbiam, libidinem, aliosqve malos Cleri, Romanæqve inprimis aulæ, mores liberrime qvidem & intrepide objicit, qvæqve dogmata reprehendit, qvoniam nota sunt & sæpe recurrunt, repetere hic nihil attinet. Missam qveritur in sacrificium conversam, auctum Sacramentorum numerum ad Cleri utilitatem, reliqviarum cultum illegitimum, fraternitatum inventa, universitatum doctrinas corruptas, & vitam licentiosam, tum maxime Aristotelis nimiam autoritatem, ab Alexandro de Hales & Thoma Aqvinate omnium, ut scribit, Aristotelicissimo, Theologiæ invectam; Theologastrorum multiplices sectas, Moralistarum infelicissimos scrupulos, eumqve in modum ista & alia depingit & deplorat, ut miraculo simillimum sit, potuisse hominem post editum librum istum viginti qvinqve adhuc annos vitam producere, nec odii irreconciliabilis victimam fieri, tam debili præsidio ab humana protectione nixum. Ex plurimis sequentia saltem, qvæ non tam increpantis qvam commonentis & meliora svadentis verba sunt, adscribam (nam acerbiora sciens & bona mente prætereo) *f. 384. b.* O væ tibi Papa! væ vobis Cardinalibus! væ vobis Episcopis, væ vobis Sacerdo- 1521.

1521. cerdotibus, væ vobis monachis, & toti ordini Ecclesiastico? Qvis vo-
„ bis monstrabit fugere a ventura & instante ira? Qvid respondebitis
„ pro officio verbi, qvod subiistis, & non implestis? Nunqvid ille tripli-
„ ces coronas, pileos, infulas, annulos, aurum, purpuram & omnes jam
„ dictas facies acceptabit? Stat sententia fixa, nón respicit in faciem ho-
„ minum. Qvocirca consilium Christi audiat, qvi potest, ubi docet
„ Matth. XXIV. Fugiendum esse in montes, & non revertendum in
„ domum. Relinqvat publicum qvi potest, in solitudinem vadat, qvi
„ liber est. Noli, noli, o homo, qvisqvis es, ambire Episcopatum, Ca-
„ nonicatum, Monachatum, aut ullum ordinem Clericatus, peccatum
„ & perditio est in omnibus, ut facies prædictæ monstrant. Aut si o-
„ mnino vis aut urgeris initiari sacris, age, contemne has facies Anti-
„ christi hujus, & cura, ut Evangelio pure inservias, vel per te ipsum do-
„ cendo, si gratiam habes, vel iis, qvi possunt docere, assistendo, coope-
„ rando & serviendo, qvales Apostolus se habuisse multos testatur; tum
„ orationibus puris pro fructu Evangelii instes coram Deo. Crede mi-
„ hi, nisi hoc feceris, Clericatum non nisi in damnationem tuam portas,
„ etiamsi miracula feceris, & te ipsum igni tradideris. Proprium & u-
„ num officium est Clericatus, docere verbum, qvo evacuato, non Cle-
„ ricus sed facies Clerici sola reliqva est. Surdis qvidem ista plerisqve
ex primoribus Cleri cecinit Lutherus, & persistentibus in institutis
suis molestissima; talia tamen, qvæ facilius vi & autoritate damnari,
qvam veritate divina refutari potuerunt. Agnoscit autem ipse *fol.*
„ *388.* Infelices omnes fuisse, qvi Papæ semet opposuerint, sive, ut Ita-
„ li scribunt, rebellaverint, sed & martyres, ait, fuisse infelices & ipsum
„ Christum. Indignatur, qvod legentes omnes *Decretales* & historias
„ nihil inveniant, qvod Papæ conqverantur, nisi qvod Principes vel of-
„ fenderint vel non defenderint sedem Apostolicam. Nunqvam vero,
„ qvod fidem & Evangelium contemserint, aut in Deum peccaverint, ut
„ adeo unum solumqve crimen sit Pontificiæ majestatis læsio. De iis
vero, qvæ adversus Germanos gesserunt Pontifices, graviter lamenta-
„ tur. Ait enim, piget me pudetqve imo miseret, qvanta ludibria ex
„ Imperatoribus, Principibus universaqve natione Germaniæ fecerint,
„ qvanta libidine & fiducia in illis luserint, non secus eos ducentes & ja-
„ ctantes, atqve irrationabilia bruta, qvibus tantum ad cædes, ad rapi-
„ nas, ad dolos & fraudes abuterentur. Non multum profecto ista di-

scre-

screpant ab his, qvæ Maimburgius in *historia de declinatione Imperii* tradidit; & ex gestis Henricorum, Fridericorum, & Ludovici Bavari notiora sunt, qvam ut referri debeant. Pergit Lutherus & miratur Pontifices tantum sibi imperium imbellibus & ignavis artibus peperisse, socordia potissimum Principum, & qvod fastigio illi Papali non offecerit, universale odium, cum nemo fere sit, qvi ei non invideat & male cupiat. Ea vero omnia ad iratum Christianis Deum refert. Si enim populi, qvi Christi nomen profitentur a peccato & lege liberati, Christi revera essent eumqve voluntarie audirent & seqverentur, non legis timore, sed gratuita libertate & benevolentia ducti, idqve ut fieret, curassent Pontifices & Episcopi, non dubitat in meliori statu futuram fuisse Ecclesiam, & pro Hierarchia nos habituros fuisse charitatis ministerium. Merentur attente legi qvæ habet *fol. 392. & seqq.* in qvibus genuinam & veram pietatem Christianorum semoto fuco, qvi ab externa specie sumitur, egregie exponit. In epilogo vero ad Linccium non vane ominatus *f. 400.* Hoc meo libro habent qvod agant homines loqvaces & scribaces, nisi fallor, qvamvis sperem eo usqve rem mihi perductam, ut superati mea perseverantia, solis clamoribus, furiis, fraudibus, viribus deinceps in me sint grassaturi, ut in Hæreticum, qvalem omnia secula non viderint: obturabunt autem aures suas, sicut aspis illa, qvæ vocem incantantis non audit. Nec hoc agent, ut Scripturis contra me pugnent, sed abolendum duntaxat de terra clamabunt. Verum ego scio, & certus sum, Jesum Christum Dominum nostrum vivere & regnare, qva scientia & fiducia inflatus, non timebo etiam multa millia Paparum. Major est enim, qvi in nobis, qvam qvi in mundo est.

§. CVII.

Ad hunc annum etiam referenda sunt, qvæ Lutherus *Hieronymo Emsero* respondit, & *Thomæ Murnero* Lipsiensibus, qvi aliqvibus libellis eum aggressi erant. Sed qvia Maimburgius Emserum ejusqve scripta in historia anni seqventis magnifice commendat, satius est, ut ibi de Lutheri scriptis Emsero oppositis simul agatur. Prætereunda non est summa Lutheri de causa sua fiducia, qva factum, ut ad Albertum Cardinalem Moguntinum & Magdeburgensem literas illas scriberet, qvæ extant *Tom. I. Altenb. fol. 925.* die 25. Novembr. 1521. ex latebris

L. §. 107. 1521. Literæ ad Albertum Moguntin. ejus responsum, ex consilio Capitonis; literæ ad hunc Lutheri.

rebris suis datas. Novas enim indulgentiarum mundinationes Albertus Halis Saxonicis, incluta urbe, qvæ sedes erat Archiepiscoporum Magdeburgensium, instituerat, & Parochum qvendam ad uxorem, qvam duxerat, dimittendam & abjurandam carceris pœna coegerat. „ Minatus autem est in literis illis Alberti Lutherus, ni ab ista indulgen„ tiarum prædicatione & Pastorum conjugatorum persecutione cesse„ tur, se, licet pro perdito & veluti mortuo habeatur, ita Albertum scri„ ptis esse aggressurum, ut omnis corruptæ religionis & morum impudi„ cissimorum culpa & ignominia in eo sit hæsura. Audet etiam ab eo „ postulare, ut intra dies qvatuordecim respondeat, an petita Lutheri admittere velit. Albertus *Fabritii Capitonis* consilio & stylo, lenissi„ me Luthero respondit d. 21. Decembr. scribit enim: se literas ejus be„ nevole & in optimam partem accepisse, sperare etiam causas, pro„ pter qvas Lutherus scripserit, jam cessasse, agnoscit se peccatorem es„ se, imo inutile & fœtidum stercus, nec recusare Christianam & frater„ nam Lutheri admonitionem, eiqve propter Christum optime velle. „ Promittit deniqve se officio pii & Ecclesiastici Principis functurum es„ se. Sed gaudium qvod ex literis talibus Lutherus percipere potuis*Addit.* set, Capitonis epistola fuit sublatum, qva Luthero significabat, ea lenitate usum esse, se consulente, Archiepiscopum, ut Lutherus ab insectatione ejus aliorumqve Prælatorum posthac abstineret. Addebat, alium promovendi Evangelii modum ab Archiepiscopo intendi, tutiorem & commodiorem. Verum Lutherus sub initium anni seqventis d. 17. Jan. Capitoni omnem de temperamento illo spem prolixa Epistola ademit, qvæ extat *Lib. II. epistolarum p. 36. & seqq.* Germa„ nice autem versa in *Tomo I. Altenb. fol. 937.* legitur. „ Dilingvit inter „ correptionem spiritus, sive falsorum dogmatum refutationes, qvam „ sine omni personarum respectu fieri debere contendit, nulliqve fasti„ gio parci, & inter mansvetudinem, qva acerrime licet correptos susci„ pere, tolerare, & juvare conveniat. Fides per verbum Dei, ait, nihil „ prorsus sustinet, sed arguit, devorat, evellit, destruit, dissipat, & male„ dictus qvi facit opus Domini fraudulenter; At charitas omnia suffert, „ omnia sperat. Opposuerat aliqvid Capito de conjugii abusibus, a sa„ cerdotibus uxoratis metuendis, sed hoc nihil contra doctrinæ purita„ tem facere ostendit. Hoc a vobis (ait) non exigimus, ut conjugia

præ-

præstetis omnibus molestiis libera, sed tantum ne doctrinam & exem- 1521.
pla ejusmodi damnetis. Nihil de sacerdotum conjugiis promitti-
mus, nisi qvod autoritate Dei liceat sacerdotes esse conjuges. Con-
cludit denique, se Capitoni amicissimum obsequentissimumqve futu-
rum, dum is verbo pietatis amicus fuerit, egregium vero contemto-
rem, si cum Cardinali suo pergat ludere in re sacra. Charitas nostra
(scribit) pro vobis mori parata est, fides vero si tangitur, pupilla ocu-
li nostri tangitur. Fidem nostram nunqvam non timete. Interim
a scribendo contra Cardinalem qvieturum se aliqvandiu pollicetur, &
epistolæ ejus ideo non responsurum, qvod neqve laudare neqve vitu-
perare sive sinceritatem sive hypocrisin ejus consultum nunc duceret.
Vide qvæ eodem tempore ad Philippum scribens, de arte & fuco Capi-
tonis qveritur *Lib. II. epist. p. 41.* Tantum animum in homine omni
fere præsidio (nam infidum & debile erat, qvod ab aula Saxonica præ-
stabatur) destituto, nullumqve commodum aut honorem spectante,
aut sperante, sed solius conscientiæ fiduciæ innitente, nisi divinitus
concessus fuisset, inveniri impossibile est. Qvid potuisset vehemen-
tius aut imperiosius scribere tantæ dignitatis & potentiæ Præsuli, si le-
gatione Pontificia instructus, & Cæsareis omniumqve Regum exerci-
tibus comitatus ad reformationem instituendam missus fuisset? Sed
de hoc ulterius agendi mox dabitur occasio, cum de certamine Lu-
theri cum Angliæ Rege sermo erit. Cæterum anteqvam epistolam
illam ad Albertum scripsisset, *adversus Idolum* (ita indulgentiarum
præconium nominat) *Hallense*, reprehensionem publicam Germanice
elaboraverat, ut ad Gerbelium scribit *Lib. I. ep. 250. Germanis meis na-
tus sum, qvibus & serviam.* Sed editio libri prohibita fuit ab aula:
graviter qvidem succensente, & cum Spalatino expostulante Luthero
Lib. I. ep. 251. & 253. qvanqvam postea, ut ex epistolis supra adductis
apparet, ipse in dilationem edictionis consenserit. Notabilis etiam
est epistola Philippi Melanchthonis ad Capitonem, ab *Abrahamo Scul-
teto* ex avtographo relata (in tomis enim epistolarum non extat) in
Annal. Evang. Decad. I. p. 96. qva svadet, ne Lutherus, qvem spiritu Dei
agere judicat, contemnatur, & ad edenda acerbissima contra Alber-
tum scripta proriretur, qvod sua opera hactenus impediverit. Re-
fertur etiam Capitonis ad Melanchthonem responsum, qvo innuit,
Albertum clam cum Luthero facere, illiqve vires & autoritatem confir-

1521. *mare.* Qvod si verum est, nihil nisi ingens illud Archiepiscopale & Electorale fastigium, sicut & aliis Ecclesiæ proceribus, & pingvia sacerdotia tunc obstitisse apparet, qvo minus Evangelicam veritatem cum periculo ea amittendi amplecterentur.

§. CIIX.

De aliis etiam Lutheri gestis in custodia illa sua dicendum est, unde de spiritu, & qvo jure eum tam atrocibus convitiis inceſſant adversarii, judicari possit. Invitus, aut, qvemadmodum alibi loqvitur, nolens volens secessum illum admiserat, cautelis aulicis cedens. Nam ut sæpius tetigi, nondum ita obfirmatus erat Electori Saxoni animus, ut periclitari de tota fortuna sua Lutheri causa voluerit. Apparet id inter alia ex qvadam historia Actorum Wormatiensium, qvæ per alluſionem ad passionem Christi composita *Libro II. epistolarum p. 33.* reperitur. Ægre itaqve obtemperaverat Lutherus, malebatqve in publicum prodire, & furoribus adversariorum occurrere, objecto jugulo, ut ad Philippum scribit Dom. Exaudi *Lib. I. ep. 226. 230.* Incertus an Wittenbergam esset rediturus & ire paratus qvo Dominus volet. *d. l. ep. 234.* Præsupponit tamen vocationem, qvalis tunc ab *Erfurtensibus* ei videbatur expectanda esse, *ep. 234.* Nulla itaqve invidia sed magno gaudio afficiebatur, cum intelligeret, florere doctrinam & studia Wittenbergæ, etiam se absente: *Ego sic gaudeo de vestra abundantia*, scribit *ep. 235. ut mitissime fenum absentiam meam.* Et *ep. 243. Gaudeo Wittenbergam crescere hoc maxime nomine, qvod me absente crescit, ut videat impius & fremat & desiderium ejus pereat, Christus autem perficiat, qvæ incepit.* Philippi interim timiditatem & in cruce ferenda impatientiam non semel sed amice increpavit, animoqve forti eum esse jussit, sed & curam ejus gessit, & per Spalatinum ursit Principem, ne eum penuriam in re familiari habere patiatur. Vide *ep. 236.* Tenero vero amore Wittembergenses in universum prosequebatur, ideo ad consolandos eos, & in pietatis studio excitandos, prolixam conscripsit epistolam. *Lib. II. epistolar. p. 15. sqq.* cui explicationem
» Psalmi XXXVI. (Hebr. XXXVII.) addidit. Dolet, qvod nondum di-
» gnus fuerit plus qvam odium, invidentiam, ignominias, contumelias,
» & probrosa convitia a Papistis pati: Qvanqvam, nisi Deus obstitisset
» eorum conatui, jamdudum dentibus eorum contritum se fuisse agnoscit:

scit: Deo tamen attribuit constantiam suam, qvod jam ter coram in-
fensissimis adversariis fidei rationem redditurus comparuerit, *Augu-*
stæ, *Lipsiæ*, & hoc anno *Wormatiæ*, ubi tantum se submisisse refert, ut
etiam fidem publicam sibi datam salutis suæ postponere paratus fuerit
(si scilicet ad defendendam doctrinam fuisset admissus) Addit postea
p. 16. b. Qvo vero ibi non sunt affecti dedecore. Sperabam profe-
cto, ut Episcopi & Doctores accuratiori habita indagine singula dili-
gentius ex me perqvirerent, nihil non penticulantes & perscrutantes
rimatius, qvorum tamen alia non audiebatur vox & postulatio, qvam
qvod prædicatæ a me doctrinæ palinodiam canerem. Qvorum vesa-
no consilio, si omnes Germaniæ Principes & ordinum proceres adje-
ctis consensissent calculis, (erant enim qvi suffragium non addebant)
extreme me puduisset nominis Germanici, qvod se Papisticis tyrannis
ita ultro deridendum & dementandum devovisset. Omnis enim re-
rum cardo vertebatur ab adversariis, id qvod obscurum erat nemini.
Nunc vero has tres submissiones & apparitiones non ut a nobis factas
jacto, sed ut gratiam Dei agnoscamus & laudibus extollamus, certa fi-
ducia animo nostro obfirmato, qvi nostros inimicos audacia dispolia-
tos ita exanimavit metu, ut unicum mendicum coram audire aperto-
qve Marte oppugnare non sustinuerint, sed vitata luce veluti vesper-
tiliones & nycticoraces in tenebris volitantes, turpiter ululant, pu-
tantes hac ratione nos metu consternatum iri. E contrario adversa-
rios reprehendit, qvod nullus eorum Wittembergam accedere ausus
fuerit, oblata licet securitate: ita Thrasonica tantum & ventosa lin-
gva multam eruditionem venditare, ait, at pro officio suo pastorali
pugnare nolle. De prædicatione vero Evangelii, qvam sitiebat po-
pulus, non tantum ita laboravit in secessu illo, ut *Postillas*, qvas vocat,
Evangeliorum & Epistolarum Dominicalium lingva patria conscribe-
ret, & imprimendas Wittembergam mitteret (Vide *Lib. I. ep. 234. p.*
335. b. ep. 237.) sed & omnibus modis svasit, ut pomeridianæ concio-
nes diebus festis Wittembergæ haberentur, loco comporationum &
ludorum, ut fieret consvetudo libertatis (Evangelicæ) introducendæ,
& in priscæ Ecclesiæ faciem & morem restituendæ: hoc munus autem
Philippo demandari cupit, etsi uxorato (*Lib. I. ep. 243.*) in qva re Orige-
nis exemplum allegat, qvi privatim mulieres docuerit. Dubitationibus

l. §. 109. 1521. respondet de licito armorum usu. §. 109. Vaticinatur de bello rustico, ob principum duritiem,

etiam Wittembergensium ad se delatis judicio suo succurrebat, ut jam supra de cœlibatu agentes diximus. Sed & qvæstio tunc orta fuerat, an armis uti, sive militare liceat Christianis? & licere respondit Lutherus, etsi nec præceptum nec consilium extet Evangelicum, sufficere enim, qvod non sit prohibitus sed potius commendatus gladii usus. Inde Philippo hæsitanti Johannis Baptistæ concionem, Cornelii exemplum, dicta Pauli & Petri, ubi Magistratus (qvi sine gladio geri non possunt) colendos, & prece juvandos docent, allegat *ep. 234.*

§. CIX.

Ridiculos haberi nostrates scio, cum prophetiæ donum Luthero tribuunt, neqve is sibi eo modo id arrogavit, ut se Prophetis veteris aut novi Testamenti æqvaret; non possum tamen locum summe notabilem, ex epistola ejus ad Linccium *Lib. II. p. 10.* adscribere, etsi seqventi demum anno datam esse appareat, feria qvarta post Reminiscere mense nempe Martio, & erratum sit in numero anni, nam ex Patmo scriptam esse multa ostendunt. Nemo post edictum Cæsareum sævius doctrinam Evangelicam persequebatur, aut alios ad eandem crudelitatem magis incitabat, qvam Georgius, Saxoniæ Dux, incentoribus Episcopis Misnensi & Mersburgensi, potissimum vero hoc, qvi erat Adolfus ex Anhaltinorum Principum familia natus, qvem Lutherus *sancticulum Episcopum* vocat *superbissimæ & avarissimæ humilitatis*, *Lib. I. ep. 217.* Nec stimulare Principem cessabant Lipsienses qvidam Academici, & ob iracundiam omnibus invisus Emserus, qvi Misnæ præbendam qvandam habebat, & a Georgio Duce *Secretarii* vel *Consiliarii* titulo ornatus fuerat. Scribit igitur Linccio Lutherus: Vehementer metuo, si pergant Principes audire stolidum illud „ cerebrum Ducis Georgii, futurum esse tumultum, qvi tota Germania „ Principes & Magistratus perdat, & simul Clerum universum involvat, „ sic enim res ista mihi apparet. Vulgus concitatum est ubiqve, & o„ culos habet; vi premi nec vult, nec potest, Dominus est qvi facit hæc, „ & has minas & intentata pericula abscondit ab oculis Principum: „ imo per cæcitatem & violentiam eorum talia consummabit, ut videar „ mihi videre Germaniam in sangvine natare. Qvare te per viscera „ Christi oro, optime Wenceslae, ora cum tuis nobiscum, & ponamus „ nos murum contra Deum pro populo in isto die furoris sui magni.

Res

Res seria est, qvæ instat, & stolidum caput illud Dresdense nihil curat populorum causam, modo suas insanias & inveterata odia impleat. 1521.
„ Deinde si qvid potes, satage, ut per senatores vestros moneantur Prin-
„ cipes modeste & sine vi statuere & agere: cogitent, populos non esse
„ tales modo, qvales hactenus fuerunt, sciant gladium domesticum suis
„ cervicibus certissimo impendere. Ipsi agunt, ut Lutherum perdant,
„ sed certe Lutherus agit, ut ipsi serventur. Non Luthero sed ipsis in-
„ stat perditio, qvam moliuntur, tantum abest, ut eos timeam. *Hæc*
„ *certe in spiritu loqvi me arbitror.* Qvod si omnino definita est ira in
„ cœlo, ut nec orationibus nec consiliis impediri possit, impetrabimus ut
„ Josias noster in pace dormiat, & mundus sibi relinqvatur in suam Ba-
„ bylonem. Qvod autem ex spiritu se loqvi non vane putaverit Luthe-
„ rus, eventu probatum est, nam tumultu rusticorum post triennium
sequto, qvæ damna Principibus & Clero illata fuerint, notum est, & Fridericus, qvem *Josiam* nominat, placida morte miseriæ illius spectaculo fuit subtractus. Non minus vera sunt, qvæ de Germaniæ fato & Carolo Imp. vaticinatus est, qvi Pontificis societatem adversus Galliæ Regem, edicto suo Wormatiensi mercatus, gravissimis bellis implicitus fuit: id enim cum rescivisset Lutherus, ad Spalatinum scribit. *Lib. I. ep. 236.* Carolum impeti bellis, nihil mirum: nihilqve unqvam
„ habebit prosperum: & cogetur alienæ impietatis pœnam solvere, in-
„ felix juvenis, qvod veritatem Wormatiæ malis consultoribus in faci-
„ em sic repudiarit: & Germaniam involvet calamitas sua qvoqve, qvod
„ impietati consensit: Dominus autem suos agnoscet. Negari qvidem
„ neqvit, successisse qvædam non infeliciter Carolo, sed nihil ex iis pro-
sperum habuisse, ut Lutherus loqvitur, nulloqve successu recte usum, certissima historiarum fide, nec aliorum magis, qvam Gallorum scriptorum testimonio comprobari potest.

Talis in custodia illa sua fuit Lutherus, *mirabilis*, ut ipse agnovit, *& monachus & captivus, qvi barbam comamqve*, ut scribit, *nutriebat, & sub equestri ornatu, & Georgii nobilis* (Juncker George) *nomine latere debebat*, ita ut nec ipsi Principes, ubi esset satis scirent: certe *Johanni*, Electoris fratri, mense demum Septembri a Præfecto arcis revelatum id fuit. Vide *Lib. I. ep. 234.* Ignorare etiam Lutherum patiebantur, qvo sumtu alimonia suppeditaretur. Haud pigebit, qvæ d. 15. Augusti hac de re ad Spalatinum scripserit, & genium viri generosum

1521. rosum ostendunt, aliaqve scitu non injucunda, hic inserta legere, ex *Lib. I. ep. 241.* De patientia mei exilii nihil sis sollicitus. Mea enim nihil refert, ubi ubi agam: modo non sim tandem onerosus & molestus his hominibus. Neminem enim vellem per me gravari. Omnino autem credo me hic agere alimonia & expensis Principis nostri: alioqvi ne horam qvidem hic subsisterem; si scirem hujus viri me consumere substantiam: qvanqvam & hilariter & libenter omnia mihi ministret. Scis enim, qvod, si cujuspiam opes perdendæ sunt, Principum perdendæ sunt: qvod Principem esse, & non aliqva parte latronem esse, aut non, aut vix possibile est, eoqve majorem, qvo major Princeps fuerit. Tu bene feceris, si me de hoc certum facies. Nam ex hoc homine tam liberali nihil intelligere possum, nisi qvod e marsupio Principali me sustentet. Sed sic est ingenium meum, ut metuam esse onerosus, ubi forte onerosus non sum, atqve hoc metuere etiam decet liberalem animum. Fui proxima feria secunda in venatione, duobus diebus, visurus voluptatem illam Heroum γλυκύπικρον: cepimus duos lepores, & aliqvot perdiculas miseras: dignam profecto occupationem hominum otiosorum: theologisabar etiam ibi inter retia & canes. Ac qvantum voluptatis attulit species illa rerum, tantum misericordiæ & doloris miscuit mysterium. Qvid enim ista imago nisi Diabolum significat, per insidias suas & impios magistros canes suos, scilicet episcopos & theologos, venantes innoxias istas bestias? nimis præsens erat mysterium hoc tristissimum de animabus simplicibus & fidelibus.

§. CX.

Interim dum ille negotioso distinetur otio, doctrina ejus longe, lateqve personare cœpit, cultu licet externo nondum mutato, nec autoritate publica accedente. Magnum tamen ad mutationem sub hujus ipsius anni finem gradum fecerunt Augustiniani Wittenbergenses, qvi solitarias Missas intermiserant, sed de iis in seqventis anni historia plura dicemus. In Saxonia Electorali liberius qvidem jam concionabantur multi, scriptis Lutheri ad lectionem Biblicam incitati; sed ringentibus Episcopis, cunctantibus etiam ex Clero & Magistratibus, qvibus periculum honorum opumqve ex Cæsarei edicti rigore non videbatur spernendum, plebecula fere puriori doctrinæ adhæsit.

Inter

1521.

Inter primarias urbes *Zviccavia* (qvam *Cygneam* vocant) jam ab initio Lutheranæ doctrinæ prædicatores Evangelii habuerat, sed veluti occultos, inter qvos Fridericus Mecum sive Myconius fuit, Liechtenfelsæ in Franconia natus, Annæberga, ubi in monasterio a Georgio Duce noviter extructo Franciscanum induerat cucullum, pulsus, celebris postea Gothæ in Thuringis Ecclesiastes, & Luthero conjunctissimus, aliiqve; sed hoc anno pastorem accepit ex vicino Schneebergæ oppido, sive Nivemonte, virum Luthero charissimum, *Nicolaum Hausmannum*, de qve dicere solebat: *Qvod nos docemus, ille vivit.* Huic consulenti, an oblatum Pastoris munus accipere deberet, mense Martio responderat inter alia Lutherus: *Si pastorem assumis, Papæ & Episcoporum hostem te facies, illorum decretis repugnans; si non repugnaveris, Christi hostis eris. Lib. I. ep. 222.* Eodem tamen tempore etiam Anabaptisticæ sectæ primordia Zviccaviæ jacta fuerunt, ut paulo post narrabitur. *Addit.*

Fribergæ (splendida etiam illa est, & argentifodinis sepulchrisqve Principum celeberrima Misniæ urbs) Henricus Saxoniæ Dux, imperabat, ad exiguam provinciæ portionem a Georgio fratre primogenito, ex paterni testamenti dispositione redactus. Hic propendere ad Lutheri doctrinam cœperat, Bullam Pontificiam detestatus, & a Luthero petens, ut ad se scriberet, qvod & hic factum a se refert, in literis d. 7. Martii datis, *Lib. I. ep 219.* sed Dux ob metum Georgii, publicato postea edicto Wormatiensi ulterius progressus tunc non est. In Dania eatenus faveri sibi cœptum scribit Lutherus *d. ep. 219* ut Rex Christiernus mandato universitati suæ dato, nollet ejus scripta damnari. Idem Rex jam anno præcedenti ab avunculo suo, Friderico, Sax. Electore, concionatorem Evangelicum petierat, missusqve fuit *Martinus* qvidam, ille nempe, cujus in epistola allegata Lutherus meminit, qvi ob Doctoris titulum assumendum Wittenbergam venerat. Allegat hæc ex *Arfridi Whitfeldii* Chron. Daniæ *Scultetus in an. 1520.* Verum de rebus Danicis infra iterum dicendi occasio dabitur. *Addit.*

Erfurti cum tumultu agebatur, minime probante id (ut jam diximus) Luthero. Docebat ante omnes ad Lutheri ductum sæpe memoratus *Johannes Langus*, Prior Augustinianorum. *Addit.*

In Bohemia, qva Misniæ adjacet, in Valle Joachimica Schlikiis Comitibus tunc subjecta, hoc anno Scholæ Rector, *Philippus Eberbachius* evangelium docere cœpit.

L. §. 110. Pomerania, Wormatiæ, Argentinæ, Antverpiæ, Jacobus Augustinianus damnatur

1521.

Addit. In Pomerania, Treptovæ, *Johannes Bugenhagius* & *Andreas Cnophius* Scholam celebrem regentes, tanto applausu docebant, ut ex Livonia aliisqve remotis locis concursus scholasticorum eo fieret. Allatum anno 1520. Lutheri librum *de Captivitate Babylonica* Bugenhagius primo ut hæreticum execratus, paulo post secunda cura perlegens, ita probavit, ut universum mundum cœcutire, solum & unicum Lutherum vera videre profiteretur. Sententiæ ejus Abbas loci & qvidam Ecclesiastæ accesserant, sed orto a petulanti plebe adversus Monachos Antonianos, cum tintinnabulis & porcis pro more discurrentes, tumultu, secuta est ab Episcopo Caminensi, *Emsmo*, ex nobili *Manteuffeliorum* familia, atrox persecutio, qvam evitans Bugenhagius vere hujus anni 1521. Wittenbergam venit, anteqvam Lutherus Wormatiam iret, & postea Simone illo Clinico, de qvo supra dixi, defuncto, Pastor urbicus factus est. Ad Rhenum non minor plurimorum in Lutheri doctrinam propensio, sed magna etiam ejusdem oppugnatio fuit. Wormatiæ, ubi Lutheri constantia animos hominum moverat, post ejus discessum, cum in templis id non liceret, aliis in locis conciones habitæ sunt e suggestu portatili, eam ob causam circumlato. Argentorati *Matthias Cellius*, Keisersbergæ natus, magna cum libertate Lutheri dogmata proposuit. Is in *Apologia* adversus Fiscalis Episcopalis accusationes anno 1523. edita, cum edictum Wormatiense objiceretur, exemplo totius Germaniæ se defendit, in qva, *non obstante edicto, nullam urbem, nullum oppidum, cœtum, monasterium, Academiam, Capitulum, imo nullam familiam nec domum esse asseverat, in qva non sint, qvi Lutheri, qvam vocant, sectam profiteantur.* In Belgio etsi nullus ad opprimendam hanc doctrinam rigor omitteretur, impediri tamen non potuit, qvo minus in plurimis urbibus locum inveniret. Antverpiæ, qvæ tunc omnium maxime florebat, a duobus jam annis Prior Augustinianorum, *Jacobus*, cognomento *Præpositus* alias *Spreng.* (vide *Lib. II. ep. 70. b.*) Lutheri imitatione concionatus fuerat; (ille nempe, cujus elogium facit *Emsmus* in epistola ad Lutherum, *Additione ad §. LI.* relata) Is vero hoc anno Bruxellas ductus, mireqve divexatus, & ignis supplicio territus, palinodiam publice egit, ineunte anno seqventi, mense Febr. coram Hieronymo Alcandro, Commissario Apostolico, Hieronymo Vandernoot, Cancellario Brabantiæ, Adriano

Her-

Herboutio, Suffraganeo Cameracenſi, Joh. Glapione, Cæſaris Confeſſario, aliisqve: eamqve typis Lipſienſes vulgarunt. Nec puduit judices inter triginta articulos Lutheri etiam ſeqventes condemnare, & ad abjurandos eos miſerum mortis metu cogere. Artic. 6. omnia „ opera ſanctorum peccata ſunt & egent miſericordia ignoſcente & „ remittente. Artic. 10. Omne opus liberi arbitrii qvantumcunqve bo- „ num, peccatum eſt; egens DEI miſericordia ignoſcente. Artic. 24. „ & 25. concupiſcentia qvæ in baptizando relinqvitur eſt peccatum pro- „ prie dictum, contra hanc legem Dei, non concupiſces. Caro tali con- „ cupiſcentia infecta ad omne opus liberi arbitrii concurrit, unde qvod- „ libet opus humanum peccatum efficitur. Artic. 28. Diſplicentia de „ peccatis admiſſis non eſt via ad gratiam juſtificantem, ſed e contrario „ Gratia eſt via ad ipſam diſplicentiam. Art. 30. dolor de uno peccato, „ ſine dolore omnium, eſt peccatum. Nec ſufficiebat hæc recantare, ſed & juratam aſſertionem dogmatum Pontificiorum, qvæ Catholicæ Eccleſiæ doctrinam vocabant, exegerunt, inter qvæ ſunt: Credo opera ſanctorum ſic eſſe vitæ æternæ meritoria, qvod omni culpa carerent. De libero arbitrio credo & aſſero, qvod active concurrit, & cogit ad actus bonos libere. De operibus liberi arbitrii credo non omnia eſſe peccata, ſed aliqva eſſe vitæ æternæ meritoria absqve omni culpa, & per conſeqvens non indigentia miſericordia remittente. Hæc profecto horrida & Chriſtiano nomine indigna eſſe, multos etiam ex Romana Eccleſia judicaturos eſſe ſpero. At idem Jacobus tunc dimiſſus, Brugis in Flandria iterum prædicare, qvæ abjuraverat, cœpit, & e carcere Bruxellenſi, in qvem denuo compactus fuit, ope Franciſcani cujusdam elapſus, poſtmodum qvæ ſecum acta erant ipſe publicavit, & lapſum deprecatus, Bremæ, multis annis Evangelium docuit. Vide Sculteti *Annal. ad ann. 1521.* & Epiſtolas Lutheri *Lib. II. p. 74.*

1521.

§. CXI.

Tanta incrementa doctrinæ non potuerunt non Lutherum magno gaudio afficere, & ſolitudinis illius tædium levare; ſed præter tentationes, de qvibus ſæpe qveritur, Wittenbergæ fiebant, qvæ moleſte ferret. Inter illa non puto prætereunda eſſe, qvod Jus Canonicum (qvod combuſtione illa ſua ſatis infamatum eſſe credebat) publice adhuc Wittenbergæ legeretur, & qvidem a *Juſto Jona, Can. Lic.* ob ſa-

I. §. III. 1521. de lectione Jur. Canon. de moribus Canon. wittemb. excurrit eo clam, queritur de suppressione librorum suorum.

larium forte, in eam lectionem constitutum, ut innuit *Pallavicinus Lib. I. cap. 22. in fine.* At Lutherus optimum judicabat, ut jus Pontificium prorsus excluderetur, *& Principes animo aliquando accepto jurisdictionem & censuras istas penitus antiquarent in suis terris.* Vide *Lib. I. ep. 237.* Indignabatur etiam de Canonicorum Wittenbergensium plerorumque pervicacia in superstitionibus, & de morum turpitudine, eaque occasione de transferendis ad meliorem usum reditibus illis cogitare cœpit; scribit itaque ad Spalatinum d. 25. Novembr. *Lib. I. ep. 252.* „ Utinam & Princeps noster Bethauen quoque suam Wittembergensem aboleret: dispertitis post vitam eorum, qui nunc sunt „ in ea stipendiarii, reditibus in pauperes: quales multos habet ea terra, etiam in sanguine generoso, sicut nosti. Ea enim erat Principe digna munificentia, quæ ei regnum aperiret æternum. Ista impietas „ per eum roborata quid faciet? Carolostadii deniqve perversum ingenium magis magisque erumpebat, unde mense Septembri Amsdorfio scribit *ep. 244.* De Carlstadio doleo, cui etsi facile resisti potest, tamen adversariis nostris gloriandi dabitur occasio, de intestina nostra „ discordia, magno scandalo infirmorum. Sive igitur hujus emendandi, sive cum amicis conversandi cupidine, ex arce, paucis conscriis, excurrit, & hospitio Amsdorffii usus, clam Electore, aliqvot dies cum amicis jucunde transegit. Scribit de itinere illo suo ad Spalatinum & de librorum suorum suppressione vehementer queritur *ep. 253.* sed epistola diem adscriptum non habet, sub finem autem anni datam facile „ conjicitur. Veni Wittenbergam, & inter dulcissimas amicorum „ svavitates hoc absinthium inveni, scilicet libellos & literas nemini esse „ neqve auditas neqve visas: qvem dolorem tu judica, an justum esse „ debuerim arbitrari. Omnia vehementer placent, qvæ video & audio. Dominus confortet spiritum eorum, qvi bene volunt: qvanqvam per viam vexatus rumore vario, de nostrorum qvorundam importunitate, præstituerim publicam exhortationem edere, qvamprimum reversus fuero, ad Eremum meam, cætera alias. Principi Illustrissimo me commenda, cui celatum meum accessum ad Wittenbergam & recessum volui; qva causa satis ipse intelligis. Vale, Wittenbergæ, apud Philippum meum in ædibus Amsdorffianis.

§. 22.

§. zz.

Resciuit etiam, Henricum VIII. *Angliæ Regem pulchrum librum a se pro septem Sacramentorum defensione, adversus tractatum Lutheri de captivitate Babylonica conscriptum Pontifici misisse, quo meritus est, ut condita ob id Bulla glorioſum* defensoris fidei *titulum acciperet, quem etiam post defectionem suam ab Ecclesia Romana (bonam matrem suam eam tunc appellabat) retinuit, & successores etiamnum gerunt, licet eam ipsam fidem deseruerint, cujus defensæ titulum Henricus acquisivit. Sed salvo omni coronatis capitibus debito honore, videtur mihi dici illis posse: aut ad fidem illam redite, aut titulum ponite, qui sine illa stare nequit. Sperandum tamen est, venturum diem, quo Deus per gratiam suam quendam ex magnis illis Principibus excitaturus sit, qui exequatur, quæ precibus nostris a divina Majestate contendere debemus, nempe ut titulus iste non ut hodie speciosa saltem sit designatio ejus, quod esse deberet, nec tamen est; & ut Anglia eodem horrore hæresin aversetur, quo eam tunc Rex ejus aversabatur, tam fortiter contra Lutherum scribens, ad quem nunc post brevem hanc digressionem redeundum est. Difficile dictu est, in quantum furorem Lutherus, nuntiatis istis, conjectus fuerit; exacerbatus etiam solitudine aut potius captivitate illa sua, & plusquam*

Cogor tamen ne ingratitudine maculer, Matrem meam, Christi sponsam, utinam tanta cum facultate, quanta cum voluntate defendere. Apud Cochl.

I. §. 22. 1521. *natura sua erat efferatior, quanquam hanc nunquam vel tantillum frenare posset, si semel incaluisset. Protestatus erat semper voce & scriptis, maxime coram Legato Cajetano, & in celebri disputatione Lipsiensi, quod Doctores Parisienses pro veræ Theologiæ Magistris haberet, sed affectuum impetu statim in extremum alterum furoris & rabiei adversus eos, quos tantopere laudaverat, detrusus, exagitare illos in responsione sua ad censuram illorum, & in aliis scriptis postea editis, quavis occasione tempestive & intempestive cœpit, non tantum, ut primos divinæ hujus scientiæ corruptores, sed & omnium hominum imperitissimos & stupidissimos, sine ingenio, lumine & judicio; innumeras alias & vilissimas injurias addens, ut qui eas legit, difficulter indignatione abstinere possit, ne eas dem in autorem retorqueat. Voluit etiam, ut discipulus suus,* Philippus Melanchthon *Grammaticus admodum disertus, qui VVittenbergæ humaniores literas docebat, adversus eos scriberet; quod is eo stylo præstitit, ut præter dictionis nitorem & puritatem, genium potius magistri, cujus bilis in ipso titulo libri deprehendebatur, quam discipuli referret, qui alias timidus & moderatus erat. Fatendum interim est, omnia ista convitia magis proficuisse Sorbonæ, quam tanta elogia, quæ antea in eam sparserat Lutherus pro suffragio ejus impetrando, inprimis*

Adversus furiosum Parisiensium Theologastrorum decretū Apologia pro Lutbero.

Atque illius supremam potestatem non tantum imminuere & labefactare, sed etiam funditus evertere studuisset. Censur. Facult. Paris. in libr. H. Marci Ant. de Dominis in præfat.

primis contra primatum & supremam Pontificis potestatem, quam hæreticus hic non debilitare tantum, sed & penitus abolere nitebatur. Inde enim cognoscitur, quod illustris hæc Facultas, quæ semper jura & prærogativam sacræ sedis firmissime defendit, nullo modo flecti in hoc puncto voluerit, a quo unitas Ecclesiæ Catholicæ dependet. Hoc est, quod eadem centum fere post annos, post condemnatum Lutherum, censura etiam notavit libros M. Antonii de Dominis, *qui hunc Lutheranismi articulum renovare, & tueri contra autoritatem Jesu Christi in terris annixus est.*

1521.

Ecce evoluto centum annorum spatio alter apostata & Ecclesia perduellis in medium prodire ausus est, eandemq; defectionem contra Ecclesiam, & genealem Christi in terris vicarium renovare cogitans &c.

§. CXII.

Rescire quidem Lutherus hoc, quod Maimburgius notat, tempore, de libro Angliæ Regis nihil potuit, sed eum sub finem demum anni, aut initio sequentis vidit; debuisset itaque vel Cochlei ductu, hæc de Angliæ Rege digressiuncula in locum convenientiorem referri. De materia libri dicetur, cum de responso Lutheri agemus. Ambitione juvenili elatum Regem, ad scribendum se accinxisse, vel ut Clerum Regni sibi devinciret, facile credent, qui ingenium hominis ex moribus gestisque ejus considerabunt. Refert Pallavicinus *Lib. II. cap. 1. n. 8.* ex Archivis Pontificiis, Henricum jam ante scriptum librum, a Pontifice aliquem speciosum titulum, qualibus Reges Galliæ & Hispaniæ, ille *Christianissimi*, hic *Catholici* utuntur, desideraſſe, diuque deliberatum fuisse, quo pacto ei satisfacere absque aliorum Regum invidia Pontifex posset: ita dilato negotio superveniſſe mense Octobri hujus anni librum Regium Pontifici districho hoc qualicunque inscriptum:

Anglorum Rex Henricus, Leo Decime, mittit
Hoc opus & fidei testem & amicitiæ.

Indeque, penetrata Regis voluntate per Cardinalem Volsejum, titulumque *Defensoris fidei* petenti, gratificatum esse Leonem X. Reticuisse

non

1521. non debebat, jam Julium II. Ludovico XII. Gallorum Regi infensissimum, hunc ipsum *Christianissimi* titulum Angliæ Regi, adversus Gallos concitato, destinasse, & Leonem mutata rerum facie id exeqvi non ausum, novi vocabuli invento utcunqve satisfacere Regiæ ambitioni voluisse. Extat typis eo anno vulgata *Joh. Clerici*, Angliæ Regis legati *Oratio ad Leonem habita*, cum ei librum Regis nomine in consessu Cardinalium offerret, satis tumida, cui Leo breviter & apte respondit. Refert inter alia orator, *Regem* (sacris enim destinabatur, cum fratrem seniorem haberet) *sub optimis præceptoribus autem triviisse, & in sacris scripturis plurimum versatum fuisse, sæpius magna laude cum doctissimis Britannorum disputasse; nunc non sine gloria audere cum Lutbero, non contemnenda eruditionis viro, in certamen descendere.* Cæterum de religionis in Anglia statu proximis ante Lutherum annis, dein postqvam hic scribere cepit, legi meretur nupera *D. Gilberti Burneti historia de reformatione Ecclesiæ Anglicanæ*, lingva patria ex documentis fide dignis edita, & Gallice a *Rosemondo* versa. Dispositio magna in populo Anglicano jam a Joh. Wiclefi temporibus adversus abusus Pontificios & Cleri superetat, severis Episcoporum decretis & inqvisitionibus, pœnisqve atrocibus non ita extincta, ut non subinde ex cineribus qvasi resurgeret. Enumerat Scriptor, qvem dixi, aliqvot exempla condemnatorum sub initium seculi decimi qvinti (qvos vocabant) *Lollardorum* utriusqve sexus, qvibus vel Wiclefi vel alia invidiosissima dogmata imputabant, & confitenda per fidiculas extorqvebant judices. Qvamprimum igitur Lutheri libri in Angliam importati & in lingvam popularem versi sunt, statim applausum invenerunt, primiqve adversus Clerum concionari cœperunt; sicut & in Germania monachi mendicantes, nullis honoribus aut opibus a veritatis studio retracti, & vitæ austeritate ad omnem fortunam ferendam indurati. Populus vero jamdudum a Cleri doctrina & moribus aversus avide accipiebat dogmata, qvibus simplicior ad cœlum via aperiebatur, & remotis scholasticarum subtilitatum & ceremoniarum ac legum involucris, cuilibet per Scripturarum sacrarum evulgationem cognoscenda præbebantur religionis mysteria; sed Episcopi magno zelo persequebantur omnes, qvi novis libris aut concionibus studebant. Sufficiebat ergo ad condemnationem, si qvis liberos suos orationem Dominicam, decem præcepta & symbolum Apostolicum lingva populari docuis-

docuisset. Hoc unum ob crimen jam anno 1519. Conventriæ, in ipsa septimana sacra d. 4. April. sex viros fœminamqve unam supplicio affectos memorat Burnetus. Aucta inde in Clericos odia, qvod in hominum moribus inculpatis viventes sævirent, ipsi sua non corrigerent vitia. Succurrere itaqve eorum honori ipse Rex suo libro voluit. Qvam vero fidem defenderit, ex responsione Lutheri postea apparebit. Voti sui interea Maimburgius hactenus compos factus est, ut jam habeat, qvi Romæ diu speratus est, Regem Anglia, qvi titulum per annos centum qvinqvaginta aliter intellectum & exercitum, illo, qvo impetratus fuit, sensu, gerere possit, si Deo visum est, hoc experimento puriorem doctrinam profitentes explorare.

§. CXIII.

Qvod ad Parisiensis Academiæ decretum sive censuram attinet, ejus notitia ad Lutherum in arcem, in qva latebat, simul & Apologiæ a Melanchthone conscriptæ, mense demum Julio, ut patet ex *epistola 234. Libri I.* Utraqve habetur *Tomo II. Jen. Lat. fol. 443. & seqq. fol. 451. & seqq.* pervenit. Versio autem Apologiæ Germanica ab ipso Luthero composita est, sed, ut Cochleus qveritur, aculeatior Melanchthoniana, extat autem ea *Tomo I. Alt. f. 836.* Immanes iræ Lutheri, qvas hic exaggerat Maimburgius, in ejus scriptis reperiri non possunt. Ab initio sane non male sperabat de Parisiensibus, ob opinionem nempe Sorbonæ (ita enim a collegio qvodam vocatur *Theologica facultas*) de superioritate conciliorum supra Papam, & ob appellationem a Papa ad concilium, qva anno 1517. usa erat Academia; non ignarus tamen erat, qvod scholasticæ Theologiæ veluti mater esset Theologica Parisiensium Schola. Nec negare velim, ex rumoribus qvibusdam, qvod non deessent in Gallia qvi sua probarent, in spe illa sua confirmatum fuisse; sed vicit Lutetiæ inveterati erroris apud plurimos præjudicium. Lutherus igitur, postqvam, ut dixi, censuras accepit, d. 15. Julii ad Spalatinum scribit *Lib. I. ep. 236.* Vidi Parisiensium Sophistarum decretum cum Philippi apologia, & ex corde gaudeo. Non enim sic eos excœcaret Christus, nisi consulere rebus statuisset, & finem tyrannidi illorum facere inciperet. Qvæ verba furiose excandescentis esse nemo dixerit; ad Philippum autem familiariter scribens, *asinos* &

l. §. 113. 1521. Addit. *insanos* eos vocat *Lib. I. ep. 234.* Hic obiter notamus, promiscuam literarum evulgationem Luthero aliqvatenus fraudi fuisse: aliter enim pleriqve omnes præmeditati & in publicum, aliter ad familiares scribimus. Interim si qvædam liberius dicta vel excandescentiam vel rusticitatem qvandam ex illius seculi & monachalis vitæ genio arguunt, eadem candorem & simplicitatem ingenuam ostendunt. Cæterum Philippi apologia pro Luthero brevis est, inscripta ut in margine annotavit Maimburgius, *adversus furiosum Parisiensium Theologastrorum decretum.* Exprobrat in hac Academiæ propagata scholasticæ Theologiæ figmenta, & qvod Gersoni meliora monenti majores eorum restiterint; nugas scholæ, adductis qvibusdam Johannis Majoris thesibus irridet; epistolam, qvam decreto præmiserunt, *muliebrium furiarum & monachalis impotentiæ plenam esse* ait, & a Rhetore qvodam conductitio conscriptam: Principia fidei illis esse, hominum opiniones: Lutherum tamen in doctrina *de libero arbitrio & gratia* consentientem Augustinum habere: Injuste & ineptissime illum cum Hæreticis comparari, præcipue cum Montano, qvi spiritui cuidam suo credi volebat, cum Lutherus omnia sua ex Scriptura probanda susciperet: Concilia frustra allegari, qvorum qvædam non Christi sed Antichristi doctrinam firmaverint: Academias Theologiam scholasticam sequtas in hæresin incidisse: Sorbonam non esse Ecclesiam, qvæ autoritate absoluta decidere possit. In lucem provocat Sorbonistas, ut prodeant, & rationes reddant: Luthero enim per mendacium affingi, nec si Ecclesiam audire nollet, qvi nihil impensius desideraverit, qvam ut doceretur, dummodo id ex Scripturis fiat. Ideo merito ei a Germanis credi, qvi ad Sorbonistarum nomina jam obsurduerint: non dogmata, sed dogmatum rationes conferri debere. Exagitat speciatim strophas Parisiensium *de gratia gratum facientc. O infelicem*, exclamat, *Galliam, cui tales vontingunt censores.* Addit alia mordaciora; Dei vero misericordiam prædicat, qvod nunc vera habeatur doctrina de pœnitentia, qvæ per annos qvadringentos caruerit Ecclesia. Addit epilogum *fol. 456. b.* „ Hæc monere te, Christiane lector, volui, „ ne a Lutherana doctrina absterreret Sorbonæ autoritas, qvæ qvid sa- „ piat, ex uno atqve altero loco hic cognovisti. Et ex his, qvos adno- „ ravimus, reliqva æstimabis. Est enim sui similis Sorbona, Christum „ inter fabros citius qvam in isto genere reperias. Tuum est interim

una

una mecum postulare Lutetiam rationem sui judicii, qvam ubi ederit, de nostris nos qvoqve copiosius disseremus. Prodiit etiam ad versus apologiam Philippi censura ludicra & jocosa qvæ habetur *Tom. II. Lut. Jen. f. 457. & seqq.* incertum an ab ipso Luthero, an alio composita, stylo scholastico, ut risum lectoribus moveat. 1521.

§. aaa.

Jam qvod ad librum contra Regem Angliæ attinet, submisse rogo Lutheranos, qvi hanc historiam legent, & satis deprehendent, me ex præoccupatione, & affectu adversus illos nihil scribere, ut credant, si mihi cum honesto qvodam inter eos viro convertendo res esset, qvod nihil aliud ab eo peterem, qvam ut sine præventione & frigide (ut dici solet) legeret, qvæ Lutherus scripsit, dum Regi respondet. Certus enim sum, Lutheranum talem illico a Lutheranismo discessurum esse, si insolentem, belluinum & furiose imputantem stylum, qvo Lutherus Regem istum, tanqvam fatuum & infimum ex plebe tractavit, & horrendas injurias, qvas in eum effudit, consideraverit. Inde enim concludet, impossibile esse, qvod Spiritus DEI tam inhonesto & turpi isto homine ad reformationem mundi usus sit. Tandem in hac ipsa solitudine delineationem totius reformationis, qvam prætendebat, absolvit, nullumqve modum tenuit, ut ab initio fecerat, cum partem dicendorum retineret, nec, ut ait, ab erroribus Papismi plane liberatus esset. Pontificem itaqve neqvaqvam amplius agnoscere voluit, neqve

Ut nesciat an ipsa mania sic insanire possit, aut ipsa stoliditas tam fatua sit, qvam est caput hoc Henrici nostri, damnabilis putredo ista & vermis. Jus mihi erit Majestatem Anglicam luto suo & stercore conspergere &c. Luth. contra Reg. Angl. t. 2.

I. §. aaa. §. 114 1521. *Regem Angl. & ulterior dogmatum ejus denigratio.* §. 114. Lutherus adversus Angl. Regem librum edit,

traditionem, autoritatem Patrum & conciliorum, nec purgatorium, missas, vota, monasteria, episcopos, presbyteros (qvi Laici non essent) leges, decreta, ceremonias, qvæ vim obligandi haberent: non cultum Sanctorum, sacramenta, (excepto Baptismo, & sacra cœna, ademta tamen virtute conferendi gratiam) deniqve nec Ecclesiam visibilem, qvæ infallibiliter & ultimo de controversiis judicandi jus haberet, sed solam Scripturam suo sensu interpretandam. Qvoniam vero secundum hanc ideam, qvam de religione formaverat, nihil fixum determinatumqve erat, qvo mentes in unitate fidei & disciplinæ retineri potuissent, brevi factum est, ut ex secta ejus verum Babylonis sive confusionis instar emergeret, qvo in plures alias sibi refragantes distrahebatur, magnaqve Luthero molestia creabatur, qvod eo ipso tempore, de qvo loqvor, accidit.

§. CXIV.

Jam monui, librum Lutheri adversus Henricum VIII. Angliæ Regem non ad hunc, ad qvem relatus est a Maimburgio, sed ad seqventem annum pertinere. Pallavicinus *Lib. II. cap. 1. n. 9.* nescio qva ratione, scribit, Lutherum *paucos* post annos respondisse; interpres pro paucis *aliqvas* habet. Extat, ut scriptus est a Luthero, Latine, & dedicatus d. 15. Julii 1522. *Sebastiano Schlickio*, Comiti Bohemo Evangelicæ doctrinæ faventi. Vide *Tom. II. fol. 547. & seqq.* & Germanicam versionem ab ipso Luthero factam *Tomo II. Alienb. fol. 189. & seqq.* Occasionem dedicandi inde sumsit, qvod Rex inter alia ei objecerat, qvod fugam in Bohemiam meditaretur; itaqve se per scripta sua in Bohemiam venire & in ditione Schlickiana hoc modo initium receptus facere

facere dicit: Et porro: Rex Iaicus scripsit ad sacerrimum suum Pontificem; ego qvondam miseratione Papæ clericus, scribere debui ad Christianissimum laicum. *Et paulo post:* Sic (per libros nempe) non modo in Bohemiam fugero, sed & habitavero in ea, etiamsi hic me excusserit illaudatæ meretricis furor. Invidiam tamen ejus simul succendero & vicero in Christo. Principio libri qveritur, cum ipse nihil clamet, qvam Evangelium & Christum; qvod adversarii tamen nihil respondeant, qvam Patres, usus, statuta hominum: atqve sic Regem plane a disputationis scopo & fundamento aberrasse dicit, stipula & fœno contra rupem verbi Dei pugnantem. Mallet Regis librum *Eduardo Leo* (qvi ex disputationibus cum Erasmo notus est, & postea Archiepiscopus Eboracensis fuit) attribuere; finit tamen Regis esse, & excusatum se cupit, durius & asperius Regi respondentem: prudens ille & sciens (ait) mendacia componat, adversus mei Regis majestatem in cœlis, damnabilis putredo ista & vermis: jus mihi erit pro meo Rege, etiam Majestatem Anglicam luto suo & stercore conspergere, & coronam istam, blasphemam in Christum, pedibus conculcare. Hoc profecto non perfunctorie fecit, ita qvidem, ut non tantum Erasmi, cautæ urbanitatis & blandi obseqvii magistri, sed & amicorum sinceriorum judicio, excessisse modum visus sit. Nec eum id latuit, scribit enim d. 4. Sept. ad Spalatinum *Lib. II. epist. p. 91. b.* Sciebam multos offensurum, qvicqvid in Regem Angliæ scriberem, insulsum & virulentum Thomistam, sed ita placuit mihi, atqve adeo multis causis necessarium fuit, qvod facio nescitur modo, scietur postea. Paulo ante mense Augusto ad amicum qvendam scripserat in eundem fere sensum, allegata Christi & Johannis Baptistæ severitate in culpandis Pharisæis (vide *Tom. II. Altenb. fol. 208.*) clauseratqve epistolam his verbis: Elector, Princeps meus, aliiqve amici me sæpe monuerunt, ut mollius scriberem, sed semper respondi, & nunc qvoqve respondeo, me id non esse facturum: causa mea non est inter res medias, in qva cedi & dissimulari possit, sicut hucusqve stulte feci. In ipso vero libro etiam hæc inter alia habet, *fol. 548.* Si idolum Romanæ abominationis propter Christum conculcavi, qvod sese in locum Dei statuerat, magistrumqve Regum & totius mundi fecerat; qvis est iste Henricus novus Thomista, discipulus duntaxat tam ignavi monstri, ut virulentas blasphemias ejus honorem? Sit ipse defensor Ecclesiæ, sed ejus Ecclesiæ, qvam

1521. tanto libro jactat & tuetur, nempe purpuratæ meretricis, & ebriæ & fornicationum matris. Ego & Ecclesiam ejus & defensorem ipsum pro eodem ducens, utrosqve eodem impetu invadam, & Christo duce conficiam. Certus enim sum, dogmata mea habere me de cœlo, qvæ etiam adversus eum triumphant, qvi in ungve novissimo plus habet virtutis & astutiæ, qvam omnes Papæ & Reges & Doctores; ut nihil agant, qvi Bullas nominum & titulorum contra me jactant, & libellos sub regiis inscriptionibus venditant. Dogmata mea stabunt, & Papa cadet, invitis omnibus portis inferi, & potestatibus aeris, & terræ, & maris. Ipsi me provocaverunt ad bellum, bellum igitur habebunt; pacem oblatam contempserunt, pacem igitur non habebunt. Deus viderit, uter primo fessus defecerit, Papa an Lutherus. Sic placet in Christo indies magis ac magis superbire adversus insulsos istos & ineptos Basiliscos, qvo magis ipsi furunt.

§. CXV.

Jactantem vero hic audimus Maimburgium argumentum, qvo Lutheranum uno momento converti a se posse confidit, si vir honestus sit. *Semper ego auditor tantum?* Ecce conversionis præconem ausculto. Ante omnia autem oporteret & illum honestum esse, qvi provocat honestum; Præsumam id de Maimburgio, si non ut Jesuita [qvalis erat dum ista scriberet, & Patris potius qvam aulicum & eqvestrem illum Gallorum titulum (*honeste homme*) affectabat] certe, ut de Domino, (*Monsieur*) qvo vocabulo paulo post cum Pontificis autoritate ex sodalitio Jesuitico ejiceretur, omisso *Patris* titulo in historiæ Calvinianæ & seqventium tractatuum suorum inscriptione usus est, Peto autem, ut & me pro honesto viro eadem præsumtionis benignitate reputet. Assumo itaqve palmarium illum & verticordium, ut putat, pro deferendo Luthero syllogismum, hac forma: *Spiritus Dei non utitur inhonesto & turpi homine ad reformandum mundum: Lutherus fuit homo inhonestus & turpis, & qvidem enormiter;* Ergo, *Spiritus Dei non usus est eo ad reformandum mundum.* Respondebunt docti subtilius; mihi honesto, simplici, aut eqvestri more regerere liceat, qvæ possum: In majori propositione ante omnia inqviro, qvæ sit illa inhonestas & turpitudo, qvæ Spiritum Dei repellat? Hic non aliam indicat argumentator, qvam maledicentiam, qva Lutherus in Regem Angliæ

Hoc vivo eo scriptum jam post obitum ejus mutare nolui; nec desunt, qvibus eadem dici possint.

sanctitatem doctrinæ a moribus docentis dependere. Pontificum & Angliæ Regis pe. sonæ considerantur. I. §. 115. 1521.

Angliæ usus est, cujus specimen margini adscripsit. Dein interrogo, qvid sit reformare mundum, anne majus aliqvid, qvam prædicare Evangelium? Non puto: certe aliud nec egit nec agere voluit Lutherus, millies protestatus, & facto suo probans, se nulla vi nisi verbi divini usi, aut usurum esse. His constitutis, vacillat major propositio, nisi probetur, mortale esse peccatum, maledicere Regi impio, & non suo, & atrociter insultanti; & prædicari Evangelium non posse ab iis, qvi venialiter, ut loqvuntur, peccant. Sed nemo nescit, qvales fuerint Apostoli, cum a Christo ad prædicandum Evangelium mitterentur, *Matth. X. Marc. VI. Luc. IX.* qvantosqve defectus tunc non in moribus tantum, sed, qvod magis est, in doctrina habuerint. Præstiterunt tamen egregie, qvæ jussi erant, & reversi cum gaudio dicebant: *Domine etiam Dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo Luc. X. 17.* Erat & Judas inter hos, qvem scimus qvalis vixerit, mortuusqve sit. Assentior itaqve omnibus, qvi cum Donatistis errare nolunt, sed statuunt, veritatem Evangelicam, si per eam intelligitur *reformatio mundi* (qva voce hic invidiose utitur noster) id est, purgatio doctrinæ ab erroribus, non pendere a sanctitate prædicantium, sed a verbi divini efficacia. Non potest hæc negare Maimburgius, nisi sua ipse vincta velit cædere. Hic enim ipse liber Regius, cui *pulchri* elogium (modicum id qvidem) dat, talemqve prædicat, qvo *Defensoris fidei* titulum a supremo fidei Romanæ (de hac enim, ut dicemus, disputabatur) definitore meruerit, ab homine turpi & inhonesto scriptus est. Aut igitur fidem defendit, & mundum ab hæresi, si credas panegyristæ, salvavit, spirituqve Dei actus fuit Rex ille Henricus, minime sanctus; ut confitente Maimburgio mox probabitur; aut cadit fides, qvam defendit, si sanctus non fuit defensor. Deum immortalem! qvid de plerorumqve Pontificum decretis, qvid de Leonis X. Bullis pro indulgentiis & adversus propositiones Lutheri editis, dici posset, si vel uno hoc argumento ab impuritate & turpitudine autorum impugnari deberent? Sed non est opus Lutheranis istuc confugere, & glaucomata populo objicere: habent Lydium lapidem, qvo dogmata explorent, & unde Spiritus sancti dictamina agnoscant, qvæ docentium nævi infirmare neqveunt. Hæc ad majorem. Minorem qvis non videt negari posse & debere, dum Luthero ob librum hunc adversus Regis aggressionem

I. §. 115. negatur, Lutherum peccasse increpando Regem; & indicatur qvo Spiritu scripserit.

1521.

nem scribenti turpitudinis belluinæ & furiosæ impudentiæ crimen imputatur. Conferant qvibus otium est, utrumqve scriptum; Regem tamen pro eo habeant, qvi deposita Regis persona Monachum Thomistam induit, & cum viro peregrino, liberrimi, ut sciebat animi & oris, congredi, eumqve convitiis proritare non est veritus. Retinere Regem ab hac temeritate debebant suæ sectæ leges. Laicus erat, nec calamo ad defendendam fidem illam septem Sacramentorum opus habebat, qvi jam illa ætate gladio, laqveo & igne Lutheranos in regno suo refutare, & veluti Leunculus ungves faucesqve sangvine imbuere cœperat, qvem deinde senior Leonina sævitia largiter profudisse ab omnibus notatur. Hæ illi artes sufficiebant, & Romæ probabantur. Deniqve si inhonestum & turpissimum est, Regem qvemcunqve increpare, qvis Maimburgio inhonestior, qvi hunc ipsum Regem nullo convitio lacessitus, non ut Lutherus scholasticis dicteriis exagitat, sed centum impietatum reum pronuntiat? *Lib. III. Hist. Calvin.* Perdidit itaqve oleum & operam argumenti illius inventione Maimburgius, minimeqve omnium apud Lutheranos fidem invenit, cum jactat, sine præoccupatione & affectu se scripsisse. Rogo vero, si hæc leget, Lutheranorum, qvos tam officiose compellat, nomine, Dominum hunc Maimburgium, ut agnoscere velit, nihil effici adversus agnitam veritatem divinam, technis, qvas didicit docuitqve in schola sua, aut fucis Rhetoricis. Imo elisо, cui tantum tribuit argumento, persvasum nobis esse credat, Lutherum in increpatione illa Regis eodem spiritu actum esse, qvo Josua, qvi pedibus conculcari a populo voluit impios Reges; qvo Samuel Agagum in frusta concidit; qvo Elias Achabum increpavit; qvo Christus & Apostoli in hostes veritatis invecti sunt. Hoc ex sanctitate doctrinæ, & ex fine, in qvem zelus Lutheri tendebat, colligimus; neminem enim destruere, neminem per supplicia & militum sævitiam ad credenda qvæ nollet, cogere voluit; nihil suæ autoritati, omnia Scripturæ detulit. Hoc animo cum esset, eos qvi hominum decreta cum tanta convitiandi licentia & minis mortiferis opponebant, pro impiis habebat & tractabat. Pertinent huc, qvæ Melanchthon ad Capitonem, Lutheri iras in Moguntinum improbantem scripsit, ex Epistola a Sculteto jam supra §. *107.* allegata. Negare non potestis, (ait) qvin Evangelium doceat:

Addit.

ceat: id rejicitis, si Lutherus rejicitur. Nec ignoro, te acerbitate offendi. Sed qvid, si divinitus accendatur εὐαγγελίσασθαι? obsecro vide, qvi rerum ac temporum status sit, qvo sale opus sit istis tam pingvibus Dominis. Nunc tibi contigit, qvi saliat, vosne conculcabitis? Paulus cavere præcipit, ne Spiritus extingvatur: qvod ne a vobis præstetur, adnitere.

§. CXVI.

Jam pauca de materia disceptationis inter Regem & Lutherum addemus. Non erat illa, qvod graviter qveritur Lutherus, de capitibus veræ Christianæ doctrinæ, non, ut scribit, de fide, spe, charitate, baptismate, sacra cœna; nec de lege, peccatis, morte, libero arbitrio, gratia; non de Christo, de Deo, judicio novissimo, cœlo, inferno aut de Ecclesia & similibus, qvæ scire oportet Christianum, & ad salutem sunt necessaria, sed de Papatu, conciliorum decretis, doctoribus, indulgentiis, purgatorio, Missa, Academiis, votis monasticis, Episcopis, traditionibus, cultu Sanctorum, novis Sacramentis, qvibus Ecclesia non modo potest saluberrime carere, verum etiam ne consistit qvidem, nisi aut careat, aut iis pro libero arbitrio utatur. Hæc autem defendit Henricus; hæc est fides, cujus defensæ præmium fuit titulus a Leone datus, & postea Rosa ab Adriano donata, qvo utroqve dono ita usus est, ut datorum non multo post pœniteret Pontifices, ut in loco dicetur. Hi sunt deniqve illi articuli, qvorum prætextu tot myriades hominum, Roma id urgente vel sub carnifice, vel bellorum furiis perierunt. Digna fides hoc Rege defensore cujus vitia Romano-Catholici ac Protestantes uno damnant ore: hujus majestatem Lutherus, si obtrectatores ejus audias, venerari debuit, etiam in scholastico pallio, convitiis ac calumniis certare incipientem. Sed satis aut nimium de Rege. Pauca adhuc de libro. Tractavit in hoc Lutherus unum saltem articulum *de Sacramento cœnæ Dominicæ*, tempus de reliqvis scribendi sibi deesse qverens. Indignatur enim omnium maxime, qvod Rex præteritis argumentis suis, qvibus calicis usum populo injuste ablatum esse Scripturæ testimoniis eviciisse se dicit, in autoritate humana & observatione antiqva opponenda operam consumserit, aut verba Scripturæ neglectis interpretationis legibus, ex conseqventibus, circumstantibus & repugnantibus, imperite aut maligne torserit. In-

I. §. 116. 1521. ostendit qvid sit vera Missa: autoritatem humanam & Missam Pontificiam rejicit.

sistit suæ sententiæ adversus dogma transsubstantiationis in verbis, *hoc est corpus meum*, a Rege oppositis; pronomen *hoc* non ad prædicatum, *corpus*, sed ad subjectum, *panem*, pertinere docet, hunc enim Christus dicit se accepisse, benedixisse & fregisse, non corpus. Urget Pauli locum *1. Cor. X. 16. panis qvem frangimus*. Propugnat similitudinem suam, de corpore Christi sic, salvo pane, præsenti, ut est ignis in ferro candenti, aut Deus in homine salva humanitate. Irridet objectionem, qvod indigna sit substantia panis, qvæ cum corpore Domini subsistat, ideoqve in accidens transmutari debeat, sic enim humanæ naturæ unionem cum divina etiam negandam fore. Itaqve transsubstantiationem, qvam antea pro opinione indifferenti habuisse se fatetur, jam pro impio & blasphemo habet dogmate. At potentissimam rationem pro Missa a Rege allatam esse per ironiam fatetur, cum is „ scriberet: Si missa non esset bonum opus, Laici nihil pro ea tribue„ rent Clericis temporalis beneficii: Recte & optime Rex, ait, ex hac ra„ tione dixit, & dignissima tanto assertore ratione Missam asseruit. Ita„ qve in largitione Laicorum & arbitrio pecuniæ est, Missam esse opus, „ & qvicqvid esse sacerdotibus utile fuerit. Examinat inde & monstrat, qvomodo Missa sit opus, ex parte Sacerdotis, non vero ex parte populi. Qvæ Patrum & Doctorum prolixæ allegationi responderit, infra in *addit. ad §. 102.* referentur. Nec minori fiducia defendit effatum suum, qvod *judicium de veritate dogmatum non ad Papam, sed ad populum & singulos pertineat*; alias frustra in Veteri & Novo Testamento tot dehortationes ad populum factas fuisse, ut sibi a falsis Prophetis caveret, nec dicta Christi valitura, qvod oves suæ vocem suam audiant, & qvicqvid Apostoli de explicatione & probatione doctrinæ monuerint. Qvod si dicant, nullum sic modum fore dissensionis, si „ unitas sub Pontifice non admittatur, unitatem illam sufficere dicit„ qvam Christus exigit, qvamqve facit unus Deus, unus Baptismus, unus „ panis, unus mediator, una fides, qvam fideles omnes a Deo docentur„ *Joh. VI. 45.* Denique librum Regis, ut inter omnes, qvi contra se„ scripti sint, Latinissimum agnoscit, ita stolidissimum & ineptissimum esse existimat, non defensa ex Scripturæ fundamento Missa, sed saltem hominum verbis & usu seculorum. Missa vero, Lutheri argumentis, ut existimat, triumphata, totum Papatum triumphari. Nam

super

super Missam, *ait*, ceu rupem nititur totus Papatus, cum suis monasteriis, Episcopatibus, Collegiis, altaribus, ministris & doctrinis atqve adeo cum toto ventre suo. Si itaqve evincere non possunt, humanorum verborum observantia articulos fidei fieri; nihil contra Lutherum effecturos, etsi mille libros scripserint: neqve enim se disputare qvid a qvoqvam dictum scriptumve, vel non dictum aut scriptum sit, sed an id dictum aut scriptum necessarium sit servatu, an hic articulus fidei & æqvale verbo Dei, qvod conscientiam liget: Addit epilogum *fol. 564.* Si qvem offenderit mea in Regem asperitas, hoc sibi responsum habeat: Cum insensatis monstris me hoc libro agere, qvi omnia mea optima & modesta scripta, tum humillimam meam submissionem contemserunt, & magis ex mea modestia induruerunt. Deinde a virulentia & mendaciis abstinui, qvibus liber Regis refertissimus est: nec magnum est, si ego Regem terræ contemno & mordeo, qvando ipse nihil veritus est Regem cœli in suis sermonibus blasphemare & virulentissimis mendaciis prophanare. Dominus judicat populos in æqvitate, Amen.

§. CXVII.

Qvæ porro subjungit Maimburgius de Lutheri dogmatibus jam apertius propositis, vera esse ex hoc ipso adversus Regem libro, aliisqve hoc & seqventibus annis editis certum est. At maligne enunciat qvædam v. g. qvod Sacramentis ademerit vim conferendæ gratiæ; Lutherus enim ad salutarem Sacramentorum usum, gratiam reqvirit, sed nudum opus operatum absqve fide utentis sine fructu esse statuit. Nec verum est, Scripturas suo saltem sensu explicare illum voluisse; Patet enim ex sæpius dictis, qvas interpretationum leges sibi & omnibus præscribat. Tandem qvæ de sectarum multiplicatione subjungit & exaggerat, adversus veritatem doctrinæ non possunt allegari. Hoc enim divisionum & hæresium malo ab initio statim afflicta fuit Ecclesia; & gravius turbatur, qvo propius fini seculorum accedit. Qvod si non alio modo unitas fidei conservari potest qvam Pontificia illa potestate, cujus decreta vi & manu Reges exeqvantur, nulla esset fidei gloria, ex efficacia verbi & spiritus, sed omnia a vi externa penderent, eodemqve modo, (uti & factum est) & Muhammedismus, & qvæcun-

I. § 117 §. bbb. 1521. Adduntur alia qvædam anni hujus. mors Leonis X. Pp. §. bbb. Caroloſtadii tumultus

qve hæreſis & profana ſuperſtitio obtrudi debilioribus poſſet. Ad annum hunc 1521. referendum eſſet initium perſecutionis ſangvinariæ in Belgio, procurante Alexandro, aliisqve, Caroli Imperatoris nomine abutentibus, factum, ſed commodiori loco de ea agetur. Menſe Novembri Carolus ad Viennenſem univerſitatem, qvæ executionem Bullæ Pontificiæ huc usqve ſuſpenderat, reſcriptum dedit, jubetqve, ut pareant, & libros Lutheri publice comburant. Extat id e Latino verſum *Tomo I. Altenb. fol. 924. b.* Pertinet etiam ad finem anni ſynodus Auguſtinianorum Wittembergæ habita, & Friderici Electoris acta cum Theologis Wittembergenſibus circa Miſſam, ſed ea in aliud tempus diſtulit Maimburgius, ibiqve qvædam annotabimus. Calendis Decembribus mortuus eſt Leo Decimus, annos non niſi XLVI. natus, ſive toxico ei propinato, ſive ulcere fœdo, qvod ex intemperantia dudum contractum, cauſam tamen electioni dederat. Cum enim juvenem ad Pontificatum evehere inſolens eſſet, ex fœtore ulceris, qvo jamtum laborabat, per conclave diſperſo, brevis vitæ prognoſticum captum eſt. *Addit.* Hæc & alia ad mores Leonis pertinentia, Varillaſius nuper in arcana hiſtoria Florentina prodidit, ex qvibus, & ex ſilentio Pallavicini, judicium Pauli Veneti de Pontifice hoc confirmatur, qvod duobus maximis vitiis laboraverit, ignorantia religionis & impietate ſive atheiſmo. Ut adeo mitem nimis appareat fuiſſe Lutherum, qvi talia ei non objecerit, neqve compenſari illa poterunt liberalitatis & magnificentiæ, aliarumqve, qvæ nec Chriſtianum, nedum Chriſti vicarium faciunt, dotium laude, qva illum literati ejus ætatis vehementer extollebant, interqve eos omnium copioſiſſime Eraſmus.

§. bbb.

Melanchth. epiſt. ad Frid. Mecum. *Dum enim Lutherus arci illi incluſus eſſet, nec Dux Saxoniæ inde eum exire, & in publico conſpici permitteret, ne Imperator, qvi illum proſcripſerat, offenderetur; Caroloſtadius Archidiaconus, homo turbulentus & præceps, magiſtrum ſuperare, &* *Cochlæus.* *ſe qvoqve caput factionis conſtituere aggreſſus eſt.*

Hunc

Hunc in finem, postqvam uxorem, licet in sacerdotii ordine constitutus, ducere ausus esset, (ut cælibatum Ecclesiasticum non doctrina solum, sed & exemplo destrueret, qvod plurimi qvoqve alii presbyteri Lutherani statim secuti sunt) juvenum ejusdem ferociæ caterva stipatus, in pulchrum omnium Sanctorum templum intravit, ibiqve Iconoclastico furore Christi crucifixi statuas & alias imagines sacras comminuit, & altaria dejecit, ut Missæ celebrationem penitus impediret. His intellectis Lutherus, qvi discipulum pati non poterat, se magistrum superantem, ex solitudine sua, vetante licet Electore, prorupit, huicqve scripsit, se magis obligari ad obediendum Deo qvam omnibus mundi Principibus. Properat itaqve VVittebergam, & adscita multitudine populi, a qvo adorabatur, cathedram conscendit, & terribili voce contra Carolostadium detonat, qvi ne verbum qvidem regerere ausus est, qvippe neqve ingenio neqve eloqvio magistro comparandus, & præsente eo contremiscens.

Epist. Luth. ad Fridric. Ducem l. 2.

Cochlæus.

§. CXIIX.

Anteqvam de rebus Carolostadii dicam, de Luthero qvædam narranda sunt. Occupatus fuerat custodiæ suæ tempore non solum aliis in scriptis, sed vel maxime in vertendo Novo Testamento, de qvo Maimburgii ordinem seqventibus infra agendum erit. Interea novos Prophetas, ut videri volebant, Zviccaviæ prodiisse compererat, anabaptismum & enthusiasmum, aliaqve non toleranda populo ingerentes. Horum præcipui erant *Nicolaus* cognomento *Ciconia* (Storch)

Addit.

I. §. 118. 119. 1522. Edicta adversus Lutheranos. §. 119. Exit arce Lutherus, ob Carolostadii excessus, scribit

ex pannificum numero, qvi ex tribulibus suis duodecim Apostolos, & septuaginta duos discipulos legerat; dein *Marcus* qvidam *Stubnerus*, *Martinus Cellarius*, & *Thomas Münzerus*, qvi in æde S. Catharinæ cum tumultu prædicabat; idem nempe, qvi postea rusticorum seditiosorum Dux factus est, ut in secundo libro memorabitur. Resistebant insanientibus Pastor urbis, *Nicolaus Hausmannus*, & duo Diaconi, qvos Lutherus laudat. Anteqvam vero hic Wittenbergam rediisset, monuit Philippum & Amsdorffium, ne judicium de iis præcipitarent, sed spiritus primo probent, an ex Deo sint. Suspecta tamen sibi maxime esse scribit, jactata ab illis cum Majestate divina colloqvia; Deum enim, Scriptura teste, spiritualibus angustiis animas explorare prius solere: qvi igitur non nisi blanda, tranqvilla, devota, &, ut vocant, religiosa crepent, etiamsi in tertium cœlum se raptos dicant, fidem non arbitratur mereri, Vide *Lib. II Ep. p. 42. 46.* Audiebat etiam severissima edicta adversus doctrinam suam condi; Nam ex Regimine Cæsareo, Norimbergæ, absente Cæsare, stabilito Electore Palatino præsidente, d. 20. Jan. mandatum ad Principes publicatum fuerat, ut coercerent profanatores sacræ Cœnæ, communionem sub utraqve usurpantes, & Clericos uxoratos. Hoc exasperans Georgius Dux Saxoniæ, qvi eo tempore ex Principum Ordine confessui aderat, condito Norimbergæ circa Idus Febr. edicto, in provincia sua carceri includi & pœnæ servari jussit Monachos & presbyteros, qvi Lutheri dogmata prædicarent, tum omnes, qvi sub utraqve communicarent: revocari etiam mandavit, qvi studiorum causa in Academiis aut Scholis nova doctrina imbutis versarentur. Philippus qvoqve Frisingensis & Numburgensis Episcopus, mandatum Regiminis, sed ut erat, publicari curavit d. 24. Febr. Vide *Tom. II. Alt. f. 86. 87. 88.*

§. CXIX.

Odiosam autem maxime fecerant doctrinæ Evangelicæ causam Carolostadii excessus, de qvibus hic agit Maimburgius. Et hoc ipsum graviter objicit Wittenbergensibus Lutherus in fragmento Epistolæ, dicto *Tomo II. fol. 89.* extante. Cum vero nihil proficeret, retineri se amplius in arce non est passus. Qvæ ante discessum ad Fridericum scripserit, in Actis excusis non reperiuntur. Apparet tamen ex epistola

Addit.

ad

ad eundem, ex itinere in oppido Borna, haud procul Lipsia, die cinerum (4. Mart.) data, qvod Elector Lutherum a reditu dehortatus fuerit; sed is abitus sui causas, inaudita cum libertate, dicta epistola defendit, & primo qvidem iis, qvæ Wittenbergæ acciderant, pene in desperationem adductum se esse scribit, qvæ enim huc usqve passus esset, meros jocos & ludos sibi videri; at ista in summam Evangelii contumeliam erupisse, nec deplorari aut improbari satis posse. Sola itaqve causæ suæ fiducia erectum vivere, & nisi id jam sciret Elector, expresse ei denunciatum a se velle. Evangelium suum non ab hominibus, sed solum ex cœlo a Jesu Christo Domino nostro se habere, ideo se servum Christi & Evangelistam, & in posterum hoc nomine usurum esse. Obtulisse se qvidem huc usqve cognitioni, sed ex superflua humilitate, ut alios alliceret. Nunc cum videat eam modestiam in detrimentum Evangelii a Diabolo verti, nolle se amplius cedere, ut anno præterito in gratiam Principis, non metu fecerit. Wormatiam se ingressum esse, innumeros Diabolos non formidantem. Cum vero Dux Georgius (forte hunc respiciendum esse Elector innuerat) ne uni qvidem Diabolo viribus par sit, per Evangelium autem fideles tanto gaudio & fortitudine erigantur, ut Patrem Deum habeant & invocare possint; sperni Ducis iras debere, eoqve se esse animo, ut Lipsiam qvoqve intraturus esset, si eodem urbs illa, qvo Wittenberga, statu foret, idqve facturum, etsi novem diebus nil nisi Georgios Duces plueret, qvorum singuli hunc novies sævitia superarent: se passum hactenus esse, qvemadmodum & Deus toleraverit, ut Georgius Christum pro stramineo homunculo haberet, imo & orasse pro eo sæpius, & adhuc semel oraturum, qvanqvam uno verbo occisurum se illum esse confidat. Scribo hæc, *ait*, Celsitudini Tuæ, ut sciat, me longe potentiori sub protectione, qvam Electorali, Wittenbergam ire; nolo a Te protegi, nec gladio ad hanc causam opus est, Deus absqve ullo hominum auxilio illam est curaturus. Qvoniam igitur Celsitudo Tua infirma est fide, non possum eam pro defensore meo habere. Qvoniam autem scire vult, qvid sibi agendum sit, dicitqve, se minus juste fecisse, dico ego, nihil Tibi faciendum esse, & jam nimium Te fecisse. Non fert Deus, ut Tua Celsitudo aut ego causam vi tueamur; si hæc credis, tutus eris; sin minus, ego tamen credo, & sinam, ut Tua te angat incredulitas. Excusatus itaqve es, qvoniam Tibi obsequi nolo, si capior

1522.

I. §. 119. 120. plane heroica. §. 120. Elector cum Luthero per consiliarium agit:

1522. capior ego aut occidor. Noli Cæsari vi resistere, patere, ut agat adversus corpora & opes in ditione Tua, qvæ velit. Non potest a Te (qvem sciunt, qvo loco natus sit) postulare, ut carnificis munus adversus me exerceas. Qvod si id petant, Tuæqve Celsitudini id mihi aperiat, faxo (credas aut non credas) ut mei causa tutus & illæsus sis corpore, anima, bonis. Concludit denique: (plura imposterum, ut ait, scripturus) Alius vir est qvam Dux Georgius, qvo cum mihi res est, ille me optime novit, nec ego eum male. Si hoc crederet Celsitudo Tua, videret gloriam Dei, sed qvia nondum credit, nihil huc usqve vidit. Hæc qvia, qvod sciam, in Tomis Latinis non extant, ex dicta epistola Germanica excerpere visum est, ut constantia viri appareat, cui similem orbis non habuit, & qvæ (qvicqvid objiciant adversarii & invidi) divini motus characteres manifestos exhibet, eventu etiam probatos; omnes enim minæ, contumeliæ & machinæ adversus eum per annos, qvos adhuc vixit, viginti qvatuor, irrita fuerunt.

§. CXX.

Fridericus acceptis seqventi die 5. Martii, qvas dixi, literis, magna prudentia & moderatione, ne suam autoritatem cum Zelo Lutheri committeret, nihil ei respondit, sed dato 6. Martii (Veneris post cinerem) Lochavia, ad Hieronymum Schurfium, J. C. Wittenbergensem, & Consiliarium suum, mandato, benigne salutare jussit Lutherum, & cum eo agi, ut literas ad Electorem scriberet, qvibus causas, cur Wittenbergam regressus sit, aperiat, fateaturqve se injussu Principis rediisse, & aliqvo modo sese offerat, promittat etiam nemini molestum futurum esse. Literas nempe ita volebat componi Elector, ut eas cum Magnatibus & amicis communicare posset. Addit, se nihil in hac causa intendere, qvam ne seditiones fiant, idqve diligenter curandum, & Luthero interim a concionando in arce (id est, templo Omnium Sanctorum) abstinendum esse, omniaqve hæc secretissime habenda. Vide *Tomo II. Alt. f. 93.* Schurfius d. Martii (Dom. Invoc.) ad Electorem retulit, Lutherum (qvem mirifice, ut Apostolum & Evangelistam Christi commendat, & turbas ab aliis, absente eo, excitatas valde improbat) ad literas, qvæ desiderabantur scribendas promtum fuisse, eorumqve exemplum, adscripto die 6. Martii mittit. Schedulam inseruerat Lutherus, qva Electori integrum facit, aliam formam

præ-

præscribere, addens se nihil plane, qvod lucem ferre non posſit, actu- 1522.
rum, nec metuere, si priorum etiam literarum (scilicet d. 4. Martii datarum) contenta evulgentur: si motus timeatur, eum non Sacerdotes solum, ut huc usqve suspicatus fuerit, sed ante omnia Principes esse experturos, oppressa tamen prius Evangelii doctrina, ut semper antehac factum sit. Elector Schurfio d. 10. Mart. rescripsit, pauca qvædam paulo vehementiora in Lutheri literis esse, qvæ mutari cuperet. Assensit Lutherus, ut ex relatione Schurfii d. 15. Martii *d. Tom. II. f. 99.* apparet, in qva hic simul memorat, qvanto gaudio omnium doctorum & indoctorum Lutheri adventus exceptus fuerit, qvam egregie ille qvotidie veritatem doceat, & omnia in ordinem restituat: adfuisse etiam Capitonem (qvi apud Albertum Cardinalem Halis tunc erat) duasqve conciones Lutheri adversus abusus sacræ cœnæ, lætantem laudantemqve audisse. Hæc & alia Schurfius. Literæ qvas Lutherus ex compacto cum Electore, & hujus jussu correctas scripsit die Mercurii post Invocavit, id est 11. Martii (qvæ Germaniæ Tomo II. Alt. fol. 96.97. Latinæ Tomo II. Jen. f. 544.545. & Lib. II. Epistolarum p. 46. 47. extant) nam Latinæ tales sunt, qvales Lutherus composuerat: Itaqve in iis residua manserunt, qvæ Elector expungi voluerat, v.g. ubi scripserat Lutherus, longe aliud in cælo qvam Norimbergæ in conventu pronunciatum & concluſum esse, & brevi appariturum, qvod illi qvi nunc somniant se penitus devorasse Evangelium, & qvasi crudum in alvum transmisisse, nondum has ipsas epulas illibatas, precibus de more consecraverint. Horum enim loco in Germanico exemplari correcto saltem legitur, *longe aliud in cælo, qvam in terris concluſum* esse. Inserta vero sunt qvædam Germanicis istis, qvæ in Latinis non habentur, non admodum lubenter à Luthero admissa, ut patet ex epistola ad Spalatinum d. 13. Martii data *Lib. II. ep. p. 56.* cujus inter alia hæc sunt verba: Mitto hic literas ad Principem, in qvibus, ut multa incredulitatis pavidæ signa Princeps ostendit, qvæ infirmitas ejus ferenda est, ita hoc unum me offendebat verbum, qvod Cæsarem cogor appellare Dominum Clementissimum Meinen allergnädigſten Herrn/ cum sciat orbis, esse mihi infensissimum, & hunc fucum manifestum omnes ridebunt. Tamen ego potius rideri volo, & fuci argui, qvam infirmitati Principis resistere; conscientiam autem ab isto fuco sic redimo, qvod usus & stylus sic habeat, Cæsarem appellare vel ut

I. §. 120. causas adventus sui exponit; Magna ejus de causa sua fiducia.
1522. De Carolostadiano

„ ut proprio nomine & titulo, etiam ab iis, qvibus sit infensissimus. Nam
„ ego fucos mire odi & satis multum eis concessi hactenus; aliqvando
„ & παῤῥησίαν præstare oportet. Tres autem utrobiqve rationes pro
„ adventu suo Lutherus allegavit, qvas Maimburgius, ut alia, præteriit.
Primo qvod incumbere sibi crediderit inceptam a se Wittenbergæ religionis restitutionem prosequi; *secundo* qvod a cœtu, cujus cura sibi commissa fuerit, ob enatas turbas, qvas absens sedare non potuerit, per literas revocatus fuerit; *tertio*, qvod valde angeretur animo, & vereretur, ne qva magna seditio in Germania oriatur, eaqve pœnas det contemtus & ingratitudinis beneficiorum Dei. Videmus enim, *ait*,
„ qvanta cum approbatione, applausu, gratulatione & concursu Evan-
„ gelium a plurimis accipiatur. Sed in populo multi hoc beneficium
„ carnaliter accipiunt, cernunt apertis oculis veritatem, nec tamen ea,
„ ut debent, utuntur. Hæc omnia uberius explicat, & pro ratione generali, qvam solam notavit Maimburgius, plus semel affert, *Deo ante*
„ *omnia parendum esse*. Scribit enim: Urgent me causæ inevitabiles;
„ Deus cogit & vocat, hic nulli creaturæ tergiversandum est; age, fiat
„ igitur in nomine Jesu Christi, qvi est Dominus mortis & vitæ. Et
„ postea: Non solum Celsitudinis vestræ vel offensionem vel benevolen-
„ tiam, sed etiam totius mundi vel odium vel furores tantæ Ecclesiæ ne-
„ cessitati posthabenda duxi. Et in fine: Celsitudo Vestra Dominus
„ qvidem est mei corpusculi & fortunularum, Christus vero etiam ani-
„ marum, ad qvas me misit; & ad qvarum vitam me exsuscitavit. Fiducia vero bonæ causæ ita inter alia loqvi cum fecit: Ego firmissime per-
„ svasum habeo, meum verbum seu initium mei Evangelii non a me sed
„ a Deo profectum esse. Nec ullum genus mortis aut persecutionis,
„ Deo juvante, hoc mihi excutiet aut diversum docebit. Et videor mi-
„ hi recte divinare, nullis terroribus aut sævitia hanc lucem aboleri pos-
„ se. Annuit tunc & huc usqve huic divinationi & his votis Deus, & si per peccata nostra liceat, etiam imposterum annuet. Cæterum de tumultu Carolostadiano, etsi multa dici possent, neglecta aut ignorata Maimburgio, cum tamen tot alia & meliora dicenda restent, multa prætermittenda sunt. In literis Schurfii d. 8. Mart. scriptis *dicto Tomo II. f. 94.* inter alia refertur, sublata a Carolostadio confessione & facta Sacerdotum expulsione in locum qvinqve aut decem Missarum in

tem-

templo oppidano habitarum, uno die plus centum per tumultum confluentis plebis, neglectis omnibus ceremoniis, successisse. Conciones autem, qvas adversus abusus Lutherus diebus septem continuis habuit, nempe a *Dominica Invocavit* d. 8. Mart. ad 14. Mart. extant *dicto Tom. II. f. 99. & seqq.* Has non video, cur terribiliter detonatas esse Maimburgius dicat. Sed de iis paulo post agetur. De matrimonio Clericorum, qvod hic iterum tangit noster, plus satis supra dictum est. Carolostadii nuptias Lutherus, dum in arce esset, intellexerat, & in literis d. 14. Jan. ad Amsdorfium datis mire sibi placere, scripserat, addito voto: *Confortet eum Deus in bonum exemplum inbibenda & minuenda Papistica libidinis, Amen.* 1522.

§. ccc.

Scripserat qvidem contra Missam Lutherus, nec a nuptiis abhorrebat, ut non multo post apparuit, sed qvoniam sciret, Ducem, Patronum suum, nolle qvidqvam in externis immutari, ipse vero Missam aliaprorsus qvam Catholica forma introducere vellet, non tamen omnia, licet in se bona, sine ordine tractari debere dixit, sed scandala vitanda esse. Ideo palam acriter inculpato Archidiacono, ita ut obfractas imagines haereticum & Iconoclastem nominaret, permissas esse imagines docuit, exceptis iis, qvibus Deitas effingeretur, imo utile esse eas haberi, praesertim Jesu Christi. Certe in Lutheri operibus, tribus post mortem ejus annis VVitteberga vulgatis, praemissa imago Christi crucifixi conspicitur, ad cujus unum latus Dux, ad alterum Lutherus, flexis genibus orantes repraesentantur. Hanc publicam correctionem miser iste Archidiaconus ferre debuit, aegre licet;

I. §. ccc. 121. 1522. Staphyl. l. de Luth. Erasm. Alberus contr. Carolost. Flor. de Ram. Lib. 1. c. 15.

neqve tamen ab aliis excessibus abstinere potuit. Cum enim qvod Deus Adamo dixerat: In sudore vultus tui vesceris pane tuo, *pro præcepto, qvo omnes homines obligarentur, haberet, terram fodere cœpit, & Melanchthon a stulto illo se induci passus est, ut operam suam pistori locaret, ita ut Lutherus vix multo negotio ab his ineptiis illos revocare posset. Sed aliæ mox seqvebantur. Nolebant enim, ut aliud qvidqvam qvam sacra Scriptura in Academia prælegeretur: ita literarum studia VVittebergæ interrupta fuissent, nisi Lutherus autoritatem suam interposuisset, qvamvis continua vituperatione Philosophiæ, & doctrinæ Scholasticæ causam errori dedisset. Manifestum vero dissidium tandem erupit, cum infelix novam contra Lutherum sectam constituturus Realitatem corporis & sangvinis Jesu Christi in sacræ Eucharistiæ Sacramento negare cœpit.*

Carolost. dial. de Cœn. contra Luth.

§. CXXI.

Non invenio increpationes illas in concionibus Lutheri, qvas hic refert Maimburgius: sed pro magno illo, qvem ex tumultu se absente & contemto facto cœperat, dolore, modeste locutum esse judicabunt, qvi conciones legent. Breves illæ sunt, & qvatuor tantum priores Latine versæ habentur *Tomo VII. Lat. Witt. f. 273. & seqq.* In *prima* placide insinuat auditoribus, qva charitate infirmi tractandi sint; & adversus hanc peccatum esse præcipitantia & violentia, neqve se, licet primus per Dei gratiam verbum divinum iis annunciaverit, si præsens fuisser, approbaturum, qvæ egerint, fuisse, Missas tamen solitarias ob abusum notorium abrogatas sinere. Concione *secunda* neminem ad fidem vel cultum cogi debere rationibus firmat, & suo exemplo

exemplo, qvi (ut est in textu Latino dicto *Tomo VII. f. 275. b.*) Wormatiæ tumultum excitare potuisset, ut nec ipsi Cæsari tuto illic agere licuisset. Concione *tertia* inter alia de sacris imaginibus ita loqvitur, ut propter ingentem abusum mallet nullas esse, tolerari tamen posse absqve adoratione, imo nec eas, qvæ adorantur, vi tollere consultum fuisse, sed sufficere, si abusus publice demonstretur. Idem *qvarta* persequitur concione, neqve tamen imagines utiles esse docet, ut hic refert Maimburgius, sed indifferentes, si cultus absit; scilicet neqve bonas, neqve malas. In eadem, de usu abusuqve jejuniorum sive abstinentiæ a carnibus tractat, & liberam relinqvit. *Qvinta* improbat, qvod pro necessario habere voluerint, panem & vinum in S. Cœna non ore a porrigente sacerdote, sed manibus prehensa accipere. Etsi enim ritus iste liber sit, sine scandalo tamen mutari non potuisse. *Sexta* promiscuum accessum seu concursum ad sacram Cœnam reprehendit, & piam reqvirit præparationem, ante omnia vero fidem, sine qva salutaris non sit usus. *Septima* denique confessionis Sacerdoti faciendæ utilitatem commendat. In his omnibus nihil jubet, aut terrore vel minis exigit, aut præcipit, sed adductis rationibus, monens precansqve svadet. De communione sub utraqve ita statuit, ut etsi illam præferat, noluerit tamen vi introducere, sed argumentis propositis cœtum ad illam invitare, & interea ferre, qvi unam speciem sumere voluissent. Taxatur hic ex Reformatorum parte ab *Abrah. Scultetо*, qvod in epistola ad Priorem Augustinianorum Islebiensem, Casparum Guttelium, Dom. Læt. scripta inter res nihili communionem sub utraqve retulerit. Verba literarum hæc sunt: *Lib. II. p. 56.* Ego Carolstadium offendi, qvod ordinationes suas cassavi, licet doctrinam non damnarim, nisi qvod displicet, in solis ceremoniis & externis faciebus laborasse eum, neglecta interim vera doctrina christiana, hoc est, fide & charitate. Nam sua inepta docendi ratione eo populum perduxerat, ut sese Christianum arbitraretur, per has res nihili, si utraqve specie communicaret, si tangeret, si non confiteretur, si imagines frangeret. En malitiam Satanæ, ut per novam speciem molitus est erigere se ad ruinam Evangelii. Nam hæc ego qvæsieram hactenus, ut conscientiæ ab istis contrariis faciebus liberarentur, & res ipsa per sese rueret communi consensu. At ille cupiebat fieri subito novus Magister, & suar ordi-

1522. „ordinationes in populo pressa autoritate mea erigere. Non sic impii, „non sic, sed soli Deo gloria. Spero tamen æqvas mentes facile judicaturas, Lutherum id modo deprehendere, ejusqve verba eo pertinere, qvod res sanctæ profanentur & in nihilum reducantur, si externa tantum specie, non ex conscientia fidei fiant. Alia etiam suggillatio ex postremis istis verbis, cum ad solum Deum gloriam refert, repellitur, qva qvidam zelum Lutheri ambitioni & æmulationi tribuunt. Nec justior est censura, cui inter alios Erasmus adversus Lutherum non semel indulget, qvasi bonarum litorarum studia sub Lutheranismo interitura sint. Qvicqvid enim in eam sententiam Carolostadius tumultuarie & fanatice dixerat aut egerat, Luthero invisum ingratissimumqve fuit. Neqve justa, qva usus est, vituperatio abusus Philosophiæ & Theologiæ Scholasticæ reprehensionem, sed potius laudem meretur. Ea sane effectum est, ut vel ipsorum adversariorum testimonio, longe alia Philosophici & Theologici studii facies posthac apparuerit in toto Christiano orbe. De Maimburgii relatione, cum narrat, imaginem Christi Tomis Lutheri præfixam esse, cui ille & Elector positis assistant genibus, notandum est, nihil inde de necessitate aut cultu imaginum concludi posse; nec aliam Electori aut Luthero sententiam pictura illa Typographorum studio facta tribui, qvam qvalem illi viventes publice professi sunt. Eriguntur multoties in templis & cœmeteriis Lutheranorum ejusmodi statuæ & picturæ, neqve tamen per eas aliud indicatur, qvam defunctos pia & devota mente Christum coluisse. Nam viventium nemo ad imagines se prosternit, licet non raro publice privatimqve orantes in genua provolvantur, & statuæ in templis aliqvibus supersint. Qvæ de Philippo affert, examinare hic non lubet; alterius etiam loci sunt, qvæ de dissidio sacramentario hic & in seqventibus subjungit.

§. ddd.

Luth. ep. ad Argent. Melanchth. de Cœna. Histor. August.

Bona fide laus hæc tribuenda est Luthero, qvod nunqvam errorem hunc Sacramentariorum ferre potuerit, sicuti nec hodie Lutherani illum in Calvinistis ferunt, qvantocunqve nisu hi unionem cum iis moliti

I. §. ddd. 1522.

moliti fuerint. Ingenue etiam profitetur Lutherus, se, ut Papæ ægrius faceret, & multa molestia se liberaret, optasse, ut bona cum conscientia negare præsentiam realem posset; sed qvia sacra Scriptura tam perspicua in hoc argumento sit, nullam vidisse se eam negandi rationem, nisi qvis manifesta malitia oculos claudere vellet. Itaqve tam acriter persecutus est Carolostadium, ut hic discipulus ejus VVitteberga excesserit, & se in oppidum ad Salam fluvium, Orlamundam receperit. Ibi multos decepit, qvi postea Lutherum, eos ab errore revocaturum, parum abfuit qvin obtruncassent. Permotus igitur a Luthero Dux, Carolostadium tota ditione sua exegit. Is Tigurim abiens cum Zvinglio conferre cœpit, qvi Lutheranus antea, Sacramentarius factus erat, & semper postea hujus hæreseos autor habitus est. Hæc ad historiam Calvinismi pertinent, qvam ad aliud opus differo. Sed Zvinglius, qvi gloriam inventæ novæ sectæ cum nemine communem habere volebat, Carolostadium postea deseruit; & hic tam inops factus est, ut ad veterem magistrum rediret, & vilissima submissione condonationem & veniam VVittebergam redeundi impetraret. Verum adeo contemtus ibi, & ab omnibus desertus fuit, ut miser panem rustico labore qværere cogeretur, ligna venum in urbem portans: donec miseriæ illius & qvotidianæ insultationis ab iis, qvibus antea, ut Archidiaconus & Doctor veneratio-

Sleid. l. 3. & 5. Schlüsselburg. de Cœn. Dom.

Luth. ep. ad Argent. Cochlæus. Flor. Ræm. l. 2. c. 7. Addit.

Histor. August.

ni

I. §. ddd. 1522.

Histor. de Com. August. Flor. de Ram. l. 2.

ni fuerat, pertæsus, Basileam se conferret, ubi prædicatoris munus adeptus est. Ibi, ut multi Lutherani Scriptores asserunt, (quanquam ea narratio suspecta mihi est) a Diabolo demum strangulatus dicitur, qui & concionanti, specie viri immaniter magni apparuerit, dein in domum ejus venerit, eique nuntiari jusserit, intra triduum se venturum esse; quo exacto Carolostadius obierit. Quicquid sit, filium reliquit Johannem *patre sapientiorem & feliciorem. Concilio enim Tridentino is se submisit, & Catholicus factus est. Verum hæc multo post evenerunt, conjuncta tamen hic sunt a me, ut uno conspectu exhiberetur, quis exitus fuerit conatus Carolostadiani adversus Lutherum, qui ob victum & penitus oppressum discipulum elatus, ferocior indies multoque imperiosior & insolentior quam antea evasit.*

Adversus falso nominatum statum Ecclesiasticorum tom. 2.

Hoc enim tempore seditiosum adversus totum ordinem Ecclesiasticum & inprimis contra Episcopos, quos exterminari vult, librum publicavit. Fuit etiam tanta impudentia, ut Bullæ Pontificiæ In Cœna Domini, *qua nominatim excommunicatus erat, aliam a se factam opponeret, sub titulo* Bullæ & Reformationis D. Lutheri: *in qua dicit, quod omnes qui viros suas ad diripiendos Episcopatus & Episcoporum potestatem abrogandam impenderent, filii Dei genuini sint futuri; e contrario qui eos defenderent, aut iis obtemperarent, Satanæ sint ministri. Horrendum vero*

maxi-

maxime, qvod impietatem tam apertam multis Sacræ Scripturæ dictis probare nititur, qvam summo studio plurimis in locis corrupit, & promiscue omnium hominum manibus insinuavit, ut doctrinam ejus purum putum Dei verbum esse crederent. 1522.

§. CXXII.

De controversia circa præsentiam realem alibi, ut jam innui, convenientior dicendi locus erit: illa enim hoc tempore nondum eruperat, neqve Lutherus manifeste doctrinam Carolostadii sed importunitatem taxavit. Laus qva hic ob assertam præsentiam Lutherum donat Maimburgius, qvo tendat, facile conjicitur. Cætera de Carolostadio examinanda non sumo, nec defendo, si qvid de eo invidiosius scriptum est. Tumultus rustici tempore infeliciter in Franconia vagans, & inter seditiosos delatus, Rotenburgo ad Tuberam vix elapsus est, nec nisi Lutheri opera a criminis intentatione liberatus, & in Saxoniam receptus: ibi de cœna Domini disputationis non assertionis causa scripsisse testatus, suspectum se Zvinglianis partibus fecit. Postea tamen cum ne Lutheri qvidem commilitantis interventu invenire conditionem posset, qva se suosqve aleret, Basileam anno 1531. pervenit, ubi tunc Lutheri potius qvam Zvinglii dogmata, aut utraqve, locum habebant; cumqve annis decem in templo Petrino & in Schola qvoqve docuisset, pestis tempore anno 1541. ipso Nativitatis Christi Festo obiit. Famam Diabolicæ apparitionis, qva territus mortem oppetierit, ab *Hesbusio*, qvi eo tempore Basileæ non sine autoritate vivebat, sparsam, & pro concione ad populum delatam refutavit *Petrus Boqvinus*, Reformatæ sive Helveticæ confessionis in Palatinatu Heidelbergensi primarius administer: ex qvo aliisqve vitam Carolostadii conscripsit, & inter Theologos Lutheranos (qvi tamen eum vehementer detestantur) retulit *Melchior Adami*. Ipse etiam Melanchthon litis & tumultus de cœna Domini autorem illum facit, vocatqve *hominem ferum, inconsideratum, indoctum, & suo sensu abundantem*, einen wilden / unverständigen / ungelehrten und eigensinnigen Menschen. De insolentia, ferocitate & impudentia Lutheri veteres querelas ex Cochlæo hic repetentem Maimburgium patienter fera-

1522. mus. In qvantis ipse angustiis tunc vixerit, epistola ejus ad Nic. Gerbelium Argentinensem JC. ostendit mense Martio scripta *Lib. II. p. 52.* his verbis: Furit Satanas, & fremunt vicini undiqve, nescio qvot mortibus & infernis, jam & reipsa mea adeo aula medius fidius turbavit res usqve ad desperationem. Vivum ergo coactus sum meipsum in medium Cæsaris & Papæ furorem conjicere, si forte lupum e caula qveam ejicere. Itaqve jam nullis præsidiis cinctus sum, nisi cælestibus, sed versor in medio hostium, qvibus jus est per homines datum me omni hora occidendi. Ego me sic solor, qvod scio Christum esse Dominum omnium, cui Pater omnia posuit sub pedibus ejus, haud dubium & Cæsaris iram, & universos Dæmones, qvi non sunt de ovibus, qvas Pater subjecit Filio. Ira si is volet me occidi, occidat in nomine ejus; si nolet, qvis me occidet? Tu tantum cum tuis cura, ut Evangelium juves orationibus. Video enim Satanam id moliri, ut non modo Evangelium extingvatur, sed & tota Germania sangvine proprio inundet. Heu qvæ monstra ille cogitat, & nisi fallor, nimis certo instant, eo qvod non sint, qvi se murum ponant adversus Deum pro domo Israel. Tum qvod Evangelion regni præ dura nostra ingratitudine habemus in solo sermone, sed non in virtute, & magis inflamur scientia qvam ædificamur charitate, ideo dabitur nobis, ut metuo, sicut meremur. Et eodem die ad Joh. Langum, Erfurtensem Ecclesiastem: *d. l. p. 54. b.* Ad vos venire non licet, neqve enim Deum tentare fas est, & pericula qværere ultro, cum hic satis periculorum expectandum sit mihi, qvi Papali & Imperiali anathemate excluſus, prorsus omnibus sum ad cædem expositus, nullo præsidio tutus, nisi cælesti. Sed anteqvam de libris, qvorum hic mentio a Maimburgio fit, agatur, tacendum non est, edidisse Lutherum eodem mense Martio tractatum Germanicum *de communione sub utraqve & innovationibus aliis* a Carolostadio scilicet factis: qvi extat *Tomo II. Altenb. f. 120 & seqq.* In hoc, qvæ extemporaneis illis concionibus monuerat, plenius explicat. Sentiebat autem tunc temporis & svadebat, donec ex verbo Dei mentes hominum convincerentur, ut ob præoccupatum per tot secula fere omnem populum observantia & metu Pontificiorum decretorum, communio sub una nondum vi abrogaretur, sed publice adhuc retineretur; qvi vero conscientiæ impulsu communionem sub utraqve desiderarent, ita admittantur, si id sine scandalo eorum, qvi sub una com-

& toleranda, qvæ sub una fiebat. §. 123. Scribit adversus statum Ecclesiasticum, titulo Ecclesiastæ; I. §. 122. 123. 1522.

municant, fieri possit. Sic etiam Missam deniqve ipsam omissis saltem formulis, qvæ ad sacrificium pertinent, &, qvem vocant, canone, veteri ritu & Latino sermone, sed cum communione, & prævia libera confessione accedentium, celebrari. Si qvi sint Sacerdotes, qvi solitarias missas nolint intermittere, tolerari eos, nec vi ab altaribus abigi volebat; imagines etiam non removeri; conjugia deniqve Sacerdotum & Monachorum libera esse debere. Hæc insolentis & audacis non sunt, sed nimium forte caventis, & ad infirmitatem Principum & populi respicientis.

§. CXXIII.

Qvacunqve autem moderatione ille circa ritum Sacræ cœnæ omnium judicio expositum, uteretur, nullam tamen erga Pontificem & Episcopos, qvi doctrinam ejus, Bullarum Papalium autoritate nixi, ubiqve persequebantur, mediocritatem servandam sibi imposterum esse existimavit, sed edito libello Germanico wider den falschgenanten geistlichen Stand des Pabsts und der Bischöffe/ *Tom. II. Alt. fol. 161. adversus falso nominatum statum Ecclesiasticum Papæ & Episcoporum*, omnia argumenta veluti in aciem eduxit, qvibus eos nihil minus qvam Christi Apostolos, sed plane damnabiles, & populis damnationis causam præbentes demonstret. In exordio *Ecclesiasten* se nominat, qvia Sacerdotis & Doctoris titulis, lubens qvidem, per Papæ & Cæsaris bullas exutus sit, nihilqve ex Pontificio charactere reliqvum habeat. Qvod si etiam *Evangelistæ* titulum sumeret, majori id jure facturum se esse scribit, qvam ullus Episcoporum suum titulum probare possit, certumqve se esse, a Christo ipso sic nominari, & pro tali haberi, qvi doctrinæ suæ magister, & in novissimo die testis futurus sit. Argumenta vero, qvibus verum Episcopatum describit, & cui oppositum esse ait illum, qvem Episcopi ejus temporis gerebant, ex epistolis Pauli *1. Tim. III. Tit. I. & Petri Ep. II. cap. 2.* depromit, & incredibili libertate vitia Ecclesiasticorum, impudicitiam & luxum, pompas aulicas, ignorantiam Theologiæ & desidiam in docenda plebe, ut & avaritiam depingit, & belle, ut Cochleus loqvitur, commemorat, qvas per officialium & Procuratorum rapacitates in aulis & consistoriis suis exercebant. Bullam etiam, ad imitationem & retorsionem Pontifi-

I. §. 123. 1522. qvo sensu destrui aut tolerari voluerit Episcopos. qvid sentiendum de damno nobilitatis,

ciæ, libello huic inseruit, qva veluti ex cathedra definit & edicit, ea
» qvæ Latine vertit Cochleus: Qvicunqve opem ferunt, corpus, bona,
» & famam in hoc impendunt, ut Episcoparus devastentur, & Episcopo-
» rum regimen extingvatur, hi sunt dilecti filii Dei, & veri Christiani;
» observantes præcepta Dei, & repugnantes ordinationibus Diaboli.
» Aut si hoc non possint, regimen tamen illud saltem condemnant ac vi-
» tant. Contra vero, qvicunqve manutenent Episcoporum regimen,
» eisqve obediunt voluntaria obedientia: hi sunt diaboli ministri pro-
» prii, & repugnant Dei ordinationi ac legi. Sed debuisset etiam Co-
chleus bona fide adscribere explicationem & moderationem, qvam
Lutherus diserte subjungit *dicto Tom. II. f. 175 a.* in hæc verba: De-
» vastationem & extinctionem neqvaqvam intelligi volo, ac si manu ac
» gladio res agenda esset (neqve enim digni hoc sunt labore, neqve is ex-
» pediret) sed secundum doctrinam Danielis c. VIII. 25. sine manu con-
» teretur, ut scilicet omnes per verbum Dei contra illos doceant, & ar-
» gumententur, donec pudefiant & sponte contemnantur & cadant.
» Hæc destructio Christiana est, in qvam omnis impendi debet opera.
Dein vulnera etiam oleo, ut scribit, fovens, illis Episcopis, qvi vitia a-
gnoscant, & de salvanda anima sua solliciti esse velint, consilium dat,
ut, si ipsi præstare id non possint, viros doctos adsciscant, per qvos in
diœcesi sua Evangelium pure prædicent, nihilqve omittant aut virent,
qvod Christus faciendum patiendumve Evangelii sui causa statuerit.
Sic Valerium Hipponensem sibi Augustinum substituisse, & in multis
Græcæ Ecclesiæ diœcesibus Presbyteros Episcoporum loco, iisqve præ-
sentibus, fuisse concionatos. Qvomodo objectionibus respondeat
de tumultu, qvi metuendus sit, & de damno Principum & Nobilium,
qvorum filii hoc modo a dignitate & proventu Episcopatuum & Præ-
bendarum excluderentur, aliaqve qvæ pro cœlibatu & virginitatis vo-
to allegari solent, refutet, tum qvod nota sint, tum qvod vetera odia
nimis renovarent, satius est omitti. Summa est, præferri omnibus a-
liis considerationibus, utilitatibus & dignitatibus debere salutem ani-
mæ, & verbi divini clarissimas dispositiones. Nec absre sunt, qvæ
» dicit *fol. 182. b.* Etiamsi illustrium virorum filii in Clerum, filiæ in mo-
» nasteria, rei familiaris levandæ causa, assumantur, nihil tamen profi-
» ci: adesse vindictam divinam clamore sangvinis ob cædem spiritua-

lem

Cessantibus prædendis, odium Lutheri ob hoc scriptum, censura ab Erasmo: Lutheri querela I. §. 125. 1522.

lem animarum veluti profusum, provocatam, qva Principes & Nobilitas depauperentur. *Ait postea:* Cur secundo genitis Principum & Nobilium non aliqvid datur, more Israelitarum, ut ad aliorum civium conditionem redigerentur? qvis jubet omnes æqvali jure bona dividere, omnesqve Principes & nobiles manere? futurum brevi prædicit, ut nobiles cum plebejis jungantur, opum scilicet causa. Qvomodo excepta fuerit tam acris censura, florentibus Episcoporum rebus, qvorum plurimi magnorum Principum & illustrissimorum Comitum fratres filiique erant, aut vix ullus, qvi non ex Baronum & eqvestri genere esset, egregiis affinitatibus subnixus, facile judicari potest, mirumqve profecto, ut jam sæpe dixi, est, hominem hunc vel unum diem superstitem libertati huic suæ vivere potuisse. Qvanta in eum veluti grando convitiorum ceciderit, ipse qvidem non dissimulat, qvanqvam verum est, adversarios ei plerosqve rudes & inscetos contigisse, qvos ingenio longe superabat. Erasmum inter paucos excipio, qvi stylo & politiori literatura potior, eaqve elegantia & moderatione affectuum applausum captans, ita scripsit, ut neminem Lutheri causæ magis nocuisse existimem. De hoc ipse qvidem Erasmus gloriatur, qvanqvam exigua ab Ecclesia, cui adhærebat, gratia. Nolo repetere, qvæ supra notavi, opus fuisse immiti Prælatorum castigatore, ut Erasmus ipse non diffitetur, Epistola ad Melanchthonem anno 1524. scripta. *Lib. XIX. ep. 3.* Num eventu comprobatum est, qvotidieqve adhuc comprobatur, qvod frustra idem Erasmus speraverit, ut temperata libertate Pontifices & Reges ad hujus negotii (reformationis nempe) consortium pellicerentur. Qvod vero in iisdem literis optat Erasmus, *ut Lutherus tam cito posset Pontifices & Principes ad Evangelicæ pietatis studium convertere, qvam in vitia illorum fortiter debacchari*; id profecto ipse Lutherus anxie desideravit, imo cum non succederet, qvam plusqvam omnia intendebat, vitæ & morum, etiam in illis locis, ubi purior doctrina prædicabatur, correctio, nemo vehementius de malo illo qvestus est. Testis est inter alia epistola ad Joh. Langum, qvi tunc monasterio Augustiniano Erfurtensi exierat, supra relata, in qva qveritur: Virtus verbi adhuc latet, vel nimis modica est in omnibus nobis, qvod miror valde. Sumus enim iidem, qvi antea, duri, insensati, impatientes, temerarii, ebrii, lascivi, contentiosi; summa, sym-

I. §. 123. 124. de lapsu morum, Zelus & successus in corrigendis. §. 124 Lutherus in tractatu

1522.

symbolum illud & insigne Christianorum charitas nusqvam prodit, & fit illud Pauli: regnum Dei habemus in sermone, non in virtute. De Monachis vero cucullum exuentibus ita loqvitur: Video Monachos nostros multos exire nulla alia causa, qvam qva intraverant, hoc est, ventris & libertatis carnalis gratia, per qvos Satanas magnum fœtorem in nostri verbi odorem bonum excitabit. Et anno seqventi 1523. m. Jul. ad Spalatinum: Mihi molestissimum est, huc tanto numero volare defectores Monachos, & qvod magis movet, statim uxores ducere, cum sit genus hominum ad res gerendas ineptissimum. *Lib. II. Ep. p. 139. b.* Hanc ingenuitatem viri sancti dissimulare non debui, qva multæ imputationes adversariorum repelli possunt. Si enim fraudulenter versatus esset, suumqve tantum commodum, & popularem applausum seqvi voluisset, non ea, qvam videmus, libertate de abusu doctrinæ qvestus foret. Fecit igitur qvod potuit, qvantumqve Deus permittebat. Asseruit in libertatem Christianam populos, jugum humanarum traditionum confregit; verbum Dei omnibus, qvi audire & legere vellent, obtulit, morum castimoniam gravissimis argumentis ex vero fidei fundamento ursit, plantavit nempe & rigavit, incrementum a Deo expectandum fuit. Neqve tamen infructuosus adeo erat labor ejus, ut non insignia pietatis exempla undiqve conspicerentur, martyrii etiam honore novellas Ecclesias decorante, ut postea memorabimus. Qvantumcunqve vero vel tunc langveret, vel nunc etiam langveat inter nos pietas, nondum tamen (Deo sit gratia) habet, qvod Germaniæ protestanti se præferant Reformationis ofores, omnium vero minime illæ nationes, qvæ Lutheranismum ferro & igni arcent, meliorem morum disciplinam jactare possunt.

§. CXXIV.

Edidit hoc anno Lutherus tractatum Germanicum *de vitanda hominum doctrina*, qvi legitur *in Tomo II. Alt. fol. 135. & seqq.* in qvo allatis & explicatis scripturæ dictis, præsertim *1. Tim. IV. 1. 7. Coloss. II. 16. 23. 2. Pet. II. 1. 3.* præcepta Pontificum de jejuniis, de cælibatu aliaqve impietatis accusat. Veritus interim ne in abusum ista verterentur, in exordio libelli ita loqvitur; Sciant impudica & proterva eorum capita, qvi Christianismum jactant, qvod ovis & carnibus vescan-

scantur, confessione abstineant, imagines confringant, me illis minime scribere. Habeo enim istos pro talibus qvi castra Israelitarum contra præceptum Deuter. XXIII. 12. 14. conspurcant & fœdant: toleramus illos, donec a Deo corrigantur. Scribo autem ista miseris, afflictis & qvasi captivis conscientiis monachorum & monialium, qvi liberari ex vinculis votorum desiderantes dubitant, an id sine peccato fieri possit. Repetit deinde contenta libelli *de votis monasticis* anno præterito Latine editi, ostenditqve, qvomodo vita monastica salva fide & conscientia geri possit, & qva ratione ab ea discedere & cælibatui renuntiare liceat. Hic (qvod multi ex adversariis nulla ratione ei exprobrant) stimulos carnis & pericula pollutionum allegans, nullum alium conscientiæ tranqvillandæ modum inveniri posse tradit, qvam conjugium: petit autem non solum a lectoribus veniam, qvod ista non taceat, sed & improbat affectatam harum rerum dissimulationem, satius esse scribens, ut qvæ Spiritus Sanctus per Mosen aperte & multis locis ad instruendos homines non celavit, eodem fine, incautæ juventuti non reticeantur; aures, ait, volumus puriores habere, qvam os Spiritus sancti: pudorem affectamus, ubi illo opus non est: non pudet, ubi pudere nos deberet. Cum vero conjiciat, sibi talia scribenti ab inimicis objectum iri, ac si ipse libidine vehementer ureretur, ea se ætate esse dicit, ut per Dei gratiam de continuatione cælibis vitæ bene speret, neqve tamen tam arrogantem esse, ut castissimis se accensere velit; minime vero illis, qvi virginitatem jactent, in occulto tamen faciant, qvæ turpe sit dicere *Eph. V. 12.* Reperitur hoc anno inter Electorem Saxoniæ & Episcopum Misnensem collisio qvædam. Hic enim edicto Norimbergensi, cujus supra memini, accepto, & in Diœcesi sua mense Majo publicato, parochos tres ex ditione Electorali sisti sibi desideraverat, ob Lutheri causam, & qvod uxores duxissent, plectendos. Respondit Elector, se, ut Principem secularem a judicandis controversiis, qvæ pro Ecclesiasticis haberentur, hucusqve abstinuisse aut impeditum esse; dolere tamen, qvod tot abusus contra præcepta Dei irrepserint: in qvibus nominatim taxat blasphemandi licentiam, & qvod Sacerdotibus licentia concubinas habendi ab Episcopis venderetur; rectequve facturum scribit Episcopum, si pios probosqve viros cætibus præficeret, qvi verbum Dei & Christia-

nam

I. §. 124. §. eee. 1522.

nam disciplinam prædicarent & abusus corrigerent. Tres vero Parochos si legitime procedatur, defensurum esse negat, sed ita se gesturum, ut Principem Christianum deceat. *Tom. II. Alt. f. 133.* Apparet etiam hinc, qvam trepide aut caute adhuc versatus sit in religionis negotio Princeps, qvi tamen pro unico Lutheri patrono habebatur. Qvæ de corrupta a Luthero Scriptura hic attexit Maimburgius, digressioni inserviunt, qva ad narrationem de Bibliorum versione perveniat, qvam nunc cum calumniæ continuatione insertam audiemus.

§. eee.

*Eodem enim tempore in lucem emisit partem Bibliorum a se translatorum, cui labori magna diligentia incubuit, post qvam adversus Ecclesiam Catholicam insurrexit. Nihil enim instituto suo magis profuturum fore judicabat, qvam versionem illam, in qvam sub specioso prætextu styli ad genium linguæ patriæ eleganter accommodati, explicationes qvasdam subtiles insinuare posset, qvibus dogmata sua juvarentur. Sane qvemadmodum, ut linguæ istius periti affirmant, Lutherus ejus genium probe intelligens, nunqvam elegantius, qvam in isto opere scripsit, ita Doctores qvidam Germani sapientissimi, qvi plusqvam linguam suam popularem callebant, asseverant, nihil ea versione magis corruptum, minusqve fidele esse, utut elegans & polita sit. * In hac enim neglecta versione vulgata, ab Ecclesia solenniter recepta*

Ut hac arte Scripturam suo commodo translatam ad dogmata sua confirmanda detorqveret. Epist. Georgii Ducis ad Reg. Angl. apud Cochlæum.

Jo. Cochlæus. Hier. Emser.

* *Qvis satis narrare qveat, qvantus turbationum & ruinarum fomes & occasio fuerit ea Novi Testamenti translatio, in qva data opera, contra receptam & probatam Ecclesiæ lectionem multa immutavit, multa addidit, & in alienum sensum detorsit.*

I. §. ccc. 1522.

*pta & probata, Hebraicum textum male intellectum, aut Græcum sæpe corruptum sequutus est, addens & omittens pro lubitu, quæ dogmatibus suis obstabant vel serviebant. Inprimis affectavit, ut Novum Testamentum perverse interpretaretur, eleganter tamen scriberet, & ita jucundo errorum suorum veneno & populum & nobiliores inficeret, qui rei novitate & elegantia styli permoti, avidissime & magna cum voluptate istam versionem, ut purum Dei verbum legebant, cum tamen hominis esset, a quo decipiebantur. * Curavit ideo, ut in parva volumina digestum a Typographis, qui ei adhærebant, imprimeretur, neque quidquam elegantius & correctius ederetur. Sic infinitus exemplorum numerus excusus est, per totam Germaniam subito divulgatus, ita ut omnes libris his commode uti possent ** Notas etiam breviusculas margini adjecit, quibus falsus, quem textui attribuebat, sensus stabiliretur; præmisit quoque præfationem summe artificiosam & malignam, in qua nihil omisit, quo homines ad ardorem legendi libri permoveri possent, in quibus dicebat, ve-*

Rr *rum*

* *Mirum in modum multiplicabatur per chalcographos Novum Testamentum Lutheri. Multum promovit novum istud Evangelium chalcographorum & bibliopolarum mens, industria, impensa & opem; nam quicquid pro Luthero erat, quam diligentissime & emendatissime imprimebatur. Cochlæus.*

** *Multas adjecit in marginibus passim notas, glossas erroneas atque cavillosas. In præfationibus nihil malignitatis omisit, ut in partes suas traheret lectorem. ibid. Luth. in postil.*

l. §. cet. 1522. *rum Dei verbum in puritate sua, qvalis ante hanc versionem haberi neqviverit, contineri. Neqve eventus spem ejus destituit.* Hæc enim versio Lutheri, qvam discipuli ejus ultra modum, tanqvam opus absolutissimum, imo, ut miraculosum Dei donum per magnum hunc virum Germaniæ collatum, extollebant, tam accepta & familiaris omnibus facta est, ut non solum in Saxonia, sed & in aliis provinciis nemo esset, qvi eam non haberet,** aut legisse videri vellet. Fœminæ maxime honori id ducebant, & in assidua lectione versabantur. Qvædam præcipuæ etiam dignationis, tam obstinate deditæ lectioni Bibliorum illorum erant, ut illam, pariterqve doctrinam Lutheri, non tantum adversus alias fœminas, sed & Presbyteros, Monachos & Doctores Catholicos defendere auderent, tanta cum arrogantia & superbia, ut iis tanqvam indoctis & invidis insultarent, nec verentur objicere, qvod Hebrææ & Græcæ lingvæ ignari Scripturam non intelligerent, verusqve intellectus penes solum Lutherum esset.*

§. CXXV.

* *Matthes. Comm. 13. de Luth. Flor. de Rem. lib. 1. cap. 15.*

** *Ut mulieres & qvilibet Idiotæ Novum illud Testamentum tanqvam fontem omnis veritatis avidissime legerent &c. Ut non solum cum laicis partis Catholicæ, verum etiam cum Sacerdotibus & Monachis, atqve adeo etiam cum magistris disputare non erubescerent &c. Et qvidem procacissime insultantes, ignorantiamqve improperantes. Id qvod de nobili qvadam muliere compertum habetur &c. Cochlæus.*

§. CXXV. 1522.

Post impugnatam Pontificum potestatem nihil odiosius Clero Romano præstitit Lutherus, sed nihil populo Christiano acceptabilius & utilius, qvam Sacræ Scripturæ in lingvam popularem versionem, cujus exemplum mox omnes fere nationes secutæ sunt. Qvemadmodum & in prima Christianæ religionis plantatione factum esse constat, ut Scriptura, in intelligibilem lingvam versa, populis proponeretur. Primam instituti sui mentionem de novo Testamento vertendo, qvod sciam, in epistola ad Langum Lutherus fecit, *Lib. I. ep. 204.* sed annus mendose adscriptus illi est. Cum enim data dicatur *fer. 4. post Lucia* in eremo (id est, Wartemburgi) non potuit scribi anno 1520. cum seqventi demum anno Lutherus in arcem venerit; irrepsit ergo sphalma, ut alia multa, & legi sine dubio debet annus 1521. Deinde mense Januario 1522. ex arce ad Nicol. Amsdorffium ita scribit *Lib. II. ep. p. 45. b.* Interim Biblia transferam; qvanqvam onus suscepe- „
rim supra vires. Video nunc qvid sit interpretari, & cur hactenus a „
nullo sit attentatum, qvi profiteretur nomen suum [priores enim ver- „
siones nomen autorum non memorant] Verus vero testamentum non „
potero attingere, nisi vobis præsentibus & cooperantibus. Deniqve „
si qva posset fieri, ut secretum cubile apud Vestrum aliqvem haberem, „
mox venirem, & vestro auxilio totum ab initio transferrem, ut fieret „
translatio digna, qvæ Christianis legeretur; spero enim nos melio- „
rem daturos esse qvam habeant Latini, nostræ Germaniæ. Magnum „
& dignum opus est, in qvo nos omnes laboremus, cum sit publicum & „
publicæ saluti donandum. Diligenter incubuerat in ista solitudine „
sua Lutherus per totam ætatem anni 1521. excolendæ lingvæ Hebraicæ & Græcæ, ut versioni, qvam meditabatur, parem se præstare posset. Extabant qvidem versiones Bibliorum Germanicæ Norimbergæ annis 1477. 1483. 1490. item Augustæ 1518. typis publicatæ, sed nullo populi fructu, cui nec legi permittebantur, nec ob styli & typorum horriditatem satisfacere poterant. Incommodis istis remedium qværens Lutherus, & veritati operam dedit, dum qvantum poterat sensum Scripturæ genuinum ex textu originali seqvebatur, & perspicuitati atqve puritati sermonis studebat; formæ & jam librorum prospiciens, ut partiti & minori pretio emendi prodirent. Neqve tamen sibi soli in labore hoc fidere voluit, sed cum collegis diligentissime contu-

1522. lit, qvæ verterat. Discimus id ex literis ejus post reditum ex arce Dom. „ Lætare 1522. ad Spalatinum datis *Lib. II. p. 55. b.* Non solum *(ait)* Jo„ hannis Evangelium sed totum Testamentum Novum in Pathmo mea „ verteram, verum omnia nunc elimare cæpimus Philippus & ego, & e„ rit (Deo volente) dignum opus: sed & tua opera aliqvando in vocabu„ lis apte locandis necessaria est, ideo sis paratus, sed sic, ut simplicia„ non castrensia nec aulica suppedites. Hic enim liber simplicitate vo„ let illustrari. Et ut ordiar, vide ut Gemmarum Apoc. 21. tum nomi„ na tum colores, & utinam aspectus! nobis ex aula, aut unde potes, mi„ nistres. Impetravit autem gemmas istas & reddidit inspectas, ut ex aliis epistolis illius temporis constat vide *p. 135. b.* Edidit initio Matthæi Evangelium, postea Marci, & Epistolam ad Romanos, & sic alios N. T. libros, *Lib. II. p. 50. 78. b. & 92.* ut totum primo prodierit mense Sept. 1522. Veteris inde Testamenti translationem incredibili labore & diligentia aggressus est, a Mose incipiens: ita enim ad Spalati„ num scribit d. 2. Novembr. 1522. p. 94. In vertendo veteri Testamento „ sum modo in Levitico, incredibile est enim, qvam me hactenus literæ, „ negotia, societates & multa alia impediverint. Sed jam statui domi „ me claudere & festinare, ut ad Januarium Moses sub prælum mitta„ tur; Nam hunc seorsim edemus, deinde historias, ultimo Prophetas. „ Sic enim partiri & paulatim emittere cogit ratio magnitudinis & pre„ cii librorum. Mosen vero typographis, qvi mense Decembri secun„ dam N. T. editionem absolverant, dandum esse memorat d. 15. De„ cembr. in literis ad Linccium. Eodem tempore in prolixa ad Hart„ mutum Cronebergium, Eqvitem, epistola, de proposito illo suo scri„ bit *d. l. p. 107. b.* Statui qvoqve vetus Testamentum in lingvam Ger„ manicam transfundere, qva re peropus mihi esse intelligo, fortasse a„ lioqvi vana scientiæ persvasione induta mortuus essem. Qvem qvi„ dem laborem obire debebant hi, qvi sibi stulte placentes nihil non sci„ re videntur. Laudanda est modestia qva agnoscit, qvam arduum o„ pus aggressus sit, & qvæ doctrina & eruditio reqviratur ad versionem accuratam; unde consilium sæpe amicos rogavit, Vide epist. ad Spalatinum anno 1523. (omisso die) scriptam *p. 137.* in qva loca ex Genesi qvædam proponit, & Germanica verba ministrari sibi petit. Aliis literis in animalium nominibus hærens eundem consuluit. *p. 171.* Sub finem anni d. 4. Decembr. ad Nicol. Hausmannum scribit, se alteram

I. §. 125. 126. 1522.

ram V. T. partem absolvisse, & jam tertiam aggredi, difficilimam & maximam. In Hiobo, Martio demum mense 1524. occupatus fuit, multa cum difficultate, de qva apud Spalatinum, qvasi per jocum, qveritur *pag. 183. b.* his verbis: In transferendo Hiob tantum est nobis negotii, ob styli grandissimi granditatem, ut videatur multo impatientior translationis nostræ esse, qvam fuit consolationis amicorum, aut certe perpetuo vult sedere in sterqvilinio. Nisi forte id voluit autor libri ejus, ne unqvam transferatur: ea res moratur prælа in hac tertia parte Bibliorum. Prophetarum versio non nisi anno 1527. secuta est; ut patet ex epistola ad Langum d. 4. Febr. eo anno scripta *p. 328.* & ad Linccium *p. 332.* Versi autem erant etiam Wormatiæ Judæorum ope, non contemnente laborem Lutherô, sed Germanismum obscuriorem notante. Absolvit autem primum Esaiam anno 1528. dein Danielem, sed in cæteris non nisi anno 1530. ad finem pervenit. Adjutores habuit *Johannem Bugenhagium Pomeranum, Justum Jonam, Philippum Melanchthonem, Matthæum Aurogallum*, aliqvando & alios. *Georgius Rorarius* correctoris vicem subiit. Integrum volumen anno 1534. editum fuit, dein 1541. & 1545. recusum, non sine emendationibus, de qvibus se moneri lubenter ferebat, imo amicos, ut id facerent rogabat.

§. CXXVI.

Hæc qvanqvam ad seqventes annos pertinent, conjungenda esse duxi. Jam Maimburgii maligna qvædam judicia breviter refellemus. Qvis illi, & qvos habet, autoribus credat, Lutherum ideo vertisse Scripturas, ut explicationes subtiles insinuare posset, qvibus dogmata sua juvarentur? Si enim annotatiunculas illas, qvas glossas vocant, intelligit, & paucæ istæ sunt & breves, & qvod maxime notandum, ex fortuitis sermonibus, cum versiones in consessu cum collegis relegerentur, a Rorario, paulo ante nominato, exceptæ, ut Mattheſius, Scriptor vitæ Lutheri, *Conc. XII. p. 160.* tradidit. Qvid opus erat hoc ignobili artificio, cum dogmata, qvæ controversa erant, tot tractatibus non Latina solum sed & Germanica lingva editis stabiliissent, dein antequam tota versio absolveretur anno 1530. publica Procerum qvorundam Germaniæ confessione asserta & in omnium manibus essent?

1522. sent? Frustra qvoqve ad Doctores provocat Majmburgius, plus qvam lingvam patriam callentes (qvasi scilicet Lutherus nullam aliam calluerit) qvi de corruptione textus & infidelitate versionis attestentur. Nimium qvantum! mentem denudant, qvibuscunqve hæc versio sudes adhuc in oculis est, qva nihil salutarius Germaniæ & vicinis nationibus, qvæ ex ista suas translationes elaborarent post barbaram ignorantiam, tot seculis sive per incuriam sive invidiam Cleri invectam, contigisse certum est. Scio regeri, hæreses natas aut multiplicatas esse, propalato in vulgus sacro codice. Qvasi tam ardua res esset Latinam versionem legere, aut qvasi non ex hac qvoqve hæreses oriri possent; qvales qvidem magno numero extiterunt anteqvam promiscuæ versiones in lingvas populares fierent. Itaqve qverela ista non tam ad præcavendas hæreses instituitur, qvam id indicat, metuisse Clerum, ne populus ex ruditate illa sua eluctans majorem eruditionem melioresqve mores a pastoribus desideraret. Qvapropter Lutherus licet populo valde probasset studium suum, non majorem tamen apud proceres Ecclesiasticos gratiam retulit, qvam Romanus ille scriba apud Patricios, cum legum civilium arcana plebi prodidisset. Qvis vero sapientiam hanc præposteram miseros homines docuit, cum Deus ipse de veteri Testamento Judæis populariter legendo, dum & obscuriora & nondum impleta essent, qvæ de Christo promittebantur, præcepisset, ut jam adimpletis omnibus & in clarissimam lucem productis, secreta & abscondita Christianis esse Scripturarum monumenta curarent, & non nisi a Sacerdotibus, qvatenus, qvando, & qvo sensu vellent, docenda? Præviderat utiqve Deus fore, ut qvædam a legentibus non intelligerentur, qvædam in abusum verterentur; præviderat idem sectas Judaicas, ex lectione promiscua & diversitate interpretationum orituras. Anne consultoribus his Deo opus erat, qvi Bibliorum lectionum supprimerent, aut magna cum cautione dispensarent, ne hæreses orirentur? qvis jus dedit Clero, ut has non solum ferro & igne, sed & sublata lectione sacrarum literarum extingverent? nonne idem hoc est, ac cibo hominibus interdicere, qvia aliqvi plus justo vorantes, in morbos incidunt? Intererat scilicet Cleri potentiæ & utilitatis, ut omnes potius in extrema religionis ignorantia versarentur, nec nisi ab ore aut nutu sacerdotum (utinam piorum & doctorum!) penderent, qvam ut populus eorum placita ex regula verbi divini metiretur,

retur, erroresqve notaret & reformari, ubi opus est, urgeret. At rei 1522.
Christianæ intererat, ut neminem mysteria regni Dei laterent, utqve veri fideles & Christiani ex verbo Dei per Spiritus Sancti operationem in dogmatibus & moribus salubriter erudirentur, licet plurimi vel ignorantia vel erronea interpretatione ab hoc scopo dilabi, & schismata atqve hæreses fieri possent. Immortales itaqve laudes Lutheро debet Germania, qvam si nihil aliud unqvam ei præstitisset, vel hoc uno translationis Bibliorum labore, tanto beneficio affecit, qvale nullum per omnia retro secula post cæptam Evangelii prædicationem illi contigit, aut in posterum sperari potest. Non imminuent hanc laudem impudentes calumniæ Cochlei, Emseri, aliorumqve qvos sequitur Maimburgius, de corruptione, omissione, insertione. Nihil huc usqve demonstratum est, qvod tantis convitiis dignum sit: Imo vix ulla erit versio, qvæ minus reprehendi possit, qvæqve elegantia & perspicuitate illam vincat. Periculum faciat aliqvis vel mediocriter Hebraicæ & Græcæ, ut & Germanicæ lingvæ peritus, & conferat cum textu originali vulgatam aliasqve versiones, deinde etiam hanc qvam Lutherus elaboravit, & judicet in qva commodiorem & clariorem interpretationem deprehendere possit. Omittantur vero licet omnia loca, qvæ adversarii sugillant, vel ex vulgata, qvam ipsi authenticam vocant, Latina substituantur, nihil tamen veritati dogmatum ad salutem necessariorum, qvæ Lutherus proposuit, decedet. At erepta Christianis, lingvæ Latinæ ignaris, Bibliorum lectione, aufertur id, qvod religionis qvasi alimentum est, & qvo nihil pretiosius dari potest. Vanus est Maimburgius, cum hominis non Dei verba suggesta esse populis a Luthero nugatur, nisi de Latina, omnibusqve versionibus imo de Evangelistarum & Apostolorum scriptis, qvæ non Syriaca Christi verba, sed Græca proponunt, idem statuere velit. Christi pastoris vocem oves agnoscunt. Sint qvædam in Lutheri versione, qvæ emendationem admittant (qvis enim hoc negat, aut infallibilem eam facit?) At sunt in Latina tanto numero, ut post tot doctissimorum virorum labores, tot Pontificum decreta plurima nondum expurgata sint, qvæ expurgari & corrigi debent, ut ipsi sinceriores scriptores ex Romanis inficiari neqveunt. Interim tot tamqve variis Scripturæ locis divina se se exeruit sapientia & bonitas, & tam fructuosa est diversitas lingvarum, ex dono Spiritus sancti interpretationi accommodata,

1522. data, ut neminem via salutis latere possit, qvi implorato S. Spiritus auxilio ad lectionem versionum accedet, si originarios libros non intelligat. At male habet censores, qvod fœminæ etiam ea utuntur; sed qvis dimidiam generis humani partem, ratione præditam & Ecclesiæ membra, ab hac felicitate excludat? Non est in Christo masculus neqve fœmina, nec minoris interest fœminas pie sapere, a qvibus mares prima rudimenta ut vitæ, ita educationis accipiunt, imo major fere in primitiva illa Ecclesia fœminarum qvam virorum in Christianismo laus fuit. Qvid non de Sanctis suis ex hoc sexu recentioribus prædicat Roma? ex qvibus etiam scriptis inclaruerant & magistræ virorum sunt Brigitta, Catharina Senensis, Teresia, aliæ. Inter fœminas vero, qvæ sub initium reformationis & Bibliorum Germanicorum versione ita profecerunt, ut Doctores Pontificiarum partium refutare ausæ fuerint, Cochleus *p.* 55. qvem hic exscripsit Maimburgius unam nominat *Argulam*, eamqve laudat Lutherus non una epistola, *Lib. II. p. 181. 235. b. 244.* Extant hujus literæ ad Bavariæ Duces, & ad alios Magistratus Christianos, tum ad Ingolstadiensem Academiam anno seqventi 1523. Dietfurti datæ, qvibus Arsatium Sechoferum Monacensem, qvem Ingolstadienses ob Lutheranismum vexaverant, defendit; se vero audiri petit, ex sacra Scriptura disputaturam; Christum enim, *ait*, non puduisse cum Maria Magdalena, & cum muliercula Samaritana de religione colloqvi, nec Hieronymum, ut fœminis plurimis scriberet. Si Lutheri versionem suspectam haberent, esse vetustiores, nullum tamen ipso melius Germanice scripsisse, qvapropter ei remunerationem pro versis Bibliis a Deo precatur largissimam. Se vero non Lutheri, sed Dei verbo niti asserit, nec ab hoc recessuram, etsi Lutherus sententiam mutaret. Qva ingenua professione eliditur, qvod hic cavillatur noster, ac si intellectum Scripturæ penes solum Lutherum stare credidissent, qvi tunc Evangelii doctrinam amplectebantur. Nata fuit ista matrona ex illustri inter Bavaros *Stauffiorum* familia, nupta in *Grumbachiam*, non minus olim in Franconia celebrem, & nuper extinctam.

§. *fff.*

Interim eruditi viri reperti sunt, qvi monstrabant,

I. §. fff. 1522.

*bant, *infidam & perniciosam esse hanc versionem; inter quos ante omnes insigne nomen adeptus est, sed & implacabile odium & persecutionem adversæ partis incurrit,* Hieronymus Emserus, *vir egregius & sapiens, atque in scientiis divinis & humanis versatissimus, Doctor Lipsiensis, & Consiliarius Georgii Ducis Saxoniæ, qui Electoris patruelis erat. Pulchris istis donis naturalibus & acquisitis magnum religionis Zelum junxerat, & inter primos erat, qui nascenti hæresi Lutheri se opponeret; illius vestigia semper premens, omniqve occasione eum impugnans. ** Irritavit hoc immanem in modum Lutherum, quod eum perpetuo adversarium haberet, neqve fuit, contra quem tot libellos scripserit, aut quem tantis convitiis cumulaverit. Hic erat ille vir Dei, qui spretis importunitatibus & injuriis Lutheri & ejus sectatorum, meritum in hoc quærebat, ut furori factionis Lutheranæ (ut futurum esse facile conjiciebat) se exponeret. Primus itaqve omnium publice privatimqve, scripto & voce horrendas corruptiones Novi Testamenti detexit, † & plusqvam mille in versione*

Sf fal-

* *Inventi sunt igitur ex Germanis qvi ex ea translatione admissos passim errores & mutationes collegerunt, inter qvos sane Hieronymus Emserus præcipuam laudem promeruit. Cochlæus.*

** *Nulli adversariorum sapius qvam illi respondit. Scripsit petulantissime tot sane convitiis exuberantem, tot scommatis mordacem, tot calumniis acerbam: ut Emser magis obrutus qvam invasus videretur. Cochlæus.* † *Supra mille. Cochlæus Flor. de Ram. l. c.*

1522. *falsitates in publicum produxit.* * *Idem ut antidotum Catholicis non deesset, & errores Lutheranæ versionis demonstrarentur, exactissimam & fidelem aliam composuit, vulgatæ perfecte congruentem, unde facile omnia loca apparuerunt, qvæ in Lutherana corrupta erant. Hoc in causa fuit, ut plurimi Principes Ecclesiastici & seculares, v.g. Ferdinandus Archidux, frater Imperatoris, Georgius Saxo, & Bavariæ Dux, legibus & edictis publicis perversam istam versionem comburi mandarent, & magnis mulctis indictis subditos omnes cogerent, ut qvæcunqve libri exempla haberent, Magistratibus ad id constitutis exhiberent.* † *Hoc adeo efferavit Lutherum, ut insolentissimo libello emisso Principes* tyrannos *appellaret, & autoritate, qvam Papæ subreptam sibi arrogabat, suprema, omnibus inhiberet, ne obedirent, idem alioqvi facturos, ut dicebat, ac si Jesum Christum Herodi occidendum traderent.*

§. CXXVII.

Inter tot alios, qvi Luthero obstrepebant, mordacissimum & importunissimum fuisse *Emserum*, ex tot scriptis ejus, qvæ tineis nunc inter

* *Propriam translationem, qvæ probato & recepto Ecclesiæ textui Latino per omnia consonaret, velut antidotum contra Lutheri venena evulgavit. Cochl. Flor. Ram. loc. cit.*

† *Luth. lib. de potest. seculari: In Misnia, in Bavaria, in Marchia, aliisqve in locis promulgaverunt tyranni edictum, ut nova Testamenta hinc inde in præfecturas mittantur ne tradant sub periculo salutis suæ. Qvisqvis enim id fecerit, is tradit Christum Herodi in manus. Illi enim agunt velut Christicidæ, sicut Herodes.*

inter scruta Bibliothecarum qvarundam escam præbent, satis constat, 1522.
qvanqvam non segnior aut mitior fuit Cochleus Alfeldensis, & obscuriores alii. Eruditionem qvandam habuisse apparet, sed majorem ambitionem, ut pro docto celebraretur, ex epistola ad eum Erasmi *Lib. XIIX. ep. 28.* facile colligitur. Laudatorem Cochleum potissimum invenit, sibi similimum, id est, effrenem & mendacissimum calumniatorem. Ex hoc Maimburgius hausit, qvicqvid de eo tradit, cujus nullum credo librum vidit. Longum esset referre utriusqve scripta: Inter omnia vero jejunissimum est, qvod hic tantopere commendatur, in qvo errores in versione N. T. a Luthero commissos demonstrandos sibi sumsit. Nam totius propemodum reprehensionis fundamentum, discrepantiæ Lutheranæ versionis a vulgata Latina aut variæ qvorundam exemplarium lectioni innititur; cum tamen Luthierus aperte professus sit, se Græcum textum Latino prætulisse, qvod & alii, qvicunqve sapiunt, interpretes fecerunt, imprimis Erasmus, qvi tamen a Leone X. Pontifice mirifice laudatus est, qvanqvam nunc sint, qvi laudes illas tanqvam non Pontificio, sed privato spiritu pronunciatas taxent & improbent. De Emseri Notis in versionem Lutheri, & de alia ab ipso composita in Additionibus dicam. Inter multa, qvæ *Addit.* in aliis libellis Luthero objectat Emserus, & ad qvæ illum obmutuisse Cochleus falso gloriatur, illud fere primarium est, qvod Lutherum Lipsiæ, tempore disputationis, præsentibus Consiliariis Ducis Georgii, dixisse refert, *rem istam* (Lutheri scilicet doctrinam) *non esse propter Deum cæptam, nec propter Deum finiendam.* Ex hoc, Cochleo judice, fama Lutheri apud bonos graviter fuit sauciata. Sed qvam vane hoc spargatur, constare potest ex Lutheri responsione, qvam in libro Germanico anno 1521. adversus Emserum edito *Tom. I. Alt. fol. 558.* in hunc sensum facit. Factum est Lipsiæ in arce, in Cancellaria, cum de disputationis forma ita tractaretur, ut in Eccii emolumentum, meum vero damnum omnia tenderent, & adversarii plus ambitioni qvam veritati darent, cum tamen eousqve sperassem illos sicut & ego in Dei nomine (*sive* ad Dei honorem) negotium illud aggressos esse. Tunc verbis qverulis & tristi animo dixi, Res hæc non est cæpta in nomine Domini, nec in nomine Domini exitum habebit; idqve eventu comprobatum est, omnibusqve notum, qvam nullus ejus disputationis fructus fuerit. Hæc verba mea non nostratium testimonio tantum, sed

1522. „ & Emſeri ipſius conſcientia probare poſſum, qvi aderat, invidiam ar-
„ denti vultu ſpirans. Hoc reſponſum etſi tardius juſto prolatum, &
neſcio, qvo chirographo Luthori ad Tezelium eliſum eſſe cavilletur,
Cochleus, ſatisfacere omnibus poterit ſincere judicantibus. Sed ſina-
mus, qvi volunt, imaginariis trophæis lætari. Emſerum, cum non
ceſſaret continuis convitiis & calumniis Lutherum laceſſere, aliosqve
magno numero id facientes, negligere tandem Lutherus ſtatuit; aje-
bat enim mores ſuos ſe non eſſe defenſurum, pro doctrina autem
jam ſatis pugnaſſe, fruſtraqve fore, ſi eadem ſemper repeteret, cum
diverſis principiis ipſe & adverſarii incumberent. Se enim Scriptu-
ræ ejusqve genuino, qvem ex bonæ interpretationis legibus eliciebat,
ſenſu: illos Eccleſiæ Romanæ autoritati, aut longo uſu, aut excerptis
detortisqve ſacrarum literarum centonibus inniti, ſibi itaqve tempus
ad inſtruendum populum & confirmandos fratres, Eccleſiæqve emen-
dationem promovendam utilius impendendum eſſe. Deniqve etſi
manifeſto convictos tacere non ſolere, ſed in convitia aut ironias dila-
bi. Itaqve ad *Wolffgangum Stein* in Vinarienſi Ducis Johannis aula
„ tunc concionantem ſcribit, ſub finem anni *Lib. II. p. 99.* Qvod hoc ſpe-
„ ctas, ut amici tui volunt, ſic eis reſpondere, ut non rideant, fruſtra
„ ſpectas; nihil loqvacius vanitate, neqve enim tales ſunt homines iſti,
„ qvi tacere qveant aut qvieſcere, etiam manifeſte victi, imo nec mor-
„ tui tacebunt. Nunqvid Phariſæi victi qvieverunt? Nunqvid Judæi a
„ Stephano deſiſtebant victi? Ita & hic facies, ut reddita ſemel ratione
„ hac, deinceps ſinas eos latrare & blaſphemare, tu, contemtis ranis, tuo
„ pergas itinere. Nam nec ego meos adverſarios eo poſſum redigere
„ toties victos turpiſime, ut deſinant. Dic ergo amicis tuis, ut talia
„ non expectent ab his vaniſimis hominibus, qvi nihil niſi ſacci verbo-
„ rum, vel toti lingva ſunt. Notabilia qvoqve maxime ſunt, qvæ poſt-
ea menſe Apr. 1524. de Emſero, Hauſmanno reſpondit *Lib. II. p. 204. b.*
„ Emſero nihil eſt reſpondendum, optime Nicolae, qvia is eſt, de qvo
„ Paulus dicit, ſubverſus eſt & ſuo judicio damnatus & vitandus, peccat
„ enim peccatum ad mortem. Adhuc modicum & orabo contra eum,
„ ut reddat ei Dominus ſecundum opera ſua, melius eſt enim ut moria-
„ tur, qvam ut ſic pergat contra conſcientiam ſuam Chriſtum blaſphe-
„ mare; ſine ergo eum, velociter nimis ſatis compeſcetur miſer iſte. Sed

& tu

& tu desine pro eo orare. Hæc non multo post eventum habuerunt; Emserus enim subitanea morte sublatus est d. 8. Nov. 1527. deqve ea Georgio Duci condolet Erasmus *Lib. XIX. Ep. 58.* Nos illum judicio divino, Maimburgio vero suam relinqvimus opinionem, qva istum tantis elogiis dignum censuit, & Luthero prætulit. Cætera in qvæ hic invehitur Maimburgius, qvod Lutherus pro tyrannis habuerit, qvi Bibliorum traditionem & combustionem violentis edictis, eorumqve executionibus inhibuerunt, suo stant fundamento, neminem tamen incitavit, ut auferentibus libros vi resisteret, imo etsi sponte tradere vetuit, cedere tamen vi majori jussit, nec Papæ imperiositatem imitatus est, cum verbis tantum & rationibus se suosqve libros defenderet, nec haberet aut cuperet, qvi militari coactione placita sua exeqverentur. Libellus vero *de seculari potestate*, in qvo Lutherus edicta adversus Novum suum Testamentum improbat, sub initium seqventis anni prodiit, ex qvo Cochleus sumsit, qvæ margini Maimburgius annotavit. *Tom. II. Alt. f. 258.* Inscriptus fuit Johanni Saxoniæ Duci, Electoris Fratri Cal. Jan. 1523.

§. ggg.

Sed neqve generosi illius Doctoris Emseri, nec Principum Mandata & Edicta Lutheranismi stabilimentum impedire potuerunt. Elector enim Saxoniæ, qvi Lutheri, subditi sui, audaciam reprimere debebat, pro lubitu eum agere permisit. Hinc apparet, felicitatem aut miseriam provinciarum, etiam qvoad spiritualia, sæpe a Principe, qvi rerum potitur, dependere, & qvod populus salutem suam ei post Deum debeat, si magno conservandæ puræ religionis zelo a Deo donatus, Novatores corruptionem molientes impigre ab initio reprimat.

1522. §. CXXIIX.

Luthero hic magis credendum, qvi adeo non pro lubitu agere se potuisse dicit sub hoc Principe, ut continuis potius qverelis per hoc tempus cunctationes & artes aulæ deploret. Favebat qvidem veritatis vi convictus Princeps dogmatibus, sed vel certus non erat, an adversantibus Pontifice & Imperatore omnibusqve Episcopis, Reformatio doctrinæ obtineri posset; nec provinciæ Ordines, qvorum ab antiqvo magna erat in negotiis publicis autoritas, consiliis opibusqve ad rem tam insolitam & arduam tentandam concurrebant. Lutherus qvidem, ut dixi, qvanqvam nihil vi agi vellet, a Principe tamen desiderabat, ut prædicationi Evangelii liberiorem cursum permitteret, & stipendiis atqve alimentis juvaret, qvi populi studiis ad ministeria vocabantur, monasteriis exacti vel sponte cedentes; dein ut Prælatis qvibusdam, causam doctrinæ vi impedientibus, autoritate sua obsisteret; sed ægre illa & parce obtinebantur. Hæc ex multis Lutheri Epistolis ad Spalatinum probari possunt. *Addit.* Miserat Lutherus Altenburgum, rogante Senatu, *Gabrielem Didymum* Exmonachum. Hunc cum Clerus ferre nollet, nec Princeps adversus illum tueri hominem vellet, ita ad Spalatinum scribit Lutherus, die Adscensionis 1522. Scio qvid Princeps metuat, scio etiam, qvod in carne adhuc sumus & multa timemus, ubi timor non est: summa, faciat Princeps & aula in hac re qvod voluerint, ego Spiritui Sancto non resistam; ipsi viderint. Sententia mea est, non probari, nec consentiri a me, Gabrielem illic submovendum, neqve rursus animus est illum adhuc commendare, vel eo in loco tueri adversus vim, vos videritis. Satis liqvide hinc constare potest, qvam parum indultum fuerit Luthero, nam Gabriel ille paulo post cedere loco coactus fuit, alio jussu Principis suffecto. Vide *Lib. II ep. 80.* qvod male factum esse paulo post Spalatino Lutherus objecit, neqve tamen mutare potuit *d. l. p. 88. b.* Eodem fere tempore *Hausmanno* Zviccavienſium Pastori interroganti, qvid faciendum esset, si Episcopus ad confirmationis, qvod vocant, Sacramentum celebrandum eo veniret? resistere ei non nisi verbo jubet, ut Paulus Petro; sed si id non valeat, populum monere ne fidat ludicris ceremoniis. Vide *Lib. II. Ep. p. 91.* Paulo post sollicita iterum aula, mense Sept. ita scribit ad Spalatinum. Valde vellem Principem nostrum sua curare, & me sinere cum Satanasqvamisqve suis agere, sicut & ante scripsi,

cœlum

cœlum non ruet. Si id non credit, ego tamen credo & certus sum, qvanqvàm qvid verbis laboro? qvis non videt præsente opere Dei hactenus omnes minas versas in ludibrium? qvi fecit sic, faciet sic in finem. Nullius nisi meo periculo res geritur *d. l. p. 92. b.* Adeo vero caute & timide fovebàtur Lutheri causa, ut Jo. Pomerano nuptias tunc celebraturo ferina & munusculum non Principis nomine, qvod petierat Lutherus, sed Spalatini mitteretur. Unde gratias agens Lutherus, *Secretum erit* (ait) *scimus & antea hanc silendi causam, tu miseris, non Princeps. p. 93. b.* Nihil igitur Fridericus Elector vel hoc anno vel seqventibus dum vixit, Lutheri causæ majus aut utilius præstitit, qvam ut carnificis, ut ita dicam, ministerium, qvod Pontificia ei & Imperatoria decreta injungere videbantur, amolitus a se est, & qvoniam nondum nec juri suo nec viribus in reformanda religione satis confidebat, adeoqve nondum agnoscebat, qvod Maimburgius hic contra principia Romanæ Hierarchiæ præsupponit, Lutherum subditum suum esse, medium qvasi se gessit, veritatis luce, qvæ sibi effulserat, interea lætus. Hoc animo & alii tunc erant, ut de Prussiæ Magistro Marchione Brandenburgico narrat Lutherus in epistola ad Linccium, *p. 99.* qvod Legato Pontificio responderit, *sese Ecclesiam libenter adjuturum, sed eum non esse modum Ecclesiæ juvandæ, damnare manifestam veritatem & libros exurere.* Reperti autem plures sunt qvi consilium Maimburgii, qvod hic aperit, strenue exeqvebantur, & sub hæreticorum nomine veritatis præcones impigre opprimebant, ut in loco dicemus. Problema nempe qvod hic de officio Principum circa sacra proponit noster, caveas ut aliter interpreteris, qvam de servili illa opera, qvam Pontifex & Clerus exigit, ut ubi dogmatum efficacia nihil proficiunt, nec nuda autoritate convincere populos possunt, tum isti sicas & rogos expediant. Ita sancti & cœlo digni habentur & hac charitate facile obtegunt qvicqvid alias peccant. Si vero & ipsi ut magna Ecclesiæ non membra saltem sed & fulcra & qvibus ex officio incumbit religionis cura, qvalemcunqve explorationem aut cognitionem de dogmatibus aut emendationem disciplinæ moliuntur, tunc cum Ozia rege jus adolendi dicuntur invadere, & ut profani ac hæretici solioqve suo deturbandi condemnantur, imo omnium, qvi id audere velint, aggressionibus exponuntur; qvod qvi nescit ex historia Gallica & Anglicana discere potest. 1522.

§.§.hhh.§.129 1522.

§. hhh.

Inter hæc Augustiniani VVittenbergenses qvi Lutheri, sodalis sui, doctrinam primi sectabantur, Missas juxta fundationem amplius non celebrabant sed simpliciter cœnam administrabant, panem & vinum consecrantes, & sub utraqve specie communicantibus distribuentes. Igitur Dux Saxoniæ ægre in mutationes externas consentiens, Academiæ rem examinandam proponi fecit, & judicium ejus poposcit. Sed hoc collegium totum jam Lutheranum, effecit, ne Princeps diutius, ut hucusqve fecerat, dissimularet. Per deputatos enim suos, qvi erat Justus Jonas, Præpositus Ecclesiæ VVittenbergensis, Philippus Melanchthon, & Nicolaus Amsdorfius, tres maximi Lutheri amici, decreverunt. non posse salva conscientia Missam Catholicorum amplius tolerari, qvam abominabilem & cœnæ Dominicæ plane contrariam esse dicebant. Sic tandem induci se passus est Princeps; qvanqvam in pulchro suo omnium Sanctorum templo Missam Catholicam adhuc continuari vellet.

§. CXXIX.

Qvæ hic de Missa privata ab Augustinianis omissa, & de Electoris decretis narrantur, ad finem anni 1521. pertinent, & alieno loco hic inseruntur. Facta enim sunt ante tumultum Carolostadianum, & anteqvam Lutherus ex Pathmo suo Wittenbergam rediisset. Nec verum est, Electorem per deputatos suos adversus Missam decidisse. Rei ordo, qvantum ex Tomis Lutheri, aliisqve documentis colligi potest,

potest, hic fuit; Augustiniani ex provinciis Misniæ & Thuringiæ Wittenbergæ ad Capitulum, qvod vocant, sive synodum convenerant. Extat eorum decretum *Tom. II. Alt. f. 18. Tom. II. Lat. Jen. f. 496. seqq.* sed non adscripto die, sub finem vero anni 1521. vel ineunte 1522. factum constat ex Epistola D. Casp. Beieri Islebiensis die Mercur. post Epiphan. 1522. scripta, qvæ ex *Bibliotheca Paulina Lipsiensi* mecum communicata fuit. Ejus capita erant (1) ut liberum esset in monasteriis manere vel egredi, (2) qvi manerent veste monachali uterentur, ex libertate tamen Christiana, (3) ut in ceremoniis vel utendis vel abrogandis ea fieret moderatio, ne fides lædatur, (4) mendicatione & missis votivis abstineretur, (5) ut deligerentur ex monachis apti ad prædicandum verbum Dei, cæteri victum manu pararent, (6) ut superioribus monasteriorum obseqvium præstetur ex charitate & pro vitando scandalo. Sed Augustiniani Wittenbergenses jam ante synodum, Missas votivas & privatas omiserant, approbante id, qvi aberat, Luthero, egregio suo ad fratres tractatu ex arce mense Nov. 1521. scripto, qvi Latine habetur *To. II. Jen. f. 465.* Is tamen anni demum seqventis initio, ad notitiam eorum pervenit, suppressus interim cum aliis Lutheri scriptis timiditate Spalatini, ut supra ex *Lib. I ep. 253.* notavi. Extat & Germanice tum in veteribus editionibus tum recentiori. *To. II. Alt. f. 21 & seqq.* Mererentur multa ex illo adscribi, sed summa capita referam. Protestatur primo se nullorum Patrum aut Doctorum Academiarum autoritate, sed solius Jesu Christi doctrina niti, nec de facto aut longo usu sed de jure disputare; dein sacerdotium Novi Testamenti unice spirituale esse statuit, omnibus Christianis competens sed de hoc jam supra §. *103.* per occasionem dictum est. Hæc *prima* libri parte continentur; In *altera* post refutationem adversariæ sententiæ ex verbis institutionis demonstrat, qvod dixerat, Missam non esse sacrificium, octo argumentis; deinde ad contraria, qvæ pro sacrificio afferri solent, respondet, speciatim ad canonem, qvem vocant, Missæ, & deniqve concludit *f. 485. b.* curandum esse, ut rursus ad formam & institutionem Christi qvam proxime accedamus, scilicet ut singulis Dominicis diebus & iis solis, & unica tantum Evchariſtia consecretur, sicut modo fit in die Paschæ: & illic conveniant esurientes & sitientes, id est, piæ & afflictæ conscientiæ, qvæ a peccatis optent sanari, exclusis iis, qvi palam secundum carnem ambulant, tum in medio, memoria Christi, publico

1522.

1522. publico verbo fidei, peragatur, in communi oretur, & gratiæ agantur, ſicut ex epiſtolis & actibus Apoſtolorum & Evangeliis facile eſt ordinare. Parte *tertia* leges Pontificias præcipuas examinat, utqve Chriſti Evangelio adverſentur, pluribus oſtendit, & Eccleſiam Romanam cum ſynagoga comparat. Addit paræneſin verbis memoratu digniſimis *f.* 493. In fine *(ſcribens)* ſi hæc omnia non movent, ſinant tamen a ſe impetrare me miſerum, qvotqvot ſunt ſacrifices Miſſarum, qvod omni humilitate & toto corde ab eis peto, nempe, ut ſaltem hoc concedant ſuæ propriæ ſaluti aliqvod remedium, ne inviti ſacrificent aliqvando, aut intuitu cenſus & commodi ſui. Utinam hoc ſaltem obtineam. Probet itaqve ſeſe qvilibet, & ubi talem ſeſe invenerit, ut nullo modo eſſet celebraturus, niſi cogeretur vel timore amittendi ſacerdotii ſeu præbendæ, vel infamiæ & oblocutionis humanæ, vel affectu capiundæ (qvam vocant) præſentiæ, vel qvocunqve alio affectu, qvi non ſit fidei rectæ. Hic, inqvam, caveat, ne celebret, ſed potius tota vita abſtineat, ſi non poteſt aliter, & mandata vel verba hominum ad celebrandum cogentia prorſus conculcet pedibus. Melius eſt enim hominum mandata conculcare, in qvibus non poteſt peccari, qvam incurrere in divinæ Majeſtatis tam ſalutare & vivificum myſterium. Neqve enim mundus premitur majoribus & pluribus peccatis, etiamſi perverſitas deeſſet impii ſacrificii, qvam hac indigna celebratione ſacrificum, & communione laicorum toto orbe inundantiſſima. Fidei autem rectæ affectus eſt, non accedere niſi animo qværendæ miſericordiæ & remiſſionis peccatorum, hoc eſt eſurire & ſitire juſtitiam. Eſurientem & inanem animam reqvirit & replet hoc regale & magnificum convivium. Divites, ſaturos, faſtidientes, aut hominum gratia & pecuniæ intuitu venientes dimittit inanes, imo cum Juda tradit Satanæ ad æternam mortem. Non qvod confirmatum velim celebrandi negotium, ſed cum prævalente traditionum & inolitæ conſvetudinis tyrannide, deſperata ſit catholica inſtauratio hujus divini Teſtamenti, id ſaltem efficiamus, ut fide recta incedentes minus peccemus, ſi forte cum errantibus electis tandem ſalvemur. Video enim qvam plurimos incredibili tædio, alios autem perturbata, ſæva atqve tandem contemtrice conſcientia accedere, nihil qværentes, niſi ut opus ipſum perficiant, & debito ſe ſe liberent, aut lucro potiantur, aut ruborem evadant. O horrendam hanc & miſerabilem

præ-

præsumtionem. In epilogo non dubitat fore, qvin clamoribus adversariorum Augustiniani Wittenbergenses pro hæreticis, Antichristianis & insanis diffamentur, sed jubet vicissim rideri, qvi charitatem servientem proximo & hostiam viventem corporis, ira, contemtu, luxu, libidinibus extingvunt. De Principe vero Friderico (cujus magnum elogium supra relatum, qvod Imperatoris axiomate nuper dignus habitus fuerit, subjungit) bene sperare jubet, taxato interim Canonicorum Wittenbergensium cultu, & qvam male in illis alendis Principis opes impendantur.

§. CXXX.

Interea, ut dixi, & anteqvam hic tractatus ad Augustinianos perveniisset, ut in præfatione libelli manifeste legitur *fol. 465. b.* illi primi omnium cœperant abusum Missarum abrogare. Hac re in aulam nuntiata Elector, non ut Pallavicinus *Lib. II. cap. 8. n. 18.* narrat, *Jonam, Melanchthonem & Amsdorffium*, (qvod aliqvo modo seqvitur Maimburgius) sed ex consiliariis suis sub finem anni 1521. *D. Gregorium Pontanum* deputavit, ad Wittenbergensem Academiam, de novationibus, & intermissa ab Augustinianis Missa atqve de concione cujusdam Magistri Gabrielis expostulantem. Delecti inde fuere ex Academia, qvi ab Augustinianis rationem factorum poscerent. Hi intellecta horum sententia, ejusqve rationibus, Electorem rogarunt, ut „ Missas per totam ditionem suam abrogaret, neqve id ob pudorem hæ- „ retici aut Husitici nominis omitteret; hoc Christum, qvi pro omni- „ bus aliis Principibus Electorem hac veritatis luce dignatus esset, exige- „ re. Patet id ex scripto, qvod *Delibemtio* inscribitur *Tom. II. Lat. Jen.* „ *fol. 497. & sqq. Tom. II. Alt. fol. 16.* cui nomina subscripsere; *Justus Jonas, Johan.* Doltsch/ *Andreas Carolostadius, Hieronymus Schurfius, Nicolaus Amsdorffius, Philippus Melanchthon*; qvanqvam in Latino exemplari omissi sint *Carolostadius & Schurfius*. Hoc Academiæ responso accepto, Princeps, misso *D. Christiano Baiero*, qvi postea Cancellarius fuit, ita se se explicavit, se qvidem ut Principem Christianum „ decet, nihil omissum velle, qvod ad Dei gloriam & fidei Christianæ „ confirmationem faceret, sed videri sibi, nihil præcipitandum in tanta „ re, qvæ ad tótam Ecclesiam Christianam pertineret, & a tantilla ho- „

„ minum parte difficulter obtineri posset: veritatem ab aliis qvoqve a-
„ gnitum iri, & sperandum esse, ut in commune emendatio succederet;
„ nescire etiam se, annon celebratio Missæ plurimis jam seculis durave-
„ rit, nec notum esse, qvando illa, qva Apostoli usi sint, cessaverit; co-
„ gitandum porro, qvoniam templa & monasteria pleraqve Missarum
„ causa fundata sint, qvomodo his cessantibus, reditus servari possint, &
„ hæretici nominis exprobratio vitari. Desiderare Principem, utpote
„ laicum & Scripturæ ignarum, ut delecti ab Academia & Capitulo cum
„ cæteris collegis rem ita expendant, ut nihil fiat, qvod discordias &
„ motus excitare possit. His ab iisdem sex delectis alio scripto, qvod *Informationis* titulum habet, & extat in *Tomo II. Lat. Jen. f. 501. Tom. II. Altenb. f. 19.* ita responsum est, ut repetitis, qvæ Princeps per Baierum proposuerat, priori sententiæ adversus Missas inhærerent, illasqve qvod qvæstus vel fundationis gratia absqve desiderio exercendæ fidei fierent, abrogandas censerent, idqve sine tumultu aut scandalo fieri posse existimarent, aut si qvid turbaretur, Christi exemplo dicendum esse putarent, *sinite illos, cæci sunt, & cæcorum ductores:* Et cum
„ Apostolis, *obediendum Deo magis qvam hominibus.* Porro negant re-
„ ferre, qvod ipsi pauciores aut minima pars sint: nam ab initio mundi
„ semper a minima parte veritatem agnitam fuisse, & Christo teste, Ev-
„ angelium infirmis, paucis, miseris indoctis prædicatum & commenda-
„ tum esse; qvapropter mirari neminem debere, qvod nunc Pontifices
„ & sapientes mundi dignitati, potentiæ, tranqvillitati aliisqve com-
„ modis suis metuentes, veritatis prædicationem non agnoscant, nec in
„ piam mutationem consensuri sint, donec eis desuper donatum patefa-
„ ctumqve fuerit. Fundationes qvod attinet, collegia & monasteria
„ ab initio non Missarum sed juventutis in religione erudiendæ causa &
„ ad pauperes alendos constituta, & regiis opibus locupletata fuisse tra-
„ dunt, idqve ad Augustini usqve, partim etiam ad Bernardi ætatem.
„ Sed a qvadringentis aut qvingentis annis Missarum certo tempore ha-
„ bendarum causa fundari cœpisse, pro defunctis autem vix a ducentis
„ annis; aboleri tamen illæc ut errores debere, utcunqve antiqvi sint.
„ Paulum enim jam suo tempore de cæremoniarum æmulatione, & An-
„ tichristi tyrannide conqvestum esse. Antiqvissimum morem, ad Cy-
„ priani usqve tempora fuisse, ut semper in Missa integrum sacramen-

tum

tum adstantibus fuerit porrectum, hodiernum ritum postea introductum vel ex Missalis Mediolanensis discrepantia apparere. Addunt, non esse magnificiendos adversariorum furores, nec pericula metuenda, qvæ Christus jamdudum prædixerit, & Apostoli experti fuerint; fore enim ut ea circa ultima mundi tempora multiplicentur. In scandalum constitutam esse doctrinam Christi, & in lapidem offensionis, & signum contradictionis, ut constet ex Luc. II. 34. & XX. 18. Ad hæc Fridericum aliqvid publice decrevisse probari neqvit, sed dum cunctaretur & conniveret, Carolostadius paulo post absente Luthero, ad violentas illas mutationes in templo oppidano progressus est, de qvibus dictum fuit. Canonici ritus veteres servarunt, & non nisi post biennium, multum annitente Luthero, sustulerunt, ut adeo Pallavicinus *Lib. II. cap. 8. in fin.* sibi non constans Friderici dissimulationem ipse notaverit.

§. CXXXI.

Anteqvam ad ea, qvæ Maimburgius, non servato temporis ordine, subjungit, progrediar, alia qvædam ad annum hunc 1522. pertinentia referenda reperio. Et scripta qvidem Lutheri qvod attinet, edidit præter illa, qvæ memorata sunt, *censuram Bullæ Pontificiæ*, qvam vocant, *de cœna Domini* qvotannis in die viridium ante Pascha recitari Romæ solitæ; ita nempe, ut Germanice versæ annotationes adderet satis mordaces, præsertim ad locum, ubi prima Lutheri inter hæreticos mentio facta fuit. Adjecit qvasi antidotum psalmum, qvi in Bibliis Latinis nono conjungitur, Hebræis decimus est, *ut qvid Domine recessisti longe*, scholiis explicatum. Ex sermonibus etiam ejus aliqvi typis vulgati fuerunt, v. g. *de vita conjugali Tomo II. Alt. f. 208.* Hunc suo more exagitat Cochleus, sed nullo jure. Neqve enim necessitatem conjugii indistincte præcipit Lutherus, sed injustitiam & nullitatem votorum cœlibatus demonstrat, neminemqve hic obligari posse contendit, nisi aliqvam ex tribus illis continentiæ conditionibus habeat, qvas Christus Matth. XIX, 12. enumerat; ex his vero tertiam, de illis, *qvi seipsos castrant propter regnum cœlorum*, rarissimam & inter mille vix uni possibilem æstimat, eorum nempe, qvi, ut loqvitur, Dei gratia frænati, natura licet & corpore conjugio apti, voluntarie ta-

I. §. 131. 1522.

men (non ex voto obligatorio) nuptiis abstinent, & malunt generandis per Evangelium liberis spiritualibus occupari. Hoc inter miracula Dei singularia refert, qvæ acqviri proprio ausu neqveant, tales vocatione Dei singulari, ut Jeremias excitari, ut eam vim gratiæ divinæ in se sentiant, ut verbo illi divino alteri, crescite & multiplicamini, locus apud eos non sit. In hoc tractatu calumniam repellit, qva etiamnum a male feriatis qvibusdam laceratur, ac si sensisset, ut fœmina impotenti ad rem maritalem viro juncta, alio uteretur: sententiam igitur suam qvam dubius adhuc & timidus dederat, ita declarat, ut apertæ separationi locum esse statuat, qvoniam nullum est tali casu matrimonium. Postea alias separationis causas, & qvid de gradibus prohibitis jure divino sentiendum sit, expendit, & Pontificias leges matrimoniorum libertatem arctantes, & dispensandi utilitatem sectantes reprehendit. Erfurti hoc anno duas habuit conciones d. 21. & 23. Octobris: ex qvibus posterior (die S. Severi) impressa extat *Tomo II. Altenb. f. 154.* in qva de fide & bonis operibus sententiam suam proponit & de cruce Christianorum salutaria monet. Antea epistolam ad Christianos & Prædicantes Erfurtenses de cultu Sanctorum dederat sub finem Maji, qvæ Germanice habetur *Tomo II. Altenb. f. 159.* & Latine *Parte II. epist. p. 84.* Latinæ dies decimus Julii adscriptus est. Dissidebant autem in qvibusdam prædicatores Evangelici, qvos in epistola illa nominat & salutat, inter qvos primarius erat *Johannes* ille *Langus*, Prior nuper Augustinianorum. Cum enim inter illos qvidam vehementiores essent, jam antea in vigilia Palmarum ad Langum scribens monuerat, ne tumultum Carlstadianum in auferendis imaginibus Missisqve solitariis abrogandis imitarentur; *verbo solo* (ait) *sunt auferenda scandala, ut sponte sua cadant, & sine manu conterantur, sicut idola per Apostolos ablata sunt.* Hoc autem principium suum sæpissime inculcavit, nec Pontificatui Romano, qvantumcunqve eum abominaretur, alium exitum aut finem, qvam per verbum divinum, aut per adventum Domini ominatus est. Ita clare scribit in allegata annotatione ad Psalm IX. vers. ult. *Hic versus certe de extremo judicio cantat: dicit enim post destructionem Pontificiu & liberationem pauperum non fore in terris tyrannum, qvi metui debeat. Hoc fieri non posset, si mundus post Papam duraturus esset, mundus enim nunqvam erit*

fine

sine tyrannis. Concordat itaqve Propheta cum Apostolo, qvod Christus adventu suo sedem illam subversurus sit: utinam propediem fiat! Amen. Itaqve nugas agunt nugacissimas Cochleus aliiqve, qvi verba ejus cavillantur, cum Papæ interitum mox instantem denuntiare videtur. Nam hæc aliter non intelligit, qvam de particulari, magno tamen, Pontificiæ autoritatis in Germania aliisqve provinciis decremento & ruina. Itaqve & alias sæpius tum hoc ipso anno, cum adhuc in arce latitaret, die conversionis Pauli exhortationem scripsit, in qva gravissime omnes a violentia & seditiosis consiliis dehortatur, divinam œconomiam allegans, qvæ non vult, ut vi agatur. *Qvicunqve*, ait, *Tomo II. Altenb. f. 81. doctrinam meam legunt, & recte intelligunt, a seditione abstinent; eamqve ex me minime discunt; si qvi sunt, qvi ea abutantur, id nobis imputari non debet.* Monstrat autem, qvantum brevi prædicationis suæ tempore profectum sit, sine omni violentia, adversus abusus Ecclesiæ, qvibus corrigendis & Imperatores & Reges frustra insudaverint. *Non est*, scribit, *meum opus, nec in hominis viribus est ita operari, imo ne mea qvidem deliberatione aut consilio hucusqve successit, nec porro per me succedet; alius vir est, qvi rotam machinæ impellit, qvem non vident Papistæ, sed mox videbunt. Tu modo Evangelium urge & promove, doce, scribe, concionare, ostende, vitam Christianorum in fide & charitate consistere, & vide, qvomodo post biennium Papa, Episcopi, Cardinales, Sacerdotes, monachi, moniales, campanæ, turres, missæ, vigiliæ, cuculli, tonsuræ, regulæ, statutæ, totaqve legum papalium moles in fumum sit abitura.* Hæc etsi exsibilantur ab adversariis, magnum tamen implementum in tot regnis & provinciis habuerunt, etsi justo Dei judicio universalis totius Christiani orbis reformatio non fuerit secuta, nec Lutherus eam, ut ex iis, qvæ alibi scripsit, constat, intellexerit.

§. CXXXII.

Inter epistolas, qvas hoc anno scripsit, memorabiles qvædam sunt, & historiam juvant. Notanda maxime est illa, qvam ad Bohemiæ proceres comitia Pragæ habentes d. 15. Jul. dedit *Lib. II. epist. p. 85.* extat etiam Germanice *Tomo II. Alt. f. 187.* In hac hortatur, ne ab Evangelio deficiant, tum Hussi memoriam commendat, sectasqve tolerandas esse monet. In Silesia Carolus Monsterbergensis Dux, Lutheri

I. §. 132. ipſius ad Schwarzenbergium. Pontific. Breve ad Bamberg. perſtrictum
a Luth. de ſcriptis Cronebergii,

1522.

theri libellis motus, humaniſime ad eum ſcripſit d. 29. Jun. qverens, qvod proavum ſuum Georgium Podiebradium Bohemiæ Regem, Pontifices ob Huſſi dogma anathemate in qvartam usqve generationem devoverint, hortaturqve Lutherum, ut contra Pontificum abuſus porro ſcriptis & voce pergeret. Reſpondiſſe ſe Duci Lutherus ipſe refert, ſed exemplum literarum nondum vidi. In Franconia Johannes Baro Schwarzenbergius, (qvæ Familia inter eqveſtres a multis ſeculis ſplendidiſſima, dudum in Baronum & Comitum, nuper etiam in Principum ordinem evecta fuit) aulæ Bambergenſis Magiſter, vir erat non indoctus, ſcriptisqve qvibusdam clarus, & Luthero favere cœperat, ſed ita, ut nondum omnia ejus dogmata probaret. Hujus literis Lutherus menſe Septembr. (vide *Tom. II Altenb. f. 221.*) reſpondens, inter alia laudat moderationem Epiſcopi Bambergenſis, & parci petit interceſſione Baronis, Paſtori Coronacenſi, qvi uxorem duxerat. Certe in ipſa urbe Bamberga eos Evangelii doctrina progreſſus fecerat, ut Pontifici Adriano dignum cura ſua videretur, ut ad Senatum urbis prolixe ſcriberet, d. ult. Novembr. hujus anni 1522. Hoc diploma in Lutherum injurioſiſſimum ipſe Latine & Germanice edi, & notis ad marginem perſtringi curavit. Vide *Tom. II. Lat. Jen. f. 570. Tom. II. Alt. f. 244.* ubi Germanica commonitio Lutheri ſubjuncta eſt, in qva barbaram Latinitatem Pontificii ſcripti, & alia exagitat, acceptat tamen, qvod Adrianus judicium de doctrina Bambergenſibus deferre videatur. Igitur & ipſe Populum inter Pontificem & ſe judicem ferre vult, uter Scripturam recte alleget. Sæpius jam *Hartmuthi Cronebergii* potentis in tractu Rhenano Eqvitis meminimus. Is ſcriptis & voce Lutheri cauſam maſcule defendere cœperat, aliqva tamen ejus nomine ipſum Lutherum compoſuiſſe compertum fuit. Extant verò & ex *Bibliotheca Paulina Lipſienſi* mecum communicata fuerunt, qvæ ſtylus arguit, Cronebergii eſſe. Talia ſunt literæ ejus ad *Petrum Maierum*, Paſtorem Francofurtenſem 1522. Sabb. poſt Pentecoſt. in qvibus eum ad veritatem Evangelicam docendam hortatur, & qvam anno 1523. coram Regimine Norimbergenſi apologiam fecit; tum qvæ ad Adrianum Papam eodem anno per modum Epiſtolæ edidit. In his magnum pro religione Evangelica & adverſus Hierarchiam Romanam zelum oſtendit. Speciatim vero contendit, ut Epiſcopi, Prælati & Monachi

ditio-

ditionibus temporalibus cedant, utqve reditus illi ad veram Dei laudem, alendis Prædicatoribus & pauperibus impendantur, Episcopis etiam honesta præbeantur salaria, eaqve omnia magistratuum cura & consentiente populo, nulloqve privatæ utilitatis respectu expediantur. Qvæ ideo refero, ut appareat, qvod supra jam monui, qvam falsè & iniqve Nobilitati Germanicæ Lutheri doctrinam tunc amplexæ, imputetur cupiditas bonorum Ecclesiasticorum, in suos usus vertendorum. Ejectus tunc erat Cronebergius arce & oppido suo, unde nomen habuit, prope Francofurtum, occasione societatis cum Sikingio & inimicitiarum cum Trevirensi Archiepiscopo, cujus vasallus erat, sed feudum ultro, ut loqvuntur, refutaverat sive abdicaverat. Eadem tamen cum magnanimitate locutus est, qva florentibus rebus consveverat. Laudat id Lutherus *Lib. II. Ep. p. 126.* *Vir tantus* (scribens) *passus, adhuc satis firmus in fide stat.* Sed legi meretur Epistola, qvam Lutherus ad eum dedit, mox cum ex arce Wittenbergam rediisset, *Lib. II. p. 100.* (Germanica etiam extat *Tom. II. Alt. f. 116.*) piis admonitionibus & consolationibus plenissima. Acerbe in ea qveritur de Wormatiensi decreto, qvo Germania veritatem indicta causa damnaverit, ut & de tumultu Wittenbergensi, ex qvo cautiorem se factum fuisse non diffitetur. Gratias autem agit Deo, qvod & Cronebergius & alii inveniantur, qvibus Deus Spiritum largitus sit nulli offendiculo obnoxium, fidemqve per charitatem operantem & efficacem. Non vult in se credi, sed in Christum, nec Lutheranos, qvi doctrinam ejus recipiunt, vocari, ut alibi non semel contendit. *Verbum habent* (ait) *& ipsos verbum habet: Lutherum, sanctus sit an improbus nebulo, non morentur; potest juxta Deus per Balaam loqvi atqve per Esaiam, per Caipham ac per Petrum, sed & per Asinam.* Addit alia magna cum parrhesia *p. 106. b.*

§. CXXXIII.

Lutherus hoc tempore Melanchthonis *commentarios in Epistolam ad Romanos* inscio & invito ipso subtraxit, & edi fecit; idqve in epistola ad eum d. 29. Julii defendit *d. l. p. 87.* præfert autem ejus labores (etsi id cum magna invidia se facere animadvertat) Hieronymi & Origenis Commentariis: Illos enim sua potius qvam Paulina & Christiana, *ait*, tradidisse. At Philippi annotationes commentarium appel-

II. §. 133. 1522. pellari non posse, sed indicem legendæ scripturæ & cognoscendi Christi, qvalis nullus huc usqve extet. Edita hoc anno qvædam sunt *Wesseli* (cognomento *Gansevoit*) *Frisii Groningensis*, qvi ob variam illoqve tempore stupendam eruditionem *Lux mundi* dici solitus fuit. Natus erat anno 1400. decessit anno 1489. trium lingvarum sacrarumqve literarum gnarus, & a corruptela dogmatum scholasticorum ita recedens, ut justitiam illam operum externam & constitutiones traditionesqve humanas rejiceret, & verbum Dei pro credendorum regula haberet, Missarum etiam abusum notaret & cœlibatum cleri impurum detestaretur. Illum, cum Parisiis & Basileæ docuisset, Philippus Elector Palatinus renascentibus literis favens, Heidelbergam evocavit anno 1477. ubi, cum Clericus non esset, nec fieri vellet, a Theologiæ professione repulsus, Philosophiam & lingvas aliqvandiu docuit, discipulum & successorem reliqvit popularem suum *Rudolfum Agricolam*, Omlandum Frisium, celeberrimum postea nomen adeptum, primumqve bibliothecæ Palatinæ pararium. Huic *Joh. Reuchlinus* sive *Capnio* successit, itidem Wesseli auditor. Reconditiora vero de omnibus illis memoravit *Henricus Altingius in historia reformationis Palatinæ* ad testimonia Gosvini Halensis Belgæ provocans, qvæqve is ad Melanchthonem anno 1528. de Wesselo scripsit. In hujus igitur Wesseli librum sive farraginem Lutherus præfationem edidit 3. Cal. Aug. qvæ in *Epistolarum Parte II. p. 89.* habetur, ex qva sequentia merito adscribenda veniunt: Ego nescio qva Dei providentia in publicum raptus, cum monstris istis indulgentiarum & pontificiarum legum, & falsæ nominatæ Theologiæ, sic pugnavi, ut me solum esse putarem. Etsi satis mihi semper fuerit animi, ita ut passim mordacior & immodestior accuser, præ nimia, qva ardebam, fiducia: semper tamen id optavi, qvo tollerer & ego de medio meorum Baalitarum, & civiliter mortuus in angulo mihi viverem, prorsus desperans me posse qvicqvam promovere apud æneas frontes istas & cervices ferreas impietatis. Sed ecce & mihi dicitur, esse Domino reliqvias suas salvas, etiam in hoc tempore, & Prophetas in abscondito servatos, nec hoc solum *Addit.* dicitur, sed & cum gaudio ostenditur. Prodiit enim Wesselus (qvem Basilium dicunt) Phrisius Groningensis, vir admirabilis ingenii, rari & magni spiritus, qvem & ipsum apparet esse vere Theodidactum, qvales prophetavit fore Christianos Esaias, neqve enim ex hominibus accepisse

pisse judicari potest, sicut nec ego. Hic si mihi antea fuisset lectus, 1522.
poterat hostibus meis videri Lutherus omnia ex Wesselo hausisse, adeo „
spiritus utriusqve conspirat in unum. Mihi vero & gaudium & ro- „
bur augescit, jamqve nihil dubito, me recta docuisse, qvando tam con- „
stanti sensu, peneqve eisdem verbis, tamen diverso tempore, alienis „
cœlo & terra, alioqve casu, sic ille mihi per omnia consentit. Miror „
autem, qvæ infelicitas obstiterit, qvo minus in publico christianissi- „
mus hic autor versetur, nisi in causa fuerit, qvod sine bello & sangvine „
vixerit, (qva una re mihi dissimilis) aut metus Judæorum nostrorum „
(Aleandrum innuit) eum oppresserit, qvi suis impiis inqvisitionibus in „
hoc nati videntur, ut optimos qvosqve libros faciant hæreticos, qvi „
suos Aristoteles & plusqvam hæreticos nobis statuant Christianos, „
qvorum finis Deo vindice jam desinit in confusionem. Legat itaqve „
pius lector, legatqve cum judicio, qvo maxime hic præstat, qvod & e- „
gregie format, & qvos in me offendit nimia asperitas, in aliis nimia di- „
ctionis elegantia, hic non habent qvod qverantur. Stylus est trivia- „
lis, ac pro seculo suo, res ipsa tractatur modeste & fideliter. Et si in „
stercoribus Ennii legit aurum Virgilius, poterit & ex Wesselo nostro „
legere, qvod opibus eloqventiæ suæ addet Theologus. Dominus Je- „
sus addat ad hunc multos alios Basilios. Subjuncta est cujusdam *Joh.* „
Ostendorpii Daventriensis relatio, ad qvem Wesselus jam senex dixisse „
perhibetur: *Studiose adolescens, ad illum vives diem, qvo doctrina re-* „
centiorum & contentiosorum istorum Theologorum, Thomæ, Bonaventu- „
ræ, & aliorum ejusdem farinæ ab omnibus vere Christianis Theologis ex- „
plodetur. Sed hæc per occasionem dicta sunto. Jam ad Maimbur- „
gium redimus.

§. iii.

Lutherus vero, qvi post reditum suum pro Evangelista VVittenbergæ se gerebat, ipse scilicet Papa, vel nullum alium laturus, ritus Baptismi & Missæ seu sacræ Cœnæ ordinavit. Existimabat enim cultum divinum cum aliqvibus ceremoniis celebrari debere, ita tamen, ut nemo ad eas cogeretur, sed cuiqve sua relin-

Deliberat. de abrog. Miss. priv. Informat. & deliber. delector. ab univers. Formul. Miss. seu comm. proecel. Witt Luth. t. 2.

I. §. iii. 134. 1522.

relinqveretur libertas, pro libitu iis utendi. Christianorum enim conscientias semper liberas esse, nec alio jugo qvam Evangelii subdi debere contendebat.

Luth. de communi fisco. Cochleus.

Dispositionem etiam fecit de bonis Ecclesiasticis, volebatqve ut expulsis Episcopis, Abbatibus & Monachis, omnes fundi & reditus Episcopatuum, Abbatiarum & Monasteriorum Principibus territorii aut Magistratibus oppidorum accrescerent, nisi Episcopatus in Principatus seculares erecti fuissent. Conventus vero ordinum mendicantium in scholas publicas esse mutandos, in qvibus juventus utriusqve sexus instrueretur, aut in Hospitalia convertenda, in summa ut ex reditibus illorum bonorum sustentatio fieret Pastorum, Ministrorum, Rectorum & Magistrorum Scholæ, pauperum & orphanorum, & ad omnes alias necessitates publicas sublevandas impenderentur. Hoc propositum Principibus & Magistratibus, qvos cupido ditescendi ex opulentis Ecclesiarum spoliis tentabat, maxime placebat, partesqve Lutheri indies potentiores reddebat, ut deprehensum est in Comitiis Norimbergensibus eo tempore habitis, in qvibus Lutherani prævaluerunt.

§. CXXXIV.

Repetit hic otiosa; optime facta pessime traducit, & pro more suo saltum in annum seqventem moliens, conglomerat multa, aliqva anticipat, subdit falsa, omittit vera. *Evangelista* qvo sensu Lutherus fuerit, supra dictum est. Qvid enim aliud est Evangelista, qvam qvi Evangelium sive doctrinam Jesu Christi populo proponit, qvos a Christo,

sto, sicut alios Ecclesiæ doctores; constitui tradit Paulus Eph. IV. 11. 1522.
Qvod si Papam (ut noster ait) repræsentare voluerit, alios mores induisse Lutherus debuisset. Nulla illi præcipiendi de fide, & dissentientes fulmine anathematum percellendi atqve magistratibus & carnificibus tradendi mens erat. At ferre (dicit) alium noluit Lutherus; nullum nempe, qvi jussu & autoritate non rationibus ex verbo Dei evidenter deductis, de religione decerneret, mandaret, juberet, interdiceret, & qvæ alia imperantis Romanæ sedis formulæ esse solebant. Effectum huc usqve erat, incipiente Luthero, ut per maximam Germaniæ partem in urbibus non solum, qvas vocant, Imperialibus & liberis, sed & sub Episcopis aut Principibus, Lutheri doctrinam improbantibus, aut timore Imperatorii & Pontificii rigoris non admittentibus, doctrina purior personaret, concionantibus magno numero Monachis, qvi errores veteres ingenue agnoscebant, populoqve libertatem a jugo, qvo hucusqve præter fas & nullo pietatis profectu pressus erat, prædicabant. Vilescere inde cultus eo usqve usurpatus cœpit, nec tamen satis vel autoritatis prædicatoribus, aut populis ea erat prudentia & moderatio, ut omnia recte & decenter ordinarent; auferre enim mala facilius est qvam bona surrogare. Dein ut Satanæ astu semper fieri solet, non deerant, qvi optime cogitata abusibus & excessibus vitiarent, & in extremum aliud tendentes tumultu agerent. Hæc Luthero, ut par est, & jam supra occasione Carolostadiani morus notatum, magnam incutiebant sollicitudinem. Maxime vero & intime imo plusqvam metu ab hostibus, angebatur in ipsa Saxonia, Principis Electoris & aulicorum trepidatione, qvi etsi doctrinam probarent, manum tamen publice introducendæ admovere cunctabantur, nec Lutherus ab iis majora postulare pro rerum, qvi tunc erat, statu consultum putabat, sufficere ratus, dummodo non repugnarent, sed Evangelicæ concioni locum facerent. At ipse jam satis præparatis, imo convictis tot hominum animis, de abusibus Ecclesiæ; cum Magistratus, ut dixi, veteri persvasione vel metu nihil auderent, sed eventum specularentur, intereaqve populi & Pastores ab erroribus discedere cœpissent, multa tamen mutanda & ordinanda relinqverent, qvotidie consulebatur & urgebatur, ut qvi primus abusus ostendisset, meliorem etiam usum monstraret. Non poterat is desiderio huic resistere, qvanqvam in summo discrimine versaretur, nullo præsidio, ne Wittenbergæ

I. §. 135. 1522. qvidem satis tutus. Itaqve non qvidem legislatoris, sed consulentis & hortantis personam sumens, de ritibus Sacramentorum sententiam suam aperuit, qvanqvam id non hoc, sed seqventi anno 1523. factum est, sicut & cætera, qvæ hic Maimburgius alieno loco infarsit.

§. CXXXV.

Baptismus ad id usqve tempus Latinis verbis peragebatur, nulla populi ædificatione. Formulam igitur, qva uti solebant baptizantes, Lutherus ex Latina Germanicam fecit, præfatus; *esse qvidem qvæ in illa emendari potuissent, sed nihil mutasse, ut infirmis parceret, nec scandalo & calumniis ansam daret, ac si novum baptismum introducere intenderet.* In ista itaqve formula (vide *Tom. II. Alt. f. 324.*) ritus Romanos retinuit, non solum *Exorcismum*, qvem vocant, cum trina baptizantis sufflatione, sed & ut *sal in os infantis ingereretur, sputo aures & nasus tangerentur, oleo consecrato pectus & humeri illinerentur, crux in vertice pingeretur, mitella infantis capiti imponeretur, cereus in manum daretur.* Hæc servasse non temere novaturientis, sed plus forte nimium observantiæ inveteratæ tribuentis esse apparet, & a Maimburgio (si novit) taceri non debuerunt. Is tamen ita hic loqvitur, ac si nescio qvos ritus in baptismo etiam ordinasset, cum ne unum qvidem tunc ordinaverit aut mutaverit; præfando saltem monens, externa illa (paulo ante relata) ab hominibus ad ornandum Baptismum addita pro parvis habenda esse: potest enim *(ait)* omissis illis baptismus fieri, neqve ea sunt, qvæ Diabolus metuat, qvi majora etiam spernere novit. Seriis hic opus est; qvi adstat, fidem habeat, verbum Dei audiat, devote oret. Preces Parochus ita pronuntiet, ut adstantes (sive fidejussores) seqvi eas in corde possint, infantem Deo commendent, & diabolo resistant. Pios Sacerdotes sobriosqve, probos, piosqve fidejussores adhibere decet, qvi tanto Sacramento peragendo attenti & apti sint, ne id Diabolo ludibrio fiat, & in contemtum Dei cedat, qvi nos per baptismum tam ineffabili & abundanti gratia cumulat, ut ipse regenerationem vocet, qva ab omni tyrannide diaboli, peccato, morte & inferno liberati, filii vitæ & hæredes omnium bonorum Dei, imo Dei filii & fratres Christi efficimur. O Christiani, nolite ineffabilia hæc dona tam oscitanter tractare; nam Baptismus unicum nobis solatium, & ad omnia divina beneficia introitum præbet. Hæc credo talia

sunt,

sunt, qvæ pietatem viri manifestam faciunt, & qvæ dudum ad institutionem Christianorum doceri in administratione Baptismi, & loco Latinæ illius demurmurationis & scenicæ ceremoniæ servari debuissent. Neqve tamen dissimulo, biennio post, parta jam securitate aliqva religionis, sub Johanne Sax. Electore, iterata formulæ baptismatis editione, *sufflationes*, *sal*, *sputum*, *chrisma*, omissa fuisse, servato ex ritibus vetustis saltem *exorcismo*, & *signo crucis* atqve *indusio* qvo baptizati velari solent. vide *Tom. II. Alt. f. 327.*

§. CXXXVI.

Missam qvod attinet, sive administrationem Sacræ Cœnæ, ex supra dictis repetendum est, primam abrogationem missarum solitariarum, earumqve inprimis, qvæ pretio fiebant, sive votivarum, non a Luthero sed ab *Augustinianis*, ipso absente, Wittenbergæ anno 1521. cœptam fuisse; dictum etiam fuit, qva cautela in communione sub utraqve introducenda, moderandaqve Carolostadii violentia Lutherus usus fuerit. Sed populus jam de vero Sacramenti usu passim edoctus erat, & sacri calicis præbitionem flagrantissime desiderabat, cæremonias vero Missificantium aversabatur. Cum vero Episcopi officio suo ad tollendos abusus minime uterentur, sed pessime consulti Reformationem flagitantibus populis, qva vi & severitate poterant, obniterentur, Magistratus vero partim conniverent, mediiqve inter populum & Clerum versarentur, fieri non poterat, qvin multa perperam & confuse agerentur. Igitur Lutherus ab aliqvibus egregiarum civitatum parochis consultus, qvid pro temporis ratione circa missas & communionem salva fide fieri posset, & qvæ ipsius svasu Wittenbergæ (consensu civium & dissimulante Principe) observari cœperant, edito anno 1523. libello notum facere voluit, eumqve Nicolao Hausmanno, jam sæpe nobis memorato, Zviccavienſium sive Cygneæ Ecclesiæ primario & laudatissimo Pastori (Episcopum Lutherus vocat) inscripsit, cujus exordium integrum, ex qvo intentio Lutheri patescit, omnino adscribendum esse existimavi. *Tom. II. Lat. fol. 588.* Hactenus libellis & „
sermonibus egi inter populos, ut corda primum ab impiis opinionibus „
cæremoniarum avocarem, christianum & commodum arbitratus me „
facere, si causa fierem, ut absqve manibus contereretur abominatio, „
qvam

1522. qvam Satan per hominem peccati in loco sancto statuerat. Proinde
" nihil vi aut imperio tentavi, nec vetera mutavi, semper cunctabundus
" & formidabundus: Tum propter imbecilles in fide animos, qvibus su-
" bito eximi non potuit tam vetus & inolita, nec inseri tam recens & in-
" sveta ratio colendi Dei: Tum maxime propter leves illos & fastidio-
" sos spiritus, qvi ceu sues immundæ, sine fide, sine mente irruunt, & so-
" la novitate gaudent, atqve statim ut novitas esse desiit, nauseant. Qvo
" genere hominum, cum in rebus cæteris nihil est molestius, tum in re-
" bus sacris sunt molestissimi & intolerabiles, qvamvis ut rumpar ira,
" ferre illos cogor, nisi velim & Evangelium ipsum e publico tollere. Sed
" cum jam spes sit, multorum corda per gratiam Dei illustrata esse & ro-
" borata, ipsaqve res poscat, ut tandem scandala tollantur de regno
" Christi, audendum est aliqvid in nomine Christi. Justum est enim,
" ut vel paucis consulamus, ne dum perpetuo levitatem & abusum illo-
" rum formidemus, nullis prorsus consulamus, & dum istorum futura
" scandala cavere volumus, universas abominationes illorum roboremus. Qvare de formula aliqva pia missandi (ut vocant) & communicandi, ut & tu populasti toties, optime Nicolae, agemus, ac sic agemus, ut non amplius solum verbo doctrinæ corda regamus, sed manum qvoqve apponamus, & publica administratione, in opus perducamus, nulli prorsus præjudicantes, ne aliam amplecti & seqvi liceat. Qvin ex animo per Christum obsecramus, ut siqvid melius illis revelatum fuerit, nos priores tacere jubeant, ut communi opera rem communem juvemus. Plura ex libello afferenda essent, sed præstat ipsum legere. Verum est, ceremonias Missæ in libertate populi Christiani Lutherum reliqvisse, sed ita, ut substantialia minime negligerentur, qvæ Christus ipse, ut in initio libelli *fol. 588. b.* dicitur, primum instituit & sub Apostolis simplicissime atqve pijssime absqve ullis additamentis observata fuerunt. Qvæ vero successu temporum humanis inventis aucta sunt, ut *prater nomen* (ut ait) *ad nostra secula nihil de Missa & communione pervenerit*, ex iis retineri ad tempus saltem putavit, qvæcunqve salva fide poterant, ut novitas & scandalum vitaretur; qvædam autem ut superstitiosa & intoleranda omnino abrogari & omitti. Præsupponit qvæ alias abunde se docuisse memorat, *Missam non esse sacrificium, seu opus sacrificantis, sed Sacramentum & testamentum, seu benedictionem, eucharistiam, cœnam Domini, mensam Domini, memoriam*

I. §. 136. 1522.

riam Domini vel communionem &c. Itaqve ex omissis præcipuum est *offertorium & canon*, & qvicqvid ad sacrificandi formulas & ritum pertinet. Ex retentis (præter necessaria illa scilicet, recitationem verborum institutionis & orationem Dominicam) sunt usus Latinæ lingvæ (qvanqvam is postea sublatus etiam fuit) addita tamen pro concione explicatione populari. Toleravit præterea, ut prior sumat Sacerdos, utqve *elevet* sacrum panem & calicem, & ut *pacem annunciet*; servavit etiam plerasqve precum & cantus formulas. Aqvæ cum vino mixtionem etsi non plane improbat, omitti tamen mavult. A communicantibus exigit, ut anteqvam admittantur, interrogentur, an intelligant sciantqve verba institutionis & Dominicam orationem, dicantqve, qvo animo qvaqve fructus spe accedant; qvi hæc noverint, riteqve semel responderint, interrogari amplius necesse esse non putavit. Confessionem peccatorum liberam sinit, svadet tamen; optimam præparationem esse statuit, pœnitentiam, fidem, desiderium solatii & confirmandæ fidei ex Sacramenti participatione. Utramqve porro speciem porrigi debere, cum biennio toto Evangelica doctrina inculcata jam sit, aperte contendit, neqve concilii decretum expectandum, imo si id ad necessitatem fidei reqviri dicatur, potius rejiciendum & contrarium faciendum esse, ne ab hominum autoritate res fidei dependeant. Cantica vernacula ad populi instructionem a poetis, si qvi essent, componi desiderat, interim vetusta, qvæ etiam nunc durant, retineri vult, ista tamen omnia pro tempore proponit, *cæterum*, ait, *usus & res ipsa docebunt, modo verbum Dei strenue & fideliter in Ecclesiis annuncietur*; addit, ut objectionem adversariorum præveniret *fol. 592.* Nam qvod forte petent aliqvi, hæc omnia Scripturis & exemplis Patrum probari, non multum movemur; qvod supra diximus, in his debere libertatem regnare, & neqve legibus, neqve imperiis liceat conscientias captivare christianas: unde & nihil de his rebus Scripturæ definiunt, sed sinunt libertatem spiritus abundare suo sensu, pro commoditate locorum, temporum, & personarum, Patrum vero exempla partim sunt incognita, qvæ vero nota sunt, tam varia sunt, ut nihil certi liceat constituere, videlicet qvod & ipsi libertate sua usi sunt. Qvin ut maxime certa & simplicia essent, nobis tamen nec legem nec necessitatem imitandi imponerent. Debacchatus in hunc libellum muris modis cum aliis est *Emserus*, eumqve Scripto aliqvo, anno se-

1522. qventi 1524. eidem Hausmanno (qvem satis palpat laudatqve) dedicato, acerbe taxavit; nec Cochleus bilem suam continere potuit, maxime qvod Lutherus tam impatienter ferret, Canonicos Wittebergenses in Missa solitaria veteri ritu celebranda pergere; qvodqve in aula illis conniveretur: In epilogo enim tractatus *f. 592. b.* hæc habet Lu-
„therus: Nec vos aut qvosvis alios absterreat, qvod in nostra Witten-
„berga adhuc perseverat Topheth illa sacrilega, qvæ Principum Saxo-
„niæ impia & perdita pecunia est, Templum dico omnium Sanctorum.
„Nam tantum est miserante Deo apud nos antidoti per copiosum ver-
„bum Dei, ut pestis illa in angulo suo langvens, non nisi sibi ipsi pesti-
„lens sit. Deniqve vix tres aut qvatuor porci & ventres sunt, in ipsa
„illa perditionis domo, qvi pecuniam illam colunt, cæteris omnibus si-
„mul & universo populo insignis nausea & abominatio est, neqve licet
„vi aut imperio in eos grassari, ut nosti, decere Christianos, non nisi
„virtute gladii spiritus pugnare, sic enim informo populum qvotidie,
„alioqvi jamdudum domus illa omnium Sanctorum, imo domus omni-
„um Diabolorum alio nomine ferretur in orbe. Satisfactum tamen
est zelo ejus haud multo post, ut in loco dicetur. Judicare nunc possunt omnes, qvibus æqva mens est, qvid peccatum sit a Luthero, aut ab illis, qvi ei obsequebantur, qvam diu non demonstratur necessitas obedientiæ, qvam Sedes Romana in orbem terrarum, omnesqve Christianas gentes sibi arrogabat. Hac enim non probata, ex decretis Pontificiis doctrina Lutheri, & provinciarum urbiumqve, qvi eum secuti sunt, consilium & institutum frustra & frivole impugnatur. Neqve enim minus Christiani, imo majori puritate & fide esse potuerunt, fuerunt & sunt, qvi rejectis, qvæ superstitiosa & superflua esse perspexerant, qvibusqve conscientiam suam obligari negabant, illa solummodo in sacramentorum ritu ut necessaria servarunt, qvæ de eorum substantia & integritate esse, indubitatis argumentis ex sacris literis convicti deprehenderant, reliqva, ut recte docuit Lutherus, etsi per se non mala, sed nec necessaria, in libertate reliqverunt, non qvidem crude & laxe, ut hic insinuare velle Maimburgius videtur, sed decenti ordine, qvadamqve Cleri & populi conventione. Videant igitur, qvi orbem Christianum cædibus & sangvine miscuerunt, ob hoc unum, qvod populus Christianus jugi, per tot secula ex inscitia & barbarie tolerati, pertæsus fuerit, & qvædam mutaverit, ea tamen cum moderatione,

tione, ut qvi mallent prioribus inhærere, id suo facerent arbitratu. Jam vero qvod S. Cœnæ sacramentum, ritusqve attinet, constare existimo apud omnes antiqvitatis Ecclesiasticæ non imperitos, substantiam ejus consistere in modo, qvem Christus instituit, & Apostoli servarunt. Fatentur autem scriptores in media etiam seculorum istorum barbarie, & diu ante Lutherum, nihil probari posse ex instituto primitivo, qvam usum verborum institutionis & orationis Dominicæ. Idem adductis auctoribus stabilivit Georgius Cassander Theologus eximius, minime is qvidem Lutheranus, sed veritatis amans, (& Ferdinandi I. & Maximil. II. Cæsarum Consiliarius, qvorum jussu consultationem de religione anno 1564. scripsit, Thuano *Lib. XXXVI Histor.* summe laudatam.) Libro *de Liturgicis Cap. II.* ut explodendus sit Emserus aliiqve, qvi ex suppositiis scriptoribus ementitas antiqvitates propinant. Qvicunqve igitur in simplicitate hac acqviescunt, illi nihil adversus Christianam disciplinam admittunt, etsi a placitis Romanis & longo usu discedant. Culpa schismatis penes eos stat, stabitqve, Deo olim justo judice, qvi potestate, cujus titulum non probant, in alios utuntur, & hæretici nominis invidia, pœnarumqve atrocitate suas inculcant sententias, non Christi. Hujus instituta ad salutem pertinentia, si servet populus, utut in ritibus variet, satisfacit nomini & officio Christianorum, nec legibus Ecclesiasticis mere positivis obligatur, nisi expresse vel tacite consentiat, qvod axioma, & Scripturis sacris & Christianæ fidei naturæ conveniens, juris Pontificii etiam compilatores, multiqve ex doctoribus sincerioribus Romano Catholicis, qvotqvot scilicet nullam adulandi Hierarchiæ causam habent, agnoscunt, idqve Protestantium conscientiæ maximam præbet securitatem. 1522. *Addit.* *Addit.*

§. CXXXVII.

Accedimus jam ad tertium, qvod hic ex seqventis anni gestis retrotrahit Maimburgius, nempe ad consilium Lutheri, *de bonis Ecclesiasticis*. Mirum qvam temere hic prodiderint studia sua, & qvid in religione ipsis maximum videatur, qvi de opibus & dignitatibus Cleri tantos excitarunt clamores & motus, cum nihil hic jure divino exigatur, qvam ut ministris Ecclesiæ populum docentibus, & sacra legitime curantibus de alimentis prospiciendum sit. Cætera omnia ab humano sunt instituto, aut Pontificio potius dominatu, cujus vis le-

I. §. 137. 1522. gitima, si non probatur, manent omnia, sicut ab initio fuerunt, in dispositione Principum & populi. Hoc irrefragabilibus argumentis non a Protestantibus modo, sed & ab adversæ partis doctoribus ita credo assertum esse, ut pro principio satis tuto haberi debeat. Qvapropter etsi Lutherus omnem per seculorum priorum patientiam invectam patrimonii, qvod vocant, Ecclesiastici constitutionem mutari svasisset, Principesqve & populos obsequentes habuisset, nullum tamen crimen ne sic qvidem demonstrari posset, stante, qvod Principes & populi legibus pontificiis insolubili nexu non fuerint adstricti; sed ad libertatis suæ vindicias ex gravibus causis provocare & progredi jure potuerint, sicut potuisse rationibus ostenderunt, qvæ conscientiæ suæ satisfecerunt, nec a judicio eorum, qvi ob suas utilitates resistebant, & jus dicendi legitima potestate carebant, reprobari potuerunt. Paucis dicam, omnis de bonis Ecclesiasticis ira & rixa frustra est, nec in foro conscientiæ (qvicqvid vi & armis in hanc vel illam partem factum sit aut fiat) attendi debet, donec Pontifices, non armis suis aut obnoxiarum sibi potestatum, sed legitimo more evicerint, divini juris esse, ut illi cum Clero suo, pro arbitrio, ex opibus vi aut astu coactorum & inductorum hominum capiant, unde pro lubitu & splendide vivant. Cessante autem divini juris necessitate, jus est Principibus & potestatibus, etiam olim sponte data, sive, ut dicitur, fundata, animadverso errore aut abusu, revocare, & alia ratione de impensis in rem sacram statuere & definire. Seqvitur inde, injustas qverelas esse, qvæ de mutatis bonis Ecclesiasticis fiunt, injustiorem vero vim, qvæ ad illa in arbitrium Cleri reducenda cum publicæ pacis dispendio & effusione sangvinis adhibetur. Scio eqvidem autoritatem civilem & edicta Imperatorum vetera allegari a Pontificibus & Clero, adversus hanc libertatem disponendi de bonis Ecclesiæ. Utut vero ea cum tumultu infringi a mere subditis non liceat, de Germaniæ tamen Principibus & statibus aliter judicari debet, qvi salva Majestate Imperatoria, qvæ suis constat fundamentis & terminis, in ditionibus suis Legislatoriam habent potestatem. Hæc controversia superiori & nostro seculo armis in Germania non semel ventilata, tandem pactionibus in eam redacta est formam, cui nunc merito insistitur. Qvid in aliis regnis & provinciis aut qvo jure fiat, non opus est, ut hic examinemus. Videmus tamen a Regibus & Rebus publicis, etiam Pontifici

Addit.

in

in cæteris obseqventibus (Galliam, Siciliam, & Veneros, pro exemplis nomino) multum asseri & effici, qvæ libertati illi supremæ, qvam Protestantes postliminio jam olim recuperarunt, suoqve postea sangvine tutati sunt, vel paria sint, vel valde affinia, prudenterqve facere Romanam Hierarchiam, si lenibus modis de opibus Cleri, potestatibus summis gratificetur, & lites redimat, qvarum decisio si non ex Lutheri, certe non multum dissimilibus placitis, ut nunc sapit mundus, valde ipsi metuenda esset. Sed ista de jure, pro meo instituto, & semel dicta sufficiant: Jam factum qvod Luthero imputatur, considerandum est. 1522.

§. CXXXVIII.

Edidit is anno 1523. præfationem in *statutum* qvoddam Leisnici ad Muldam, qvod mediocre in ditione Electorali Saxonica oppidum est, de reditibus istius parochiæ conditum, ad qvam vici aliqvot circumjacentes pertinent. Convenerant autem Nobiles, vicorum Domini, & inter eos vir egregius, multumqve Luthero laudatus (Vide *Lib. II. Ep. p. 331. b.*) *Sebastianus Cotteritius*, (familia eqvestri etiamnum florentinatus) cum Senatu oppidano, & vicorum incolis (inito prius pacto cum Abbate vicini monasterii Buchensis, eoqve ab Electore confirmato) de decemviris (duobus nempe ex nobilitate, duobus ex senatu, tribus ex civibus, tribus etiam ex vicorum incolis) per suffragia omnium qvotannis deligendis, qvi omnes parochiæ reditus, Eleemosynas etiam, colligerent, aut si opus esset, collationes indicerent, ex qvibus parochus, diaconi, puerorum & puellarum in scholis magistri & magistræ honeste alerentur, ædificia sacra conservarentur, & pauperibus prospiceretur, sublata omni mendicandi, sive ut loqvebantur, terminandi & stationandi, tum monachis tum vagabundis aliis licentia. Tam pie vero & prudenter ista omnia pro modo facultatum suarum providerunt, qvos dixi oppidani, suo qvidem arbitrio, nulloqve superiorum jussu, ut optandum cum Luthero sit, hoc exemplum pro regula ubiqve observatum fuisse. Notabilis inter alia est in ordinatione ista de Eleemosynis colligendis dispositio hunc in sensum: Habeantur in templo duo vasa portatilia, in qvæ panis, carnes aliaqve „ esculenta reponantur, alia in qvæ pecunia conjiciatur. Collectæ igi- „ tur Eleemosynæ, eæ præsertim, qvæ servari neqveant statim, qvæ vero servari possunt die Dominica pauperibus distribuantur, ita ut nemo „ *Addit.*

I. §. 138. 1522. probatur a Luthero, absqve autoritate aut præscitu Principis.

ex cœtu qvi ætatis aut morbi causa alimenta sibi acqvirere non possit, egere cibi, vestibus aut hospitii debeat; sed ex decreto Decemvirorum necessaria capiat. Porro ut ex reditibus sacris & sumtibus publicis, cum vile est annonæ pretium, frumenti modus coematur, ex qvo, tempore caritatis, donari, vendi aut mutuo dari egentibus, itidem ex arbitrio decemvirorum possit. Si vero reditus annui, & qvæ sponte conferuntur, ad omnes erogationes non sufficiant, tunc decemviris proponentibus totus cœtus, qvæ necessaria erunt, pro facultatibus colliget, idqve tanto faciet lubentius, qvia antehac longissimo tempore intolerabili modo per totum annum a mendicantibus domesticis & peregrinis, aliisqve callidis artibus exhaustos se fuisse sciunt. Cæterum Leisnicenses in exordio profitentur, se divinarum literarum peritos consuluisse, Lutherum tamen non nominant: qvanqvam verisimile est, consilio ejus usos esse. Ipse vero in præfatione haud prolixa Leisnicenses, qvos alloqvitur, magnopere laudat, statutumqve illud dignum judicasse se scribit, qvod typis publicetur, aliisqve ad imitationem proponatur. Eo enim, ait, rem Clericorum, qvi sub specie cultus divini tantas mundi opes corraserint, jam devenire, ut videantur Deo & hominibus molesti, nec ferendi amplius esse. Cum igitur monasteria jam deseri incipiant, nec sint, qvi in iis vivere post hac velint, & hæc mutatio suæ doctrinæ imputetur, curandum sibi esse, qvantum consilio & svasionibus possit, minuendæ invidiæ causa, ne derelicta monasteriorum & collegiorum bona in prædam promiscuam hominum avarorum cedant, sed pie & utiliter impendantur. Nihil autem præcipit aut urget, neqve ad ullum Principum desideria illa sua defert, sed, ut dixi, solis Leisnicensibus respondet, multaqve pro casuum & temporum ratione ulterius expendenda, & secundum regulam christianæ charitatis omnia æstimanda & instituenda esse monet, adeoqve intra vota consistit, contentum se fore, ajens, si modo duo aut tres consilia hæc sua vel seqvantur, vel saltem non improbent. Scripta est præfatio hæc Germanice, ut & ipsum Leisnicensium statutum, nec Maimburgius ex illis qvidqvam, credo, cognovit, qvam qvæ ex Cochlei maligna & mendaci relatione exscripsit. Moderatiora qvippe omnia sunt, qvæ Lutherus proponit. Neqve enim expelli vult monachos, sed volentes dimitti; manentibus alimoniam, & qvidem uberiorem, qvam habuerint, præberi, ne avaritiæ sed charitatis impulsu

iste

Luth. sententia de præbendis majoribus. item de usuris. nullum ad Principum utilitatem

I. §. 138. 1522.

ista fieri videantur. Neqve se aliis consulere, ait, qvam qvi Evangelicam doctrinam recipiant, & facultatem disponendi de his rebus habeant. Falsissimum igitur est, eum velle, ut qvæ ex reditibus monasteriorum desertorum supersunt, Principibus & Magistratibus accrescant, qvinimo diserte svadet, ut omnia ad pias causas sive ad charitatis christianæ exercitia impendantur, tanqvam *bona Ecclesiastica*, qvo nomine olim vocata fuerint, id est, *communia, & ad cœtum & Ecclesiam, in pios usus pertinentia.* Addit exceptionem, si forte fundatorum posteri ipsi nunc egeant, ut & his de alimentis & subsidiis qvibusdam prospiciatur, sed citra abusum, & ad præscriptum ordinatæ charitatis. Improbat autem promiscuam istius modi fundationum retractionem, qvalis in Bohemia facta sit. De Ecclesiarum Cathedralium & collegiatarum reditibus ita judicat, qvod in effectu & re ipsa nil aliud sint, qvam politici reditus, atqve ita mallet Episcopos & Prælatos in numerum civilium potestatum referri, qvam pro divini cultus ministris haberi. Aut ut ad fundatorum hæredes proventus isti, eo, qvo supra dixit, modo, reverterentur, aut communi fisco Ecclesiastico accederent. Cum vero usuraria pravitate laborare contractus, qvos vocant, venditionis annuorum redituum, in qvibus magna pars proventus Clericorum consistebat, censeret, debitores liberandos ære illo alieno esse svadebat: sed neminem invenit, qvi in hac opinione ei assentiretur, ita ut aliqvot post annos ab illo rigore ipse discesserit, a Jureconsultis informatus, & Principum leges de usuris vicesimis non improbaverit. Cæterum ex hoc ipso, non libro, ut Cochleus nominat, sed brevi consilio per epistolam vel præfationem expositio, manifestum fit, de qvo jam in præloqvio aliqvid monui, qvam calumniose insimulentur Principes & magistratus Germaniæ, qvod Lutheri doctrinam hoc uno fere argumento acceptaverint, ut spoliis ex bonis Ecclesiasticis ditescerent. Scripsit ista hoc anno 1523. Lutherus, cum ipse in summo periculo viveret, Elector vero Saxonicus nondum de publica Ecclesiarum ordinatione & reformatione decrevisset, & jam doctrinam ipsam maxima populi pars probaverat, nullo ad bona Ecclesiastica habito respectu. Adeo vero nulla tunc lucrandi & ditescendi cogitatio Principem aut proceres provinciarum movere poterat, ut metu Pontificis & Cæsaris magno potius ære libertatem Evangelicæ doctrinæ

I. §. 138. reſpectum habuit. Eqveſtris ordo nihil lucratus eſt ex bon Eccl.

1522. ctrinæ redemiſſent. Qvibus enim in anguſtiis hoc ipſo tempore, qvo Comitia Norimbergica habebantur, verſati ſint purioris doctrinæ fautores, puulo poſt dicetur. Qvod ſi conſilium Lutheri processiſſet, & id ſeqvi placuiſſet Principibus, qvid qvæſo lucri ad eos redundaſſet, cum ſtatuta a Luthero ſuprema regula de charitate chriſtiana, nihil omnino ad fiſcum Principum & magiſtratuum redire potuiſſet, niſi ipſi indigentiam & paupertatem majorem pro conditione ſua, non minus qvam plebeji probaſſent, tantumqve poſt ſumtus ad cultum divinum & ſcholas publicas neceſſarios pauperumqve ſuſtentationem ſuperfuiſſet, ut etiam Principibus & Nobilibus aliqvid tribui potuiſſet, qvod per regulas a Luthero poſitas, ineptum cogitatu, nedum effectu fuit.

Addit. Principes ſane Saxonici illo tempore tam opulenti erant, ut pecuniis (qvod probare facile poſſem) mutuo datis alios juvarent, aut eos magnificis ædificiis impenderent. Ex minori Nobilitate depauperatas familias qvasdam fuiſſe haud negaverim. Conſtat autem primas dotationes antiqvitus admodum tenues, multorumqve fundatorum familias dudum extinctas fuiſſe. Maxima nempe redituum pars Clericorum induſtriæ aut collationibus pecuniariis, multum etiam uſuris debebatur. Itaqve ne qvid diſſimulem, conſilium illud de fundatorum hæredibus juvandis, levandæ invidiæ cauſa propoſitum fuiſſe puto, ſterili aut nullo effectu. Neqve enim reſtituta ad eum modum fundatorum ex eqveſtri ordine poſteris monaſteria fuerunt, aut ſi qvid tale accidit, onus ſubrogatum fuit ſcholas conſtituendi, certumqve præceptorum diſcentiumqve numerum in iis alendi; qvanqvam non niſi unum hujusmodi exemplum in Saxonica ditione mihi notum eſt in ſplendida Eqvitum *Witzlebiorum* familia, qvi *Roſlebiæ* in Thuringia monaſterium in ſcholam converterunt. Nihil itaqve niſi perpetuæ & tædioſiſſimæ contumeliæ ſunt, qvæ reformationi ex bonorum Eccleſiaſticorum invaſione opponuntur; nec niſi vaniſſime fingitur, Luthero autore ſpolia Principibus oſtenſa eſſe. Qvid vero longo poſt tempore nempe anno 1532. ſeqveſtratis jam poſt publicas cum provincialibus conventiones monaſteriis & collegiatarum Eccleſiarum reditibus, pro commodo aliqvo fiſci ducalis permittendum eſſe exiſtimaverit Lutherus, ut ſcilicet maximi ſumtus in religionis negotia facti qvodammodo refunderentur, in loco exponetur. vide *Tom. V. Alt. fol. 1027. & ſeqq.* Sed ab ejus intentione & conſilio neqve hoc anno

neqve

§. 139. Sævitur in Lutheranos: Doctrina tamen propagatur: in superiori Germania. I. §. 139. 1522.

neqve sequentibus profecta sunt, si qvæ minus probanda per varias rerum mutationes evenerunt, imo vix alius acrius in abusus bonorum Ecclesiasticorum invectus est.

§. CXXXIX.

Sævitia, ut supra innui, contra Lutheranos, qvos vocabant, palam & vehementer exerceri isthoc anno 1522. cœpta est. Durior ante alios Georgius Saxoniæ Dux mandatum mense Novembr. anno 1522. de tradendis Novi Testamenti libris a Luthero versis emisit, qvos sub pecunia a subditis redimebat, *Tom. II. Alt. f. 224.* severe punitis, qvi retinebant. Visitavit etiam, incitatus a Duce, autumno hujus anni, Academiam Lipsiensem Episcopus Mersburgensis, & gravissimis pœnis denuntiatis, lectionem Novi Testamenti a Luthero oditi, & excursum ad conciones in vicina Electoris ditione audiendas prohibuit; qvo facto juventus studiis incumbens, ut jam ante cœperat, Lipsiam magis magisqve deserui, & Wittenbergam petiit. Nec mitiores erant Henricus Brunsvicensis & Ferdinandus Rex, Caroli Imp. frater, tum in Austria, tum in Wurtembergico, qvem tunc tenebat, Ducatu. Sed violentissima Belgis persecutio incubuit, magno hominum numero præcipiti condemnatione vita aut bonis spoliato. Mense Octobr. destructum est totum Augustinianorum monasterium Antverpiense, monachiqve omnes vel extremo supplicio postea affecti, vel, cum carceris tædio mortisqve metu revocassent, aliis modis puniti sunt. Prædicaverant autem illi secundum Lutheri doctrinam tanto cum applausu, ut templum affluentem hominum multitudinem non caperet; Nec Jacobi illius casus, qvem supra retuli, cæteros absterrebat. *Addit.* In Germania vero doctrina Evangelica multis in locis majori cum libertate admissa est. *Addit.* Norimbergæ Andreas Osiander, Mense Februario publice concionari cœpit, & Monachus qvidam Franciscanus *Gallus Kornius* causas deserti a se monasterii publicavit. Augustæ Vindelicorum hospes olim Lutheri *Job. Froschius*, Theol. Doctor, Carmelitarum Prior; Francofurti ad Mœnum *Hartmannus Ibachius*, Ulmæ Monachi *Addit.* aliqvot non sine periculo, & vocatus postea a Senatu *Conradus Samius*, Halæ Svevorum *Johannes Brentius*, magni postea inter Evangelicos *Addit.* nominis; docuerunt. In tractu, qvi Chraichgoa dicitur, in finibus

* Ludovicus Rabus P. 2. Hist. Martyrum cap. IV. f. 220 dicit Kornium fuisse Dominicanum

I. §. 139. 1522. Palatinatus & Wurtembergici agri fitus, in Eqvitum Liberorum, qvorum ibi multi & opulenti habitabant, qvibusdam etiam Palatinæ ditionis pagis & vicis concionati sunt bene multi, inter qvos celebriores habentur *Erhardus Snepfius*, & *Franciscus Irenicus*. Pulsi qvidam, ubi Clerus prævalebat, in alias regiones dogmata transtulerunt. In Franconia Georgius Comes Wertheimensis Lutherum de Prædicatore mittendo rogavit, cui aureorum centum stipendium (non exigua tunc summa erat) & victum in mensa sua offerebat *Lib. II. Epist. p. 92.* Bremæ docuit *Henricus Zutphanienſis*, Augustinianus Antverpiensis, carcere elapsus; Magdeburgi *Melchior Myricius* (von der Heyde) itidem Augustinianus, *Eberhardus Widenſee*, Halberstadio pulsus, & *Johannes Fritschhans* Franciscanus, qvi tamen anno seqventi fratrum odiis cessit, & ne iis resistens populo tumultuandi occasionem præberet, Wittenbergam profugit, discessusqve sui causas & doctrinæ fundamenta brevi sed pio nec indocto libello Magistratui Magdeburgensi exposuit. Mildeburgi ad Mœnum Moguntini Electoris oppido, *Joh. Drach*, Carolostadius; Servestæ, qvæ egregia Anhaltini Principatus ad Albim urbs est, Lutherus ipse in Augustinianorum monasterio hoc anno concionem habuit magno successu. In Pomerania florentissima Emporia Stetinum & Sunda, illud qvidem peritis Wittenbergæ concionatoribus, *Nicolao Curienſi* & *Paulo a Rheda*, hoc exulem Treptoviensem, *Christianum Ketelbut*, recipiens reformationis initium fecerunt: sed Sundæ cum tumultu res acta fuit, plebe ad imagines frangendas concitata, & monachos uno die expellente. Stolpenæ ulteriori Pomeraniæ claro oppido *Petrus Suavenius*, Danus, Lutheri domesticus, prima semina jecit. In Livonia primariæ urbes Riga, Revalia, Dorpatum eadem receperunt *Andrea Cnophio*, prædicante, qvi cum Bugenhagio vere præcedenti Treptovia ejectus fuerat, sed ab aliis impulsa plebs vehementius, qvam par erat, agebat. Rogatu postea Magistri eqvitum Teutonici ordinis, cui Livonia tunc parebat, Lutherus ad Livonos scripsit mense Januar. 1523. *Lib II. Ep. 122. b. & seqq.* in qvibus inter alia ita loqvitur; Caput totius Christianæ doctrinæ est fides in Christum, & deinceps erga proximum dilectio. Indulgentiarum nundinationes sanctorum cultum & qvicqvid præterea operum ad animarum nostrarum salutem pertrahitur, ut venenum lethale & pestilentissimum defugite & devitate. Qveritur in eadem epistola de

Prin-

Principibus & Episcopis Germaniæ eorumqve blasphemiis, condemnationibus, proscriptionibus, infectationibus, igne, ferro, vinculis; & beatos Livonos prædicat, qvi veluti Britanni toto orbe remoti, in extremis terræ finibus salutiferum Christi Evangelium omni cum voluptate exosculari & amplexi sint, confortat autem eos ad persecutiones, qvas secuturas esse prædicit fortiter sustinendas. Hamburgenses hoc anno expulso officiali Archi-Episcopi Bremensis; Frisii etiam ministros Evangelii Wittenberga petierunt, teste Luthero *Lib. I. p. 98.* De Helvetiis & Alsatis multa narrari possent: dissensus enim in articulo de S. Cœna nondum in schisma eruperat. Itaqve *Caspar Hedio, Martinus Bucerus, Joh. Oecolampadius*, hoc etiam anno Moguntiæ, Weissenburgi in Alsatia, & apud Sickingium docentes pro Lutheranis habebantur. *Hedio* tamen ad *Capitonis* ingenium se accommodans Moguntiæ in summo Templo tectius concionabatur, reprehendente simulationem illam Oecolampadio. Vide *Stulcet. hoc anno 1522. p. 133. & p. 137.* ubi hujus methodum in aula Sickingii ad reformandum cultum publicum adhibitam ex epistola ejus ad Zvinglium refert. In Bohemia & Silesia, etsi Ludovicus Rex Luthero infensus esset, Georgii tamen Marchionis Brandenburgici, qvi regiæ aulæ Magister erat, & favere Luthero cœperat, opera florere incipiebat Evangelica doctrina, Uratislaviæ maxime, qvæ nobilissima Silesiæ urbs est, & sub Ducibus Lignicensibus & Monsterbergensibus. Ex Polonia missum ad se Secretarium religionis causa memorat ipse Lutherus mense Julio in epistola ad Spalatinum, *Lib. II. p. 88. b.* Ex Hungaria fama novæ lucis in doctrina excitata, adolescentes Wittenbergam venerunt, in qvibus primus hoc anno nominatur *Martinus Cyriaci*, Leutschovienſis, Rectore Melanchthone, albo Academico insertus. De Dania & Svecia, Maimburgium paulo post audiemus. Majoris vero laboris esset, & plura ex singulis regionibus & urbibus documenta requireret, si qvis ortum & progressum doctrinæ repurgatæ ubiqve locorum notare & describere accuratius vellet. Præterire tamen nolo qvæ Scultetus ex autographo literarum *Friderici Canisii*, Scholæ Rectoris Delphis Batavorum Moguntiam ad Hedionem scriptarum, in historia hujus *anni 1522. p. 136.* annotavit, statum illarum provinciarum, qvæ durissimo Cæsarei edicti jugo premebantur, & Erasmi aliorumqve animos repræsentantia. Multa *(inscribit)* moliuntur adversarii

1522.

Addit.

1522. sarii per mandata, epistolas, legationes etiam, sed infatuat etiam Dominus consilia Ahitophel, & fit, ut monte parturiente nascatur ridiculus mus; tantum scio, si vel semel liceat in publico concionari, res monachorum, (qvæ hic infestissimæ sunt veritati) plane ad nihilum redituras, cum magna ex parte labefactatæ sint pauculis in gymnasio nostro sermonibus a me habitis. Sed expectanda patienter voluntas ac beneplacitum Domini, qvi cum videat, usqve adeo fervere nos, consulto dissimulat auxilium, ne nostris conatibus aut laboribus qvidqvam arrogemus, si omnia feliciter cadant, cum non tam habeat rationem vocandorum, ut ad gratiam perveniant, qvam jam vocatorum, ut in gratia permaneant, sed ubi viderit nos cessare, imo desperare salutem Israel, ac totis animis inde pendere, ut ipse solus operetur jam in medio terræ, tum demum ex improviso aderit Ecclesiæ suæ, qvi insperata feret auxilia: ut tantum Deo sit laus & gloria, Amen. Erasmum in dies magis frigescere, & qvantum ego judicare possum, retractare latenter, qvæ videatur olim liberius vel dixisse vel scripsisse, ægerrime fero, & agnosco puerilem metum, qvi plus veretur hominum gloriam qvam Dei. Cæterum tales Nicodemi apud nos in magno sunt numero; sed qvi firmius starent haud dubio, si detur publicare gloriam Christi, qvo uno fortificantur ægræ conscientiæ. Ex his, qvæ de incremento Evangelii extra Electoris Friderici & Ducis Johannis ditionem adduxi, constare potest, plus fere alibi per viros doctos & pios qvi scriptis Lutheri excitati erant ad sacræ Scripturæ lectionem qvam intra Saxoniam Electoralem præstitum esse. Hic enim dissimulantibus principibus procedebant aut hærebant omnia ad arbitrium magistratuum aut populi, prout qvisqve affectus erat, aut potentia præpollebat. Apparet hoc clarissime ex epistola Lutheri ad Parochum Zviccaviensem Hausmannum fer. 2. post Cantate scripta: Consulenti enim de negotio qvodam ecclesiastico respondet: nullo modo mihi consultum videtur ut Principi illustrissimo de hac re scribatur, certus qvod non acceptabit, sed a se ad vos denuo retorqvebit. Novi hominis ingenium, qvi ferre potest, ut ab aliis fiant, qvæcunqve fiunt, sed mandare aut consulere nolit; ita Senatui & tibi res perficienda est. *Lib. II. epist. p. 65.* Docebat eo tempore Islebiæ Prior Augustinianorum *Caspar Guttelius*, cujus §. 121. memini, Theologiæ Doctor, qvem *optimum patrem* nominat Lutherus, loco supra citato, &, alibi

etiam

I. §. kkk. 1522.

etiam laudat. Hic referente Sculteto *ad annum 1522. p. 435.* Arnstadii in Thuringia Comitum Schwartzburgensium nobili oppido, a civibus rogatus, in foro aliquot conciones habuit, sequenti anno Wittenbergæ typis excusas & Comiti Guntheroloci Domino inscriptas. Sed pergo ad alia, quæ Maimburgius exhibet.

§. kkk.

Cum enim Franciscus Cheregatus, Nuntius Adriani VI. qui ante menses plus minus viginti Leoni successerat, eo missus, executionem Bullæ prædecessoris sui & edicti Wormatiensis adversus Lutherum peteret; responsum tulit, remedium hoc intempestivum esse, gravibus per Germaniam querelis contra abusus Curiæ Romanæ ejusque dominatum exortis, (hæc enim Lutherani ubique vulgabant) si igitur nunc contra Lutherum aliquid decerneretur, creditum esse totum populum, fieri id ad fovendos abusus, & destruendam veritatem Evangelii, unde majores turbæ metuendæ essent. Longe efficaciora itaque media quæri debere; inter quæ primum esset, ut Pontifex cum consensu Imperatoris Concilium liberum indiceret, intra annum in urbe quadam Germaniæ habendum: deinde ut status Ecclesiasticus reformaretur, ante omnia vero ipsa curia Romana: tandem ut querelis sive gravaminibus nationis Germanicæ satisfieret. Horum centum composita erant, a Lutheranis, ut satis apparebant, suppeditata; quædam enim manifeste ad destruendam totam Pontificis au-

Acta Conventus Norimb. Fasicul. rer. expet. & fug. Goldast. Const. Imp. t. 2.

centum gravamina German. ap. Goldast. & in Fascic. rer. expet.

Lib. kkk. 140, 1523.

toritatem disciplinam etiam Ecclesiasticam, & sanctissimas quasque consuetudines Christianismi, ab immemorabili tempore observatas tendebant. Additum de cætero fuit, ne dum concilium expectaretur, Lutheranis contra Ecclesiam Catholicam amplius quidquam scribere fas esset, & ut concionatores utriusque partis nihil nisi purum Dei verbum praedicarent, ad normam doctrinæ & interpretationis in Ecclesia receptæ. Instante autem & graviter querente nuntio, Ordinariis injunctum fuit, ut Sacerdotes, qui uxores duxerant, & monachi, qui monasteria & regulas suas deseruerant, pœnis canonicis coercerentur, privilegiis & beneficiis privandi, utque nullum a Magistratibus impedimentum executioni huic objiceretur. Hæc in formam Edicti reducta d. 6. Martii nomine Imperatoris absentis publicata sunt. Lutherus, quanquam non erat, ut his lataretur, edito tamen scripto artificioso & maligno, suo illa interpretabatur modo, populo nempe satis placituro: atque sic approbare se decreta simulabat, illaque sibi proficua esse multis persuadebat.

Lub. contr. falsar. Edict. Cæsar, t. 2.

§. CXL.

Adriani VI. Pontificis electionem, quæ absente ipso in Hispania Romæ facta est d. 9. Jan. 1522. cur tam paucis verbis referat, digressionum alias non parcus noster, equidem nescio. Mihi ratio est, quædam a scopo non aliena de ea commentari. *Adrianum* Trajecti ad Rhenum, sive Ultrajecti natum, sacris ordinibus addictum, Decanum Lovaniensem, Caroli quinti Præceptorem, magnisque muniſteriis in-

Bel-

Belgio, & Hispaniarum gubernatione honoratum, Theologiæ Thomisticæ innutritum, scriptis etiam ante Pontificatum clarum fuisse, vulgata sunt. Ex moribus ejus candor sive animi aperta libertas, Belgarum genti veluti innata, præcipue laudatur. In aula regia sub amici specie æmulum habuit, qvem supra aliqvoties nominavi, *Crojum Cevrium*, Caroli educatorem primarium. Hujus, qvi solus Regiæ juventæ arbitrium sibi asserebat, artibus, in Hispaniam amotus potius qvam legatus, ad Ferdinandum Caroli avum fuit, a qvo *Episcopatum Dertusanum* & a Leone X. *Cardinalis* dignitatem accepit: deinde mortuo Ferdinando, *Gubernator Hispaniæ* constitutus est; parum felici & consilio & successu, ut ex nupera Varillasii historia paulo accuratius (dummodo & fidelius) qvam ex vetustioribus commentariis cognosci potest. Humilitatem generis, qvæ qvidem negari non potest, imperite tamen ex eo arguit Pallavicinus, qvod familiæ nomine carens *Florentii* tantum patris pro cognomento assumserit. Id enim Belgis, si paucos ex illustri genere excipias, populare est, sicut olim Hebræis Græcisqve fuit, & apud Svecos ac Danos etiam nunc ut plurimum servatur. In Germania qvoqve post Caroli demum Magni aut Ottonum tempora cognomina familiarum in consvetudinem venerunt, nulla aut rara antea etiam apud nobiles. Cæterum Pallavicinus non solum a Paulo Veneto, sed & a Francisco Gvicciardino, qvi tempore illo vixit scripsitqve, multum discrepat in historia hujus Adriani, pugnatqve vehementer in Venetum de vexatissima tunc indulgentiarum materia, liberius, qvam Romanæ rei expedit, relatis Pontificis & Cajetani Cardinalis sententiis, commentantem. Tractat autem ista Pallavicinus prolixe *Lib. II. capitibus 5. & 6.* sed omni subtilitate sua & sophismatum artificio excusare apud cordatos Lectores debilitatem causæ Pontificiæ in asserendo indulgentiarum jure, magnasqve alias corruptiones non poterit. Enormia sunt qvæ postulat: *primo* sanctos creditores Dei esse, id est, plus mereri, qvam opus habeant; *dein* qvæ superflua iis sunt, communioni Ecclesiæ sive omnibus Christianis fidelibus accrescere; *porro*, qvod Christus in superabundantia meriti sui hæredem instituerit Ecclesiam; *deniqve* qvod hujus nomine Pontifex & Vicarius dispensationem tanti habeat thesauri. At cum multis ratiunculis id agat, ut pecuniæ ex dispensationibus corradendæ artes defendat, & Ecclesiastico foro jus asserat, ut Legum dissolutioni fræna

I. §. 140. 1523. causæ Electionis Adriani veriores. Judicium Pallavicini contra reformationem & protestantes.

injiceret ex argento, cum æqve ut profano, ex ferro id non liceat, dein de defectu regiminis hierarchici ob senium Pontificum & diversa successorum ingenia & institutura mirifice philosophetur, nimium qvantum! simplicitati & sanctitati Christianæ religionis adversari, & Italicæ calliditatis genium sapere deprehenditur. Sed missis his notabimus, ad historiam reformationis propius pertinentia. Causas eligendi Adriani, hominis exteri, & ut Romani ajebant, barbari, non celat, ipse Romanæ politices magister Pallavicinus, interqve eas habet Theologicam Adriani peritiam & fervorem, cujus specimen dederat, cum Doctores Lovanienses, suos olim collegas, ad condemnandas Lutheri theses (ut supra dictum) stimulasset. *Doctis itaqve hæreticis*, qvos vocabant, *doctiorem se opponere* dicebant *Pontificem*. Sed interior causa erat, qvod Julius Mediceus Cardinalis post Leonis obitum, factione sua nondum ad Pontificatum adipiscendum prævalere poterat, ad qvam post mortem Adriani pervenit. Cum igitur cedendum tunc contra nitentibus esse videret, malebat peregrinum & factionum expertem qvam æmulum ex præsentibus & notis evehi, sibiqve simul præsidia ab Imperatore adversus Gallos, qvos Leo, nec non ipse Cardinalis Mediceus non uno modo offenderant, conqvirebat, dum virum, qvem Cæsari charum credebat, suo extolleret suffragio. Adeo parum divini aut pii consilii in eligentibus deprehenditur; pro bono tamen signo erat, magna Romanorum & Italorum a novo Pontifice aversio, qvibus corruptissimis non nisi melioris famæ vitæqve vir displicere poterat. Jam consilia novi Pontificis ita pandit Pallavicinus, ut Protestantes non tum saltem scire potuerint, qvid sperandum sibi ab aula Romana esset, sed & idem hoc monitore in præsens luculenter cognoscant. Reformationem capitosus senex, si non in doctrina, saltem in moribus, animo volvebat; sed hunc ei zelum ex Schola aut simplicitate naturæ adhærentem, confestim aut exemerunt, aut difficillimis objectamentis infructuosum fecerunt veterani dominationis Pontificiæ artifices. Non veretur laudare hos Pallavicinus, putarqve emendationem Ecclesiæ vel ideo negligi debuisse, ne Protestantes sui causa factam esse sibi imaginarentur; dein perduellionis (pro qva reformationem habet) incendium non concessionibus sed terroris gelu & sanguinis pluvia restingvendum esse. Qvæ sententia

cap. 6.

cap. 6. n. 8. audacter pronunciata, a quo spiritu efflata sit, obesæ naris esset, qui non olfaceret: præsertim cum Protestantes, qui Pontifici & emunctionibus pecuniariis se subduxerant, pecuniosiores aliis, qui jugum adhuc ferunt, non esse asseveret; sed in veras paupertatis causas non inquisivit, quæ ex libertate illa ab exactionibus Romanis utique non veniunt. Interim satis liquidum est, ingenti onere magnam pecuniæ vim Romam mittendi, & tot quibus carere potuerunt, monachorum & monialium cohortes alendi, liberatos fuisse, idque pro divino beneficio non immerito agnovisse. Nunc Adrianum, non tam quæ volebat, quam quæ per consultores illos suos poterat, remedia pro Ecclesia expedientem videbimus. Testem habemus ipsum Pallavicinum inter capita, quæ ante electionem a Cardinalibus conscribi & jurejurando sanciri post Leonis mortem placuit, futurum Pontificem obligatura, etiam illud fuisse: *Revocandas esse facultates omnes, Fratribus minoribus* (Franciscanis) *concessas, promulgandi indulgentias pro Vaticani templi molitione.* Hoc non potest non esse Luthero honorificum, cujus monitis ista revocatio debebatur. Aperte sane tradit Pallavicinus, Pontificem promulgationem indulgentiarum *pro scintillis incendii habuisse dicto cap. 4. n. 2.* Ulterius vero progressus, exactiones, quæ *Datariæ* nomen fecerunt, moderari instituebat; sed hic ei *ferventiora consilia ex formis abstractis nata objiciuntur, speculantibus speciosa, sed subjectæ materiæ conditioni minime accommodata, dicto cap. 6. n. 7* Acrius etiam reprehenditur, quod misso ad Norimbergensia comitia Legato depravationes curiæ Romanæ nimis aperte agnovit, & *reformationem in capite & membris* summe necessariam, sibique omnino cordi esse, professus est. Hic ei Pallavicinus *simplicitatem animi, credulitatem erga eos, qui Leonis gesta culpabant, nimiam vehementiam, & liberiorem, quam par est, sinceritatem, imprudentiam vero summam ista publice evulganti,* exprobrat, ut ex toto fere *cap. 7. Lib. II.* apparet. Prægnantissima vero ratio candorem illum Adriani exagitandi ipsi est, quod *Romanus Pontificatus sacra profanaque dominatione permixtus sit, adeoque* multis gravibusque *de causis civili prudentia, id est, artibus dominationis summe indigeat.* Quo quid apud Christianos vicarium Christi, (si quis esse debeat,) magistro, quam fieri potest, simillimum exoptantibus, & dominatum profanum, sive carnale regimen in Ecclesia non agnoscentibus, dici possit insolentius,

1523.

1523. judicandum cordatis relinqvo, ſicut & politicum, qvod ſubjungit problema, qvo *præfert rectorem Eccleſiæ, mediocri ſanctitate ſed eximia prudentia præditum, ei, qvi ſanctimoniam modicæ prudentiæ conjunctam haberet.* Facile qvidem aſſentientes nos habebit, ſi ſanctimoniam non aliam intelligit, qvam qvæ externa pompa aut oſtentatione aſcetici rigoris exhibetur; ſed ſi veram & genuinam æſtimare decet, qvam Chriſtus & Apoſtoli præſcribunt, *ſerpentinam prudentiam cum columbæ ſimplicitate copulantes*, qvamqve ſectari eum convenit, qvi Chriſti boni paſtoris perſonam gerere vult, eam Adriano non inviderent Proteſtantes, modo veritatis Evangelicæ lux illi affulſiſſet, isqve zelum ſuum ad hanc agnoſcendam & promovendam applicuiſſet, & ſinceræ pietatis Chriſtianæ fundamenta, qvæ Lutherus, applaudente pene tota Europa, proponebat, inveteratis ſcholæ ſuæ vaframentis prætuliſſet. Sed cum nil niſi iras & cenſuras in doctrinam puriorem per diplomata & Legatum effunderet, neutrum qvod intendebat, tenuit. Neqve enim Luthero nocuit, nec ſuam reformationem, qvæ erumenis qvam animabus hominum utilior erat, ad effectum perduxit.

§. CXLI.

Videamus tamen, qvomodo occaſione Comitiorum Norimbergenſium, qvæ abſente in Hiſpania Carolo ſub finem anni 1522. a Ferdinando fratre, Cæſaris locum tenente & a Regimento congregata fuerant, uſus ſit Adrianus. Et ſiqvidem Acta Tomis Lutheri inſerta, & Sleidanum ſeqvimur, Pontifex hic, poſtqvam ex Hiſpania Romam veniſſet d. 5. Octobr. 1522. humaniſſimas literas ad Fridericum Saxoniæ Electorem, qvem Norimbergæ præſentem eſſe putabat, *Hieronymo Ronario*, Camerario ſuo perferendas dedit, qvæ habentur *Tomo II. Lat. f. 567. b.* in qvibus tamen nihil de Luthero memorat, ſed benigne „hortatur Principem, qvi Sacri Rom. Imperii (Eccleſiæ Advocati) „membrum & Elector eſſet, ut ad ſalutem totius Chriſtianæ Reipubli„cæ ſanctamqve fidem tuendam incumberet, cætera ex ſubſecuturo mox „Legato intellecturus. Dubium verò hic facit Pallavicinus de literis hiſce, easqve putat per errorem in Tomis Lutheri *Adriano* tribui, cum a *Clemente* miſſæ ſint, eædem nempe, qvæ adſcripto die 7. Dec. 1523. *dicto Tomo II. fol. ult.* habentur. Sed cum utriusqve Pontificis literæ non ſolum in Jenenſi, ſed & in Wittenbergenſi editione diverſo ſtylo

eximinantur. Franciscus Cheregatus Legatus Pont. diploma edicit severum & terrificum. l. §. 141. 1523.

& tempore inventantur, & Roratius ille, olim Maximiliani Cæsaris, subicularius, eodem titulo ab Adriano, sicut a Clemente honorari & in Germaniam, cujus rerum gnarus erat, ad secuta mox altera Comitia, ut Legati præcursor, mitti potuerit, non est, ut de fide literarum ambigamus. Cæterum Adrianus ad ista Comitia anno 1522. cœpta Legatum expedivit *Franciscum Cheregatum*, Vicentinum, Episcopum Fabrianensem, qvi Cardinalibus Sedunensi & Corneteusi a secretis, multisqve legationibus adhibitus fuerat, dato ad Ordines Imperii diplomate, d. 25. Novembr. qvod totum fere in invectivis adversus Lutherum occupatur. Extat *Tomo II. Lat. fol. 568. & sqq.* Imputat autem ei non modo *veterum hæresium resuscitationem, sed & corruptionem morum, & invasiones bonorum sacrorum, & bella civilia*, qvæ fieri cœpissent (Sickingianos motus, de qvibus postea dicemus, innuens) dein *damna a Turcis Hungariæ eo anno illata, & obsidionem Rhodi Insulæ* (qvæ paulo post mense Decembri capta est) deplorans. Ante omnia ab interna lue purgandam esse statuit Germaniam, & exprobrat, qvod „ per unum, ut loqvitur, fraterculum apostatam, qvasi is solus sapiat & „ sciat, aut solus Spiritum sanctum acceperit, a via, qvam Christus & „ Apostoli demonstraverint, totqve martyres & sancti viri incesserint, „ seduci se passi sint, nec in Edicto Wormatiensis executione debitam „ præstiterint obedientiam: cavere eos sibi a Lutheri sectatoribus jubet, „ postqvam Pontifici & Clero obsequium subtraxerint, etiam Laicorum „ bona invasuris. Neqve enim qvi Christos Domini violare ausi sint, eos „ esse, qvi cervicibus cæterorum parcerent. Ingentes deniqve minas „ divinæ ultionis addit, utqve Germani majorum suorum exemplum adversus Hussum & Socium in Constantiensi concilio editum, imitentur, serio omnes cohortatur. Hæc non sine effectu publicata sunt a Legato, conterritis aut commotis fere omnibus, immensum vero, ut ex ablegati Saxonici relatione *(Tom. II. Act. f. 276.)* patet, clamantibus Episcopis & sacri Ordinis statibus, *tollendum esse Lutherum, & carceri includendos, qvi Norimbergæ dogmata ejus in concionibus propalabant.*

§. CXLII.

Ut vero apud seculares Principes Pontificis consilia majorem invenirent applausum, Legatus incunte Anno 1523. mandati, qvod

1523. conceperat, formulam sive instructionem, qvam prius, monstrata breviori alia, celaverat, in consessu Ordinum prælegi fecit. Hæc typis cum diplomate Pontificio ad Ordines, qvod retuli, subjunctoqve responso Ordinum, horumqve gravaminibus (de qvibus statim dicam) & annexa taxatione Annatarum, qvas vocant, Latine & Germanice Norimbergæ a *Friderico Peypus* cum gratia & privilegio Imperiali vulgata fuit. Recusa sunt postea omnia anno 1538. cum præfatione Lutheri, qvæ habetur *Tom. VI. Alt. fol. 1254.* Et anno 1607. *Melchior Goldastus* ut hæc, qvæ jam oblivioni videbantur tradita esse, in memoria tamen hominum conservari merentur, in collectione sua sive *Rationali Constitutionum Imperialium* denuo exhibuit, qvem Pallavicinus allegat. At nuper prodierunt *Edmundi Richerii* Doctoris Sorbonici, qvi Cardinalis Richelii tempore ob liberiora scripta qvædam dure habitus fuit, *historiæ conciliorum Libri qvatuor*, in qvorum postremo eadem instructio reperitur, additis egregiis admonitionibus, in qvibus autor demonstrat, qvam necessaria fuerit, qvam in hac instructione promittebat Adrianus, Ecclesiæ reformatio, qvântaqve cum infelicitate tam bene animatus Pontifex eo ipso anno e vivis sublatus fuerit. Refert, cum apud Gvilielmum Encurtium (Enkenfurt) & Theodorum Hezium, populares & familiares suos, postea qvam curiæ Romanæ artes & consilia perspecta habuit, conqvestum esse, *permisisse esse Pontificem Romanorum conditionem, eoqve in statu res esse, ut qvanqvam maxime vellet, emendare Ecclesiam non posset, qvandoqvidem omnes corruptelæ atqve abusus in formam status politici qvæstuosissimi evaserint.* Vide Richer. *hist. concil. Lib III. p. 133. & p. 120. seqq.* Qvæ etsi a viro Romano-Catholico & Protestantibus infesto scripta sunt, laudem tamen Adriani, vulnera Ecclesiæ confrontis, (qvam a Pallavicino & aliis sugillari vidimus) firmant & augent, aliorum vero Pontificum artes faciunt suspectas. Taxat Richerius satis acriter homines obnoxios, qvi „ suas merces, ut facilius exponant & venditent, incrustare nituntur, di„ centes, Papam neqve ut Papam neqve ut privatam personam errare „ posse. *Bellarminus lib. qvarto de Rom. Pontif. cap. VI.* item: Papam „ neqve in approbatione Religiosorum, neqve in Canonizatione San„ ctorum errare posse. Qvorsum autem hæc *(ait)* nisi ut tanqvam in„ fallibilem regulam omnia & singula curiæ Romanæ adinventa, ritus & „ cerimonias recipiamus (licet universum Ecclesiæ statum a Christo &

Apo-

Apoſtolis inſtitutum peſſundent) & ſi qvis in contrarium aliqvid mu- 1523.
ginati audeat, proſchiſmatico & hæretico cenſeatur. Verum hæc mun-
danæ ſapientiæ arcana, qvo minus pateant, etſi magno qvidem cum
artificio ab hominibus obtegantur; (ne ſcilicet populus Eccleſiam e-
mendatione egere cognoſcat, & ne cui perſpectum fiat a ducentis am-
plius annis omnes bonos & pios viros in ſtudium emendandæ Eccleſiæ
vehementer incubuiſſe, & nihil qvicqvam promoviſſe) attamen Deus
optimus maximus ſua inſcrutabili providentia illa tandem in omni-
um oculis exponi voluit: qvoniam illo ipſo anno, qvo ſynodi Conſtan-
tienſis & Baſileenſis decreta cum ſanctione pragmatica in Synodo
Lateranenſi a Leone X. abrogata ſunt, Lutherus qvæſtum turpiſſimum
indulgentiarum reprehendit: atqve in curiæ Romanæ corruptelas,
non ut Eccleſiæ filius, ſed hoſtis acerrimus detonuit. Siqvidem ma-
gno veritatis ac virtutis præjudicio uſu evenire compertum, ut qvi a-
micum recte monentem audire detrectat, tandem a proprio inimico
corripiatur: qvoniam Deus nunqvam veritatem opprimi patitur.
Certe dum apud me perpendo Arrianiſmum & Monotheletiſmum, in
qvo de ſola doctrina, non de ſanandis moribus Eccleſiæ certabatur,
trecentos circiter annos continuaſſe: valde qvidem reformidare inci-
pio, ne Lutheri & Calvini hæreſes, qvæ potiſſimum ex regiminis Ec-
cleſiaſtici corruptela & morum bonorum tabe originem & incremen-
ta hauriunt, multo longius latiusqve pervadant, noſtriqve mores cor-
ruptiſſimi, qvos nulla jam ratione ſanari poſſe experimur, demum
immani Turcorum barbarie aut alia memorabili clade juſtiſſime & ſe-
veriſſime conterantur. Qvando eo furoris ac dementiæ ventum eſt,
ut jam nec cum propriis vitiis diutius hoſpitari, nec ullam eorum me-
dicinam, qvantumvis benignam & ſalutarem, perferre qveamus. Nam
homines obnoxii & ad eam rem conducti, ſtatim atqve aliqvem etiam
pium & maxime Catholicum intuentur, qvi lapſum Eccleſiaſticæ di-
ſciplinæ paulo liberius deflet, continuo illum partes & qverelas Hære-
ticorum fovere criminantur. Qvid igitur in cauſa tanti mali & cor-
ruptela pertinacius obdurescente atqve in dies ſingulos altius perva-
dente, ſupereſt, qvam ut hæreſes & ſchiſmata acrius inflammentur,
noſqve in illas horribiles ruinas dedant præcipites, qvæ poſtremis
temporibus venturæ ac illam diem terribilem Domini noſtri Jeſu
Chriſti acceleraturæ ſunt? Hæc demtis, qvæ ſine neceſſitate & ex ſua

1. §. 143. §. 143. contenta mandatorum Pontificis. agnoscit necessitatem reformationis sed & difficultatem.

præoccupatione contra Lutherum sparsit, cordati sane & sapientis viri esse quis non affirmet?

§. CXLIII.

Sed jam ex Adriani instructione (præteritis, ut satis tritis notisque, quæ Luthero falsissime objiciuntur) confessionem corruptelarum & necessariæ reformationis percipiamus, cum non in multorum manibus libri, quos allegavimus, versentur. Ita autem loquitur Pontifex: „Scimus in hac sancta sede aliquot jam annis multa abominanda „fuisse; abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia denique „in perversum mutata. Nec mirum si ægritudo a capite in membra, „a summis Pontificibus in alios inferiores Prælatos descenderit. Omnes „nos, (id est, Prælati Ecclesiastici) declinavimus unusquisque in vias suas, nec fuit jam diu qui faceret bonum, non fuit usque ad unum: „quamobrem necesse est, ut omnes demus gloriam Deo, & humiliemus „animas nostras ei: videat unusquisque nostrum, unde ceciderit: & se „potius quilibet judicet, quam a Deo in virga furoris sui judicari velit. „Qua in re quod ad nos attinet, polliceberis nos omnem operam adhibituros, ut primum curia hæc, unde forte omne hoc malum processit, „reformetur: ut sicut inde corruptio in omnes inferiores emanavit, ita „etiam ab eadem sanitas & reformatio omnium emanet. Ad quod „procurandum nos tanto arctius obligatos reputamus, quanto universum mundum hujusmodi reformationem avidius desiderare videmus. „Hoc testimonium satis, puto, ostendit, quam immerito Maimburgius in exordio libri sui universalem illam obedientiam & quietem ante Lutherum commendaverit. Quæ enim illa esse potuit, quum universus mundus reformationem hanc, nec sine causa legitima, desideraverit, fatente id ipso Pontifice, qui non nisi oracula edere æstimatur. Addit postea Adrianus quædam de se, ut Pontificatus onus invitus, eoque „animo susceperit, ut sponsam Christi deformatam, Ecclesiam Catholicam reformaret, oppressis subveniret, doctos & virtute præditos, qui „multo tempore neglecti jacuerint (provisionibus, ut paulo post ait, „Apostolicis, ad histriones & stabularios delatis) erigeret & ornaret, aliaque ageret, quæ bonum Pontificem & legitimum Petri successorem „agere oporteret. Agnoscit vero difficultatem propositi & subdit: Quanquam nemo mirari debebit, si non statim omnia errata & abusus

omnes

omnes per nos emendatos viderit: inveteratus enim morbus est, nec simplex, sed varius & multiplex, pedetentim in ejus cura procedendum est: & prius gravioribus magisve periculosis occurrendum, ne omnia pariter reformare volentes, omnia perturbemus: omnes subitæ mutationes, inqvit Aristoteles, in republica periculosæ sunt: qvæ nimis emungit, elicit sangvinem. Germanice versa Pontificia ista scripta extant *Tom. II. Alt. f. 237. & seqq.* & Lutherus annotationes marginales addiderat, referente Sleidano, qvæ in Tomis non invenio. Exagitavit inter alia postremum illud de lentis remediis dictum, idqve ita intelligendum esse putavit, ut *pedetentim procedere*, sit *singulis pedibus atqve passibus intervallum aliqvot seculorum dare.* 1523.

§. CXLIV.

Tetigit in hac instructione Pontifex qvædam, de qvibus Germani speciatim qvesti erant. Sciendum enim, ante ista comitia, qvæ in annum 1523. protracta sunt, verno anni 1522. tempore, Norimbergæ, præsente Imperatore, convenisse ordines, & Ludovico Hungariæ Regi, cui Turci Belgradum, regni propugnaculum, oripuerant, copias illas, qvæ Carolo ad Coronationem in Italiam profecturo, pro more destinatæ erant, in auxilium decreviisse. Extat Recessus hujus conventus die Jovis post Cal. Maji datus in volumine *Constitutionum*, qvæ Moguntiæ edi solent, in qvibus tamen nihil ex actis seqventium hujus anni comitiorum, de qvibus hic sermo est, reperitur. In prioribus vero illis comitiis inter alia postulaverant & repetierant ordines, qvæ jam Wormatiæ urgere cœperant, ut ad Turcici belli sumtus annatæ & pensiones Romam mitti solitæ, assignarentur, eundemqve in finem ex Collegiatarum Ecclesiasticarum proventibus decima pars, vel unius saltem præbendæ fructus, item ex monasteriis opulentis sufficientia tributa, & ex mendicantibus qvinqve floreni annui penderentur. Hæc postea Carolus datis Vallisoleti in Hispania ult. Octobr. 1522. ad Pontificem Adrianum literis perscripsit, addens (qvod in Germania profiteri nondum, puto, ausus fuerat) *opus esse illis corrogationibus, ut in Lutheranæ doctrinæ sectatores districto gladio animadverti posset.* Sed cum in mandatis Pontificiis nihil ad hoc responderetur, seculares Principes & Status, *gravamina* sive *abusus sedis Romanæ*, qvæ jam olim & nuper Wormatiæ anno 1521. colligi cœpta & in *capita LXVII. puncta* vero

cen-

1522. *centum* digesta erant, denuo Ferdinando Cæsaris locum tenenti & Ecclesiasticis statibus consciis compilarunt. Responsum inde communi decreto tam Ecclesiasticorum qvam secularium, præfante Ferdinando, Pontificis Legato datum est, in causa qvidem Lutheri sive religionis, eum in modum, qvi infra explicabitur. Qvod vero ad gravamina attinet §. 8. & 9. responsi sui Ferdinandus & ordines, gratias
„ primo Pontifici agunt, qvod testatus sit, displicuisse sibi, cum in minoribus esset, qvoties concordatis Germaniæ Principum per curiam Romanam derogaretur, qvodqve promitteret, etiamsi Principes id nunqvam reqvirerent, se tamen Pontificatus sui tempore abstinere, & unicuiqve nationi, maxime Germanicæ jus suum conservare velle; deinde petunt, ut abusus & gravamina, simulqve certi articuli, qvos seculares Principes specialiter designaverint, & scripto exhibituri sint, fideliter reformentur, secus si fiat pacem & concordiam inter Ordines sperandam non esse. Patet hinc, uti etiam ex edicto, qvod finitis Comitiis Cæsaris nomine d. 6. Martii editum fuit, *centum illa gravamina*, etsi a secularibus composita, a Cæsare tamen e jusqve Fratre & Legato, ut & ab Ecclesiasticis, Præsulibus & Prælatis communi approbatione recepta, in responso solenni qvod Legato Pontificio exhibitum fuit, allegata, peritaqve eorum correctione publice agnita esse. Impudentissima itaqve Cochlei calumnia est, a Maimburgio oscitanter hic adoptata, qvæ Lutheranos gravaminum illorum autores facit; contrarium enim Acta, qvæ, ut dixi, & tunc & postea edita sunt, evincunt: nec suspecta fiunt, qvod Index Annatarum simul editus est, namqve & illum seculares non nisi ab Ecclesiasticis habere potuerunt; qvod vero hi a secularibus solis compilationem gravaminum fieri, qvam ipsi ad eum laborem concurrere maluerint, inde fortasis factum est, qvod aliqvibus commodi sui major qvam pietatis ratio esset, omnes vero juramenti, qvo Pontificiæ sedis Prælati astringuntur, religione tenerentur, & sibi tutius putarent, aliorum potius ore & calamo qvam suo, odiosum remedium qværi. Interim dubitari non debet, Lutheri scripta & dogmata novum Gravaminum exhibitioni impulsum dedisse, etsi nullus tunc Principum aut statuum Lutheri defensionem publice professus sit. Itaqve omnibus adhuc obsequium erga Romanam sedem profitentibus, Lutheranis inepte adscribuntur, qvæ universalia Comitia, ipseqve Cæsaris Frater pro suis agnoscunt, nisi hac ratione

totam

totam Germaniam, qvatenus per comitia repræsentatur, Lutheranam facere velint. Et parum profecto aberat, qvin fuerit; Sed Deo visum est non multo post voluntatem suam patefacere, qvousqve reputgatæ doctrinæ locum concedere decrevisset. 1523.

§. CXLV.

Continet autem centenaria illa enarratio abusus jurisdictionis Ecclesiasticæ, excommunicationum, consecrationum, multiplicium exactionum & casuum reservatorum, denegatæ absolutionis, mendicantium & terminantium impudentiam, & aulicorum Pontificiorum (*Curtisanos*, imo *nebulones* vocant) artes, qvibus beneficia & præbendas invadant, & populum pecunia emungant; multæ etiam concordatorum, qvos vocant, sive pactorum inter Imperatores & Papas contraventiones culpantur. Adducunt inde status paupertatem suam ex fundationibus veterum ortam, qvibus factum sit, ut vix tertia aut qvarta pars bonorum Laicis supersit, & ideo Turcis resisti non posse, nisi large contribuentibus Ecclesiasticis, & qvidem ex arbitrio Episcoporum Germanorum, non Pontificis; & nisi aurum argentum aliaqve pretiosa templorum in usus publicos convertantur. In flagitia vero Clericorum & qvæ imprimis ob interdicta matrimonia per impudicitiam committunt, & ære redimunt, vehementer invehuntur, pœnisqve iisdem, qvibus Laici plectuntur, coerceri delinqventes volunt. Feriarum numerum minui desiderant. Ablata Teutonici ordinis eqvitibus in Italia & Sicilia prædia sive Commendas, restitui flagitant, bonorum immobilium posthac ad Clerum provenientium reluitionem sibi concedi, onera vero fundorum ab iis præstari, ab hæreditatibus repelli Clericos, & ut iis renuncient, cogi debere contendunt. Sunt tamen, qvæ religionem strictius attinent v. g. qvod humanis traditionibus multa prohibeantur, qvæ nullo divino præcepto interdicta vel imperata sint, eaqve postmodum pecunia accepta relaxentur. (*c. 1.*) qvod per indulgentiarum impostoras & fraudes profligata fuerit Germana Christianorum pietas, imo Christi; qvodqve incestus, stupra, adulteria, perjuria, homicidia, furta, rapinæ, fœnora, ac tota malorum lerna inde originem apud credulos nimis ad prædicationes tales Germanos traxerint, (*cap. 2.*) qvod Stationarii sanctos singulorum pene morborum averruncos lucri causa constituerint, Antonianorum monachorum exemplo (*cap. 4.*) qvod Pastores mercede conducti & ut

1523. plurimum indocti, pro Evangelii limpidissimo fonte turbidas, protritas ac ruderibus oppletas propinent lacunas & fabulas gentilibus similimas, per qvas plebs a Germana Christi fide, & in Deum fiducia ad hominum superstitiosa commenta & somnia abstrahatur. (*cap. 14.*) qvod sacra omnia, Missæ etiam, vendantur. (*cap. 67. 68.*) Alia prætermus, sicut & pene omnes Clericorum artes pecuniarias, in gravaminibus istis descriptas, qvas Protestantium Ecclesiæ, excusso jugo Romanæ sedis, jamdudum neqve senserunt, neqve nunc, qvales fuerint, satis intelligunt; ut adeo Gravamina ista iis potius legenda & expendenda sint, qvi oneribus talibus etiam nunc premuntur. Notandum tamen, neqve in editionibus anno 1523. aut paulo post, (ut supra retuli,) factis, neqve in Goldasti compilatione reperiri, qvæ Joh. Wolfius *Tom. II. f. 213. 214. Lect. memorab.* ex aliis editionibus exhibet, & qvæ, ut apparet, Maximiliano Cæsari tradita fuerunt: cum Lutherus nondum disputasset. (meminerunt enim pragmaticæ sanctionis Gallicæ, ut nondum sublatæ.) Urgent autem in illis maxime *Annatarum iniqvitatem*, & dicunt, a Moguntina sede pro decem aureorum millibus, olim exactis, nunc nullo jure, viginti qvinqve aut viginti septem millia extorqveri, ita factum, ut freqventi Archiepiscoporum morte intra hominis ætatem 75000. aurei Moguntia Romam pervenerint, utqve Jacobus Archiepiscopus, qvi ante Albertum fuit, non sine causa dixerit, se de morte sua ideo dolere, qvod pauperes subditos iterum pro pallio tam gravem exactionem pati oporteat. Bambergæ etiam intra paucos annos tres Episcopos decessisse. Ajunt porro, si uberiores proventus Episcopatuum Germanicorum Romæ respiciantur, præstare eos ad nervum belli pro tuenda pace, & ad multas, qvas enumerant, pias causas impendi. Proponunt etiam Gallorum exemplum, utqve illi pragmatica sanctione sibi prospexerint, & qvo jure Galliæ Reges in conferendis beneficiis utantur, abususqve corrigant; nec verentur monita qvædam Cæsari suggerere, ut sibi ab Ecclesiasticis, qvi Romano Pontifici juramento obstricti sint, caveat, nec in pericula antecessorum suorum incidat, qvos electis Anti-Cæsaribus vel anathemate vexaverint Papæ: denique ut appareat ante Lutherum fuisse, qvi masculè loqverentur, verba adscribo, qvibus consultationes illas (*avisamenta* vocant) concludunt: Nihil sanctius, nihil Deo gratius, nihil sempiterna memoria dignius efficere poterit Cæsarea Majestas, qvam

ut

ut tantas Germanicæ nationis molestias & exactiones moderetur, ut 1523.
Laicis Clerum persequendi occasionem auferat, ut parochias (qvarum „
aliqvas Episcopatus Italicos æqvare Æneas scribit) ex faucibus Corti- „
sanorum eripiat, eisqve frenum imponat: ut jus Patronatus laicorum „
in utrisqve & nominationes canonicorum collationesqve Ecclesiasti- „
corum in ordinariis mensibus conservet: ut multorum illustrium, no- „
bilium & civium filiis in Germania consulat, qvi in universitatibus ab „
adolescentia divinas & humanas literas discunt, ut & ipsi extra cu- „
riam Romanam absqve iniqvissimis vexationibus, sumtuosissimisqve, in- „
terdum etiam indignis litibus, ad præbendas Ecclesiasticas ascendant: „
qvi & Imperio Romano consiliis & Ecclesiæ toti orationibus suis o- „
pem ferre possint. Neqve enim minima causa est, cur tantopere flo- „
reat Franciæ Regnum, nisi qvod tantos tamqve præstantes in omni bo- „
na doctrina viros multos habet. Si Cæsar hanc impietatem enerva- „
verit, si Germaniam tributo gravi oppressam in pristinam libertatem „
vendicaverit, si doctis & honestis ad Præbendas aditum fecerit: tum „
vere liberator Germaniæ, libertatisqve restitutor, tum vere pater pa- „
triæ perpetuo ab omnibus passim poterit appellari: nec minorem sibi „
gloriam Germaniæqve fructum afferet, qvam si provinciam aliqvam „
bellicis ei viribus adjecisset. Sicqve non minores uni Maximiliano „
gratias debebit, qvam his omnibus qvi a translato ex Græcis in Ger- „
manos imperio, multis antea temporibus regnaverunt. Ad intelli- „
gendum qvæ de *parochiis* dicunt obiter notandum, qvod inter alios ab-
ursus hic qvoqve ante Lutheri tempora valde freqvens fuerit, ut Paro-
chiæ ampliſſimæ in Germania variis artibus Italis demandarentur, qvi
earum reditus qvantum maxima mercede possent, indigenis ex arbi-
trio elocabant, parum pensi habentes qvomodo hi pastorum officio
fungerentur, modo pecunias ex pacto debitas corradere scirent. Ita
ad imperitissimos animarum cura deveniebat, qvarum inertiæ Mona-
chi, parum qvidem meliores succurrebant.

§. CXLVI.

Sed ad illa nunc Gravamina redeundum est, qvæ his comitiis
1523. exhibita fuerunt, qvibus in fine satis animose denunciationem
subjecerunt Proceres, nisi enumerata illa onera atqve gravamina in „
præfixuto tempore ocyus ex oculis mortalium sublata, abolita & ab- „

1523. rogata fuerint, ea se diutius tolerare nec velle nec posse, sed rei iniqvi-
„ tate cogi & impelli, ut pro suo captu & industria de aliis commodio-
„ ribus viis & mediis cogitent, qvibus exonerari ab illis molestiis ac in
„ pristinam libertatem vindicari possent. Ad hoc vero additamentum
non parum severum, incitatos se esse non dissimulant, qvod Legatus
præter omnium expectationem inopinato discessisset: nempe ut cen-
tum illorum Gravaminum exhibitionem eviteret. Minime etiam ei
satisfecerat responsum Ferdinandi & Ordinum nomine datum, qvod
supra tetigi, & in Actis publicis legitur. Nam etsi ex sententia pluri-
um suffragiorum, ut fieri solet, ita compositum esset, ut Lutheranam
sectam improbarent Ordines, & Edictum Wormatiense probare vide-
rentur; executionem tamen ejus absqve periculo popularis tumultus
„ fieri non potuisse ostendebant, irritatis, ut ajebant, omnibus, per abu-
„ sus curiæ Romanæ, qvos ante omnia reformari oporteret, laudantqve
„ id offerentem Pontificem, & ut promissis staret, obnixe rogant. Dein
„ pro commodissimo efficacissimo & opportuno remedio habent, si li-
„ berum Christianum concilium in natione Germanica, Argentorati,
„ Moguntiæ, Coloniæ, Metis, aut alio convenienti loco indiceretur, in
„ qvo Ecclesiastici & Laici nullo obstante juramento, libere pro gloria
„ Dei & salute animarum loqvi & consulere possint; interea Cæsaris Lo-
„ tum tenentem & ordines provisuros, ut tumultus compescantur, cu-
„ raturos etiam apud Fridericum Saxoniæ Electorem, ne Lutherus in il-
„ lius ditione versans, ulterius aliqvid scribat, aut edat, utqve Concio-
„ natores per totam Germaniam nihil præter verum, purum & sincerum
„ & sanctum Evangelium, & approbatam Scripturam pie, mansvete &
„ Christiane secundum receptam doctrinam Ecclesiæ doceant, omnia-
„ qve omittant, qvæ sanctius & doctius a populo ignorantur, qvam sci-
„ untur, utqve ad hoc a Prædicatoribus obtinendum inspectores a Præ-
„ latis constituantur. In fine rigorem aliqvem exserunt adversus Pres-
„ byteros, qvi uxores ducebant, & monachos claustra relinqventes, i-
„ temqve adversus typographos, qvi libros promiscue edunt. Qvam
valde vero sibi displicuerint pleraqve istius responsi (qvod mire libe-
rum ipse prædicat Lutherus *Lib. II. ep. p. 127.*) non dissimulavit Lega-
tus, qvanqvam Pallavicino judice id facere non debuisset. Scripta
enim Replicatione laudatis modice Ordinibus, sed magnificis encomiis
mactato Pontifice, ut sanctissimo & Germano, perstitit in poscenda

Edicti

Edicti Wormatiensis executione; Ordines vero tam segniter causam 1523.
Dei curare, & Edicti vires suspendere, adeoqve vehementer in divi-
nam Majestatem & in Apostolicæ sedis dignitatem, nec minus in Cæ-
sarem peccare conqveritur. Tumultum metuendum esse negat, il-
lum enim autoritate etiam Papæ non difficulter compesci posse. Ad
postulationem *de Annatis* Pontificis responsum expectandum esse ait;
Concilium non improbat, sed stylum, qvo postulabatur, insectatus est,
ligatis, ut ait, *Pontifici manibus* per ea, qvæ de consensu Cæsaris, de li-
bertate suffragantium & de relaxatione juramentorum addidissent:
nec contentus iis, qvæ de typographis & librorum edendorum mode-
ratione obtulerant, omnia illa ad Pontificis & Cæsaris arbitrium se-
cundum edictum Wormatiense pertinere contendit; notat deniqve
aculeum in cauda habere, qvæ adversus Presbyteros & monachos sta-
tuenda dixissent, nisi cognitionem de delictis illis solis Ecclesiasticis
concedi debere declararent. Ad hæc *Duplicæ* loco paucis verbis prio-
ra repetierunt Ordines, iisqve acqviescere jusserunt Legatum, donec
Gravamina Germanicæ nationis Pontifici transmissa essent, & de effe-
ctu blandorum verborum, qvibus usus fuerat, constaret.

§. CXLVII.

Exacerbatus etiam in Fridericum Electorem Pontifex alias lite-
ras scripsit, qvibus Lutherum mirum in modum exagitat; Friderici
vero fidem & conscientiam multis argumentis ac minis aggreditur.
Earum exemplum sed non adscripto die *Tom. II. Lat. f. 572.* habetur.
Jactat inter alia (qvam vere, nunc non examino,) Electoris dignitatem
Saxoniæ Ducibus a Gregorio V. Papa natione Saxone collatam esse,
non animadvertens, qvod beneficium illud ad Fridericum non perti-
neret qvi extincta veteri familia, in Electoratum ex Sigismundi Imp.
concessione Proavo suo collatum, successerat. Pallavicinus duarum
qvidem literarum Pontificis ad Electorem mentionem facit, *cap. IIX.*
§. 20. utrasqve cum per valetudinem ad Comitia non venisset, a Lega-
to ei transmissas; sed nisi genuinæ sint illæ, qvas Pallavicinus (ut su-
pra notavi) pro erroneis habet, non nisi unius diplomatis exemplum
extat. Neqve in Actis nostris comparent, qvæ idem Autor narrat,
qvomodo Elector acceptis literis, misso Norimbergam *Johanne Ilmet*
Pluncerizio, apud Legatum se purgaverit, & Pontifici d. 15. Febr. per

1523. generalia responderit, qvæ in Cheregatorum scripturis reperisse se *d. l. §. 21.* commemorat. Certum tamen est, *Johannem Planitium* Eqvitem ex familia etiam nunc splendida, Norimbergam ab Electore amandatum fuisse, sive ut Regimento assideret, sive ut Comitiis interesset, cujus nomen in monstrosum illud *Ulmet Pluncerizii* detortum esse videtur. Extant autem duæ Planitii relationes ad Electorem *Tomo II. Altenb. f. 276. & 369.* sed in posteriori error in adscribendo anno sine dubio commissus est: scribi nempe debuit anno 1522. non 1523. Meminit enim Planitius d. 27. Decembr. famæ de capta a Turcis Rhodo (qvæ postea sub finem Decembris 1522. expugnata fuit) & literas illas Hadriani acerbas, qvas dixi, & qvæ Germanice versæ *d. l. f. 37.* habentur, Electori mittit. Decesserat autem Hadrianus mense Septembr. 1523. nec mortui literas Legatus mense Decembri exhibuisset, electo jam Clemente septimo. An vero ad literas istas responderit Elector, non reperio; ad posteriores nil respondere voluisse ex epistola Lutheri *Lib. II. Epist. p. 155. b.* conjici potest. Cæterum verisimum est, qvod supra non semel monui, & Pallavicini testimonio *d. l. §. 21.* comprobatur, Fridericum apertam Lutheri defensionem ne tunc qvidem professum esse, unde simul ejus & doctrinæ maximum periculum evidenter cognoscitur, contra qvem, ut Planitius in relationibus suis testatur, Ferdinandus, Cæsaris fratris nomine, licet suffragiorum major numerus in mitiorem iret sententiam, Episcopis tamen & uni fere ex secularibus Georgio Saxoni, rigorem urgentibus assentiri maluit; omnes enim Ecclesiastici proceres (ut scribit) *crucifige* clamabant. Videntur sane eo tempore, mense nimirum Januario anni 1523. qvidam in aula Saxonica de occultando denuo Luthero cogitasse, sed hic Spalatino scribens d. 12. Jan. *ne præsumas*, ait, *me denuo in angulum reversurum esse, insaniant Behemoth & sqvama ejus.* Timorem vero aulæ & indicat & reprehensione aliqva corrigere, sed & consolatione juvare nititur Lutherus mense Octobr. hujus anni *Lib. II. Ep. p. 166.* his verbis: Pulchre memini qvid Principi ex Bornis (v. Epist. supra relatam *Tomo II. Alt. f. 92.*) scripsi, mi Spalatine, atqve utinam vos ita credederetis fore, moniti tam manifestaria Dei manu, qva jam fere secundum annum præter omnium spem ego vivo, & Princeps non modo tutus est, sed longe mitiores furores Principum sentit, qvam ante annum. Non est Christo difficile Principem tueri in hac mea causa, in qvam sine causa solo Dei consilio

filio venit. Nam si & ipse rationem scirem, qva citra Evangelii ignominiam illum ex ista causa volverem, ne vitæ qvidem parcerem. Ego speraveram me intra annum raptum iri ad supplicium mortis, hæc erat ratio mea, qva ille liberaretur, si tamen sic etiam liberaretur, me extincto. Nunc cum simus impares ad investigandum & comprehendendum consilium ejus, tutissimi interim erimus, si dixerimus, fiat voluntas tua. 1523.

Errat etiam Pallavicinus, cum *c. VIII. §. 16.* Lutheri epistolam, in qva ad Electorem scribit, *aliud in cælo aliud Norimbergæ decretum esse*, huc trahit. Scripsit enim istam mense Martio 1522. & de alio Edicto, cujus supra memini, loqvitur. Hæc vero Comitia sub finem hujus anni cœpta Januario & Februario seqventis 1523. continuata sunt, ita ut loco Recessus *Edictum* Cæsaris nomine d. 6. Martii datum publicaretur, qvod extat *Tom. II. Act. f. 288.* In hoc, ut pro sagacitate animadvertit Pallavicinus *d. cap. 8. §. 15.* etsi cætera cum iis, qvæ Ordines Legato Pontificio responderant, conveniunt, qvædam tamen Romæ minus ferenda, tacite suppressa fuerunt, inter qvæ præcipuum erat *relaxatio juramenti & obligationis eorum, qvi Concilio interfuturi essent.* Hæc Comitiorum Acta expendentes, mirum divinæ providentiæ ordinem observabunt, qvo factum est, ut nec opprimi veritatis renascentis lux posset, neqve tamen iis proficeret, qvi inveteratis erroribus inhærere malebant. Videbant Imperii Proceres, nævos plerosqve Hierarchiæ, eosqve in centum illis gravaminibus multa cum libertate ostendebant, ita, ut qvemadmodum dixi, nec illi qverelas improbare possent, qvorum interesse videbatur, ne fierent. Omnium enim conscientia eatenus informata & convicta erat, ut Concilio opus esse unanimiter statuerent, utqve jam rigorem illum, qvo Wormatiæ Lutherum ejusqve dogmata præcipitanter tractaverant, intempestivum, esse agnoscerent. Doctrinæ publicæ, qvæ ad populum erudiendum pertinet, emendationem, sive verbi divini sinceram propositionem & piam explicationem uno ore flagitabant, qvo ipso abusus priores evidenter arguebantur. Qvid autem hac rerum facie Pontifici pro Pastoris universalis, qvod gerere se dicebat, officio, magis curandum agendumqve fuisset, qvam ut justissimis desideriis inclutæ nationis, cujus exemplum jam aliæ plurimæ probare & seqvi incipiebant, & dum ex Proceribus nemō adhuc obseqvium ei aperte denegaret, aures benignas præberet, viasq; & modos vel proponeret vel admitteret, per qvos

Addit. ante

ante omnia veritati divinæ satisfieret, dein & concordiæ & tolerantiæ in iis rebus ratio haberetur, qvæ salva veritate cum aliqvo licet commodi Clericalis dispendio mutari potuissent.

§. CXLIIX.

Sane Lutherus edito ad Locum tenentem seu Præsidem & membra Imperialis, qvod Norimbergæ constitutum erat, Regiminis scripto, ex fervore suo multum remittens, tam pie, prudenter & modeste mentem suam explicavit, ut si id considerasset Maimburgius, pro artificioso & maligno illud non diffamasset. Sed sine dubio Cochlei saltem fide scripsit, qvamvis libellus Lutheri non solum Germanice *Tom. II. Alt. f. 290.* sed & Latine *Tom. II. Lat. Witt. f. 387.* extet. Laudat & magna gratiarum actione se accepisse dicit Mandatum, populoqve diligenter commendasse, neqve se dubitare, qvin divina inspiratione illud compositum fuerit; dein qvatuor articulos ex eo excerpit, & qvomodo eos ipse cum suis intelligat, utqve ab aliis perverse explicentur, „ breviter commonstrat (1.) Evangelium, ait, jubemur prædicare secun„ dum interpretationem Doctorum ab Ecclesia Christiana receptam. „ Hic puto ad antiqviores Doctores, Augustinum, Cyprianum, Hilarium, similesqve, qvatenus & hi conformia sacris literis docuerunt, re„ spicitur, non ad Thomam, Scotum aliosqve Scholasticos, a Romana „ saltem Ecclesia probatos. Si enim ea mens Edicti esset, ut etiam porro non nisi scholasticæ & Aristotelicæ nugæ populo proponerentur, „ nil opus foret Concilio. Se igitur & suos mandato pulchre obsecu„ turos esse profitetur, & purum Evangelium prædicaturos, at cum ad„ versarii, qvid sit Evangelium ejusqve doctrina, nesciant, sed sophisma„ tibus suis inhæreant, metuendum esse, ne nihil præstent. Facile dici, „ *prædicate Evangelium:* sed operarios in hanc messem a cœlo precibus „ impetrandos esse. Matth. IX. 38. (2.) Rectissime constitutum esse, ut „ Episcopi doctos sacrarumqve literarum peritos ordinent, qvi prædicatores observent, errantes modeste & placide moneant, & in refractarios animadvertant, ita qvidem, ne veritas Evangelica opprimi vi„ deatur. Nihil hic desideratur, ait, qvam ut fiat; nimis bonus est hic „ articulus, nec tempori nostro convenit, qvod nunc forte illud est, qvod „ Christus Luc. XVII. 22. prædixerit, in qvo ne unus qvidem dies filii „ hominis videtur. Non reperiuntur qvi præstent, qvæ Edictum requirit,

laudat qvædam, difficultates monstrat, intercedit pro clericis conjugatis. Scribit Electori ad modestiam hortanti. I. §. 148. 1523.

rit. Qvomodo Scripturarum periti inveniantur, cum per aliqvot se-
cula nec in Academiis, nec collegiis & monasteriis, sacræ literæ debito
modo expositæ, sed non nisi sophismata inculcata fuerunt? Qvomo-
do errantes modeste & placide corrigant, qvi non nisi excommunica-
tionibus, anathematismis, combustionibus, aliisqve sæviendi modis
adsveti sunt? Si mecum (addit) modeste egissent, meliori loco res illo-
rum starent; utinam vero vel nunc fidele hoc Edicti monitum obser-
varent: (3.) Laudat, qvod usqve ad Concilium librorum novorum
editio, nisi peritorum virorum censura præcedat, prohibita sit; hoc
dudum dicit factum oportuisse, seqve obtemperaturum esse, neqve ta-
men existimare, prohiberi simul sacræ Scripturæ versionem & editio-
nem aut librorum hucusqve divulgatorum. (4.) Pluribus verbis, sed
non nisi precantis & supplicantis persona, intercedit adversus ea, qvæ
contra Conjugia Clericorum statuta sunt. Distingvit inter mona-
chos & parochos atqve beneficiatos alios: illos, qvi desertis monaste-
riis conjugio operam dare velint, de victu & vitæ genere sibi prospice-
re debere, infamia tamen & pœna carituros. At pro reliqvis, qvi non
saltem sacerdotiis & præbendis, ob conjugia inita exuti hactenus, sed
& carcere & aliis duris modis puniti fuerint, & Edicto hoc mitius qvi-
dem, sed tamen ad privationem beneficiorum condemnantur; per
Deum orat Proceres, ut necessitati naturæ inevitabili indulgentes, ri-
gorem mitigent, cœlibatum impossibilem nemini injungant, nec con-
jugatos durius habeant, qvam fornicatores, qvos nemo sacerdotio &
dignitate spoliet; addit, ea sibi qvotidie ex omnibus regionibus de-
fœditate cœlibatus scribi, ut si ea vel inimicissimi sui scirent, ad mona-
steria evertenda secum credat concursuros esse. Sibi deinde, stante
hoc Edicto, adversus anathema & proscriptionem Papæ & Cæsaris ad
Concilium usqve securitatem concessam esse confidit, mandatis præ-
sertim obseqventi; addit tamen, qvia mundo molestus sit, mundus-
qve sibi, parum sua referre, proscriptus sit necne. Ad modestiam sty-
li iterum hoc anno ab Electore occasione Comitialis decreti, ut
conjicio, admonitus Lutherus, in feriis Pentecostalibus respondit,
qvæ, habentur *Tomo II. Altenb. fol. 348.* In qvibus non solum refert,
se nec conscio nec consentiente Electore ad primum certamen (anno
1517.) prodiisse, & anno præterito, suo periculo (auff sein Ebentheuer)

„ Wittenbergam rediisse, sed & animote profitetur, se, qvæ ad veritatem
„ divinam pertinent, tacere non posse, illiusqve solum propagandæ, ne-
„ minem vero lædendi causa, scribere, & qvoniam nunc a Johanne Fabro
„ Vicario Constantiensi refutatus sit prolixo libro, Lipsiæ impresso, item-
„ qve Emserus aliqvid editurus sit, non posse se ista silentio transmittere,
„ ne opprimatur veritas, qvod ne fiat in ipso Edicto nupero prospectum
„ sit. Cæterum se nihil metuere, sed paratum esse, qvicqvid Deo visum
„ fuerit, pro doctrina, qvam divinam esse certo sciat, expectare & tole-
rare. Invenitur *Tomo II. Alt. fol. 343.* Sicut & in vetustioribus edi-
tionibus, anno hoc 1523. scriptum qvoddam, qvo apparet de concor-
diæ rationibus incundis aliqvid actum fuisse, Moguntini Archiepisco-
pi & Electoris auspiciis, (ut videtur) tractatumqve, ut vel *Servestæ* vel
Naumburgi, aut alio, qvi Moguntino placeret, loco, ipse Archiepisco-
pus & Episcopus Mersburgensis, tum Lutherus, adhibitis ex utraqve
parte qvatuor aut qvinqve viris idoneis, convenirent. Utqve Johan-
nes & Georgius Saxoniæ Duces, vel duo alii ex Principum aut Comi-
tum ordine adessent. Sed ista ut multa alia ejusmodi cogitata succes-
su caruerunt. Referenda in anni hujus gesta etiam est legatio Civita-
tum Imperialium ad Carolum Cæsarem, ex aliis qvidem causis institu-
ta. Ea tamen occasione Cæsar Valisoleti in Hispania, cum legatos
mense Augusto benigne audisset, qvestus est de novationibus in religi-
Addit. one, & ut edictis suis parerent, admonuit. Vide Sleidan. *Lib. IV.*

§. III.

Sed licet hic successus imaginarius esset, aliunde tamen verum & solidum hoc ipso tempore expertus est, qvod sectæ suæ in regna Sveciæ & Daniæ *aditus præberetur, magnarum mutationum occasione, qvas breviter narrabo.* Christiernus II. *Daniæ & Norvegiæ Rex, regnum qvoqve Sveciæ, patri suo Johanni II. & avi Christierno I. possessum sibi deberi dicebat, & regiam Stokholmiam anno 1518. obsidione cinxerat; sed*

Ziegler. Attent. Christiern. 2 in Svec. t. 3. script. Germ. Freber. Chytræus Sax. l. 9

sed princeps aut Gubernator regni Steno Sture, inter- 1523.
regni tempore constitutus, excusso Danorum jugo, tam strenue restitit, ut Christiernus ad extremam omnium rerum necessitatem redactus, pacem petere cogeretur. Tentabat tamen, ut erat nullius fidei & honestatis, ut Stenonem, oblatis obsidibus, in navem suam pelectum opprimeret, colloqvium de sedandis dissidiis prætexens. Cum vero consiliarii Stenonis, metu proditionis, qvam merito suspicari videbantur, id disvaderent, ipse Stokholmiam se venturum esse obtulit, si obsides sibi, ut ipse dare paratum se ostendebat, traderentur. Hoc satis generosum esse ratus Steno, libere & ingenue consensit, & præcipuos ex nobilitate juvenes ad eum misit, inter qvos erat Gustavus Erici, ex antiqva Regum Gothicorum, & Caroli Canuti, qvi ante annos sexaginta Rex Svecorum fuerat, prosapia oriundus. Sed Danus iste perfidus, statim atqve obsides acceperat, levatis velis, contra fidem publicam & jus gentium Hafniam obsides abduxit, usurus iis aliqvando, ut proceres Svecorum, metu ne filios amitterent, ad obsequium reduceret. Ita post Anno 1520.
biennium satis virium se habere putans, denuo validum exercitum ad invadendam Sveciam misit. Huic ad Stokholmiæ obsidionem eunti, Steno in itinere cum omnibus copiis suis occurrit, decertaturus, antequam Dani a nausea marina se collegissent. Dimicatum est ab utraqve parte summo cum ardore, sed Steno,

1523. dum non tantum ducis sed etiam militis officium, ut suis animum exemplo faceret, implevisset, globo sclopetario per medium corpus trajectus, ante turmam, quam ducebat, cecidit. Sveci animo fracti solutis ordinibus loco cesserunt, victoria Danis relicta. Hoc nuntio accepto Christiernus, ut consternatione Svecorum extanta clade orta ad suum commodum uteretur, ipse ad exercitum se contulit, Holmiam obsidione cinxit. Cum vero animadverteret, strenuam defensionem parari, tam liberaliter omnia promisit, & pacto cavit, quæ ad privilegia gentis conservanda pertinebant, ut tandem eum reciperent, & Regem coronarent. Sed infamis hic proditor ultionem adversus viros fortissimos, qui tamdiu restiterant, meditans, eorumque exitio acquisita firmaturus, scelus, quo immanius magisque barbarum historiæ non memorant, patravit. Invitavit enim ad magnificas epulas ob solennitatem coronationis suæ per triduum in arce celebrandas, Senatum & omnes qui Holmiæ erant honoratiores; at tertio die a militibus portas arcis & fora civitatis subito occupari jussit, dein convivas omnes, inter quos duo erant Episcopi, ut ex arce egrediebantur, unum post alterum trucidari, immissoque in cives milite, sine misericordia plerosque cædi fecit, ut nemo fere præter mulieres & infantes in urbe desolata, & a Danis crudeliter directa superstes esset. Post detestabilem hanc actionem Tyran-

nus

nus tutum se in Svecia fore diffidens, in Daniam se 1523.
recepit. Verum divina Nemesis eum secuta est, tantorum criminum pœnas subditis suis daturum. Hi enim execrabilem Tyrannum abominati, & Hafniæ metuentes, quod Holmiæ perpetraverat, arma adversus eum arripuerunt, & patruum ejus Fridericum Holsatiæ Ducem evocarunt, quem ejus loco Regem constituerent. Ut vero sævitiæ plerumque pusillanimitas juncta est, & quia tyranni semper metuunt, a quibus metuuntur; ita & hic statim desperans, neque animum neque ullum consilium ad se defendendum habuit, etsi omnia munimenta regni in ejus potestate essent. Nihil itaque prius habuit, quam ut quicquid pretiosi aderat, in naves celeriter imponeretur. Dein cum Regina uxore (Elisabetha hæc erat, soror Caroli Quinti) & liberis suis in Zeelandiam profugit. Fuit porro tam infelix, ut cum longo post tempore reditum in regnum moliretur, casis copiis a novo Rege Friderico, patruo suo, captus, ejusque jussu arci Smideburgensi inclusus, quod supererat vitæ captivus transegerit. Interea Princeps Svecus, Gustavus E- 1521.
rici, antequam Christiernus Hafniam rediisset, elabendi ex carcere modum nactus, invicto animo ad liberandam a Danorum oppressione patriam se convertit; & favente magnæ fortitudini fortuna, tanta prudentia, constantia, & felicitate usus est, ut auxiliis a Lubecensi civitate & copiis, quas in Svecia col- 1522.

l. § III. 1523.

ligere poterat, adjutus, brevi Holmiam aliaqve loca a Danis inſeſſa recuperaret, & hos toto regno ejiceret. His geſtis ut liberator Patriæ magnis acclamationibus Rex fuit electus. Atqve ſic duo hæc regna ſeptentrionalia anno 1523. novos Reges ſingula acceperunt, *Svecia* Guſtavum, *Dania* Fridericum. Hi ſopitis veteribus inter utramqve gentem litibus, mutua ope & junctis arcte fœderibus omni ſtudio intenti fuerunt, ut qvisqve in ſolio, qvod ſubditorum libera electione conſcenderant, confirmaretur. Deplorandum tamen inter hæc & funeſtum fuit, qvod in hoc qvoqve convenerint Reges iſti, ut religionem mutarent, & Lutherani fierent. Florebat egregie religio Catholica in Svecia, cum ſchiſma in Germania indulgentiarum occaſione fieri inciperet. Adeo nemo offendebatur oblationibus ad fabricam S. Petri, ut & Princeps tunc Regni Steno, & magnates aulæ omnes magnifica dona Legato Arcimboldo dederint, & Prælatus iſte plusqvam decies centena florenorum millia ex Svecia exportaverit, qvam pecuniam Chriſtiernus crudelis ille tyrannus paulo anteqvam regno pelleretur, belluino more a Leone X. repoſcere non eſt veritus. Circa hoc itaqve tempus qvidam Olaus Petri, *Stegoburgo Svecus*, redux *Vvitteberga*, ubi Lutheranus factus erat, venenum novæ doctrinæ in patria diſſeminare cœpit. Inter plurimos, qvos corrupit, ſumma cura Archidiaconum

Lau-

Joh. Magn. de vit. Pontific. Upſal. p. 110.

Chytræus Saxon l. 11. Joh Magn. de vit. Pontif. Upſal. Flor. Ram. l. 4. c. 15.

Laurentium Andreæ, *pervertere, annixus est, quia* 1523.
hic vehementer irritatus erat, quod in electione ad Episcopatum vacantem postpositus fuisset. Hi duo in aulam venientes, ut, sicuti jam alibi fecerant, libertatem novæ sectæ commendarent, faventem Secretarium Gustavi, cui hic multum tribuebat, habuerunt. Is in Germania corruptæ religionis, quæ ob novitatem suam omnibus fere acceptabilis & ex eleganti more esse videbatur, auram hauserat. Non difficile igitur fuit Secretario Heri sui mentem flectere, qui belli causa æs alienum ingens contraxerat, ærariumque exhaustum habebat, adeoque nihil magis curabat, quam quomodo id replere posset. Nihil expeditius itaque ei fore ostendebat, quam si novam puri Evangelii doctrinam, quam in Saxonia prædicabatur, sequeretur, & reformationem novam amplecteretur, quam Doctor Martinus Lutherus paulo ante cum magno Principum Germanorum applausu in Ecclesiam introduxisset. Hoc si fieret, maximum bonorum Ecclesiasticorum partem fisco Regio uniri posse, partem autem Proceribus regni concedi, ejusdem utilitatis intuitu reformationem facile probaturis. Hoc argumento magis quam duorum Lutheranorum Stegeburgensium sermonibus persuasus, Gustavus totum se iis dedit. Initium fecit, concedendo subditis omnibus libertatem conscientiæ, & novis doctoribus Luthera-

1524. *theranismum publice concionandi licentiam. Allaboravit dein vehementer, ut celebrem virum* Johannem Magnum, *Archiepiscopatu Upsaliensi serio ei oblato, in partes traberet, eo fine eaqve fiducia, ut synodo postmodum habita Lutheri doctrina approbaretur, persvasis jam & dispositis ad id a se plurimis. Sed magni hujus viri constantiam, nec vi nec minis, nec rigore, qvo eum perseqvebatur, frangere potuit; id tamen effectum est, ut una cum fratre* Olao Magno *Romam confugeret, ubi præ dolore postea mortuus est, cum patriam totam Lutheranam factam esse cognosceret. Posteaqvam enim Gustavus habitis Upsaliæ, dein Arosiæ aut VVestrasiæ, comitiis paratum se professus esset, regnum a superstitionibus & tyrannide, ut ajebat, Ecclesiæ Romanæ liberare, & novam reformationem amplecti, protestatus etiam, regno se abdicaturum, si Proceres huic proposito non consentirent; Lutherani ex qvibus major numerus constabat, facile in hanc sententiam rem deduxerunt. Conclusum inde, ut Episcopi & Pastores honesta sustentatione contenti reliqvis Ecclesiæ bonis cederent, fisco Regio applicandis, ita tamen ut unicuiqve familiæ etiam restitueretur, qvod a majoribus ejus donatum inveniretur Ecclesiis & Conventibus, abolitis omnibus monasteriis, & servatis tantum Ecclesiis cathedralibus & parochialibus. Ita intra qvatuor annos non integros Lutheranismus in*

toto

toto regno sine molestia & tumultu invaluit, cum Nobilitas partem spoliorum ex monasteriis capiens, lucrum ex mutatione sentiret, Clericis matrimonia placerent, Populus autem fere nihil in externis mutatum animadverteret; retentis plerisque cultus divini ceremoniis. His peractis dilatam semper usque ad mutationem hanc religionis, coronationem solenniter peragi fecit, & post annos quindecim id quoque novo exemplo impetravit, ut Regnum Svecia successivum fieret, ad posteritatem suam transferendum, ut & factum est, postquam 37. annos feliciter regnasset. Non multo aliter in Dania actum est; Ibi enim Fridericus sine turbis regnum sibi firmare cupiens, nihil aliud ab initio fecit, quam ut subditis mutandi religionem, & ministris Lutheranis prædicandi potestatem faceret. Sed post mortem Christiernus III. filius non habens quod metueret, confidentius agere cœpit, & coronari se fecit a Johanne Pomerano, quem Lutherus eo miserat; dein vi subactis, qui adhuc resistebant, quia hæresin aperte profitebatur, Episcopatum solenni Ordinum regni decreto sustulit, Canonicatus autem nihilominus reservavit, quos Lutheranis benigne concedere volebat, & sic Lutheranismum quiete & placide, cum in externis ceremoniis nihil mutaret, in toto regno stabilivit. Aliquorum tamen annorum spatio hæc gesta, sed hic a me una serie relata sunt, ut uno conspectu appareret, quo-

1523.

Chytr. Saxon. l. 10. Flor. Ram. l. 4. c. 14.

Chytr. Sax. l. 15.

L. §. 149. 150. 1523.

assumit. §. 149. Successus doctrinæ Lutheri. de Svecia & Dania remissive.

qvomodo in duo hæc regna septentrionalia secta Lutheri introducta fuerit. Ipsa interim progressus suos in Germania valde augebat, inprimis post comitia Norimbergensia, magisqve adhuc post altera sequentis anni initio ibi celebrata.

§. CXLIX.

Transitio Maimburgii, qvam hic facit ad narrationem mutatæ in Regnis Septentrionalibus Religionis contradicit clausulæ qva eam finit. Hic enim Lutheri spem de successu vel comitiorum Norimbergensium, vel suæ petitionis imaginariam, id est, nullam fuisse scribit, in fine vero qveritur Lutherum successus suos post comitia, tum hoc anno 1523. tum anno 1524. habita, auxisse. Ita connectendi commoditates & elegantias, ut putat, inventurus, veritatis exiguam habet rationem. Verum autem est, qvod Comitia utraqve non sine successu, nec Lutheri spes aut petitiones imaginariæ fuerint. Accidit enim non solum, ut securus Wittembergæ commorari posset, sed & prædicatio Evangelica strenue plurimis in provinciis & urbibus procederet, ut partim dictum est, & postea dicetur. In iis vero, qvæ hic de Actis Regum Septentrionalium recitat Maimburgius, non pauca mihi occurrunt, qvæ & ob immodestiam, & ob malignas interpretationes, fortasse & ob læsam historiæ veritatem reprehendenda videntur. Sed cum utrumqve regnum egregios viros & olim habuerit, & nunc habeat, qvi & falsa refellere, & veriora narrare noverunt; mihi vero totalia de Germaniæ & inprimis de Saxoniæ rebus dicenda supersint, qvæ certius comperta habeo, temerarium esse existimavi, si illam historiæ Maimburgianæ partem, aut ea, qvæ nuperrimæ *historiæ Gallicæ* autor Varillasius, de his regnis eadem licentia, aut a Maimburgio diversa narrat, prolixe examinanda & supplenda mihi sumerem.

Addit.

§. CL.

Incidit in hunc annum clades & mors *Francisci Sickingii* sæpe jam memorati, qvam maledicentia sua Cochleus ad res Lutheri trahit, & nescio qva de causa in annum 1524. conjicit. De propensione sane Sickin-

Sickingii ad Lutheri dogma, præstitoqve purioris doctrinæ profes- 1523.
soribus, qvi monasteria deseruerant, & infelici illi Ulrico Hutteno, patrocinio, ex supra dictis constat. Edita jam anno 1522. fuit Sickingii epistola ad socerum, *Theodorum ab Handschuchsheim.* In illa defenduntur *communio sub utraqve, Missæ celebratio lingva Germanica, libertas religiosorum in deserendis monasteriis, & abrogatus sanctorum cultus.* Præfatus in eas est *Johannes Schwebelius*, de qvo supra, ubi ad Nobilem qvendam inter alia scribit: *Cum Prælati Ecclesiæ jam vigilent, nec ut deberent, fidei fundamenta ex Scripturis Sacris proponant, & qvos errare putant, placide instruant, nunc mira conversione a Laicis, qvi olim arma tractabant, discenda est religio; gladio utuntur Episcopi.* Recusa extant hæc inter opuscula Schwebelii Germanica Bipontini anno 1605. excusa. Nec abnuerim, qvo Chytræum etiam propendere video, Sickingium virum ingenti animo, opibus supra eqvestrem fortunam, sociisqve ex nobilitate fortissimis subnixum, Cæsari etiam & Principibus non paucis charum, & factionibus innexum, acriora justo & vastiora consilia mente versatum esse. Negari etiam non potest, Lutherum haud parvi eum fecisse. Verum qvi Luthero ejusqve doctrinæ Sickingii molimina imputant, præterqvam qvod iste vim omnem diserte improbavit, vel eo argumento liqvidissime refelluntur, qvod Archiepiscopus & Elector Moguntinus Albertus Brandenburgicus Sickingium fovebat, eoqve nomine a fœderatis Principibus multatus fuerit, qvod nec Cochleus tacet, & *Historia Trevirensis* autores Jesuitæ *Christ. Brovverus* & *Jacobus Masenius Lib. XX.* enarrant. Tanta vero fuit Sickingio & potentia & audacia, ut anno 1522. collecto sexcentorum eqvitum, inter qvos exercitatissimi fortissimiqve ex Nobilitate non unius provinciæ viri erant, & octo millium peditum exercitu, *Richardum* Archiepiscopum & Electorem Trevirensem, bello aggrederetur, & in metropoli sua obsideret. Causam prætendebat, qvod Elector cives duos, pro qvibus Sickingius apud qvendam ex sociis suis fidejusserat, sistere aut ad solvendum lytrum adigere nollet. Sed qvicqvid prætexi poterat, ad eluendas nuper admodum publicatas, *de Pace publica* & *de summorum Tribunalium jurisdictione* constitutiones & Regiminis Norimbergensis mandata spernenda, sufficientem non adferebat excusationem. Conciliationem tentabant vicini Principes, maxime Archiepiscopus Coloniensis, qvi missis legatis pacem svade-

I. §. 150. bello inter illum & Principes ad Rhenum. it. de clade & morte ejus
1523. gratulatio Pontificis

bat, autorqve Richardo erat, ut Sickingio ducenta aureorum millia solveret. Sed is rejectis conditionibus, non solum urbem ab hoste defendit, sed & cum *Ludovico* Electore Palatino, & *Philippo*, Hassiæ Landgravio, cui olim impuberi Sickingius, Fuldensi Abbati tunc auxilia ferens, multa damna intulerat, inita societate, Sickingii primum patronos & socios aggressus est, mulcta viginti qvinqve aureorum Alberto Moguntino indicta, & in qvosdam primarios aulæ ejus viros animadvertens: dein Croneberga (arx & oppidum) Hartmuto, Sickingii genero, de qvo supra mentio facta est, per Hassorum Principem erepta fuit. Mox anno seqventi, mense Aprili & Majo, bellum totum tres illi Principes unitis viribus profligarunt, expugnato vi tormentorum Sickingii castello Landstein / ad oppidum Landstuhl sito. (Manstall etiam pronuntiari solet.) In ejus propugnatione ipse graviter sauciatus fuit, & paulo post, cum ab ingressis post factam deditionem Principibus satis humaniter inviseretur, eosqve infracto excepisset animo, obiit, confessione sacerdoti facta, sed sacramentum accepturum mors prævenit. Extat typis impressa *Cæsaris Sturmii*, Fecialis sive Heraldi Cæsarei, cognomento *Germaniæ*, ejusdem qvi Lutherum Wormatiam duxerat, & tunc fœderatis Principibus aderat, Relatio Germanica de expugnatione arcium Sickingii & fœderatorum aliorumqve; poema etiam Latinum Heroicum *Bartol. Latomi* Trevirensis, qvod Jesuitæ ob aculeos in Lutherum & Sickingium nostre sibi probatum, Chronicis suis inseruerunt. Majora odia & contumeliæ Luthero ingruissent, si causa Sickingii directe ad religionem spectasset, nec ille præter Moguntinum, etiam Luthero palam infestos, interqve eos Lotharingiæ Principes & Abbatem Prumiensem aliosqve in partibus, aut clam faventes habuisset. Adrianus Papa gratulatus est de victoria Richardo per epistolam, qvam referunt Jesuitæ supra nominati *dicto Lib. XX.* in qva inter alia delectari se asserit Pontifex, „ ita emicuisse virtutem Richardi, ut intelligerent & sentirent improbi, „ summi Dei Sacerdotes etiam ad res magnas temporales gerendas idoneos inveniri, qvanqvam nollet opus fuisse armis; sed si arma necessaria sint, non esse illa repudianda, præsertim si ad conservationem veræ & sanæ Christi fidei & ad Reipublicæ Christianæ utilitatem sumta „ fuerint. Sickingii filius, *Franciscus Conradus* restitutionem bonorum

postea impetravit, Imperatoribus charus & negotiis imperii adhibitus, nepos *Reinhardus* literis primus ex familia operam dedit, & Cameræ Spirensis assessor fuit. Huic Henricus Schwebelius, Cancellarius Bipontinus, epistolas centum ad patrem suum, sæpe dictum Johannem, ab aliis Theologis datas anno 1597. dedicavit. Honoratus etiam nostro tempore cubicularii Cæsarei titulo vixit *Franciscus* Baro Sickingius. Varillasius in nupera *de hæresibus* historia *Lib. IV.* Maimburgii diligentiam superaturus, de Sickingii pro Luthero consiliis & gestis, mira & nec a Poeta illo maledico asserta, nec a Jesuitis memorata refert, qvæ, donec idoneis autoribus probentur, in medio jacent. Constat autem bello illo pro vera sanaqve fide nihil, parum etiam pro Romana effectum esse. 1523.

§. CLI.

Dixi supra de progressu doctrinæ Lutheranæ variis in locis, speciatim *Uratislaviæ*. Hic probante non solum populo, sed & Episcopo, Jacobo a Salza, *Johannes Hessus* Norimbergensis, Theol. Doctor Luthero valde charus, Pastor ædis S. Mariæ Magdalenæ constitutus; mense Octobri 1523. concionari cœpit. Cum vero Senatum jam antea Adrianus Papa. Lutheranismi causa, per literas acriter increpasset, nec deessent, qvi Hessi adsumtionem diffamarent, Apologiam amplissimam Senatus edidit, in qva defectus priorum Pastorum ad vivum descripsit, suiqve facti rationes graviter exposuit. Allegant inter alia constitutionem Leonis Imp. ex Tit. Cod. *de Ep. & Cler. L. si qvicqvam 31.* Qveruntur, tot annis pro Christi Evangelio Thomam, Scotum, Aristotelem, Christianis auribus instillatum esse, alios parochos saltem loculis & marsupiis consuluisse, & in operculum suæ carnis & impietatis sacras literas detorsisse; se vero in Hesso pastorem, Episcopo suo consentiente, qvæsivisse, qvi incredibili fiducia & alacritate verbum Domini & imperveſtigabiles ab humana prudentia divitias ejus, & communionem mysterii absconditi a seculo decantet, immarcessibili fructu verbi divini pascat ac nutriat vivos, defunctos vero in Domino pie sepeliat, non ut prædecessores, qvibus una opera fuisset inhiare lucro. Nam, ajunt, sive nasceretur, sive moreretur aliqvis, omnes erant tributarii & vectigales parocho, ut multa millia gratiarum & indulgentiarum nomina, remissionem peccatorum præ se ferentia, atqve id genus alia pastorum nostrorum commenta taceamus: qvod vero omnium *Addit.*

um miserrimum, mortui plus vivis censebantur, ut credibile sit poeticum illum Charonta in transportandis mortuis mitiorem fuisse, qvam nostros parochos in sepeliendo. Huic malo remedium se a Rege Bohemiæ Domino suo, & hujus intercessione a Pontifice frustra (scribunt) qvæsivisse; sed ab hoc responsi loco Lutheranismum sibi expropratum fuisse. Integra hæc apologia lectu dignissima refertur a *Sculteto in ann. 1523.* Hoc etiam tempore Goldbergæ in Lignicensi Silesiæ Ducatu, Schola illustris erecta fuit, accitis Wittenberga præceptoribus, ex qvibus inclaruit, *Valentinus Trocedorfius.*

§ CLII.

Moguntia relicta Argentoratum venerunt *Capito* & *Hedio*; Weissenburgo *Bucerus*, qvos tamen in articulo de Sacramento Helvetiis adhæsisse, postea apparuit. De *Cellio* supra dictum fuit. Lepidum est, qvod Gerbelius Argentorato d. 21. April. Schœbelio scribens, de *Antonio* Pastore in æde S. Thomæ refert, qvod eodem die elegantis formæ concubinam aliqvot annis habitam, in templum S. Laurentii multo comitatu duxerit, & solenniter sibi jungi fecerit, concionante ad plebem in matrimonii commendationem Cellio, & qvodam ex populo acclamante: *Recte fecit, Deus det illi mille bonos annos. Schoferus*, cujus itidem supra mentionem feci, ab Ingolstadiensibus ad palinodiam coactus & in monasterium detrusus, ex eo se subduxit, & Wittenbergam venit, inde in Borussiam missus, sed postea in Sveviam rediens Augustæ & Winidæ, scholis & Ecclesiis præfuit. *Paulus* etiam *Speratus* sive *Spretter*, nobili in Svevia loco natus, cum Augustæ, Herbipoli, Salzburgi & Viennæ docuisset, in Moravia (illuc ad eum scripta Lutheri Epistola habetur *(Lib. II. Ep. p. 71.* anno 1522.) Iglaviæ ab Olomucensi Episcopo vincula passus, indeqve elapsus Wittenbergam sub finem hujus anni 1523. vel sequentis initio venit, jam qvadragenarius. Hunc Lutherus missum Alberto Brandenburgico, Borussiæ Principi, & Joh. Brismanno Cotbusiensi Lusato, qvi Franciscanus fuerat, & Regiomonti docebat, commendavit, ubi receptus, & postmodum *Pomezanensis Episcopus* factus est. Is Poesi Germanicæ operam dans inter alia composuit canticum de justificatione, in Ecclesiis Protestantium notissimum: Es ist das Heil uns kommen her &c. Tertius inter primos

mos Borussiæ doctores Evangelicos fuit *Johann. Poliander*. Eccii in disputatione Lipsiensi amanuensis aut famulus; non minus celebris hymni (Nun lob meine Seel den HErrn) qvi Psalm. Lat. 104. paraphrasis est, autor. *Petrus* enim *Amandus*, qvi cum Brismanno in Borussiam venerat ob vehementiam animi & lingvæ non diu ibi substitit. Ex partibus Rheni post cladem Sickingii, dissipatis, qvos ille fovebat, Evangelii præconibus, *Caspar Aqvila* Augustanus, Isennacum venit, ibiqve docere cœpit, ita ut radii reformationis e Saxonia in superiorem Germaniam emissi, nunc qvasi repercussi in Saxonica ditione effulgerent. 1523. *Addit.*

§. CLIII.

Cœperunt hoc anno virgines, magna qvidem cum invidia Lutheri, monasteria deserere. Exierunt enim adjutæ a *Leonhardo Coppe*, Senatore Torgensi, aliisqve honestis civibus ex Niemitschensi cœnobio, (*Nimpschen* prope Grimmam) ipsa sancta septimana, qvam vocant ante Paschatis festum, novem, nobili omnes genere natæ, qvas in tractatu ad Coppenium illum edito, & in epistola ad Spalatinum data (*Tomo II. Altenb fol. 310. & Lib. II. Epist. p. 131.*) Lutherus nominat; inter has erat *Catharina de Bora*, qvæ post biennium ei nupsit. Elector dissimulavit factum, & ab eo largitio qvædam ad alendas illas non nisi clanculum petita, aut præbita fuit. Vide *d. l. ep. p. 134*. In tractatu vero, de qvo dixi, Lutherus breviter rationes exponit, cur nec virginum, nec Coppenii eas juvantis factum reprehendi debeat, scandali culpa in adversarios rejecta. Taxat inprimis stultum parentum & aliorum, qvi puellas in monasteria trudunt, consilia, qvodqve putent illas castitatem bona mente servare, & tentationibus resistere posse, cum verbi divini instructione in claustris illis careant: dein donum continentiæ rarissimum in tot monasteria, & in tantum fœminarum numerum a Deo profundi incredibile esse tradit; imo tam singulare æstimari debere hoc donum, ut vix sine tentatione Dei, preces, nisi caute, pro eo impetrando fieri possint, nedum ut voto & juramento aliqvis id acqvirere, aut se ad id obstringere præsumat. Non multo post sedecim aliæ virgines ex Widerstetensi in Mansfeldensi comitatu cœnobio egressæ sunt. *Lib. II. epist. p. 139.* *Addit.*

Læta hoc anno 1523. Luthero fuit cœpta in collegio Canonicorum Wittenbergæ mutatio, qvam dudum exoptaverat, sæpiusqve non

fine

I. § 153. § 154. 1523. Canonici wittenb. mutantur. matrimonia clericorum §. 154. de Bohemis, Picardis

sine importunitate aliqva per Spalatinum flagitaverat, ut nempe Elector inhonestis Canonicorum moribus & cultui Missatico, qvem retinebant, remedium poneret. Vide *Lib. II. Ep. p. 111. 126. 134.* ipsos qvoqve Canonicos epistolis acribus adhortatus Vide *Tom. II. Alt, fol. 355.* Interim cunctante, ut solebat, Principe, mors unum & alterum Canonicorum sustulit, qvi reformationi renitebantur, aut eam oscitanter curabant. Vide *Lib. II. Ep. p. 148. b.* Dolschius etiam obierat, cujus supra aliqvoties mentio facta est, cujusqve scriptum pro Luthero adversus Alfeldium Franciscanum *Tomo II. Lat. Witt. fol. 213.* extat, Subjecti inde alii fuere melius animati, *d. Ep p. 135. b.* eosqve cum consilium peterent, qvæ reformare & corrigere debeant, aut qvæ ex veteri ritu sine peccato servare possent, Lutherus pie & placide informavit, Epistola mense Augusto ad illos scripta *pag. 153.* qvamvis post biennium demum junctis Academiæ & Senatus oppidani consiliis, mutationem pleniorem obtinuerit, ut ex Actis apparet. Valido cum argumento, qvam nihil vi actum sit, Lutheri svasu. Vide *Tomo II. Altenb. f. 849. 851.* Laudat Lutherus etiam Abbatem Hersfeldensem *Lib. II. Ep. pag. 140.* qvanqvam Romanarum partium, qvia exeundi monasteriis libertatem Monachis & Monialibus permittebat: & cum eo tempore Linccius Augustinianus Prior & Vicarius, qvi Norimberga Altenburgum in Misniam patriam suam (Colditii enim natus fuit) venerat, ibiqve pastoris munus exercebat, uxorem duxisset, pro miraculo id habet, & gaudere se scribit, *qvod tanti viri vomen stultum fiat, in confusionem falsæ continentiæ. d. l. ep. p. 135.*

§. CLIV.

Ex Bohemis & speciatim iis, qvos Picardos vocabant, hoc anno qvidam ad eum venerunt, doctrinamqve suam (ob qvam vel maxime hæretici habebantur) de Sacramento Cœnæ ita explicaverunt, ut non male se de iis sentire ad Hausmannum scribat *d. l. p. 133.* Nactus vero postea libellum a Picardis sive Valdensibus Bohemis & Moravis editum, in qvo Christum substantialiter & naturaliter in Sacramento præsentem nec esse, nec adorandum statuebant, ipse tractatum Germanicum *Tom. II. Alt f. 299. & seqq.* edidit, iisqve inscripsit, *de adoratione Sacramenti corporis Christi.* In hujus exordio profitetur, se eos

jam,

1523.

jam, ut olim cum Papista esset fecerit, pro hæreticis amplius non habere, dicturum tamen, qvid in illorum doctrina desideret, & qvæ ipse statuat, qvanqvam ea ex Melanchthonis scriptis possent cognoscere. Dein de Sacramento agens rejicit sensum significationis, soliusqve spiritualis participationis; asserit realem præsentiam & communionem, explodit transsubstantiationem, improbat Sacramenti mutationem in sacrificium, ejusdemqve ostentationem & circumgestationem. Qvod adorationem attinet, pro necessaria habet eam, qvæ interna animi devotione Christo ipsi exhibetur. Externam cæremoniam, in communione nempe adhibendam, indifferentem habet, qvia absqve hæresis crimine omitti possit, neqve tamen si servetur, reprehendi deberet. Percurrit postea Waldensium dogmata, & postqvam summa & ad salutem necessaria capita; de Dei essentia & personis, de Christi mediatione, de Spiritus Sancti officio & potestate in Ecclesia, qvæ Waldenses agnoscunt, probasset, rectęqve eos facere dixisset, qvod traditiones hominum, purgatorium & ejus causa ordinatas Missas, item Sanctorum cultum rejicerent, non dissimulat tamen, qvæ in illorum religione taxet & corrigenda æstimet, nempe qvod præsentiam realem corporis Christi in cœna, & fidem infantum in Baptismo negent; qvod fidei salvificæ in justificationis opere charitatem annectant. Qvod septem Sacramenta statuant; qvod ministros Ecclesiæ a matrimonio prohibeant. Hæc omnia tamen benigne intelligi vult, qvia forte ignoratione lingvæ Bohemicæ eorum sententiam minus liqvide penetraverit, commendatqve iis literarum & lingvarum studia, maximopere deniqve morum innocentiam in iis laudat. Ad Bohemos vero Pragenses, qvi *sub utraqve* sive *Calixtini* vulgo dicebantur, & in cæteris Pontificem Romanum agnoscebant, ita ut consecrationes Pastorum suorum, qvas vicini Episcopi (mira obstinatione) aspernabantur, magno sumtu Romæ peterent, alium tractatum gravissimum hoc anno conscripsit, qvi legitur *Tom. II. Alt. f. 576. b. & seqq.* In eo ex Principiis sæpe jam a se propositis, cuilibet cætui Christiano facultatem eligendi & ordinandi sibi Presbyteros sive Pastores, aliosqve Ecclesiarum ministros vindicat. Primarium autem argumentum inde sumit, qvod omnes Christiani generatim & singulatim spiritualis sacerdotii dignitatem & munus habeant, indeqve non solum licitum, sed

I. §. 155. 1523. & similia. §. 155. Literæ Lutheri ad Duc. Sabaud. labores, afflictiones, odium a Georgio Sax.

& facile & utile sit, certos ex suo numero, qvi ministerio ordinario fungantur, constituere. Itaqve frustra Bohemos Roma petere, qvod singuli cætus facere possint, vel illi etiam committere, qvi jam a Pontifice in Administratorem Episcopatus consecratus sit, (*Gallum* nominat) iisqve porro, qvos iste suffragiis cætuum præsentatos ordinaverit. Eadem, qvæ ad potestatem eligendi & ordinandi ministros, itemqve de religione judicandi spectant, brevius Germanico libello complexus est *Tom. II. Alt. f. 328. & seqq.* Ordinem etiam qvendam cultus publici proponit *f. 337.* qvi est, ut qvotidie mane & vesperi verbum Dei Veteris & Novi Testamenti legatur & explicetur, preces fiant, diebus dominicis Missa, id est, sacra communio habeatur, cantica resonent, festorum vero numerus minuatur. Hæc etiam Latine extant *Tom. II. Witt. Lat. f. 417. b.*

§. CLV.

Ad prospera etiam pertinere potest relatio de Caroli Sabaudiæ Ducis propensione ad Evangelicam veritatem, qvam Lutherus ex *Asnemundo Cocto* Eqvite aurato, Gallo, percipiens, literas prolixas de doctrinæ suæ præcipuis articulis ad Principem dedit d. 7. Sept. 1523. qvæ extant in *Lib. II. ep. p. 156. sqq.* & *Tom. II. Alt. f. 360.* Sed molesta & adversa multa tum Luthero, tum doctrinam ejus amplexis hoc anno evenerunt. Ille qvidem continuis laboribus respondendi ad multorum qvæstiones, refutandi adversarios, consolandi afflictos, & in libris scribendis defatigatus, valetudine valde tenui utebatur, ut vitæ cum non semel pœniteret: accedebat aulæ tepor & res domi angusta. Sed omnia Deo confisus superavit, & patientissime tulit, imo ea erat animi generositate, ut siqvid acciperet, aliis egentibus subito erogaret, neqve pro se qvidqvam, sed tantum pro aliis peteret. Vide *Lib. II. Ep. p. 131.* Imo cum tunc nummum, nescio qvalem, aureum tamen ex aula accepisset, ad Spalatinum scribit: *Mansfeldenses mei illum mihi extorserunt, nec volo alium habere, ne rursus extorqveatur mihi; nihil debeo ego habere. d. l. p. 140. b.* Georgius Saxoniæ Dux ineunte anno 1523. copiam literarum nactus supra memoratarum, qvas Lutherus ad Cronebergium scripserat, offensus ob qvædam verba, qvibus Georgii persecutio adversus Evangelii doctrinam improbabatur, dato ad illum die Martis post Innocent. diplomate, indicari sibi postulavit, an

lite-

literas illas agnoscceret? At Lutherus promte, eoqve stylo respondit, 1523.
qvo Princeps efferatior factus est. Optat enim ei sub initium meliorem mentem, utqve a sævitia contra Deum & Christum cessaret, *inclementem* vocat & *mendacem, aut mentientibus credentem*, se enim nihil adversus eum commisisse, qvod jure non possit defendi. An epistolam scripserit, nec negat nec affirmat; pro Duce tamen, licet hoste, oraturum se esse, ipsiqve obsequia, si qveat, exhibere velle profitetur: Bullas vero non timere. Subscripsit: *Martinus Lutherus Evangelista Wittenbergensis, octava Joh. Evangel. 1523. Tom. II. Alt. f. 257. & Lib. II. Ep. p. 112. b. 113. 132.* Cum vero haud multo post Albertus, Comes Mansfeldensis, cum Luthero ageret, ut Ducem leniori aliqvo responso mitigaret, Comiti respondit, si salva sit gloria Evangelii, velle non „
solum Principi illi, sed omni hosti deditum esse servum, sicut decet „
Christianum; permisitqve Comiti, ut omnia de se polliceretur Duci, „
si cesset furere in verbum Dei, sin minus, nihil facturum, qvod furori „
& cœcitati ejus placeret *d. l. p. 134. b.* sed de his in progressu historiæ „
plura occurrent. Proscindebatur interim calumniis, Norimbergæ in comitiis tum a Georgio Duce, tum a Leo Angli Regis legato sparsis, ac *si de virginitate Deiparæ irreverenter sentiret, & qvod Christum semen Abrahæ dixerit.* (hoc enim, nescio qvare pro hæretico habendum videbatur.) Has repulsurus, tractatum scripsit Germanicum, ostendens, *qvod Jesus Christus natus fuerit Judæus*, Vide *Tom. II. Altenb. fol. 313. & seqq.* In hoc & virginitatem perpetuam B. Virginis, & genus Christi ex Abrahamo & Davide deducit, monstratqve, qvomodo cum Judæis pro conversione eorum promovenda rectius placidiusqve, qvam huc usqve factum fuerit, agi, erroresqve eorum refutari debeant.

§. CLVI.

Scripserat *Henricus Angliæ Rex* sub initium anni 1523. d. 20. Jan. ad Fridericum Electorem, ejusqve fratrem Joannem & patruelem Georgium literas eloqventissimas humanissimasqve, in qvibus qveritur, qvam contumeliose sibi ad librum suum responderit Lutherus, & „
qvam furiosa sit ejus mens, & pernicioſus error: inde duces pro co- „
gnatione (nam a clarissima Angliæ Regum stirpe majores eorum se „
renisſimos progeniros esse ait) proqve communi Principum causa & „
honore cohortatur & orat, ut Lutheri sectam coerceant, sine sangvine „
qvi- „

1523. qvidem, si fieri possit, sin minus, omni alio modo. In fine monet, ut „Bibliorum versionem, qvam a Luthero fieri intellexerat, impediant. Ad hæc Georgius haud minori elegantia & comitate 7. Id. Maji respondit, & Rege ob eruditionem & editum librum collaudato, Luthe„rum omnibus modis execratur: ex dogmatibus vero ejus unum & „præcipuum exagitat, qvod bonorum & malorum necessitatem a Deo „pendere statuat, errore ne Ethnicis qvidem tolerando, qvo omnis hu„manæ rationis vim, omne consilium, jus denique omne, qvod vel præ„mium bonis vel pœnam malis decernit, tollatur. (qvæ qvam falso dicantur, aliunde constat, totoqve Lutheranæ doctrinæ tenore, & praxi refutantur.) Postea omnia officia offert, tum in Rege demerendo (cujus librum Germanice versi & Lipsiæ edi fecerit) tum adversus Luthe„rum ejusqve doctrinam nitendo. Sed eum, ait, extra ditionem suam „vivere, & hanc longe lateqve vitare. Commemorat etiam ut ante „annos qvatuor Lipsiensium disputationem procuraverit, urqve Biblia „Lutheri in terras suas illata proprio ære redemerit, suosqve a dogma„tibus ejus prohibuerit. Has Regis Ducisqve literas Lipsiæ excudi fecit Emserus, & Johanni Schleunizio, Episcopo Misnensi, tunc Romæ reduci, dedicavit d. 10. Cal. Jun. 1523. Sed Electoris Friderici & Johannis fratris responsum Aprili mense datum, in Germanicam lingvam una cum Regiis literis translatum, legitur *Tom. II. Altenb. f. 286.* eo „sensu conceptum, ut Regis benevolentiam multum æstiment, cogna„tionem utriusqve gentis & familiæ agnoscant, de Luthero vero profi„teantur, se facta & doctrinam ejus nec probare nec improbare lieſſen „es auff ſeinen Werth und Unwerth) & relatis, qvæ Fridericus Elector „Augustæ & Wormatiæ in ejus causa tractaverit & egerit, addunt, Lu„therum inscio nec consentiente Electore Wittebergam rediisse, & per „literas obtulisse, se ad cujuslibet accusationem in judicio responsurum „esse, Electorem vero, qvæ Rex & Lutherus per libros disceptent, & qvæ „hic furiose scripsisse dicatur, non intelligere. Optimum fore ajunt, „si juxta nuperum Norimbergense decretum Concilium generale habe„atur; ad id promovendum & pacem colendam Regem hortantur, sua„qve officia prolixe ei offerunt. Hoc modo elisæ tunc sunt Regis in Lutherum iræ, sed religionis causa timide nimis tractabatur.

§. CLVII.

1523.

§. CLVII.

Ludovicus etiam *Hungariæ & Bohemiæ Rex*, qvi non multo post a Turcis misere cæsus est, Friderico Electori scripsit, qvestus, qvod Luthero patrocinaretur, qvi fidem Christi & Ecclesiæ autoritatem oppugnaret, Principes Christianos proterve traduceret, & Turcos extolleret, puniri itaqve monachum hunc monet, nec diutius ei indulgeri. Respondit Fridericus, se, ut Christianum decet, obedire Ecclesiæ Christianæ, honoremqve Dei & verbi ejus & charitatem proximi pro scopo habere, neqve qvicqvam eorum qvæ malevolorum calumnia ad Regem delata fuerint, suo patrocinio fovere. *Tom. II. Alt. f. 342.* Sed non intra verba stabant, qvi doctrinam Evangelii persequebantur. In Misnia enim & Thuringia, qvæ Georgio Duci parebat, carcere, mulctis, exiliis, paulo post etiam capitalibus suppliciis sævitum fuit. *Henricus* Dux Freibergæ residens, licet Luthero (ut supra §. 110. dicere cæpi) favere cœpisset, potentiæ tamen Georgii fratris cedens aut ne ei displiceret, tres virgines nobiles gynæceo conjugis ejecit, qvod libros Lutheri legissent; has consolatus est Lutherus literis mense Junio scriptis. *Tom. II. Alt. f. 352.* qvæ & Latine extant *Lib. II. Ep. p. 138.* Nec alibi mitius actum. Miltenburgenses ad Mœnum, in Moguntino Electoratu, primi omnium vim armatam, ut relationes tunc publicatæ ostendunt, religionis causa passi sunt. Aufugerat *Joh. Duco* Carolostadius Pastor; Diaconus, qvi manserat, vitam vix servavit. Extat Lutheri ad oppidanos *epistola consolatoria*, anno seqventi composita, cum *explicatione Psalmi 120.* (Lat. 119.) in qva inter alia scribit, brevi apparituros, si uno loco doctrina verbi divini opprimatur, ut in decem aliis resurrectura sit. Item: ægre se ferre, qvod in contumeliam verbi divini Lutherani vocentur, qvi doctrinam suam probent, futurum tamen sive vivat ipse sive moriatur, & ubicunqve adversarii furant & sæviant, ut Lutherus Lutheriqve doctrinæ & Lutherani durent, adversarii pereant; sed agnoscit, qvod cursus verbi & doctrinæ defectu pietatis & precum, impedimenta & moras habeat. Extant etiam consolatoriæ ejus *ad Wormatienses* d. 24. Aug 1523. *Tom. II. Alt. f. 358. ad Eslingenses* m. Octobri *d. Tom. f. 363. ad Augustanos* d. 6. Dec. *d. To. f* 368. in qvibus omnibus de veritate agnita & de fidei incremento, qvod per afflictiones maxime procuratur, gratulatur.

Addit.

§. CLIIX.

Sed in Belgio adnitente Pontificis nomine *Hieronymo Alcandro*, & sævitiæ administris seu inqvisitoribus, *Nicolao Egmondano*, Carmelita, & *Jacobo Hochstratano* Dominicano aliisqve Lovanienſibus & Mechlinienſibus monachis, ad extremum rigorem perventum est, Margarethæ Sabaudæ viduæ, Caroli sororis, Belgii gubernatricis, & Magistratuum Regiorum auspiciis. Primæ itaqve hoc anno victimæ imo holocausta veritati Evangelicæ immolata sunt, exustiqve d. 1. Jul. 1523. Bruxellis duo Augustiniani, ex Antverpiensi cœnobio, *Henricus Voës* & *Johannes Esch* vel *Nesse*, cum nec carceris diuturni molestia, nec aliis artibus ad revocationem, qvam cæteri subierant, permoveri possent. Æternam martyrum horum memoriam autores plurimi, maxime vero ipse Lutherus fecit, Latinis Germanicisqve relationibus,

Addit. *Tom. II. Alt. f. 352.* hymno etiam Germanico eorum mortem celebravit, qvi multis annis in sacris ædibus personuit, librisqve cantionum paulo vetustioribus, etiam novis qvibusdam (ut ei, qvem jussu Electorali *Martinus Geierus* anno 1673. collegit ac edidit, *p. 579. n. 629.*) insertus reperitur. (Ein neues Lied wir heben an ꝛc.) Historiam vir qvidam pius & doctus, qvi supplicium spectavit, luculenter descripsit, qvæ Epistolarum Lutheri *Part. II. p. 142.* & Sculteti *Decadibus* inserta est *p. 178.* Leguntur ibi ceremoniæ operosæ, qvibus Sacerdotio exuti sunt, mira patientium constantia, imo hilaritate & exultatione, qvi pro flammis & carbonibus rosas sibi substerni dicebant. Articuli etiam in Epistolis Lutheri *p. 145. & seqq.* extant, qvorum causa tam crudeli morte puniti sunt. Eorum primarii sunt, qvos Henricus, qvi junior, sed doctior sodalibus erat, asseruit, nimirum qvod Scripturam, Luthero indicante, lectam, Pontificiis decretis omniumqve doctorum placitis præferret, & ex Scripturis probari posse negaret, qvod Papa & alii Prælati plus habeant, qvam ministerium verbi, diceret etiam, qvod Pontifex non sit vicarius super omnes terras a Christo constitutus, sed minister ad prædicandum & pascendum verbo oves. In cæteris dogmatibus per omnia fere Luthero consensit, de fide sic statuens: Vera & catholica fides non potest separari a charitate, qvia charitas est fructus fidei, & fides Christiana sine dilectione mortua est. De Missa: qvod non habeat oblationem in altari, sed in cruce tantum oblationem semel

factam

factam esse. Ad multas vero qvæstiones inutiles & Scholasticas noluit respondere, & cum sæpius interrogatus diceret, per scripta Lutheri se ad cognitionem Evangelii venisse, urgentibus ultra inqvisitoribus, an Lutherus habeat spiritum Dei? tacere maluit. Tandem cum inculparetur, a Luthero seductus esse, respondit, *se seductum esse sicut Apostoli seducti sint a Christo.* Commissarios offendit, dum diceret, eos non agere secundum Evangelium, nec verbum Dei in illis esse. Qvarto post exustos duos illos die, tertius etiam *Lampertus*, qvi Jacobo Priori, cujus supra mentio facta est, successerat, eodem supplicio sublatus refertur, *d. l. p.* 148. alii in carcere necatum memorant. Emsero tamen hic credendum esse puto, qvi tres combustos esse narrat & qvasi de re bene gesta triumphat in *not. ad N. T. Lutheri.* Lutherus Epistolam ad fratres in Hollandia, Brabantia & Flandria edidit, qvæ Latine extat *Lib. II. ep. p.* 149. & Germanice *Tom.* II. *Alt. f.* 354. Gratulatur qvod ex illis primos omnium Christus esse voluerit, qvi ob ejus nomen & Evangelium injurias, ignominiam, angustias, tribulationes, carcerem, pericula, mortem deniqve sufferrent. De Henrico & Johanne vero hæc habet: Duæ illæ felices nec minus pretiosæ animæ, Henricus & Johannes Bruxellæ vitam suam vilem æstimaverunt, qvo » Christus verbo suo solus, adeo plenioribus præconiorum tibiis ebucci- » naretur. O qvam contemptim & ignominioso supplicii genere da- » mnatæ sunt illorum animæ? verum qvam ineffabili gloria & inæsti- » mabili gaudio revertentur olim vere judicaturæ eos, a qvibus hic ini- » qve latam sententiam audiverunt. Qvam vero levicula, imo nullius » prorsus momenti res sit, a mundo ignominiose tractari, occidi & ca- » lumniari, his præsertim, qvi certo persvasum habent, sangvinem ce- » lebrem, & mortem suam fore pretiosam in conspectu Domini, perinde » ut est in Psalmis? Qvid vero est mundus ad Deum collatus? Qvantum » voluptatis, qvantum tripudii & lætitiæ omnes Angelos ex hoc specta- » culo cepisse putatis? Qvam non illibenter credendum est, ignem ho- » rum perpetuitati inserviviss̃e, auxilioqve fuisse migrantibus e vita, » peccatis obnoxia, ad immortalem justitiam, ab hac infami ignominia » ad perennem gloriam, ab his tempestatibus ad perpetuæ tranqvillita- » tis portum? Benedictus sit, inqvam, Deus in ævum, cujus nunc demum » gratia vere sanctos & vere martyres nostro seculo & vidimus & audi- » vimus, qvi hactenus tot mentita sanctitate celebratos ab impiis dæmo-

nes

1523.

15-3. nes coluimus. Nos superioris Germaniæ, Fratres charissimi, nondum eam dignitatem nobis adjectam esse sensimus, ut Christo ejusmodi victima, hecatombe sic splendida, fieremus, tametsi ex membris nostris aliqvot non citra persecutionem vixerint, & adhuc vivant. Deniqve inter alia solatium & istud addit: Qvanqvam adversarii nostri hosce sanctos Hussiticæ, aut Viglephiticæ, aut Lutheranæ deniqve hæreseos insimulabunt, seqve horum cæde ac supplicio jactanter venditabunt, nihil est, qvod miremur, hoc magis robustiore spiritu firmati. Fieri enim non potest, qvin crux Christi habeat virulentos, maledicos, & impios calumniatores. Judex tamen noster in propinqvo est, aliam brevi pronunciaturus sententiam, id qvod certo scimus, adeoqve dubium non est.

§. CLIX.

Non recessit ab ingenio Maimburgius, qvod hæc sicco pede transgressus est, sive ut gloria martyrii nascentem Reformationem defraudaret, vel qvod Lutheranismi historiam non tam scribens, qvam perfunctorie exscribens, ad digressiones suas genio aulico accommodandas festinaret. Qvid vero dicam inspecto nunc recentissimo ejus libro, qvo *historiam Gregorii Magni* explicatum ivit? In hujus certe dedicatione Regem Christianissimum alloqvens, conversionem, qvam vocat, Reformatorum in Gallia, anno proximo inauditis modis ad finem perductam, his inter alia verbis celebrat, qvod *adversus Protestantes Gallos in Ecclesiam revocandos non alia arma, nullaqve adhibita violentia fuerint, qvam zelus*, ut loqvitur, *charitativus, & manifestissima Ordinationum & Edictorum Regiorum justitia.* Si igitur vel ignorat vel negare ausus est, qvæ in Gallia gesta sunt, testibus tot centenis millibus; qvis miretur eum duorum vel trium Monachorum Belgarum supplicia vel ignorasse vel tacuisse? Magna mihi hic & justissima digrediendi occasio porrigitur, qvid judicandum sit de vivicomburiis istis, qvibus sub sanctissimi Pontificatus nomine, imo ex vicaria Jesu Christi potestate, sub Regibus & Principibus Christianis, tunc denuo initium factum est; sed hoc argumentum sæpius & a multis, qvos me doctrina & sapientia vincere scio, tractatum & examinatum fuit. Pie & acute inter innumera alia Lutherus *commentario in Ps.* I. ex Patribus Anastasio & Augustino monet, affectus Psalmorum in-

duc-

duere debere, qvi eos legunt. Ut qvando legis (ait) *Beatus vir, qvi non abiit in concilio impiorum:* oportet simul affectum movere & detestari ac deprecari concilium impietatis, non solum pro te sed pro tota prorsus Ecclesia, sic viam peccatorum, sic cathedram pestilentiæ. Nam hoc igne (charitatis affectu) comburendi sunt hæretici, & qvicunqve impie sapiunt ac docent: qvem ignem qvia contemsimus, tradidit nos Deus in reprobum sensum, ut carnifices fieremus, & hæreticos igne naturali combureremus, rursum combureremur & ipsi. Notabunt interim qvi ex articulis, propter qvos teterrimo mortis genere excarnificati sunt a Belgicis proceribus Augustiniani isti duo, cives, adolescentes, doctrina non spernenda, ne unum qvidem inveniri, qvi (qvicqvid Scholæ crepent) non dico morte, sed vix alia qvam scholastica & literaria censura dignus fuerit. Qvicqvid ad salutem Christiani hominis credi debet, crediderunt & isti, & sangvine suo obsignarunt; qvæ negarunt, salva fide salvaqve honestate negari potuisse, agnoscent, qvicunqve præjudicio vacant. Vana interim & futilis fuit omnis illa Monachorum rabies, crevitqve etiam tunc, ut semper, sub gladiis & ignibus Ecclesia, qvod non alio malim qvam Erasmi testimonio probari, qvi de hoc ipso supplicio non semel mentem suam aperuit. Inepistola sane ad Georgium Ducem Saxoniæ prid. Id. Decembr. 1524. data, cum jam edito adversus Lutherum libello tam implacabilis ei esset, ut cum Pharaonibus, Philistæis & aliis tyrannis illum compararet, qvibus Deus usus est ad populum suum puniendum *Lib. XXI. ep. 7.* hæc scribit: Æqvum non est ut qvivis error igni puniatur, nisi accedat seditio, aut aliud crimen, qvod leges capite puniunt. De potestate Pontificis in multis articulis Theologi Parisienses dissentiunt ab Italis, & alteram partem errare necesse est: Neutra tamen alteram ad ignem vocat. In multis dissentiunt qvi Thomam sequuntur ab his, qvi adhærent Scoto, & utrosqve fert eadem schola. Nunc magnopere vereor, ne vulgaribus istis remediis, hoc est, palinodiis, carceribus & incendiis malum nihil aliud qvam exasperetur. Bruxellæ primum exusti sunt duo: tum demum cœpit civitas favere Luthero. Nec minus memoranda habet in literis ad Carolum Utenhofium anno 1529. datis qvæ *Lib. XXIV. Ep.* 4. extant: Qvum Bruxellæ primitias immolassent, exustis duobus Monachis Augustinensibus, tertio in carcerem reducto & clam interfecto, qvum mira constantia mortem opetiissent, qvæ 1523.

1523. qvæ res gravem judicibus movebat invidiam; sparserunt (Franciscani) ridiculam fabulam, unum ex illis apparuisse cuidam Augustinensi, qvi nuntiaret, animas illorum esse incolumes, qvod in extremis resipuissent, videlicet jam in ipso incendio, idqve factum precibus Virginis matris. Nam & pridie visitationis (id est, Cal. Jul.) exustisunt, & Nicolaus Carmelita magno studio sacrificium hoc procurarat. Rogatus Carnifex, ecqvam pœnitentiæ vocem edidissent in rogo, negavit; sed cum ducerentur ad palum, clara voce testati sunt, se mori Christianos, & alligati palo, admoto igni canere cœperunt symbolum fidei, mox doxologiam, Te Deum laudamus, donec flamma vocem intercluderet. Hanc epistolam, in qva *Ludovici Berqvini*, viri nobilis & docti, qvi Lutheranismi prætextu Parisiis anno 1529. exustus fuit, historiam refert, his verbis finit: Si Berqvinus discessit bona cum conscientia, qvod admodum spero, qvid eo felicius? Damnari, dissecari, suspendi, exuri, decollari, piis cum impiis sunt communia; damnare, dissecare, in crucem agere, exurere, decollare, bonis judicibus cum piratis ac tyrannis sunt communia. Varia sunt hominum judicia; ille felix, qvi judice Deo absolvitur. Item *Lib. XXVI. ep. 18.* Qvidam classicum canunt ad hæreticos armis disjiciendos, huc tantum spectantes, ut Sacerdotibus opes, otium & autoritatem vindicent. Dein postqvam narrasset, qvid ab initio a Theologis & Pontificibus adversus Lutheri libros, nullo successu actum sit, & ut spreto consilio suo evenisset, qvod prædixerit, aucto in majus incendio: Visum esse, *ait*, Carmelitæ (Nicolao illi) ut carceribus ageretur & incendiis, præsertim cum qvorundam (ut ait) improbitas rigorem provocaret. Venit itaqve (sic scribit) διπλωματοφόρος (diplomato gerulus) Hieron. Aleander, cum bulla terrifica, minitans omnibus, & qvacunqve Cæsar iret, fumis & librorum incendiis implens omnia. His rebus cum nihil aliud excitaretur, qvam risus, impetratum est diploma Cæsareum. Id editum est ante tempus, qvemadmodum & bulla Leonis per monachos exierat, priusqvam ille vellet. Datus est Carmelitæ & huic similimo Collegæ (Hochstratano puto) gladius; cœpta est carnificina. Tandem Bruxellæ tres Augustinenses publicitus affecti sunt supplicio. Qværis exitum? Ea civitas antea purissima cœpit habere Lutheri discipulos & qvidem non paucos. Sævitum est in Hollandia. Qvid multis? ubicunqve fumos excitavit Nuncius, ubicunqve sævitiam exercuit Carmeli-

melita, ibi diceres factam fuisse hæreseos sementem. Hic aula Principis (Caroli) animadvertens ita rem geri per furiosum Monachum, ut omnia spectarent ad seditionem, exarmavit illum cum suo Collega, & aliis Theologis, non Monachis, eam provinciam delegavit, aliqvanto mitioribus: qvanqvam & aula sustulit aliqvos, plures metu pepulit. Deniqve ad *Joh. Henkelium* Caroli Imperatoris Sorori, Mariæ Hungariæ Reginæ a concionibus *Lib. XVIII. ep. 25.* Et illud arguebat hoc negotium aliqvo numine geri, qvod qvo magis in adversum nitebantur conjuratæ phalanges, & his favens monachorum potentia, hoc latius serpebat malum. Exustis aliqvot promittebant sibi finem totius tumultus. Hoc erat monachorum consilium. Hic plane nobis usu venit, qvod Herculi in hydra. Damno crevit pestis, & a sævitia duxit opes animumqve nostra. Cum vero postea *Vulturius* qvidam *Neocomus* edito libello pro Erasmi sententia venditasset, *non esse fas in qvenqvam hæreticum pœna capitis animadvertere*, Erasmus suo more, ut invidiam averteret, de eadem qvæstione & de aliis gravandi Lutheri causa mollius philosophatus est. Vide *Lib. XXI. ep. 47.* Possent ad persecutiones hujus anni referri, qvæ in Gallia adversus Lutheranismi primitias supprimendas gesta sunt, in *Meldorum* potissimum civitate. Ibi enim *Gvilielmus Brissonetus*, Episcopus, vir magnæ eruditionis aliqvos de hæresi suspectos, sed doctos viros, interqve eos, *Jacobum Fabrum* a patria in Picardia, *Stapulensem* dictum, *Gvilielmum Farellum*, aliosqve fovebat. Delata re a Monachis ad famosum illum Antonium Pratensem Cancellarium Regni & postea Cardinalem, Episcopus acerbe a Francisco Rege increpatus, absistere cœptis, qvam iras regias sustinere satius habuit. Faber ad Sororem Regis in Aqvitaniam diffugit; Farellus ad Helvetios, alii aliovorsum. Sed qvoniam in Gallia paulo post Helvetica & Joh. Calvini doctrina pro Lutherana invaluit, a Scriptoribus Gallis historia ista rectius petitur. Pertinet etiam huc mors *Provincialis Carmelitarum Halberstadiensium*, cujus meminit Lutherus *Lib. H. ep. p. 161. b.* qvanqvam is noctu a grassatoribus qvibusdam cæsus est, sed instinctu, ut credebatur Sacerdotum. *Addit.*

§. CLX.

E scriptis Lutheri præter illa, qvorum mentio facta est, hoc anno 1523. etiam alia qvædam prodierunt, tractatus, puta, *de abominatione*

L. §. 160. 161.

1523. *canonis Missæ* Germanicus. Qvanqvam enim inter acta 1524. referatur *Tom II. Alt. f. 841.* prius tamen editum fuisse constat, *d. l. f. 492.* & versio ejus Latina *Tomo II. Wittenb.* publicata habetur. *Ad equites ordinis Teutonici* ob impudicitiam male audientes *paræneſin* d. 28. Mart. 1523. Lutherus composuit, qvæ habetur *Tom. II. Altenb. f. 293.* eaqve in Borussia effectu non caruit, ut postea narrabitur. Prætereo, qvæ occasione monstrosorum partuum in adversarios lusit, ut & Melanchthon *Tom. II. Alt. f. 396. & seqq.* qvæ etiam Latine versæ habentur *Tom. II. Witt. f. 425. & seqq.* Dogmatica qvædam & moralia *de definitione & natura fidei, de damnatione hominum, qvi fide* carent, de *matrimonio & de continentia. In Cap. VII. Ep. I. ad Corinth.* item *de usuris*, eodem anno scripta, & primariis qvibusdam ex nobilitate Misnica dedicata extant *Tomo II. Alt. f. 345. 349. 365 383.* Editæ etiam sunt hoc anno ejus *conciones in Epistolas divi Petri*, itemqve *Judæ*. Vide *Tom. II. Alt. f. 405. 464. 486.* plenæ egregiis explicationibus & admonitionibus. Erat Olsnitii in Variscis sive Voigtlandia, qvi specie Evangelicæ prædicationis populum ad vim concitabat; hoc comperto, Lutherus Senarum d. 4. Decembr. ab omni violentia dehortatus est, verbo, non manu veritatem propagari debere contendens, & adversus renitentes precibus se pugnaturum minatus. At datis paulo post ad ministrum qvendam Electoris literis, autor fuit, ut violento homini & aliqvibus ejus seqvacibus manus injicerentur, turbas enim fieri non debere *Tomo II. Alt. f. 366.* Nec defuere, qvi Lutherum hoc anno libris & tractatibus infestarent, inter qvos doctissimus absqve dubio habendus est *Johannes* ille *Fischer*, Roffensis in Anglia Episcopus, qvi non solum assertiones thesium Lutheri refutavit, sed & postea an. 1525. contra eun-
Addit. dem pro Rege suo calamum strinxit, a qvo tamen malam gratiam reportavit, ut notum est.

§. CLXI.

Pertinet ad hunc annum 1523. *Bulla Adriani de canonizatione Bennonis Episcopi Misnensis* d. 31. Maji 1523. data; Ad eandem obtinendam Johannes Schleunizius tunc Misenæ Præsul, Romam ipse profectus erat, Imperatoris Caroli, fratrisqve Ferdinandi, tum Alberti Moguntini & Magdeburgensis Archiepiscopi, Matthæi Cardinalis Salisburgensis; itemqve Principum, qvibus Misena subeRat, Georgii & Henrici Saxonum, systaticis & commendatitiis literis magnifice instru-

ctus.

ctus. Multis vero annis negotium hoc Romæ tractatum fuerat, ad 1523.
qvod etiam Fridericus Elector cum Johanne fratre legatos miserant; ut tradit Fabricius *Annal. Urbis Misn. in an. 1524.* nec confectum forte fuisset, nisi causa Lutherana novum attulisset momentum. Publicavit diploma Episcopus d. 7. Septembr. in qvo ut præcipuum meritum extollitur, qvod Benno solus Gregorio VII. Papæ paruerit, Imperatorem Henricum IV. & qvi ei fidus erat, Marchionem Misniæ excommunicans, cum universi Germaniæ & Galliarum Episcopi (hæc sunt verba diplomatis) Imperatori adhærerent. Dein miracula, qvæ vivus patravit, enarrantur, v. g. qvod claves Ecclesiæ, Imperatori ejusqve Legatis occlusæ, in Albim projecerit, qvæ postea in piscis ventre repertæ & Episcopo restitutæ fuerint: qvod fluvium illum sicco transierit pede: vinum ex aqva fecerit: fontem pulsu pedis ex terra elicuerit: uno tempore in duobus locis Missas celebraverit: Marchioni alapam infligenti mortem post annum prædixerit, secuto eventu: Nec pauca ejus facta post mortem referuntur, inter qvæ est, qvod Gvilielmo Marchioni in somno apparens oculum eruerit. Lutherus occasionem inde arripuit, hanc apotheosin (ita enim vocabatur) cum sequenti anno solenniter peragenda esset, vehementer insectandi. Edidit itaqve postea tractatum Germanicum, qvem inscripsit *contra novum idolum & veterem Dæmonem Misnensem. Tomo II. Alt. f. 780. & seqq.* Protestatur autem primo, se de *Bennonis* sanctitate & salute nihil definire: etenim si salvus sit, nihil ejus beatitudini per Pontificis elogium accedere, sin minus, nullum afferri levamentum: inde hypocrisin Papæ (jam mortui) taxat, qvod inimicus verbi divini & persecutor fidelium fuerit, ejus enim auspiciis *Augustinianos Bruxellæ* concremátos esse. Maxime vero & Magistrum illum (ut loqvitur) Adrianum, & qvicunqve ceremoniam apotheoseos procurent, ob summam culpat imprudentiam. qvod ex ea potissimum ratione Bennonem extulerint, qvia Pontifici adversus Imperatorem adhæserit in lite, qvæ ad religionem non pertinebat, & qva Pontifici solum potestas secularis & opes qværebantur, Imperatori & Germaniæ damnum & ignominia. Cætera Bennonis miracula vel pro figmentis vel pro Diabolicis illusionibus habet, qvædam plane improbat, illud maxime, qvod Marchioni oculum eruerit. Frustra sumtus in ceremonias illas impendi, ait, & veris sanctis, id est, piis Christianis & egentibus rectius

I. §. 161. 1523. erogari debere. Certo autem scire non posse, an sancti salviqve sint, qvi pro talibus in Ecclesia celebrantur, nec Adrianum, qvi precibus a Deo petiisse se in Bulla scribit, ne in Canonizatione hac erret, certum esse potuisse, an exauditus a Deo fuerit; addit argumenta adversus panegyricos, qvos Misnæ recitandos esse non dubitat, & dicta Scripturæ, qvibus abuti concionatores pro laude & cultu Sanctorum solent, a perverso sensu liberat. Respondit huic scripto Emserus magna cum acerbitate, & solennitatem, frustra ringente & disvadente Luthero, ingenti concursu populi nihilominus peractam fuisse jactat, perpetuamqve futuram ominatur; in qvo tamen manifesto fallus est, cum post mortem Georgii Ducis ista omnia in ventum & fumum abierint. Ipsa canonizationis solennitas XVII. Calend. Jun. celebrata, ut scribit Fabricius, aliis religioni, aliis joco & risui erat. Aderant cum Georgio & Henrico, eorumqve filiis, Adolfus Episcopus Mersburg. Comites tres & multi ex Nobilitate. Erecta Bennoni ex marmore ophitrino, (qvod haud procul Misna eruitur) tumba, post annos qvindecim dejecta fuit. Fabric. *d. anno 1524. & 1539.*

Mors Adriani VI. accidit d. 24. Septembr. 1523. vix primo Pontificatus anno peracto. Pallavicinus ei *Lib. II. cap. 9.* elogium dat *optimi Sacerdotis, sed Pontificis revera mediocris.* Ait, *illum apud populum ob temporum iniqvitatem infra mediocritatem, ante evectionem supra meritum a Cardinalibus æstimatum, adepta dignitate, supra noxam invisum, post mortem supra modum culpatum fuisse:* Ab infamia tamen avaritiæ, qva maxime laboraverat, absolvit, cum *ne tria qvidem aureorum millia in arca ipsius reperirentur.* Retulit Joh. Wolffius in memorabilia sua *Tom. II. f. 191. edit. vet. f. 199. edit. nova* epistolam *Batti Parmensis* ad *Hieronymum Sanlium*, in qva Hadriano non avaritiam solum incomparabilem & duritiem odiosissimam impingit, sed & suspiciones refert de obscœnis voluptatibus, & de Magia, qvæ ex metallorum transmutandorum curiositate fortassis conjectabatur: eruditionem & parsimoniam commendat.

§. *mmm.*

Clemens VII. successerat Adriano VI. ante aliqvot menses mortuo. Misit hic Legatum Cardinalem

lem Campegium, *non meliori, qvam Adrianus successu. Nam etsi Principes Luthero clam addicti nondum tamen aperte contra Ecclesiam Romanam prorumpentes, magno eum cum honore excepturi extra urbem processissent, rogabant tamen, ne introitum solitis ceremoniis, signisqve dignitatis suæ adhibitis, facere vellet, metu ne plebs maximam partem Lutherana ei insultaret. Intravit itaqve vestitu iter facientis, & postea in consessu Principum & civitatum auditus est. Ibi posteaqvam magna eloqventia & efficacia, mala, qvæ Imperio imminerent, exposuisset, nisi ignis per Lutheri hæresin in Germania excitatus prompte extingveretur, flagitare cœpit executionem Bullæ Leonis, & Edicti Imperatoris contra Lutherum, nihil commemorans de Concilio, qvod in Comitiis proximis postulatum fuerat, qvodqve Clemens bonis rationibus neqve debere, neqve posse eo tempore convocari existimabat. Qvod vero ad centum Gravamina attinet, promissa dedit, remedium iis allatum iri, dummodo qvidam articuli manifeste ad destructionem Pontificis veterumqve Ecclesiæ jurium tendentes, resecarentur. Facile deprehensum est, partem Lutheranam in hoc conventu prævalere. Nam etsi Legato adstipularentur Archidux Ferdinandus, Frater & Vicarius Imperatoris, & Bavariæ Duces, tum Cardinalis & Archiepiscopus Salisburgensis & Epi-*

1524.

Cochlaus ad hunc annum.

1. §. mmm. 1524. *Episcopus Tridentinus cum novem aut decem aliis, & Legatus Caroli Imperatoris de executione Edicti VVormatiensis, qvod tamen omnino servandum esset, tamdiu retardata, valde qvereretur: obtinuerunt tamen reliqvi Principes & Deputati civitatum Imperialium, qvæ maximam partem jam Lutheranismo infectæ erant, ut pacis causa aliqvid* d. 18. April. *concedendum esse prætexeretur, &* decretum *aliud conderetur, in qvo, ut in priori statuebatur, necesse esse, ut Papa consentiente Imperatore, Concilium in Germania convocaret, in qvo dissidia in plurimis religionis articulis, ob Lutheri doctrinam enata, componerentur; interim proximo Martini Festo novus conventus Spiræ haberetur, ubi examinatis intermedio tempore Principum cura in singulis provinciis per Doctores idoneos operibus Lutheri, & qvid ex illis retinendum aut rejiciendum videatur, communi consensu statueretur, qvod credendum faciendumqve esset, usqve ad decisionem Concilii: deliberaretur etiam, an mitigari qvædam ex centum Gravaminum adversus curiam Romanam & Clerum Germaniæ articulis possent. Tandem jubetur, ut Imperatori obseqvium præstaretur, & Principes edictum VVormatiense observare tenerentur, qvatenus possent; hac enim clausula adjecta fuit, ut liberum esset nihil præstare, qvemadmodum accidit. Nunqvam major contradictio adversus decreta*

creta comitialia facta est. Repugnarunt non solum Legatus & Papa, aperte conqvesti, qvod Laicis potestas fieret de dogmatibus judicandi, publicata jam tanta cum solennitate S. Sedis sententia. 1524.

§. CLXII.

De *Julii Medicei*, qvi in locum Adriani d. 19. Novembr. 1523. suffectus est, & *Clementis VII.* nomen sumsit, natalium defectu, deqve ejus vitiis & virtutibus multa est autorum disceptatio, ut & de artibus, qvibus in solium Pontificatus ascenderit. Nec Pallavicinus omittit, qvibus illum adversus Pauli Veneti judicia tueatur, maxime ut culpam non convocati Concilii ab eo vel amoveat, vel excusando leviorem faciat, Pontifices autem supra leges evehat. Vide *Lib. II. Histor. Concil. Trident. cap. 10. num. 2. & seqq.* Richerius supra memoratus *Lib. IV. part. II.* Lutheranismi augmenta Pontificatui Clementis aperte imputat: dicit enim, ab Adriani instituto dissentientem, ne Pontificiam Majestatem in periculum mitteret, aut mores aulæ reformationi subjiceret, Concilii celebrationem perpetuo impedivisse. Novissime Varillasius, in *historia arcana Medicea*, & in *Francisci I. gestis*, de Clemente prodidit, qvæ satis ostendunt, Scriptores qvi perfidiam, astutiam & avaritiam hominis non tacuerunt, de vitiis ejus minora vero tradidisse, ut adeo autor *vitæ Georgii Frundsbergii*, qvi liberius qvam alii Clementem taxavit hoc testimonio non parum juvetur. In Comitiis initio anni 1523. Norimbergæ habitis, cum conveniri de qvibusdam non potuisset, dies 13. Julii ad iterandum conventum indictus erat, sed legatis a Cæsare ex Hispania non adventantibus, paucisqve Procerum comparentibus, prorogatio alia in mensem Decembrem secuta est, Legatusqve cum Cæsareis mandatis adfuit Johannes Haunartus, Burggravius Limbeccensis, D. Jacobi Eqves, Consiliarius Imperatoris, & Secretariorum primarius. Tractatum ibi fuit de Regimine, Norimberga (ex urbe Lutherano dogmate jam repleta) Eslingam (qvæ parva sed Imperialis seu libera urbs est, intra terminos Wurtenbergici ducatus, tunc

I. §. 162. 1524. de actis aliis in comitiis. Legati artificia. Literæ Pontif. ad Electorem. de gravaminibus

a Ferdinando, Cæsaris fratre possessi) transferendo, sumtuum dimidiam partem Cæsare ex Austriacis & Burgundicis provinciis in se recipiente. Deliberatum etiam de auxiliis Hungariæ Regi ferendis, & contributione ad perpetuum contra Turcos bellum; de qvo capite. Proceres antiqvæ libertatis Germanici populi memores, absqve consilio, subditorum suorum nihil definire, sed (decretis interim modicis suppetiis) ante omnia cum iis consultare voluerunt: Vide *Recess.* §. Weiter nachdem unser Stathalter/ &c. De religione qvid actum fuerit, apud autores, Sleidanum maxime, satis prolixe narratum invenitur, juxta brevius apud Maimburgium. Nihil hic de Pontificis calliditate refert, qva Legato, Laurentio Compegio Cardinali, Episcopo Bononiensi mandaverat, ut centum gravaminum exhibitionem Pontifici defuncto factam dissimularet, nec nisi privatam eorum notitiam fateretur. Non negat id Pallavicinus *d. cap. X. num. 9. & 10.* Maimburgius etiam omisit literas Friderico Electori a Clemente humanissime scriptas d. 7. Decembr. 1523., qvas Rorario, de qvo supra dixi, perferendas tradidit. In his nihil de Luthero memoratur, sed petitur, *ut Elector fidem Legato habeat, eum benigne excipiat, ipse vero ad Comitia veniat & in se gerat, sicut nobilitatem sive familiam ejus deceret, qva tot Romanos Pontifices & Pontificum advocatos Cæsares dedisset.* Extat *Tomo II. Lat. Jen. fol. ult. Witteberg. fol. 444.* At non minus blandas & prolixiores Legatus ipse attulit d. 15. Januar. 1524. datas, qvæ habentur *Tomo II. Wittebergens. fol. 444.* Cum vero is d. 14. Februar. ad Comitia venisset, jam domum profecto Friderico, non solum Pontificias literas ei misit, sed & suas addidit d. ult. Februar. 1524. datas, in qvibus modeste qvidem & blande, apertius tamen Electori mentem Pontificis exposuit, ad excitandum adversus novatores & plebis audaciam ejus animum, vulgato illo toties qve recocto argumento usus, fore, ut qvi ecclesiasticum ordinem contemserint, etiam adversus Principes sint insurrecturi. Cæterum eo tendebat tota Campegii negotiatio & sollicitudo, ut licet de pace & moderatione multa diceret, nihilominus adversus Lutherum ejusqve doctrinam, secundum formulam Wormatiensis edicti procedi vellet; qvanqvam satis appareret, id sine belli periculo fieri non posse.

I. §. 162. 163. 1524.

posse. Dein omnem ingenii vim exercuit, ut desideria de Concilii convocatione & de reformatione defectuum, qvæ in centum gravaminibus proposita fuerant, eluderet. Detonat hic denuo Pallavicinus in gravamina ista, per qvæ putat omnem Ecclesiastici Ordinis libertatem a Deo & Ecclesia constituram, totqve Principum piis legibus confirmatam everti. Indignatur speciatim qvod iisdem pœnis criminum Clerici subjiciantur, qvibus Laici. Sed neqve discrimen aut gradus excludebant gravaminum autores, nec omnem & decentem, sed nimiam libertatem & exemtionem Reipublicæ damnosam, & Christi ministris minime convenientem, improbabant, aut intra legitimos cancellos redigi optabant. Verum ut ex Pallavicino discimus, fixum erat Pontifici, idqve Legatus in privatis colloqviis satis inculcabat, nihil concedere Germanis, potiusqve pati, qvæ eventura essent, qvam suo consensu, aut aliqva moderatione postulatis illorum annuere. Metui enim Romæ dicebat, ne eadem, qvæ Germanis indulgerentur, etiam cæteræ nationes extorqverent; animarum vero periculum, qvod erumpente apertius schismate ostendebatur, tanta jactura dignitatis & opum redimi debere negabat, cum verendum esset, ne impetratis istis alia atqve alia proponerentur, nullusqve postulandi finis esset.

§. CLXIII.

Decretum inde Comitiale d. 18. Aprilis conditum, Saxonis, qvi tamen ante Legati adventum abierat, pertinaciæ imputat Pallavicinus, & qvasi a solis Lutheranis profectum exagitat, mutilum etiam a Sleidano relatum esse qveritur *d. l.* §. 14. Sed longe imperfectius a Maimburgio decreti tenor refertur, neqve ostendi potest, qvid Sleidanus in detrimentum Romano Catholicorum, ex decreto isto omiserit. Qvæ enim Pallavicinus deducit, interpretamenta sunt, ab ipsius præoccupatione dependentia. Conscripta vero decreti formula est, Cæsaris, ejusqve vicarii Ferdinandi Fratris, & Haunarti Oratoris, Electorum, Principum, Prælatorum, Comitum & Statuum Imperii nomine. Summa est, Status ad Cæsaris postulata de servando edicto Wormatiensi, qvod utpote cum consensu Statuum conditum, omnino exeqvendum esse urgebat Orator, respondisse, se ut

I. §. 163. 1524. fidelia Imperii membra decet, id præstituros esse, qvantum possint, speciatim, qvæ de non edendis famosis libellis & picturis, & contra Typographorum licentiam constituta essent; qvod si molestiæ aut impedimenta suborirentur, ad Regimen Imperiale recursuros, cui mandatum esset remedia adhibere. Ex his nimis laxe colligit Pallavicinus, universalem Germanorum Principum voluntatem in execranda & extirpanda Lutheri hæresi perstitisse, aliud indicat addita clausula, *qvantum fieri possit*, qva veritati Evangelicæ consulebant, ut eventus docuit. Postea unanimiter Concilii citissime convocandi necessitas asseritur, modus vero in Comitiis proximis, ad qvæ habenda diem Martini, locum Spiræ indicunt, definiendus promittitur. Inter libros qvorum contenta excerpi deberent, Lutheri scripta non nominantur, sed generatim novorum doctorum & librorum compendium a delectis ad id ex Procerum, eorum maxime, qvi Academias habent, consiliariis, viris doctis & probis, componi debere statuitur, ut bona a malis separari possent. Repetitur deinde, qvod Pallavicinus & Maimburgius in recensendo decreto reticere non debuissent, totidem verbis, qvod in Edicto priorum Comitiorum d. 6. Mart. 1523. statutum fuerat, nempe ut interea Evangelium verbumqve Dei juxta sensum & interpretationem scriptorum ab Ecclesia approbatorum sine tumultu & scandalo prædicetur. Deniqve de gravaminibus, qvæ vel contra sedem Romanam, vel adversus Ecclesiasticos in Germania (duo enim hæc distinctim memorant) a Statibus secularibus in nuperis Comitiis exhibita fuerint, decernitur, ut delectis illis, ad excerpendos libros denuo traderentur, ad inveniendam viam, ut loqvuntur, tolerabilem (eine leidliche Bahn) de qva postea in futuris Comitiis relatio Cæsari & Statibus fieri, & certi aliqvid statui posset. Concluſa isthæc, anteqvam publicarentur, cum Campegio communicata vehementer ei displicuisse, paucis innuit Maimburgius, sed ex Pallavicino fusius discitur *dicto Libro II. cap. 15. num. 19.* De Concilio qvidem spem aliqvam fecit Legatus, suam præsertim operam ad id procurandum apud Pontificem offerens, sed examen qvod Spiræ instituturi erant, summe improbabat: de gravaminibus etiam adversus Ecclesiasticos superfluam dictitabat deliberationem fore, cum sibi satis esset autoritatis ad defectus illos corrigendos; at qvæ Pontificem

cem attinent, de iis per Oratores Romam missos cum illo commode tractari posse. Sed non attentis Legati contradictionibus decretum locum habuit, & edicta ad omnes Imperii Status edita fuerunt, adscripto eodem qvi in decreto legitur die 18. April. & servatis plerisqve ejus verbis, nisi qvod pro affectu scribentium, Lutheri nomen expressum fuit, qvod in decreto dissimulatum erat; omittitur etiam jussio de prædicando Evangelio secundum sacras Literas. Narrat inde pluribus Pallavicinus, ut Pontifex decretum illud ægerrime tulerit, utqve, habita deliberatione, Reges Angliæ & Lusitaniæ, qvibus maxime fidebat, incitaverit, ut Germanos ab instituto dehortarentur, & refragantes a commerciis excluderent, qvod postremum tamen non obtinuit. Campegio postmodum mandavit, ut Catholicos, Ecclesiasticos maxime, Germanorum Principes, a cæteris separaret, & difficultatem convocandi Concilii ostenderet, qvia pacem prius Christianarum gentium firmari oporteret; deniqve negotium illud Romam rejiceret. Gravamina jam concilio Lateranensi sublata esse statuebat Papa, aut si qvæ supersint, in congregatione Romæ ad id stabilita, tractari debere. Cum Saxoniæ Electore, qvia verborum blanditia nihil efficeretur, visum est severe procedendum, ut pro hæretico habitus septemviratu dejiceretur. Hæc ex Aleandri consilio, qvi prolixum commentarium de illis rebus ad Pontificem miserat, ut Pallavicinus refert, sed Fridericus minas machinasqve has morte sua, seqventi anno secuta, prævenit, ut dicemus. Cæterorum consiliorum successum, & qvid apud Cæsarem Pontifex effecerit, postea videbimus. 1524. *Addit.*

§. CLXIV.

Interfuit his Comitiis *Albertus Brandenburgicus*, Ordinis Teutonici in Borussia magnus, qvem vocabant, Magister, qvi inter Ecclesiasticos Principes Germaniæ post Archiepiscopos locum habere solebat: sed is jam Lutheri doctrinæ aures præbere cœperat, inqve ea conciones Andreæ Osiandri Norimbergæ audiens confirmatior fiebat. Extat Lutheri ad Albertum epistola, in Comitiis per Spalatinum oblata, in qva ad qvæstiones aliqvas de Pontificia potestate interrogatus respondet: Negat nempe Ecclesiam super Petrum aut Papas esse ædificatam; verum Episcoporum munus ex Apostolicis dictis explicat;

l. 164. §. *nnn.* 1524. ad Albertum Boruſſ. magiſtrum: ad Spalatin. item de Epiſcoporum Boruſſ. edictis. §. *nnn. de Lutheri*

leges Pontificias, qvatenus ad ſalutem neceſſariæ venditantur, vel divinum jus mutant, ſpeciatim prohibitione & diſpenſatione de matrimoniis, oppugnat, concludendo, nihil a Papa omnibusqve miniſtris verbi tractari debere, niſi myſteria Dei, verbum vitæ, doctrinam fidei, nec qvicqvam geri ſecundum arbitrium cujuscunqve citra verbum Dei, *ſubjectus enim eſt* (ait) *Deo & verbo ejus, licet uſu jamdudum ſeſe extulerit ſuper omnem Deum, qvi dicitur & colitur 2. Theſſ. II. 4. &c.* Vide *Lib. II. Ep. p. 176. & ſqq.* Eodem tempore ad Spalatinum, qvi cum Electore in Comitiis erat, Calend. Febr. ſcribens, optare ſe teſtatur, ut in Comitiis alia curarentur, qvam Evangelii cauſa; nuntiat progreſſum doctrinæ Uratislaviæ, Tiguri, ſed maxime in Livonia & in Boruſſia, ubi (ut hæc obiter inſeram) *Georgius Polentius* (a Polentz) ex familia in Miſnia & Luſatia nobili ortus, Epiſcopus Sambienſis, Brismanni, a Luthero miſſi, inſtructione, primus omnium Epiſcoporum emiſſo ad Parochos diplomate d. 28. Januar. 1524. Lutheri libros legendos commendavit, & baptiſmum lingva patria adminiſtrari juſſit. Edidit ejus edictum Lutherus, ſimulqve aliud, cui cenſuras addidit, contrario plane ſenſu, a Mauritio Warmienſi Epiſcopo publicatum *Tomo II. Lat. Wittenb. f. 452. & ſeqq.* Epiſtolam vero illam ad Spalatinum, qvam dixi, ita finit: *Videant aliqvando ſtulti Principes & Epiſcopi, non Lutherum, nihili hominem, ſed omnipotentem Chriſtum hæc agere.* Paulo poſt Hausmanno d. 2. poſt Jud. ſcribens, nihil contra ſe Norimbergæ decretum eſſe nuntiat, & periiſſe ibi miſera apoplexia a Deo perculſum Cancellarium Trevirenſem, qvi biduo ante mortem in convivio gloriatus fuerat, ante feſtum Martini abolendum fore ferro Lutheranum negotium *d. l. p. 184.*

§. *nnn.*

Sed & Lutherus ipſe decretum id valde reprehendit, qvanqvam in effectu pro eo faceret. Imprimi igitur illud & ubiqve divulgari curavit, addito virulento ſcripto in ſpeciem adverſus Principes,

pes, qvi id publicaverant; gnarus tamen injurias atrocissimas, qvibus utebatur, non nisi in Catholicos recasuras, nec has de se ullo modo intellecturos esse, suarum partium Proceres. In libello illo contradixisse sibi ipsis, ait, decreti autores, ejusqve partem unam per alteram destrui. Nec negari potest, cum ratione illum hæc dixisse. Si enim edictum VVormatiense, qvo Lutherus hæreseos damnatus est, executioni mandari deberet, ut Norimbergæ decretum fuit; cur libri ejus Spiræ examinandi forent, & disqvirendum, bonine essent an mali? Qvod si hoc examen doctrinæ ejus fieri deberet, cur condemnandus & puniendus esset, anteqvam examen fieret.

§. CLXV.

Negare eqvidem nolo, magna vehementia usum esse Lutherum, cum exemplum Mandati, qvod finitis Comitiis, uti supra innui, ex Regimine Norimbergensi ad Status Imperii d. 18. April. emissum fuit, a Comitibus Mansfeldensibus nactus esset: Non enim hoc solum, sed & sævum illud Edictum Wormatiense anni 1520. d. 8. Maji publicatum edidit, & ut invicem pugnent, ostendit. At Wormatiensi etiam glossas marginales, sicut & utriqve prologum & epilogum addidit, in qvibus *bestias* & *furiosos* & *stolidos* vocat, qvi Wormatiense edictum executuri, qvasi gigantes cœlo bellum inferre velint; Cæsarem etiam, qvod se *fidei Catholicæ defensorem* jactet, & Angliæ Regem atqve Hungaros eundem titulum sibi arrogantes irridet, imo adversus Turcos nec arma arripi, nec pecunias ad bellum conferri consultum putat, cum sub his Principibus nullus sperari possit successus. Denuntiat etiam certo certius impendentem horribilem aliqvam tempestatem & procellam Germaniæ, nullo pacto, si per-

I. §. 165. 000. 1524.

si pergant Deum irritare, declinabilem; (qvæ prædictio mox secuto bello rustico verissima fuisse apparuit.) Se vero mortem, scribit, non pavescere, & confirmatiori qvam olim esse animo; neminem enim sibi nociturum esse confidit, nisi Deo permittente; tandem si hostium manibus pereat, perinde æstimare, ac si a lupis vel apris dilanietur, semel saltem occidi posse, & credere, mortem suam adversariis exitio fore. Extant hæc Germanice scripta *Tomo II. Altenb. f. 762. seqq.* Latine autem versa *Tomo II. Witteb. f. 444. seqq.*

§. 000.

Ita illi ipsi, qvi decretum Norimbergæ fecerant, ejusdem causa in partes distracti sunt. Catholici justo metu, ne eo Lutherani ad hæresin suam stabiliendam abuterentur, cum Legato sub finem Junii mensis Ratisbonæ convenerunt, initoqve arcto fœdere d. 6. Julii publicari mandatum fecerunt, ut Edictum Imperat. adversus Lutherum ejusqve sectatores exacte observaretur; ut nihil in administratione Sacramentorum, neqve in ritibus, præceptis & consvetudinibus Ecclesiæ Catholicæ innovaretur; ut Sacerdotes, qvi uxores duxerant, & Monachi Apostatæ, secundum rigorem Canonum punirentur; ut Evangelium secundum interpretationem Patrum & approbatorum in Ecclesia Doctorum prædicaretur; ut qvi ex subditis suis VVittebergæ studiis operam darent, intra tres menses domum redire compellerentur, sub pœna amittendorum bonorum, & qvod nunqvam ad beneficia Ecclesiastica sint admitten-

tendi; ut nemo Lutheranus a Principe aliqvo proscriptus, in alterius ditione reciperetur; deniqve si cui fœderis hujus causa vis fieret, ut cæteri omnes summa ope auxilia ferrent. Eodem tempore, ut aliqvo modo qverelis circa abusus Ecclesiasticos, & inde exorta incommoda satisfieret, Legatus, consentientibus Principibus constitutionem, triginta qvinqve articulos continentem, emisit ad mores Cleri corrigendos, & abolendas aut minuendas exactiones qvasdam, qvibus fideles in rebus ad religionem pertinentibus onerabantur. Sed qvia nihil statuebatur de veris aut prætensis curiæ Romanæ abusibus, de qvibus in centum Gravaminibus a Principibus ad Papam missis vel maxime agebatur, Lutherani ansam arripuerunt, ut animos hominum suarum partium tanto acrius adversus Romam irritarent. Cæteri qvoqve Principes, qvi a Legato in Comitiis Norimbergensibus dissenserant, ægerrime ferebant, qvod tam exiguus collegarum numerus separatione facta ausus esset, Ratisbonæ leges componere, qvæ non nisi in universali totius Imperii conventu communiqve consensu statui debuissent. Civitates igitur Imperii, qvæ fere omnes Luthero adhærebant, occasionem inde commodam, ut sibi videbantur, nactæ, ut non minus qvam Principes Catholici conventum haberent, deputatos Spiram miserunt, ibiqve decreverunt, ut qvælibet

1. §. 000. 166. 1524.

bet per doctores suos maxime idoneos, articulos Confessionis conscribi faceret, & ex iis omnibus bene examinatis Spiræ in Comitiis proximis una conficeretur confessio, ab Ecclesiis universis recipienda, donec Concilium liberum, qvod in Germania habendum desiderabatur, aliter ordinaret. Sed destinata hæc omnia conciderunt, allatis literis Caroli Qvinti d. 15. Jul. ad Ordines Imperii, ex Burgis Hispaniæ urbe, magna cum severitate datis. Valde enim iratus ob acta Norimbergæ, jubebat, ut edictum VVormatiense observaretur, & conventu Spirensi, qvem Norimbergæ decreverant, abstineretur. Postremo huic mandati capiti obtemperatum fuit, sed quoad primum, ii, qvi ex Principibus & deputatis Luthero favebant occasione sumta a clausula Recessus Norimbergensis, Ferdinando Archiduci, qvi literas Imperatorias miserat, responderunt; invenire se in civitatibus provinciisqve suis impedimenta executioni edicti VVormatiensis insuperabiliter obstantia.

Vide Pallavic. l. 2. c. 10. sub fin.

§. CLXVI.

Anteqvam Campegius Norimberga discederet, inter Episcopum & Legatos civitatis Argentoratensis *de Sacerdotum conjugatorum* causa cognitionem instituit, excusante Sacerdotes Senatu, qvod concubinatui ab Episcopis permisso matrimonia prætulissent. At Legatus, etsi improbaret Episcoporum Germanorum morem, qvod accepta pecunia sacerdotibus scortationem permitterent, multo tamen gravius peccari dicebat, si Sacerdotes fierent mariti, qvam si plurimas domi meretrices alerent. Hæc & alia apud Sleidanum *Libro IV.* leguntur coram Legato acta, eo tamen effectu, ut reformatio in urbe illa

I. §. 166. 167. 1524.

illa nihilominus procederet, & Sacerdotes impune mariti essent, etsi Regimen etiam Imperiale conatibus illis obsisterer. Recordor hac occasione, cum lego, qvæ Campegius Germanis Episcopis objecit, eorum, qvæ in historia Hispanica observavi, ab *Episcopo Gerundensi* ante Lutheri tempora scripta, unde apparet, in illis etiam regionibus, invitis Episcopis, populi studio non permissum modo, sed & injunctum Parochis concubinatum, eoqve remedio pudicitiæ mulierum prospectum fuisse. Verba autoris *in Paralipom. Lib. II. in fin.* hæc sunt, nimium qvidem aut ridiculum zelum præ se ferentia: *Refert Strabo Lib. III. de orbis situ, qvod Gallaci Hispaniæ populi olim nullum habuerint Deum, qvod Biscajæ usqve ad hac tempora perdunt, qvæ regio intra Gallæciæ fines sita est, & licet ejusdem incolæ Christianæ religionis cultores appellentur, ab illis tamen nullum venerari coliqve Deum certum est, solumqve Christianam religionem labiis profitentur. Apud illos Presbyter nullus recipitur non habens concubinam. Arbitrantur enim neminem posse a carnalibus continere. Qvod cum non possent, dicunt necesse esse, Presbyteros ad Parochianorum uxores converti.*

§. CLXVII.

Porro qvod ad Conventum Ratisbonensem a Campegio habitum attinet, qvam pie & qvo Ecclesiæ emolumento Pontificium istud consilium captum fuerit, expendendum candidis, etiam ex adversa parte viris, defero. Præstitisset sane, bona fide agi, & de corrigendis erroribus & abusibus serio cogitari, qvam omnem salutaris & solidi remedii spem extingvi. Hic enim conventus apertum schismatis initium, & qvasi clasicum fuit. Agnoscebant qvippe adhuc omnes Germaniæ Ordines (diverso licet aliqvantum gradu, nec sine dubitatione) Pontificem pro capite Ecclesiastico, nec spem de reformatione penitus abjecerant; sed hac per violenta consilia, & ludicram potius qvam seriam defectuum emendationem, penitus præcipitata, non potuit non immane illud schisma erumpere. Pauci autem erant, qvi cum Legato secesserunt. Ex Ecclesiasticis *Archiepiscopus Salisburgensis* & *duo Episcopi*, novemqve aliorum Legati: Ex Politicis *Ferdinandus Austriacus* & *Bavariæ Duces duo*. Qvanta igitur pars erat qvæ negligebatur? omnes nempe ad Rhenum, omnes Saxoniæ superioris

I. §. 167. 1524.

& inferioris, omnes Weſtphaliæ, multi Franconiæ Ordines, Civitates univerſæ. At qvam exigua, frigida & infida pleraqve ſunt, qvæ Legatus pro reformatione venditabat. Ita certe Pauli Veneti de conventu hoc judicium ſolidiſſimum eſſe apparet, & fruſtra a Pallavicino *Lib. II. cap XI.* impugnatum. Inter rationes, qvibus Principes adverſus Lutheri dogmata incitabat Legatus maxima & præcipua habebatur, qvam ſæpius jam inculcaverant, fore nimirum, ut qvi Eccleſiaſticam poteſtatem ſpreviſſent, etiam civili refragarentur, idqve Pallavicinus eventu comprobatum eſſe ſecuto bello ruſtico exiſtimat, *d. Lib. II. cap. X. §. 28.* At eundem plebis motum etiam Lutherus prædicebat, qvem aliter evitaturi non eſſent Principes, niſi populo juſta petenti aliqvid indulgerent. Cui igitur parti culpa tribui majori jure poteſt? Huic ne, qvæ poſtulata ſua ad religionem ſpectantia tam validis ſtabilire poterat argumentis, ex jure divino puriorisqve Eccleſiæ exemplo depromptis, an illi, qvæ aliqvot ſeculorum errores pro legibus obtrudebat, & ſua manifeſto ſectabatur commoda, cum cæteri de damnis & oppreſſionibus qvererentur? Sed callidiſſimi & oculatiſſimi homines cæcutiunt, cum adverſus lucis divinæ radios oculos obfirmant. De Cæſaris literis ad Status non ſine ratione poſſet dici, nec bono more nec ſalubri effectu ſcriptas fuiſſe; dum Pontifici ob cauſas mere politicas gratificaturus, everſum ibat, qvæ licet ſe abſente, præſidente tamen Fratre, & qvem miſerat, Legato, & conſenſu Ordinum rite decreta erant. Vidit hoc ipſe, ideoqve ut ex Pallavicino *d. c. X. §. 30.* diſcimus, trepide verſatus eſt, addito arcano ad Fratrem mandato, ut literas Principibus redderet, ſi obtemperaturos eos præneſceret; retineret, ſi eos contemturos putaret: qva cautione infirmitas juris & poteſtatis ſatis denudatur. Ferdinandus vero deteriorem ſecutus eſt partem, cum publicatis literis autoritatem Imperatoris in diſcrimen miſit, nec qvicqvam impetravit, niſi ut Spirenſis conventus, qvi in Novembr. menſem Ordinum decreto indictus erat, intermitteretur: qvod facile tolerari poterat. Interim enim qvam enixe flagitabat Pontifex, qvamqve Cæſar toties fruſtra popoſcerat, Wormatienſis edicti executio, nihilominus in maxima Germaniæ parte ceſſavit, eiqve inſuperabiles difficultates a Principibus oppoſitæ ſunt.

1524.

§. ppp.

Itaqve Lutherus securum se VVittenbergæ ab Imperatoris fulmine esse videbat, qvod longe magis qvam Pontificium metuebat. Maxime vero eum exhilaravit, qvod apparebat non tantum post duos illos conventus Norimbergenses, partium vires sectamqve suam magna augmenta accepisse, & hanc, ex Saxonia superiori per provincias Septentrionales propagatam fuisse, verum etiam in Ducatibus Luneburgico, Brunsvicensi, Megapolitano, Pomerano, item in Archiepiscopatu Magdeburgensi & Bremensi, in Civitatibus Hamburgensi, VVismariensi, Rostochiensi, totaqve ora maris Balthici, prorsus stabilitam esse. Chytræus Lib. 10. *Transiit qvoqve in Livoniam & Prussiam, ubi Albertus Brandenburgicus magnus Teutonici Ordinis Magister, ordinem & religionem, cui voto ad bellum contra infideles gerendum adstrictus erat, deserens, Lutheranus factus est, posteaqve Sigismundo I. Poloniæ Regi, præstito ei ratione Prussiæ Orientalis homagio, se subjecit, qvæ Ducatus titulo in Principatum secularem erecta fuit: qvo facto, Dorotheam, Daniæ Regis filiam uxorem duxit.* Addit.

§. CLXVIII.

De incrementis Lutheranismi ad hunc annum pertinentia pleraqve jam dixi, cum temporis ratio id exigeret; sed eam parvi habet

I. §. 168. 1524. §. 168. Enarrantur (anticipato licet tempore) incrementa illa in provinciis Luneburg. Brunſvic.

ber Maimburgius, & ex ſeqventium annorum hiſtoria anticipat, qvæ de Ducatibus Germaniæ Lutheri religionem amplexis infarſit: cum tamen ne in ipſa qvidem Saxonia ante annum 1525. nempe poſt Friderici Electoris mortem, & ſuccedente Johanne fratre publice recepta ea dici poſſit, nedum in aliis, niſi uni Ducatui Bipontino hanc gloriam aſſeramus; qvod is primus inter omnes autoritate Principis ſui Ludovici Palatini jam anno 1523. Evangelicam religionem ſuſceperit, id qvod ſupra §. *82.* breviter annotavi, & in Additionibus confirmavi. Sequemur autem Maimburgii ductum, & de primordiis Reformationis in Ducatibus, qvos hic enumerat, agemus. *Luneburgenſem,* cujus aula Cellæ eſt, primum nominat Maimburgius. Ejus tunc Dominus erat *Henricus* Dux, Ottonis filius, ſed in Gallia apud Franciſcum Regem ſponte exulabat, cujus amicitiam patriæ & Caroli Cæſaris favori prætulerat. Hic genitis ex *Margaretha* Saxonica, Friderici Electoris ſorore (qvæ tamen religionis mutationi reſiſtebat, ut ex epiſtolis Lutheri *Lib. II. pag. 236. b.* apparet) filiis, *Ottoni*, *Erneſto*, & *Franciſco* ditionum regimen tradiderat. Ex his *Erneſtus* Cellæ reſidens conſenſu fratrum anno 1525. ad exemplum Johannis Electoris, qvi Friderico fratri ſucceſſerat, patrui ſui, reformandæ religioni incubuit, opera inter alios uſus *Martini Oudermarckii*, Paſtoris Cellenſis, qvem lineamentis faciei Luthero ſimillimum fuiſſe teſtatur, qvi utrumqve vidit, Chytræus. Neqve tamen celeriter aut vi egit, ipſaqve urbs Ducatus primaria Luneburgum paulo ſerius circa annum 1530. emendationem admiſit. Revocatus anno 1527. a Prælatis qvibusdam ex Gallia Pater Henricus, ut Filiorum inſtituto reſiſteret, ſed transactione cum his facta, in monaſterio Wenhuſen, qvod reliqvum habuit vitæ, peregit. In *Brunſvicenſi*, qvi ita ſpeciatim ab urbe primaria vocari ſolet, Ducatu, cujus aula *Gvelferbyti* eſt, alius *Henricus*, *Junior* dictus, imperabat, de qvo plura dicenda in ſeqventibus venient. Hic favere Lutheraniſmo hoc anno 1524, cœpit, ut Lutherus ipſe ad Spalatinum die 11. Maji ſcribit, *Lib. II. pag. 205.* ſed ab agnatis Luneburgenſibus, eorumqve patruo & conſobrino Electoribus Saxonibus multis de cauſis diſſidens, mutato animo, Pontificias partes, qvan-

qvam

qvam infelici eventu, ad extremam usqve senectutem, qvam ad annos octoginta produxit, pervicaciter tenuit; Ita ut demum anno 1568. a filio ejus Julio reformatio ad Augustanæ confessionis normam publice institueretur. Qvapropter præmature hunc Ducatum inter Lutheranos Maimburgius retulit. *Brunsviga* vero, qvæ tunc urbs a Ducum imperiis libera erat, semina, ut dixi, reformationis anno hoc 1524. jacta sunt, Diaconis qvibusdam plebis favore, invitis Prælatis & Pastoribus urbicis, Evangelium prædicantibus. Sed non nisi anno 1528. ad eam pervenerunt maturitatem, ut Senatus evocato Wittenberga, *Johanne Bugenhagio* ministerium ad institutum Lutheri in decem templis ordinaret, in qvæ *Martino Gerlitio*, suprema inspectio concredita fuit, qvem Halberstadio a Clero ejectum Lutherus susceperat, & Brunsvicensi magistratui commendaverat. Eam porro Ducatus partem, qvæ a vetusta arce *Grubenhagia* prope Eimbeccam nomen habet, *Philippus* Dux tenebat, qvi anno demum 1534. opera *Nicolai Amsdorffii* puriorem religionem stabilivit. *Calembergensem*, qvi vocatur, Ducatum, *Ericus* Luneburgicus regebat, Pontificii cultus, dum viveret, assertor, ita ut non nisi anno 1540. post ejus obitum, sub impubere filio, ejusdem nominis, ejusqve matre & tutrice Elisabetha Brandenburgica, plena ditionis reformatio, urgentibus Provinciæ Ordinibus facta sit, qvanqvam in urbibus majoribus *Hannovera* & *Gottinga*, qvæ Hanseatico fœdere comprehensæ libertatis qvandam speciem retinuerant, aliqvanto prius, (nempe anno 1534.) introducta.

In Ducatu *Megapolitano*, sive Mecklenburgensi ab arce & urbe olim spatiosa, sed diruta, nomen habente, prima Evangelicæ doctrinæ promulgatio *Rostochii*, qvæ Academia insignis urbs est, *Joh. Slutterum* Domitiensem autorem habuit anno 1523. cui adversus Clerum *Henricus* Dux patrocinabatur. *Albertus*, Henrici frater, cum Annam Joachimi Electoris Brandenburgici filiam sibi conjugem junxisset, Berolino secum adduxerat *Henricum Mollensem*, hic *Wismariæ* concionari anno 1524. cœpit. In *Pomerania* purior religio, initio ab urbibus majoribus jam anno 1523. facto, ut supra notavi, in cæteras qvoqve, sed conniventia solum Principum pro-

I. §. 168. 169. 1524.

progressum habuit. *Bogislaus* enim Dux anno 1523. non mutato veteri ritu obierat, nec filii *Georgius & Barnimus* novationes admittere audebant, imo in concionatores qvosdam qvi vehementiores erant, animadverterunt. *Barnimus* tamen Wittenbergam studiorum causa missus, ut supra diximus, Lutherum audiverat, & Lipsiensi disputationi interfuerat, sed non nisi post Georgii Fratris mortem consentiente Philippo ejus filio, (cum qvo triennio ante regiones diviserat) reformationem publicam, cum consensu Ordinum, tutiori jam tempore, anno 1534. instituit, accito ea de causa Wittemberga cive suo *Johanne Bugenhagio*. Ex his apparet, sine fundamento a Maimburgio scribi, stabilimentum sectæ Lutheranæ in hie Ducatibus hoc tempore, id est, anno 1524. absolutam esse.

Neqve magis vera sunt, qvæ de Archiepiscopatu *Magdeburgensi & Bremensi* adjicit. In illo enim, excepta urbe *Magdeburgensi*, qvæ ea tempestate libertate fere plenaria gaudebat, *Albertus* Archiepiscopus progressum doctrinæ vehementer impedivit, ut hoc ipso anno Lutherus vix sibi a novo contra eum libro edendo temperare potuerit, ut constat ex *Lib. II. Epistolar. pag. 221.* nec nisi anno 1539. accepto a Nobilitate & Civitatibus Archiepiscopatus ingenti ære, religionis libertatem permisit, eodemqve beneficio Halberstadiensem Diœcesin affecit, ita ut *Justus Jonas* Halis, sive in salinis Saxonicis (ubi Archiepiscopi sedes erat) *Autor Lampadius*, & alii, Halberstadii publice docere inciperent. *Brema*, in urbe qvidem, (civium potentia prævalente) non cœpta solum, ut supra innui, Evangelii prædicatio anno 1522. sed & anno 1525. Missæ celebratio ex omnibus templis, excepto cathedrali, sublata fuit, sed reluctante Archiepiscopo & Canonicis.

§. CLXIX.

Horum etiam, sive officialis potius impulsu *Henricus*, qvem supra nominavi *Zuphanensis*, Augustinianus, (qvem Antverpiæ ob religionem in vincula conjectum a mulieribus liberatum fuisse Luth. testatur) cum

cum vocatus a Parocho & civibus Meldorfensibus in *Dithmarsia*, 1524.
quemadmodum Bremæ cœperat, Evangelium prædicaret crudeli supplicio, instantibus monachis & plebe judice, affectus est, cujus martyrii historiam Lutherus celebravit, epistola ad Bremenses, & dedicata iis explicatione Psalmi noni. Vide *Tom. VII. Witt. Lat. f. 492. seqq.* item *Lib. II. Epistolar. p. 252. & seqq.* Verba Epistolæ, quæ historiam hujus anni illustrat, inter alia hæc sunt: Nunc denuo ad nos rediit postliminio vera Christianæ vitæ facies, qvæ afflictionibus & persecutionum procellis coram mundo deformata, horrenda est aspectu, pretiosa tamen, & multi momenti in oculis Dei, juxta Psalmistæ testimonium: *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Et iterum Psalm: 71. *Sanguis eorum pretiosus in oculis ejus.* Inter quos haud dubie vester ille *Henricus Sudphanus* potissimum eminenter elucet, qui terribilem adeo mortem propter Evangelium Dei a Dithmarsianis parricidis crudeliter peremtus obiit, sanguineqve suo prodigaliter effuso doctrinæ Christianæ testimonium certissimum exhibuit. Qvanqvam *Johannes & Henricus* Bruxellæ interfecti priores obtinentes, & ipsi duo pulchra lumina facti sint, sic speciosa morte occisi, qva Deo oblati sunt in holocaustum & odorem bonæ fragrantiæ. In qvorum album & catalogum merito referendus est etiam *Caspar Tauberus*, Viennæ Pannoniæ igni absumtus, item *Georgius* Bibliopola, qvem vita spoliavit Ungaria. Sed & illum non injuria his adjungendum censeo, qvem non ita pridem Pragæ in Bohemia supremo supplicio adfectum esse audio, non aliam ob culpam, qvam qvod libidinosæ castitatis deserto ordine, ad Christiani connubii & vere celebis vitæ ordinem sese contulerat. Addit alia ex quibus colligit, martyrum sanguine religionem confirmatum, Papatum & pullulantem novarum sectarum immunditiem prostratum iri. Neqve enim dubium est, ait, qvin in hoc Deus omnipotens pro sua in nos paterna misericordia hos mori & sanguinem effundere permittat hoc tempore, in qvo tam varii suppullulant errores, ut nos per hoc monere videatur, horumqve morte testatum habere, hanc suam esse doctrinam, per qvam veri spiritus donum Christo credenribus cœlitus demittitur: & qvam ipsi docuerint, servaverint, & cui tandem morte mulctati, martyrio suo verum præstiterunt testimonium. Non secus atqve olim sancti martyres ob Evan-

„ gelii gloriam mortui sunt, illud qve sanguinis sui signo consignatum
„ ut verax & infallibile persvaserunt omnibus. Cæterum in Bremen-
si Archiepiscopatu extra urbem non nisi post multos annos reforma-
tio locum habuit, conciliatis prius interventu Electoris Saxoniæ, &
Ernesti Ducis Lüneburgensis anno 1553. Christophero Lüneburgi-
co, Archiepiscopo, cum Senatu urbis, dein Archiepiscopis ipsis Au-
gustanam confessionem amplectentibus. Hassiæ & Princi-
pis ejus *Philippi* oblitus est Maimburgius, qvanqvam Varillasius
eum inter primos Lutheri protectores jam Comitiorum Wormatien-
sium tempore anno 1521. referat. Sed hoc tempore anno nempe
1524. tenuia saltem reformationis præludia in Hassia facta sunt, de
Addit. qvibus in additionibus aliquid narrabo.

§. CLXX.

In *Borussia* etiam præludia saltem repurgandæ religionis hoc tempore apparuerunt, & ad sequens pertinent, quæ hic Maimburgius recenset. Diximus supra de primis, qui ex Saxonia in Borussiam pervenerunt, Lutheranismi doctoribus. Operæ vero pretium est nobilissimæ provinciæ a Germania tum avulsæ, sed in qua adhuc hodie sub *Serenissimo & Potentissimo Electore Brandenburgico* per Dei gratiam trecentæ octuoginta sex populosæ parochiæ Evangelicam doctrinam ad Lutheri ductum profitentur, paulo pluribus agere, cum pauca nec sincera proponat Maimburgius. *Borussiam*, sive malis *Prussiam* scribere, spaciosam & fertilem regionem, mari Balthico inter Vistulæ & Memelæ ostia ad 50. milliaria Germanica prætensam cum finitimis quibusdam regionibus, juris Germanici fecerunt seculo XIII. Equites, ex illustribus & nobilissimis variarum Provinciarum Germanicarum familiis occasione bellorum in Palæstina gestorum, in societatem sive *Ordinem*, quem vocant, collecti, & *Magistro*, qvem sibi ipsi præficere solebant, subditi. Nomen ab *Hospitali S. Mariæ*, qvod in Palæstina ad curandos ægros commilitones exstruxerant, sed consvetius a natione sumserant, *Teutonici* vocati. Signum societatis sive ordinis gestabant crucem nigram collo appensam, aut chlamydi albæ assutam, qvi mos iis mansit, qvi in Germania ex ordine hoc reliqui sunt, quorumque Magister

Borus-

Borussiæ titulum retinet, speciatim tamen *Teutonicus Magister* dici solet, in oppido S. Mariæ (Mergentheim vel Mergenthal/ Marienthal.) ad Tubarim Franconiæ amnem nunc residens. Primus Borussiam, *Conradi* Ducis, ut tum dicebatur, Masoviæ (cujus caput est Regia jam Polonorum Warsavia) jussu ingressus est Magister Generalis eqvitum *Hermannus a Saltza*, ex Dynastis cognominis in Thuringia urbis non incelebris, quæ *Salza Longa* vel *Longosalissa* dicitur, anno 1220. quanquam ante eum in Livonia Alberti Bremensis Archiepiscopi cura, *Gladiferorum equitum* sodalitium cœptum fuisset, & in Masovia *Dobrinensium*: illud tamen Borusico paulo post unitum subjectumque fuit, nec alterum duravit. Destructo namqve a Saracenis regno illo, quod Europæi Principes Pontificum impulsu in Palæstina constituerant, ejectis inde, qui sacræ isti militiæ operam dabant, alii qvidem pari instituti eqvitum ordines, *Johannitici* & *Templarii*, aliis locis; *Teutonici* vero bellandi occasionem in Borussia adversus barbaros, qui ex Sarmatia regiones Germaniæ septentrionem versus sitas infestabant, religionis prætextu invenerunt, eo successu, ut ingentibus illis tractibus terrarum occupatis, coloniisqve ex Germania eo deductis, & Magistris provincialibus (Landmeister) quorum primus fuit *Hermannus Balke*, constitutis, magnæ potentiæ Principatum extruerent, ita ut supremus ordinis Magister ex Germania, *Conradus a Feuchtewangen* Eqves Francus, sedem in Borussiam transferret, circa annum 1309. relicto in Hassiæ urbe Marpurgo, Magistro Germaniæ, Provinciali qui postea in Franconia, ut dixi, aulam habuit. Arcibus vero & prædiis Borussiæ cum pagis adjacentibus sibi a Magistro ut & primoribus ordinis, quos consultores & suffragatores, (Rathsgebietiger) eorumque conventum *Capitulum* vocabant, commendatis, Eqvites præerant, *Commendatores* inde nominati, qvi juniores alios, donec & hi pro ætate aut meritis in præfecturas istiusmodi succederent, alebant, & armis exercebant. Certum etiam sacerdotum numerum, ex plebejis fere, nutriebant, habitu ordinis utentes. In quatuor Episcopatus divisérant regionem, *Culmensem*, *VVormiensem*, (qvi duo nunc Polonici juris sunt,) *Pomezanensem* & *Sambiensem*, quos sub Ducibus postea, Præsides aut Superintendentes & Consistoria administrare cœperunt, cedentibus aut abolitis Episcopis. Magnus inde nobi- 1524. *Addit.*

§. 171. litatis ex Germania, præcipue superiori, & tractibus illis, in quibus
1524. equestris ordo a Principum potestate liber est, in terras illas confluxus fuit; non saltem, ut militiæ religiosæ nomen darent, sed & ut stipendia mererentur, aut præfecturas aulicas & provinciales adipiscerentur. Hæc eorum causa, qui historias temporum illorum rerumque Borussicarum non legerunt, aut quid sint *Equites Teutonici*, non satis intelligunt, breviter recensenda visa sunt.

§. CLXXI.

Postqvam vero vicinæ gentes Masoviorum, Polonorum, Lithuanorum & Moscorum Christianam fidem suscepissent, minui tunc aut perire cæpit, quem Equites prætendebant titulum, de propaganda religione. Ideoque jam a duobus seculis non cum infidelibus, sed cum illis, quas dixi, nationibus, maxime Polonis antiqvum jus in terras ab Equitibus possessas, & illis, ut ajebant, saltem ad extirpandos infideles commendatas, vindicantibus, bella cruentissima extiterunt; quod imperite hic aut invidiose dissimulat Maimburgius, Alberto Borussiæ magistro objiciens, qvod votum adversus infideles pugnandi neglexerit: neqve enim supererant, qvi hoc nomine oppugnandi essent. Sed res Magistri & Eqvitum eo jamdudum erant delapsæ, ut cum Christianis vicinis colliti, maxime vero Polonorum potentia fracti in extremo periculo versarentur. Accedebant interna disidia; nobiles enim indigenæ & civitates, duro, ut putabant, servitio a Magistro & ordine pressæ, cum nec delatis ad Fridericum III. Austriacum Imperatorem querelis, æqua, quæ petere videbantur, adversus Magistrum impetrarent, *Casimiri* Poloniæ Regis patrocinium imploraruntcujus cæpti is exitus fuit, ut maxima & cultissima pars Borussiæ ad Vistulæ ripam, totaque Culmensis & Pomerelliæ regio, cum egregiis urbibus Gedano sive Dantisco, Elbinga, & Thorunio, ipsaqve Magistri sede Mariæburgo, vel armorum vi vel pactionibus, (quarum celeberima anno 1466. inita est) Polonici juris fieret, reliqua ab ordine sub clientela Regum Poloniæ haberi deberet. Magister Ordinis anno 1500 electus *Fridericus* Dux Saxoniæ, Georgii & Henrici, de quibus jam multa diximus, frater, juramentum, quo, a pacti illius tempore, prædecessores se obstrinxerant, Poloniæ Regi denegare cœpit, fœtus promisso a

Maxi-

I. §. 171. 1524.

Maximiliano Imperatore & aliis Germaniæ Principibus auxilio, quo libertatem amissam recuperaturum se esse sperabat, sed infelici successu. Itaque potentiæ Polonicæ imparem se cernens, & destitutus, quas expectabat, suppetiis, ad patruelem, Ernestum Saxonem Archiepiscopum Magdeburgensem profugit, a quo Coadjutor adsumtus, sed ante eum in arce fraterna Rochlitiana hydrope extinctus est anno 1510. In hujus locum *Albertus*, Marchio Brandenburgensis sequenti anno, 21. annorum adolescens, electus fuit. Filius erat Friderici, cui in divisione cum Johanne Electore Brandenburgico, Franconicæ ditiones, quæ nunc Bayrutensem & Onoldsbacensem Principatum faciunt, obvenerant, frater Casimiri & Georgii; patruelis vero Electoris Brandenburgici Joachimi, tunc viventis, ejusque fratris Alberti Moguntini Archiepiscopi, & post Ernestum Magdeburgensis. At statim post adeptum Principatum Ordinis in easdem cum Polonis, quæ antecessorem afflixerant, difficultates incidit: adeo autem nihil præsidii ab Imperio impetrare potuit, ut Maximilianus Cæsar, pacto cum Sigismundo Poloniæ, & Ladislao Bohemiæ Rege inito quo successioni Austriacæ familiæ in Hungariæ, Bohemiæ & Poloniæ regna prospexit, res Borussicas non deseruisse tantum, sed & Poloniæ Regi permisisse tradatur, & Albertum ad juramentum sibi præstandum adegisse. Vide Calvisii *Chronol. anni 1515.* Contra Polonos vero Albertus, disvadentibus provinciæ ordinibus, a peregrinis quibusdam viris militaribus, oblatisque a Moscis & Svecis auxiliis nec non juvenili ardore incitabatur: utque sumtus pararet jam anno 1513. *Walterum Plettenbergium*, Livoniæ Magistrum provincialem, pecuniam pactus, liberum pronunciavit, ut is jam proprio jure, non secus ac ipse Albertus, pro Imperii Principe censeretur. Non erupit tamen res ad arma, (occupatis Moscovitico bello Polonis,) nisi circa annum 1520. sed cum Albertus imparibus esset viribus, interventu Georgii Marchionis fratris inducias cum Sigismundo Poloniæ Rege ad annos quatuor anno 1521. pepigit, & simul utriusque partis consensu de controversiis intra hoc tempus finiendis, arbitri nominati sunt, Cæsar, aut ejus loco Frater Ferdinandus, & Ludovicus Hungariæ Rex, qui adscitis aliquot Episcopis, & Georgio Saxoniæ Duce, de causa sententiam ferrent. Sed his, quicquid moneret rogaretque

I. §. 171. §. 172. cum Polonis & fit Dux Borussiæ. §. 172. Reformationem Borussicam promovet Georgius Samb. Episc.

1524. Albertus, cessantibus, elapso vero tempore induciarum, Polonis prorogationem recusantibus, & Carolo Imperatore suis in Italia & alibi rebus intento, misere expositus desertusqve ad transigendum adactus est. Consilio itaque Procerum quorundam ex Borussia, inter qvos *Erhardus* ex nobili *Queisstorum* familia Episcopus Pomezanensis, præcipuus erat, & conciliatoribus *Georgio* Marchione fratre, & *Friderico* Duce Lignitiensi sororis marito, conventio d. 8. Apr. 1525. Warsaviæ secuta est, perquam Borussia, qua parte ab Ordine adhuc possidebatur *Ducatus* nomine Alberto a Polonis concessa fuit. Confirmant autem graves autores, *Chytræus* inprimis, & recens luculentæ historiæ Ecclesiasticæ Borussicæ scriptor *Christophorus Hartknochius* aliique consilium hoc a Polonis profectum fuisse; Albertus tamen invidiam sustinuit, & postea ab Imperio proscriptus, & *Magisterii Borussici* inanis titulus, *Magistro* in Germania *Teutonico*, qui tunc erat *Walterus Cronebergius*, delatus fuit. Si autem Albertum, ut paverat, isque per tot annos sollicitaverat, Cæsar & Germaniæ Principes defendere voluissent, aut arbitri intra induciarum tempus, quemadmodum receperant, pronuntiassent, servari fortasse Germanici Imperii majestas in Borussia potuisset, nec propensio Alberti ad doctrinam Evangelicam impedimento fuisset.

§. CLXXII.

Hanc vero qvod attinet, ex supra dictis jam constat, annis 1523. & 1524. missis ex Saxonia Theologis initium prædicandi, ad Lutheri ductum in Borussia factum esse, & alterum ex Borussiæ Episcopis Sambiensem, *Georgium* nempe a *Polentz*, ut dicere cæpi, aperte Evangelio favisse. Id in primis comitiis, Regio monte, (quæ ex tribus oppidis composita, primaria Ducum urbs est, egregia arce & æde Pomezanensis diœcesis cathedrali instructa) cum Albertus novum Ducatum auspicaretur, anno 1525. insigni actu testatus est. Episcopatus enim sui ditionem temporalem, quam vocant, oppida nempe, castella, pagos, omnemque jurisdictionem in subditos, sponte & solenniter Principi tradidit, sibi honesta alimenta ad exercendum munus pactus; cum diceret, ex instituto Christi Episcopos ministerio Evangelico fungi debere, non more Principum seculi dominari. Hoc ita-

itaque anno publico consilio prima omnium provinciarum Germaniæ, sed tunc Poloniæ clientelaris Borussia, mutationem religionis solennem fecit, præparatis jam antea per concionatores & Sambiensem Episcopum, tacente & ferente Pomezanensi, civium animis, & quod Albertus, dum Norimbergæ in comitiis esset, ut dixi, concionesLutheranas audisset. Idem in itinere cum Luthero Wittenbergæ collocutus erat, dissimulato aut nondum capto consilio mutationis, ut constat ex Epistola Lutheri, qua ad Brismannum hæc scribit: Cum primo loqverer cum Principe Alberto, Magistro ordinis Teutonici, & ille me de sui Ordinis regula consuleret, svasi ut contemta illa stulta confusaque regula uxorem duceret, & Prussiam redigeret in politicam formam sive Principatum sive Ducatum; idem sensit post me Philippus. Ille tum arrisit, sed nihil respondit, interim video homini placuisse consilium. Obsequentes habuit imitatoresqve sui eqvites seu commendatores ordinis, uno resistente Erico Brunsvicensi, qvo cum tunc transactum est, ut apud suos viveret, Borussia relicta, in quam tamen post aliquot annos denuo, sed frustra, regredi tentavit, dissipato qvem collegerat ad Vistulæ ripam, exercitu. Lutheri itaque instructioni id debuit Albertus, ut oblatas a Polonis conditiones sine peccato accipere se posse crederet. Poloniæ autem Rex, ut invidiam mutationis, quam procuraverat, declinaret, Oratori suo apud Pontificem *Johanni Dantiscano*, Warmiensi postea Episcopo, in mandatis dedit, quæ ex Epistola ejus anno 1525. Prilusius in *Statutis Polon.* & ex hoc nuper Hartknochius p. 275. retulit, his verbis. De *religione* nihil inter nos actum, tum qvia interesse nostra nihil videbatur, tum qvod ordinis institutores non fuerimus, tum vero, qvod fere in ditione tota prorsus de catholica religione sit actum & deploratum: proinde abusi sumus ea conditione depravati temporis in rem pacis, cum res transigi nullo pacto potuit. Proinde si qui isthic hos actus nostros in re Prutenica sugillare vellent, habes, quo innocentiam tueri possis. Publicata fuit hoc eodem anno 1525. Episcoporum duorum nomine nova ordinatio rituum, *Agenda* vulgo vocant; in qva notabilis est interpretum, qvos Dolcken appellant, mentio, qvi ex Alberti instituto ex suggestu alio eadem, qvæ Parochi concionantes proloqvebantur, lingua veteri

Borus-

Borussica, unam periodum post alteram recitarent. Id cessavit postea-qvam capita religionis libellis catecheticis & concionibus tradi cæpta sunt, qvanquam hodie paucissimi incolarum antiquo sermone uti dicantur.

Anteqvam vero ad seqventia accedam, non possum non ex Lutheri epistola hoc anno ad Georgium, Sambiensem Episcopum data *Lib. II. Ep. 286. 287.* & ipsius Episcopi, & Alberti Principis elogium adscribere: Et de Episcopo qvidem inter alia hæc habet. Non te laudamus, cum dona Dei in te extollimus, qvæ in te valere, regnare & triumphare videmus & audimus cum gaudio. Ut quemadmodum Pastor, sicut Amos loqvitur, eruit ex ore lupi extremum auriculæ aut duo crura, sic te unicum & solum inter Episcopos orbis elegerit Dominus & liberaverit ex ore satanæ, qvod dilatavit sicut infernum, & devorat omnes. Nihil enim videmus in cæteris Episcopis (qvanqvam esse inter eos sperem aliqvot Nicodemos) nisi qvod perversis Cæsare & Regibus ac Principibus, fremunt & insaniunt contra resurgens vel potius oriens Evangelion, & denuo impleant illud Psalmi secundi: *Adstiterunt Reges terræ & Principes convenerunt in unum adversus Dominum & adversus Christum ejus.* Qvo provocent simul, ut & Deus in eis impleat, qvod seqvitur, habitator cœli ridebit, & Dominus subsannat eos. *Tunc loqvetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos.* Tibi vero ea singularis plane & mirabilis gratia donata est, ut non modo verbum susciperes & crederes, sed pro Episcopali autoritate etiam palam & publice confessus, doceres, doceriqve per tuam diœcesin curares, liberaliter his, qui in verbo laborant, provisis, videntibus impiis, irascentibus ac dentibus suis frementibus & tabescentibus frustra. De Principe vero *d. l. p. 287.* Ad hæc ut gratia & donum hoc Dei cumulatius esset, addidit Dominus & curavit benignitate sua, ut Principem terræ haberes Evangelio studiosissimum, Heröem illum inclytum Adelbertum ex Marchionibus Brandenburgensibus Magistrum magnum Prussiæ, cui donatum est eodem spiritu, ut cogitet, qvæ Principe digna sunt, ut verbis Prophetæ utar, ita fit ut utriusqve vestrum præsidio Christianissimo populus Prussiæ, qvi fortem nunqvam Evangelion habuit, nisi opertum vel adulteratum, nunc late currens & fructificans, audiat purissimum & clarissimum, inenarrabili beneficio Dei

Addit.

§. CLXXIII.

§. CLXXIII.

Amplissimus etiam ad Visurgis utramqve ripam comitatus Hoiensis (nunc Serenissimis Lüneburgensibus Principibus subjectus) hoc anno 1524. religionem Evangelicam publice admisit. *Jodocus* enim Comes a Socero, *Wolfgango Comite Gleichensi* ex Thuringia, libros Lutheri & Melanchthonis nactus a Luthero concionatorem petiit; is *Adrianum* Antverpia ex monasterio profugum, ablegavit, qui Neoburgi ad Visurgim, Monachum, in Lutherum de suggestu fulminantem, palam allocutus, probatione eorum, quæ falso in populum sparseret postulata, ita terruit, ut profugeret, & cæteri Adriano respondere nollent. Inde Missæ & Sanctorum invocationes, aliaqve ejus generis abolita fuerunt. In urbibus etiam Germaniæ majoribus strenue progressa est doctrina. *Norimbergæ Præpositi* magnarum Parochiarum S. Sebaldi & Laurentii, *Georgius Pesslerus* & *Hector Bohmerus*, cum jam biennium Evangelium docuissent, missaticos aliosque abusus sustulerunt, edito, quibus factum suum defendebant, scripto Germanico, qvod ex Bibliothecis, ubi latet, denuo publicari, non una ex causa mereri videtur. *Argentoratenses etiam Senatus* jam civibus assentiens in omnibus templis concionandi libertatem permisit, Scholam erexit, & Monachis ex claustris egressis alimenta ordinavit, illorumque reditus aliis piis erogationibus destinavit, Theologi *Capito*, *Hedio*, *Cellius*, *Pollio*, *Bucerus*, aliique, edito libro mutationem propugnarunt, & Conradi cujusdam Trægeri Monachi, virulentis convitiis responderunt. Missi a Margaretha Regina Navarræ, Francisci Galliæ Regis sorore, *Jacobus Faber* & *Gerardus Rufus* (Rouffel) de religione cum Argentinensibus Ecclesiastis contulerunt concordesque discesserunt. Nec parum illos confirmavit *Sebastianus Mejerus*, qvi qvæ eo usque pro Pontificiis dogmatibus in æde Franciscana concionatus fuerat, libello Bernæ in Helvetiis mense Septembri hoc anno publicato, retractavit. Ut tamen supra monui, erant inter Doctores Argentinenses, qui in articulo de S. Cœna aliam, quam Lutherus sententiam circa præsentiam Christi fovebant, sed ita, ut in dissidia aperta res nondum erumperet. Extat *Tomo II. Altenb. f. 855.* Lutheri epistolium Germanicum ad Catharinam Matthiæ Cellii uxorem, mense Decembri hoc anno scriptum, in qvo eam & maritum salutat, & hunc ob Evangelicam doctrinam valde laudat.

Addit.

Addit.

I. §. 174. 1524. §. 174. Carolostadius Orlamundanus pastor disputat cum Luthero. Iter Lutheri Orlamundanum.

§. CLXXIV.

Sed hoc ipso anno cum Carolostadio acriter collisus est Lutherus, & acciderunt quædam quæ suprà Maimburgius per anticipationem narravit. Carolostadius enim Wittenbergæ invisus, & ab iis, quos, uti dicebat, absente Luthero socios consiliorum & excessuum habuit, præsente eo, desertus, Orlamundam concesserat, quod modicum est ad Salam oppidulum, unde tamen Comites quondam in Thuringia & Franconia opulentissimi nomen habuerunt. Vocaverant eum cives suo lubitu, nullo confirmante Episcopo, sed ut tunc fieri solebat, dissimulantibus regionis Principibus, Electore Friderico & fratre Joanne, Saxoniæ Ducibus. Ibi igitur Carolostadius & imagines sustulit, & dogma suum de sacra Cœna propagavit, inspirationes etiam, nescio quas, jactans, ita ut cum Thoma Münzero communia consilia agitare crederetur. Lutherus itaqve volente Electore Jenam venit, ubi non deesse putabantur, qui & Münzero & Carolostadio faverent. Concionatus est ibi d. 22. Aug. maxime adversus ea, quæ Münzerus tumultuose docebat abnegatq; speciatim adversus violentas imaginum disjectiones. A meridie inter illum, & qui concioni interfuerat, Carolostadiū disceptatum est satis acriter, & excusatum quidem tunc Lutherus illum habuisse dicitur de Münzeriani tumultus societate, sed a dogmate ejus de sacra Cœna, in qvo se unum post Apostolos vera sentire gloriabatur, & a rigore in imaginum destructione abhorrere se dixit, cumque dato arrhæ loco aureo, ad defendendum quæ asserebat, seque scriptis refutandum invitavit. Dicta sunt in illa conversatione multa ab utroque vehementer, & a Carolostadio fere duriora, quæ ipse naturæ suæ vitio excusavit, professus, se licet asperius loquentem, iracundo tamen aut malo animo non esse. Allatæ sunt mox Orlamundanorum literæ ad Lutherum, fanatica inurbanitate scriptæ in qvibus expostulabant, quod se jam antea Wittenbergæ, præsente itidem Carolostadio, ob imaginum abolitionem in concione reprehendisset, & Principum iras minatus esset; rogabant tamen, ut ad se veniret, qvæ crederent, audiret, & si non probarentur, meliora placide doceret. Has literas, simplicitatem oppidanorum superare existimans, Carolostadio imputabat, mox tamen Orlamundum d. 24. Augusti, comite Concionatore aulæ Vinariensis Steinio, sese contulit, sed præsente & suis auditoribus assistente Carolostadio,

dio, commotior, literarum incivilitatem civibus exprobravit, & rogatus licet, concionari noluit. Illi vero in sententia sua de abolendis imaginibus perstiterunt, quæ omnia ex relatione Tomo secundo Altenburg. f. 800. inserta percipiuntur. Sed de eadem relatione notandum est, eam ab aliqvo, qvi Luthero minus favebat, ita compositam esse, ut Carolostadii dicta & facta, imo & Orlamundanorum, specioſe proponantur, & malignam quandam & artificiosam insectationem Lutheri simul contineant, quod ipse in epistola ad Spalatinum sub initium mensis Octobr. data dissimulaturum se esse, scribit, *d. Tomo II. Alt. f. 797.* Mihi, ait, vehementer placet libellus de Actis meis Jenensibus & Orlamundensibus, hoc nomine, qvod video homines malæ fidei & conscientiæ metuere sibi, & in hoc prævenire volu isse, & gloriam præripere, & opinionem mei lædere; quia tamen liber mendaciis mixtis cum veritate sine nomine prodit, patientia superandus est. Postea ad Argentoratenses scribens *Lib. II. Epistolar. p. 251.* gratulatur sibi, quod furibundæ plebeculæ a Carolostadio incitatæ manus evaserit, convitiis & imprecationibus satis infestatus. Secuta inde est, re ad Principes relata, Carolostadii ex terris Saxonicis ejectio, qvam tamen suo consilio Lutherus in dicta epistola tribui non vult, quanquam ei Cochleus, ut alia multa, etiam hoc affingat. Scripsit autem Carolostadius literas ad Orlamundenses, se nec auditum nec convictum, a Luthero tamen pulsum, flebiliter questus, ut ipse Lutherus ad Amsdorffium & Spalatinum scribit *Lib. II. Epist. p. 236. 237.* Cedere etiam loco jussus fuit Martinus Reinhardus, concionator Jenensis, & alii; quidam tamen resipuerunt, ut patet ex epistola ad Amsdorffium *d. l. p. 237.* Carolostadius Argentinam & Basileam delatus, dogma suum editis libris propugnavit, Anabaptistis, ut Reformati scriptores ipsi narrant, statim probatum Scultet. *hoc anno p. 233. & seqq.* Sed Basileensis Senatus editores libellorum Carolostadii carcere punivit, quod Erasmus *Lib. XIX. ep. 3.* refert, & Tiguri prohibiti sunt vendi. Oecolampadius tamen, qui Basileæ tum publice concionabatur, & Zvvinglius, Carolostadii sententiam, utut incommodis verbis conceptam, a vero tamen sensu non discedere, & cum sua explicatione conciliari posse existimarunt, qvod ex Zvvinglii epistola ad Matth. Alberum, Reutlingæ, Imperialis in Svevia urbis, Ecclesiasten, tunc scripta, manifestum fit, Vide Scultet. *d. l.* 1524.

I. §. 175. 1524. §. 175. Initia diſſidii de Sacramento. Lutheri epiſtola ad Argentinenſes. Serio diſſentit

§. CLXXV.

Hoc igitur anno infelix illa de Sacramento controverſia renaſcentem reformationem publice turbare cæpit: de qva tot librorum non volu nina ſed plauſtra extant, ut neminem a me expectare credam, ut de ea hic multis tractem. Hiſtoriæ tamen cauſa notari & legi merentur epiſtolæ Lutheri, hoc ipſo anno tum ad Caroloſtadium tum ad Argentinenſes Theologos ſcriptæ, *Lib. II. p. 196. ſeqq. p. 247. ſeqq.* ex qvibus apparet, qvo fundamento doctrinam ſuam adſtruxerit, & qua charitatis fraternæ ſignificatione Argentinenſes tunc tractaverit. Injuriam ſane omnes ei facere exiſtimandum eſt, qui ex ſola pervicacia opiniones ſuas tuendi, vel neſcio qva ab Helvetiis averſione, in doctrina de præſentia corporis Chriſti perſtitiſſe illum tradunt. Serio enim & ex conſcientiæ ſuæ dictamine, nec ſine lucta adverſus oppoſitæ ſententiæ plauſibilitatem, egiſſe, omnia ejus ſcripta & dicta ad extremum usqve vitæ ſuæ diem evincunt. Nec minus errant, qui putaverint, eum plebis favorem reſpexiſſe: Nam etſi ut Erasmus *dicta epiſt.* loquitur: *Laici indignentur Deum ſuum ſibi eripi*; additqve ſatis libere, *quaſi nusquam Deus ſit niſi ſub illo ſigno*; exemplum tamen & Anabaptiſtarum & Helvetiorum, & eorum, qui Caroloſtadium ſeqvuti ſunt, oſtendit, interpretationem illam de ſpirituali manducatione a populo, a quo quisque ad tumultum aut enthuſiaſmum magis inclinabat, facilime admiſſam eſſe; imo Lutherus non poſtea ſolum, ſed ſub hoc ipſo erumpentis diſſidii initio agnovit, ſcripſitque, ſibi longe expeditiora omnia progreſſura fuiſſe, ſi iſti ſententiæ accedere ſalva fide & conſcientia potuiſſet. Ita enim *dicta epiſtola* ad Argentinenſes *p. 250.* aperte utique & ingenue ſcribit: Hoc diffiteri non poſſum nec volo, „ quod ſi Caroloſtadius aut alius quispiam ante qvinqvennium mihi per„ ſuadere potuiſſet, in Sacramento præter panem & vinum eſſe nihil, ille „ magno beneficio me ſibi devinctum reddidiſſet. Gravibus enim cu„ ris anxius in hac excutienda materia multum deſudabam, omnibus „ nervis extenſis me extricare & expedire conatus ſum, cum probe per„ ſpiciebam, hac re Papatui cumprimis me valde incommodare poſſe. „ Præterea duos habui, multo dexterius & acutius hac de re ad me ſcri„ bentes, quam Caroloſtadius, nec ita proprii ingenii captu verba detor„ qventes, verum ego me captum video, nulla elabendi via relicta. Textus enim

enim Evangelii nimium apertus est & potens, qvi facile convelli non 1524.
„ potest, multo minus verbis aut glossis e capite vertiginoso confictis sub-
„ verti. Quod si etiam hodierno die fieri posset, ut quis firmo Scriptu-
„ rarum testimonio mihi fidem facere queat, in Sacramento non nisi
„ panem & vinum esse, nihil tamen opus esset, quenquam tam amaro
„ me adoriri animo, sum enim proh dolor plus æqvo in hanc partem
„ propensus, quantum Adami mei naturam animadvertere possum.
„ Verum quibus furiis Carolostadius hac de re furit & insanit, tantum
„ me movet, ut etiam in sententia mea defendenda fiam pertinacior. Ad
„ hæc si prius non credidissem, jam primum tam futilibus rationibus e
„ vertigine sic vesani cerebri excogitatis adducerer, ut credam opinio-
„ nem suam debere esse frivolam & invalidam, quemadmodum spero
„ vos omnes hoc statim intellecturos, ubi libellis in hoc editis respon-
„ dero. Qvantiscunqve vero convitiis ratio pro præsentia reali post-
modum ex unione naturarum in persona Christi deducta accepta & exsibilata fuerit, eam tamen sententiam sic explicarunt in progressu disputationis Theologi Lutherani, ut ab absurditatibus sufficienter liberata nemini (non præoccupato) scandalo esse possit. Simplicissime sane jam anno 1520. Philippus Melanchthon (quicquid secutis annis senserit) ad Joh. Schwebelium scribens, *Epist. ad Schvvebel. anni 1520.* ita sensum Lutheri expressit: *Cum fateantur omnes, Christum secundum divinitatem adesse in Synaxi, quid attinet discerpere humanitatem a divinitate, quis gignit has tam callidas distinctiones?* Neque tamen Lutherus illis assentiri voluit, qui quæri de præsentia Christi, ut hominis, nolebant, inter quos bene multi & hodie sunt, qui hoc modo sopiri, quæ inter Lutheranos & Reformatos est, discrepantiam posse arbitrantur. Ita jam illo primæ disputationis tempore affectus fuit inter alios *Capito*: Vid. Scultet. *p.* 25. Notat vero Scultetus (quam recte non disquiro) *ubiquitatis*, quam vocat, dogma, in Gallia hoc anno ortum suum debere *Jacobo Fabro Stapulensi*, qui illud ex Joh. Gersonis sententia de communicatione naturarum Parisiis docuerit; & sequenti anno accusatus a Natali Beda, vehementissimo verum opinionum propugnatore, damnatus, eoque nomine relegatus fuerit. Lutherum miris modis hæc dissensio afflixit, inde inter alia apud Amsdorffium queritur: Nobis nihil est, nisi unde humiliemur. Nam Carolstadii ve- „
nenum

l. §. 175, §. 176. conventus ad concordiam tractandam Luthero non probatur. §. 176. Lutherus Munzerum cavendum esse suadet.

1524. „ nenum latissime serpit: accessit ejus sententiæ Zvinglius Turegi (Tiguri) & Leo Judæus, atque multi, constanter asserentes, in Sacramento „ esse purum panem sicut in foro. Erant, ut Sculetus existimat, qui „ conventum aliqvem sive Concilium suaderent, tollendis rixis, quas de ritibus aut rebus indifferentibus esse putabant; sed Luthero, ut ex epistola ad Hausmannum d. 11. Novembr. scripta videre licet, alia mens erat; ait enim *Lib. II. Ep. p. 243.* Mihi non satis tutum videtur, Concilium ex nostris cogi pro unitate ceremoniarum statuenda, est enim „ res mali exempli, qvantumvis bono zelo tentata, ut probant omnia „ Ecclesiæ concilia ab initio. Ita ut & in Apostolico concilio ferme de „ operibus & traditionibus magis quam de fide sit tractatum, in posterioribus vero nunquam de fide, sed semper de opinionibus & quæstionibus disputatum, ut mihi Conciliorum nomen pene tam suspectum & invisum sit, quam nomen liberi arbitrii. Si una Ecclesia alteram sponte non vult imitari in externis istis, quid opus est conciliorum decretis cogi, qvæ mox in leges & animarum laqueos vertuntur? Imitetur ergo altera alteram libere, aut suis moribus sinatur frui, modo „ unitas spiritus salva sit in fide & verbo, qvantumvis sit diversitas & varietas in carne & elemento mundi. Certe eventus docuit, Lutherum non vane de difficultate, ex disfidiis per tractatus & conventus eluctandi conjectasse,

§. CLXXVI.

Multus ei hoc etiam anno adversus *Prophetas cœlestes* (uti vocabantur) sive *Anabaptistas* labor fuit, qui libertate Evangelica proterve abusi jam ad vim publicam spectabant. Id prævidit non solum Lutherus, prædixitqve secula a plebis concitatione mala, verum & anteqvam in apertam vim erumperent (de quo seqventi libro agendum est) voce & scriptis remedia quæsivit, ut supra jam notatum fuit. Speciatim vero Senatum & cives Mulhusinos, Imperialis in Thuringiæ finibus urbis, d. 15. Augusti hoc anno (*Tom. II. Alt. f. 799.*) serio monuit, ut a *Munzero* sibi caverent. Is enim, postqvam Zviccaviæ & Alstedii ferri amplius non potuisset, Mulhusium petebat, non vocatus, sed spiritus sui, qvem cœlestem jactabat, vertigine impulsus, a qvo etiam in Svevos & Helvetios actus fuerat multis ad sectam suam perductis. Jubet igitur Lutherus eum repellere, quoniam divinam vocationem extraordinariam

riam probare per miracula non posset, nec ab hominibus vocaretur, cædes enim & seditiones illum moliri certum esse. Paulo post d. 21. Augusti ad Fridericum Electorem & Johannem ejus fratrem, Saxoniæ Principes prolixa epistola idem argumentum tractavit, quæ Germanice extat *Tomo II. Altenb. f. 790.* Latine autem versa habetur *Tomo VII. Wittenb. Lat. f. 506.* & in *Parte II. Epistolar. p. 223.* In exordio de conditione verbi divini præfatur, ut ei Satanas non solum cædibus & cruciatibus, sed & Pseudo-Prophetarum maxima turba sese opponere, „ nascentis Ecclesiæ Christianæ tempore, consveverit. Idem nunc eum „ agere, ait, (quia per Proceres Ecclesiasticos atque Politicos, qui Evan- „ gelii doctrinam tyrannico more grassantes opprimere non potuerit) „ ut ementitos spiritus & perditas sectas producat. Fieri id ex prædicatione Pauli Apostoli, *oportet hæreses esse.* Ita (*pergit*) postquam ejectus „ Satanas jam per tres annos circumvagatus est per loca arida, tandem „ in vestra ditione, reperta in Alstetæ mansione nidum congessit, in animo „ habens sub nostra pace & defensione in nos pugnare, illustrissimi Prin- „ cipis Georgii ditione, qvanquam in proximo sita ejus fecis spiritibus „ imperterrita. *Addit*: singulare mihi gaudium præbet hujus vesaniæ „ nostros non esse autores, cum ipsi se jactent hoc nomine, qvod nostrarum „ partium non sint, atque adeo nihil a nobis didicerint, sed de „ cœlo descenderint, perpetuos tres annos cum ipso Deo collocuti. „ Parvi momenti æstimant rem, Wittenbergæ charitatem & crucem „ doceri. Audienda tibi, inquiunt, ipsa Dei vox est, & opus Dei in te „ ferendum; Scripturam Bibel / Bubel / Babel vocant, sic, ut superbiorem & elatiorem spiritum, hoc me neqve legisse neque audisse jurare possim. Hortatur deinde, qvoniam spiritus ille Alstetinus verbi divini negotio omni armorum genere consulendum esse jactet, idque Wittenbergæ satis clare confessus fuerit, ut Principes concessa sibi a Deo potestate seditionem præcaveant, neqve enim coram Deo aut mundo excusari posse si officium suum negligant. Exagitat porro fanaticorum ignobiles ausus, quod in delubra, monasteria, & imagines, ubi nemo est qui defendat, vim exerceant; si strenui essent, Dresdam, Berolinum, Ingolstadium petere deberent id est, Electoris Brandenburgici

l. §. 176. 1524.

gici, Georgii Saxonis, Bavariæ ducum, qui potentia ſua veteres ritus turbantur, urbes primarias. Increpat etiam, quod lucem ſubterfugiant, & domi feroces, nolint foras in diſceptationem de religione prodire, ore jam bis terve Wittenbergæ in cœnobio Auguſtiniano illis obſtructo. De ſe poſtmodum allegat Lutherus, quam humiliter trepide & pedetentim Papatum adortus ſit. Licet autem ſe nec magnificis verbis extuliſſet, & miſer atque ærumnoſus nullusqve potentiæ eſſet, ſtetiſſe tamen ſe Auguſtæ, Lipſiæ, Wormatiæ publice, & in ſingulis pene angulis tam uni quam pluribus rationem ſuæ doctrinæ reddidiſſe, & ſecuta eſſe, quæ fanatici nunquam effeciſſent. Nunquam ſe ullum lapillum diruiſſe, nullum cœnobium ſua opera combuſtum; calamo tamen & ore ſuo pene omnia devaſtata eſſe monaſteria, etiam ſub Principibus Evangelio parum faventibus. Reſpondet objectioni, qua uti ſolebant, quaqve etiam hodie plerosque fanaticorum uti videmus, quod ſpiritum ſublimiorem habeant, qvam ut percipi ab aliis poſſit. Ait enim, S. Petrum, qui non ignorabat, ſuum quoque & omnium Chriſtianorum ſpiritum ſublimiorem Gentilibus & Judæis eſſe, nihilominus juſſiſſe, ut parati eſſent omnes ad dicendam cauſam; Chriſtum etiam ipſum exemplo ſuo id docuiſſe. Mirum eſſe, ait, quod nunc editis libellis doctrinam ſuam evulgent, cum ex illorum principiis nihil opus ſit ſcriptis, ſpiritu ſive divina voce cœlitus omnes docente. Id vero agere, ut verbum Dei & Sacramenta plane tollant; diſerte ſcribere auſos eſſe contra ultimum capitulum S. Marci, ubi de baptiſmo ſcripſit. Fructus doctrinæ etiam examinat, ſuæ illum eſſe ſtatuens, ut fiant quæ Paulus *Rom. VIII.* & *Gal. V.* exigit, & breviter, ut *fructus ſpiritus* ſit perfectio decem Præceptorum Dei, ſive *charitas 1. Cor. XIII.* quem vero excellentiorem fructum Aſſtetinus ſpiritus nunc ferat, neſcire ſe dicit; nam quæ in expugnandis monaſteriis & dejiciendis imaginibus fiant, qualia ſint, ſatis apparere. Neqve tamen negat, in ſua quoque Eccleſia eſſe qui aliter vivant, quam doceantur, nec ceſſaturam eſſe imperfectionem illam, dum homines fuerint; Chriſtum tamen ipſum ferre peccatores, nec ſuperbe eos faſtidire; doctrinam autem ante omnia ſanam & rectam eſſe velle. Moderatur denique, quæ de officio Principum ſcripſerat, ut nolit ab iis prædi-

prædicandi servari vult. §. 177. resistit novis quibusdam opinionibus de legibus, approbante Joh. Frid. Sax. I. §. 176. §. 177. 1524.

prædicandi libertatem inhiberi: Sed in militia illa spirituali committendos esse concurrentes spiritus, & si a falsis doctoribus decipiantur, id pro Martis communis conditione ferendum esse. Doceant itaqve, (ait) modo manus contineant: sed has exercentes & vim parantes ejiciantur ex regione. Non vult eos audiri, cum Israelitarum exemplum allegant, idola confringentium, & Cananæos extirpantium: non enim facta sed fidem illorum imitandam esse statuit. In novo testamento diaboli expellendi & offendiculorum tollendorum veram rationem esse verbi divini prædicandi exercitium, qvo corda moveantur, inde diabolum cum tota pompa sua & potestate per se pessum esse iturum. Ex his puto satis constare, qvam iniqve Luthero imputetur, qvod discipulos habuerit Munzerum & socios, & qvam remotus ille ab eorum insano dogmate fuerit, etiam antequam seditio rustica anno sequenti erumperet.

§. CLXXVII.

Restitit etiam aliis, subtilius qvidem, periculose tamen errantibus. Erant enim in aula Vinariensi Concionator *Wolffgangus Steinius*, & e Jurisconsultis *Struvius* qvidam, aliiqve, qvi Cæsareas leges, ut ab Ethnicis; Canonicas, ut a Pontificibus profectas, improbarent, & Mosaicum jus reduci mallent, tum usuras omnes, etiam legitimas, improbabant. Erant qvi mercaturam, fidejussiones, & alia ejusmodi damnarent. De his, qvæ sibi viderentur, consultus Luthernus scripto complexus est, Melanchthonis etiam consilio adhibito. Vide *Tom. II. Alt. f. 815. & seqq.* Gratias ei hoc nomine egit Johannes Fridericus Princeps, Johannis Ducis, postea Electoris, filius, annos jam natus 21. qvi Parenti, sententia Lutheri confirmatus, & a Cancellario adjutus, modeste obstitit, ne novarum istarum opinionum autoribus pro indulgentia sua nimium tribueret. Extat epistola ab ipso Principe composita, egregii animi & judicii characteres exhibens, in qva inter alia de necessitate visitationis Ecclesiarum non indigna se scribit, & qvæ non multo post effectum habuerunt, *d. Tom. II. fol. 815.* Inter alios Carolostadii excessus hic qvoqve erat, ut literarum studia improbaret & exosa faceret: cujus qvidem insaniæ invidia a malevolis etiam Luthero impingebatur; sed ille & Principi formam scholæ instituendæ proposuit, ut patet ex epistola ad Spalatinum *Lib. II. Ep. p. 235. b.* d. 18.

L.§.177. de Scholarum emendatione & constitutione egregia svadet, edito scripto

1524. Octobr. data, & cum, (nescio, qva causa) Academiæ ruinam metueret, non parum qvestus est *d.l.p.237.b.* dein edita hoc eodem anno gravissima ad Magistratus civitatum Germaniæ paræneſi omni argumentorum, qva poterat vi, ab iis contendit, ut scholarum constitutioni operam darent. Vide *Tom.II.Alc.f. 805.& seqq.* Præmittit in illa qvædam de se, significans, ut ante annos tres proscriptus & condemnatus, tacere tamen, licet id suo commodo & tutissime facere potuisset, hoc tempore noluerit, qvæqve inde secuta sint, manifestæ Dei operationi attribuenda: qveritur inde, scholas interire, Academias detrimenta pati, monasteria deseri. Exiccatum (ait) est fœnum, cecidit flos, spiritus Domini sufflavit in eo Es. XL.7. Patuerunt per verbum Dei Clericorum defectus, sed plebs carnalis, cum liberos suos alieno sumtu, ut hoc usqve consveverat, in monasteriis ali jam non posse videat, nec sacerdotes, monachos monachasqve fieri; mavult eos omnes alio vitæ genere victum sibi parare. Sic apparet, ventris non religionis causa Clericorum conditionem antehac affectasse. Diabolus nempe in aliud extremum tendit; juventutem qvam corruptelis monasticis eximi cernit, jam ab omni informatione & eruditione remoram, in barbariem & animæ periculum præcipitare cogitat. Parentes tot sumtibus indulgentiarum, missarum, vigiliarum, fundationum, testamentorum, anniversariorum, fraternitatum, peregrinationum & qvos in mendicantium greges erogabant, levati, tantillam eorum partem ad liberorum in scholis educationem conferre detrectant. Illos igitur, ut & Magistratus officii sui admonet; lingvarum peritiam, ut divinum donum, qvo Evangelii propagatio & Scripturæ intellectus nititur, commendat; Waldensium opinionem, lingvarum studium spernentium, improbat: agnoscit se, utcunqve zelo spiritus, qvem alii jactent, se non putet destitui, ea tamen non fuisse effecturum, qvæ præstiterit, si absqve lingvarum cognitione fuisset. Ostendit deinde scholarum & lingvarum utilitatem ad vitam civilem & ad statum Principum sustinendum, qvi nunc, ut satis libere monet, *aurigando, compotando, bacchanalibus & curis illis suis maximis, de culina & cella occupantur.* Faciliori informandi methodo, qvam olim fuerit, invitari debere contendit juventutem, ad scholarum freqventationes; paucas horas singulis diebus sufficere, & paucos annos ad discenda, qvæ omni vitæ generi profutura sint. Excellentiora vero ingenia nunc insulsissimorum librorum ab

indo-

indoctis monachis consarcinatorum loco (nominat *Catholicon, Floristam, Gracistam, Labyrinthum, Dormi secure*) egregia habere profectuum a libris utilibus adminicula; bono tamen delectu opus esse: Sacram ante omnia Scripturam, lingvis non solum originariis, sed & popularibus legendam: ex Poetis & Oratoribus, etiam Ethnicis, Grammaticæ studium formandum, artium deinde & facultatum compendia & Syntagmata extare, Historiarum vero singularem utilitatem esse, ut Dei miranda opera & eventus humani cognoscantur; dolendum tamen, qvod Germanicarum rerum monumenta pauciſſima extent. Epilogum addit, rogans, ne consilium suum, tanqvam ab homine contemto & condemnato proficiscens despiciant. Neqve enim, ait, mea sed » Germaniæ commoda qværo, imo etsi stultus sim, si qvid tamen boni » svadeo, cur non audiar? Audiri deberet etiam Turca, aut Paganus, si » qvid proponeret, qvod proficuum esse posset. Sæpe ab insipienti rectum » aliqvod consilium datum fuit. Mosen socer Jethro docuit. » 1524.

§. qqq.

Tantis in Germania ob tot Principes & Civitates, publicæ doctrinam & reformationem ejus amplectentes, præsidiis roboratus, superbior & audacior evasit Lutherus. Itaqve vestem Monachalem, qva huc usqve usus erat, sibi amplius non convenire putabat, qvod semper monastici aliqvid olerent & repræsentarent, qvem ille ordinem in maximum contemtum adducere nixus erat. Apud Electorem igitur, mutationes externas cæteroqvin non probantem, tandem effecit, ut cucullum exuendi veniam impetraret, & Doctoris veste, qvam Dux ipse ei dedit, uteretur. Titulum etiam Reverendi Patris *deposuit, qvi ei hucusqve publice in omnibus actibus dabatur, nullumqve aliam admisit, qvam* D. Martini Lutheri, *& hunc ad mortem usqve retinuit.* Buchholcer. in judic.

I. §. 178. §. 178. Mutationis occasio: monasterii Wittemb. evacuatio & qvid Lutherus petierit.

1524.

§. CLXXIIX.

Verum qvidem est, & sæpe notatum, Fridericum Electorem in mutationibus admittendis nimis cautum fuisse, neqve id Spalatinus in *Vita MSCa* dissimulat; non reperio tamen, qvod restiterit Luthero, cucullum monasticum deponenti, nec qvod Lutherus a Principe licentiam id faciendi postulaverit, cum suo potius arbitrio in his omnibus ageret. Refertur in compendiosa hujus anni 1524. actorum recensione, Tomis inserta *Tom. II. Alt. f. 864.* Electorem non qvidem vestem, sed pannum Luthero misisse, & veluti jocantem ei significasse, conficere sibi ex eo curaret, qvicunqve placeret, habitum. Itaqve d. 9. Octobr. (Dominica XX. post. Trinit.) exuto cucullo Augustiniano, in illa comparuit veste, qva Prædicantes uti solent. Alium etiam qvam *Doctoris* aut *Professoris* titulum gerere non potuit, cum alio non fungeretur munere: neqve enim inter Canonicos erat, & Parochiæ oppidanæ Joh. Bugenhagius præfectus erat. Monastici vero habitus & Augustiniani cognominis mutandi necessitatem qvandam sine dubio fecerat, qvod fratres sui, cœnobitæ, jam omnes præter unicum Priorem, qvem vocant, diffluxerant. Cum vero etiam iste, hoc ipso anno, conscientia sua impulsus, de vitæ genere mutando cogitaret, & reditus monastici jam olim tenues, nunc difficillimæ exactionis essent, in literis ad Electorem exposuit, se solum in monasterio remanere non posse, sed qvæsiturum, ubi Deo favente alimenta inveniret. Itaqve cum Priore de cœnobio Principi (novissimo, ut ait, hæredi) tradendo convenisse, rogare autem, ut conniveret Elector, vel secreta qvadam ratione permitteret (scire enim se, cur id aperte non sit facturus) qvo arcæ cujusdam ad cœnobium spectantis venditio, sibi aut Priori permitteretur; subsidio isto hunc tanto digniorem & egentiorem esse, qvia a patrimonio in Trevirensi ditione odio religionis arceretur Vide *Tom. II. Alt. f. 854. & seqq.* Ex qvo apparet, qvam alienus ab omni opum & bonorum cupidine, & de sua sustentatione incuriosus fuerit Lutherus, qvi nec Prioris munus in cœnobio unqvam affectasset, & tantillo munusculo, nec sibi sed sodali conferendo contentus esset, nihil a Principe sibi petens aut pactus. Simile monasterii deserti & Principi traditi exemplum anno præterito Herrzbergæ in oppido Wittembergæ vicino acciderat, de qvo Lutherus epistola ad Spalatinum *Lib. II. p. 419.* mentem suam pau-

cis

cis explicavit: scire se Principem nihil accepturum esse ex bonis monasterii, decere tamen, ut delectum qvæstoris curæ committat, monachis autem abeuntibus concedat, ut adhibitis duobus bonis & fidelibus viris anathemata (donaria sive cimelia sacrarii) inter se partirentur, & ad conjugia vel artificium (mechanicum) impenderent, ex qvo alerentur; Sic enim res illæ (addit) qvæ per impietatem partæ sunt, in pietatem vertentur, nec melius mihi locari posse videntur. Idem non multo post svaserat, ut pauperibus sacrificulis (vicariis puto Wittenbergensibus) ex prioribus censibus assignaretur, unde viverent, qvia aliam (ut ait) artem non didicerunt, & ignorantes in abominationes, istas lapsi sunt *Lib. II. p. 319. b.* Nihil ergo minus spectavit Lutherus, qvam ut Principes ex bonis Ecclesiasticis ditescerent, & cum jam tum qvosdam circa eam rem abusus ex literis Hessi, Uratislavia ad se scribentis, perciperet, respondit, nihil mirum, si Principes in Evangelio sua qværant; & raptores novi raptoribus veteribus insidientur. Lux orta est, qva videmus, qvid sit mundus, nempe regnum Satanæ. Sic & Paulus qveritur, omnes qværere qvæ sua sunt, porro hæc ipsa nos animare debent, qvod omnia respondeant priscis exemplis Evangelii *Lib. II. Ep. p. 284.* Acrius etiam apud Spalatinum expostulavit mense Decembri hoc anno, cum nescio qvid adversi D. Justo Jonæ, Præposito Wittembergensi, ab aula instaret, & Canonicorum duorum aut trium veteri superstitioni & reditibus consuleretur. Exprobrat enim ingratitudinem, qvod non agnosceretur in aulis, per Evangelii doctrinam & animabus consultum esse, & substantiam mundi non parvam ad marsupium Principis redire, unde scilicet haberent, qvod ad pios usus impenderent. Vide *Lib. II. epist. p. 246.*

§. rrr.

Sed gaudium qvod ex hoc rerum suarum statu ceperat, dum se caput formidabilis adversus Ecclesiam Romanam, qvam capitali odio prosequebatur, factionis esse cerneret, multa amaritudine hoc ipso tempore mixtum expertus est; magnumqve dolorem

I. §. rrr. 1524. *concepit, cum se vehementer impugnari cerneret ab amico, qui ab initio rebellionis suæ omnium utilissime ei adstiterat, & ob eruditionem, eloquentiam, magnamque apud omnes toto orbe literatos & Proceres famam, maxime nocere poterat. Erat hic celebris ille* Erasmus Roterodamus, *qui ab Angliæ Rege, a quo multum æstimabatur, rogatus, Lutherum in capitali, ut ipse bona fide asserit, doctrinæ suæ articulo aggressus est. Hoc enim anno Erasmus doctum & eloquentem tractatum* de Libero arbitrio *edidit, quod Lutherus simpliciter eripere hominibus, maxime in rebus ad salutem pertinentibus, nitebatur, specioso sub prætextu extollendi gratiam Jesu Christi, & superbiam humanam deprimendi, dum omnia Deo, nihil prorsus liberæ cooperationi voluntatis nostræ tribueret.*

Erasmi diatribe de lib. arbitrio.

Statim ab initio hujus tractatus nionet Erasmus, de Scripturis non esse controversiam, cum utraque pars dicat, eas se sequi, sed de vero Scripturæ sensu quari, a qua parte ille stet. Inde longo ordine dicta Scripturæ profert, quibus liberum arbitrium optime asserit, porro Patres Græcos & Latinos, ut & Concilia allegat, quæ hunc sensum accipiendum esse statuerunt. Post-hæc totum orbem alloqvitur, & qvid magis congruum sit, qværit, nempe ut in hac lite Conciliorum & tot maximorum Sanctorum & illuminatorum virorum judicium respiciatur, an eo rejecto, Martino Luthero assentiendum sit, qvi neminem pro se habeat, qvam

Hic de Scripturis non est controversia, utraqve pars eandem Scripturam amplectitur & veneratur; de sensu Scripturæ pugnatur.

Johan-

Johannem Vicleffum & Laurentium Vallam, & tamen supremus judex esse velit circa sensum, omnibus dictis illis attribuendum. Hæsit diu Lutherus, antequam responderet, sive quod congredi cum homine nollet, cujus ingenium & autoritatem formidabat; sive quod tractatus iste Latine scriptus apud populum & Nobilitatem parum valere videbatur, satiusque foret, ut neglectus in oblivionem caderet, quam suo responso magis innotesceret. Cum vero eum ab adversario suo gravissimo, Hieronymo Emsero, Germanice versum videret, omniumque hominum manibus teri, respondere demum statuit, idque præstitit magno 1524. *Cochlæus. Luth. de serv. arbitr. l. 2.* *satis libro, cui titulum fecit,* de servo arbitrio adversus Liberum arbitrium ab Erasmo defensum. *In hoc autem libro clare dicit, * quod homo, quicquid boni vel mali agit per necessitatem agat, quodque nullum habeat liberum arbitrium, sed servus sit voluntatis aut Satanæ per concupiscentiam, aut Dei per gratiam, quæ necessitate insuperabili in homine operetur, quodque hic nullam libertatem habeat, ut nollet bonum,*

* *Quicquid sit a nobis non libero arbitrio sed mera fieri necessitate. In rebus quæ pertinent ad salutem vel damnationem non habet liberum arbitrium, sed captivus subjectus & servus est vel voluntatis Dei, vel voluntatis Satanæ, ut nec hic sit ulla libertas, vel liberum arbitrium alio sese vertendi, aut alio volendi, donec dum spiritus & gratia Dei in homine &c. Necessitate dico non coactionis. Necessitate immutabilitatis non coactionis. Mera lubentia & pronitate ac sponte sua vult & facit, non coacte, ut nullis contrariis mutari in aliud possit. Pergit volendo & lubendo & amando bonum.*

num, qvod illa necessario vult eum velle, licet velit sine coactione & sine violentia. Scio cum adjicere, qvod voluntas hominis recipiat saltem bonum, qvod Deus in illa solus operetur, nihilqve ex se ad id præstet; idem tamen dicere hoc modo vult, nempe qvod solus Deus determinet voluntatem ad volendum, qvodqve hæc nullam libertatem determinandi habeat, velitne an nolit. Nam illico atqve Deus operatur volitionem in voluntate, certum est, qvod voluntas velit, idqve sine coactione, ut Lutherus formaliter dicit. Qvemadmodum enim globus neqvit recipere motum, qvin moveatur, nec ferrum calorem recipiens non calescit: ita nec voluntas recipere potest gratiam volendi, qvin effective velit bonum, qvod gratia vult velle. Itaqve hæresis Lutheri non consistit in eo, qvod negat voluntatem agere, ait enim positive, qvod velit sine coactione & violentia: sed consistit præcise in hoc, qvod agat per necessitatem immutabilem, ita ut non possit non velle: Qvicunqve igitur pertinaciter statuit, qvod gratia Jesu Christi cogat voluntatem ad bonum id, qvod eam velle facit, ita ut non possit non velle, ille est ingenuus Lutheranus. Cæterum nihil magis in hoc libro Lutheri stupendum est, qvam qvod Erasmo objicienti qvasi VViclefum saltem & Vallam in partibus habeat, audaciter regerit, injuste Augustinum præteriri. * Sanctus enim Augustinus, ait, de qvo loqveris totus pro me est in hac qvæstione. Interim evidentissimum

* Augustinus qvem præteris, meus totus est. Luth. de servo arb. t. 2. f. 432. Qvomodo trahit, si dimittit, ut qvis qvod voluerit, eligat? Et tamen utrumq; verum est, sed pauci id intellectu comprehendere valent. Aug. cont. Pelag.

mum est, qvod nihil clarius aut frequentius in operibus Sancti hujus Doctoris exprimatur, qvam liberum arbitrium hominis, cum gratia qvæ id perficit, facultatem ei concedens bona facere per se, nec auferens eam, qvam habet, ut mala faceret per seipsum. Sed hoc, si fas est ita loqvi, fatale est S. Augustino, ut ad Scripturæ exemplum falsis interpretationibus & illusionibus hæreticorum expositus sit, ita ut ipse Lutherus, qvi ex Ecclesiæ rebellantibus omnium minime æstimat antoritatem Patrum, sed eos sæpe indignissime tractat, nihilominus de assensu ejus glorietur. Sed id non jactat de Erasmo; cum enim hic qvereretur, esse qvi sibi imputarent qvasi cum Luthero in hoc articulo consentiret, lepide respondit, magnam Erasmo injuriam fieri, & se qvoqve eum ab hac inimicorum calumnia defensurum, semperqve testaturum esse, Erasmum nullo modo Lutheranum, sed tantum Erasmum esse, id est, hominem, qvi omnia tam incerte & ambigue, sæpe etiam minime serio in causis religionis dicat, ut ægre sciri possit, qvid sentiat. 1524.

Cum sit, meminisse certo & fideli teste, nullo modo Lutheranus, sed Erasmus tantum. Luther. ep. ad Nicol. Amsdorff t. 2.

§. CLXXIX.

Prolixa hæc digressio ore Lutherum petit, cauda illos ferire videtur, qvi *Augustinum* omnibus pene paginis allegantes Jesuitarum dogmata *de gratia*, dein totam disciplinam exagitarunt, *Jansenistarum* nomine celebres & odiosi. Istam controversiam ut hic describam, vel subtilitates Scholæ, qvas vix capio, Maimburgii exemplo exponam, nulla svadet ratio. Examinabo potius, qvæ de Erasmo & Luthero tradit hic noster, sublestæ partim fidei, aut mutila. Falsum est, qvod Erasmus dictus Luthero ab initio rebellionis (ita pro humanitate sua lo-

l. 5. 179. 1524.

qvitur noſter) utiliſſime adſtitiſſe. Non negavero eqvidem, veritatem in doctrina Lutheri Eraſmum magna ex parte deprehendiſſe, ſed tam callide verſatus eſt, ut nullum ab illo rebus Luthero emolumentum accedere potuerit, niſi forte apud Fridericum Electorem qvaliscunqve ejus approbatio, ut ſupra dictum fuit, aliqvid valuit, qvod Eraſmus non male de Luthero ſentire videbatur, idqve ipſe jam anno 1519. in epiſtola ad Melanchthonem jactaverat, *Lib. V. ep. 38.* Alibi vero affectata illa & ſubdola Eraſmi moderatio doctiſſimis plurimis viris effugia ſuppeditavit, qvibus freti, defectus & errores, qvos Lutherus vehementer & aperte taxabat, pro talibus habebant, qvi ferri poſſent. Utilem ſibi Eraſmum fuiſſe non uno loco fatetur & prædicat Lutherus, ſed non alia de cauſa, qvam qvod lingvarum ſtudium commendabile & gratum feciſſet, & qvod ad Scripturæ & Patrum Eccleſiaſticorum lectionem multos invitaverit, qvi in tricis & nugis ſcholaſticis ætatem hucusqve conſumſerant, monachorum vero inſcitiam & pravos mores etiam ante Lutherum ita taxaverat, ut hujus cenſuræ non multo acriores eſſe viderentur. Interim verum eſt, optaſſe Lutherum & ab Eraſmo hoc ipſo anno 1524. (vide *Lib. II. ep. p. 195.*) contendiſſe, ut *ſpectator*, ut loqvitur, *tragœdiæ eſſe velit, nec copias ſuas cum adverſariis jungere*, id eſt, ne libellos contra ſe ederet, promiſitqve viciſſim ſe adverſus eum nihil ſcripturum eſſe. In hac ipſa epiſtola ſatis libere, qvanqvam amice, de
» ſtudiis & moribus Eraſmi judicat; ait enim: Videmus nondum tibi eſ-
» ſe a Domino datam eam fortitudinem vel ſenſum, ut monſtris illis no-
» ſtris libens ac fidenter occurras nobiſcum; nos non ſumus qvi a te exi-
» gere audemus id, qvod vires & modum tuum ſuperat. Sed majorem vim habebant qvibus ad ſcribendum impellebatur: Neqve enim eum Angliæ Rex ſolum, Maimburgio memoratus, verum ipſe Pontifex Adrianus in literis Cal. Dec. 1523. datis (Vid. *Lib. XXIII Epiſt. Eraſmi ep 3.*) omni argumentorum acie aggreſſus eſt. Aſſeverat qvidem, nullam hæreſeos ſuſpicionem ſibi adverſus illum eſſe, purgandi tamen ejus apud alios cauſa in certamen prodire non tam jubet, qvam rogat, mire
» palpans hominem, cui magnam vim ingenii, ſcribendi promtitudi-
» nem, qvanta, ut ait, noſtra memoria paucisſimis aliis, imo nulli contigerit, aliaqve elogia tribuit, addens, ſe alienum eſſe a rigore, qvi per
» cenſuras & leges imperiales exercebatur. Tantam vero ſpem in Eraſmi

eru-

eruditione ad convincendos, qvos vocat, hæreticos se ponere profitetur, ut major esse non possit. Invitat deniqve eum, ut Romam ipse veniat, qvamprimum pestilens tunc aer purgatus fuerit. Repetit idem iterata epistola d 23. Jan. anno 1523. & jam cessasse pestis contagionem nuntiat *Lib. XXIII. ep. 4.* At Erasmus his blanditiis, & iis qvæ Card. Campegius aliiqve scripserant (tunc qvidem) immotus, Pontifici ita respondit *(Lib. XVIII. ep. 20.)* ut ætatem, valetudinem, invidiam monachorum, & suspicionem hæreseos sibi immerenti impactam obstare dicat, qvo minus scribat: qveritur inde aut jactat, qvod nunc tot viri insignes Luthero faventes sibi succensеant, qvia in easdem non transgrederetur partes. Arcani etiam aliqvid, qvod revelari nolit, subindicat, qvo Pontificias res multum juverit, cum in sua, ut scribit, potestate fuisset, magnam tragœdiam excitare. Lutheranismi propagationem & potentiam exaggerat. Late (ait) patet Germania & abundat excellentibus ingeniis, nec hanc tamen solam habet hic affectus; non ausim scribere, in qvam multis regionibus, qvam penitus popularibus animis (sic temperat, qvæ de excellentibus ingeniis dixerat) infixus sit Lutheri favor, & odium Pontificii nominis. Laudat Adriani moderationem, dolens, qvod eandem alii non servent, qvi frustra sperent, malum sectione & ustione curari posse. Ita olim in Anglia Wiclefiticam factionem oppressam verius qvam extinctam fuisse. Difficilius in Germania vim tentari, in tot Principes dissecta. Mortuo inter hæc Adriano, ad qvem an responsum istud pervenerit, compertum non habeo, (imperfecta enim epistola, & fortasse omnino transmissa non est) propinqvioros stimulos ab Anglia admotos Erasmus sensit, opera *Cuberti Tonstalli* Episcopi Londinensis, cujus literæ Non. Julii 1523. scriptæ *Lib. XXII. ep. 22.* extant. Pensionum jacturam, qvibus in Anglia fruebatur, Erasmum, ni scriberet, metuisse, non est vero absimile. Invitus itaqve & renitens, nec sine timore acris, qvam prævidebat, refutationis, diatriben illam suam extrusit. Ita enim pridie Non. Septembr. 1524. ad Tonstallum scribit: Exiit libellus de libero Arbitrio, moderatissime qvidem ille scriptus, sed qvi gravissimos tumultus sit excitaturus. Et ad Regem seqventi die, idem referens, addit: *expecto lapidationem.* Ad *Thomam Volsejum*, Archiepiscopum Eboracensem, *audax* vocat facinus suum; dein causam aperit, cur nemini scriptum suum

I. §. 179. ad Melanchthonem, qvibus scriptum excusit. Melanchthonis responsum

1524. dedicaverit, qvanqvam id huic ipsi Cardinali destinasset. *Lib. XIX. ep. 1.* evitare scilicet voluisse, ne conductum se esse clamarent Lutherani. Iisdem Non. Sept. ad Melanchthonem prolixam scribit Epistolam qvæ *Lib. XIX. ep. 113.* est, in qvade moribus eorum qvi se Evangelicos vocabant, qveritur, suamqve moderationem jactat, propter qvam tamen invidiam maximam sustineat, Alexandri potissimum calumniis Romæ traductus; tandem causas cur adversus Lutherum scripserit his exponit verbis: Miraberis cur emiserim libellum de libero arbitrio. Sustinebam triplex agmen inimicorum: Theologi & bonarum literarum osores nullum non movebant lapidem ut perderent Erasmum, qvem, qvod attacti essent libris meis, tum qvod collegium illud florentissimum invexerim Lovanium, eamqve regionem totam infecerim linguis & bonis literis; sic enim loqvuntur. Hi monachis omnibus persvaserant, me juratissimum esse Luthero. Itaqve amici videntes me periclitari, spem præbuere Pontifici & Principibus, fore ut aliqvid ederem in Lutherum. Eam spem & ipse pro tempore alui. Et interim isti non expectato libello cœperant me libellis lacessere. Nihil igitur restabat, nisi ut ederem qvod scripseram, alioqvi & Monarchas habuissem infensos, qvibus visus fuissem dedisse verba, & isti tumultuosi clamassent me metu premere, & atrocius aliqvid expectantes impotentius sævissent. Postremo, qvoniam epistola Lutheri jam est in manibus, qva pollicetur se cohibiturum calamum in me, si conqviescam, viderer ex pacto non edere. At hæc qvi Romæ profitentur literas ethnicas, ipsi ἐθνικώτεροι, mire fremunt in me, invidentes ut apparet Germanis. Itaqve si nihil edidissem, præbuissem animam & Theologis & monachis & illis Romanensibus figulis, qvorum Alpha, ni fallor, est N. (*Alexandrum* forte intelligit) ut facilius persvaderent Pontificibus ac Monarchis qvod persvadere conabantur; Postremo, hos furiosos Evangelicos habuissem iniqviores: nam ipse rem tractavi modestissime. Et tamen qvod scribo non scribo adversus animi sententiam; qvanqvam ab hac qvoqve libenter discessurus, ubi persvadebitur qvod rectius est. Respondit ad hæc Melanchthon pridie Id. Octobr. (Vide *Lib. XIX. Erasmi epistolas ep. 2.* & *Melanchth. Lib. III. ep. 65. edit. Lond.*) & postqvam Erasmum ex moribus de doctrina judicantem reprehendisset, & Lutherum ipsum deplorare dixisset, qvod privatis cupiditatibus religionis vocabulum etiam ab iis prætexeretur, qvi cum Pharisaico

Luico Pontificis regno bellum gerere videri vellent; diatriben Erasmi 1524.
æqvissimis animis Wittembergæ acceptam esse refert: tamesi alicubi
nigrum salem asperserit. Tyrannidem enim fore, si qvisqvam vete-
rum in Ecclesia sententiam de religione dicere, debere id esse omnibus
liberrimum, dummodo ne privati affectus admisceantur. Lutherum
non esse tam irritabilem ut nihil devorare possit. Polliceri proinde se
in respondendo pari usurum esse moderatione; multis addit profutu-
rum esse, si locus de libero arbitrio diligenter excutiatur, sacras tamen
literas Lutheri sententiæ suffragari innuit, & Erasmum ab oppugna-
tione vehementiori dehortatur. Læta fuerunt Erasmo, qvæ de mode-
ratione styli adversum se intelligebat, eaqve apud alios jactavit. Vide
epistolam ad Ludov. Vivem *Lib. XVII. ep. 36.* Sed Melanchthoni pau-
lo animosius respondit d. 4. Id. Decembr. *Lib. XIX. ep. 3.* Nam Lutheri
vehementiam valde improbat, multa etiam in doctrina ejus sibi displi-
cere profitetur; non negat tamen corruptos Christianorum mores im-
mitem requisivisse castigatorem; sed scopo suo insistit, ut temperata li-
bertate Pontifices & Monarchæ ad reformationem invitarentur, utq;
Sacerdotum religio ita restitueretur, ut nihil decederet autoritati. Non
audet qvidem Luthero imputare, qvæ ex doctrina ejus crude ab aliis
proferebantur, sed foveri tamen hos ab iis qvos Lutherus pro Evange-
licæ doctrinæ proceribus habeat, & de iniqvo ejus inse animo, cum a-
liqvo contemtu loqvitur, monens Melanchthonem, ut illum respondere
diatribæ patiatur suo more: ardens nempe & vehemens esse ingenium
ejus, & Pelidæ stomachum, cedere nescii, ubiqve in eo agnosci. Nigros
tamen sales a Melanchthone notatos ad alios trahit, & omnino
moderate scripsisse, & sine affectu causam egisse videri vult; qvamvis
etiam Lutherus in literis (supra allegatis) existimet, omnino nihil es-
se momenti, sive adsit ei Erasmus sive adversetur, pollicetur tamen se
nunqvam scientem arma adversus Evangelicam veritatem sumturum,
ideo veritum esse etiam illa labefactare, qvæ in Luthero displicuerint,
ne simul ruerent alia probata. Qvin imo id per omnem occasionem
moliri, ut ex amaro violentoqve pharmaco, qvod Lutherus mundo, ut
ait, porrexerit, nascatur aliqvid bonæ sanitatis in moribus Ecclesiæ.
Addit multa de dissensionibus inter Evangelii doctores.

Sed sufficiant hæc, qvanqvam plurima relatu non indigna su-
persint, de Erasmi adversus Lutherum scribentis vel mente vel simula-

I. §. 179. 180. 1524. Lutherus ægre fert Erasmi ripteum. §. 180. Excerpta ex libello de servo arbitrio.

tione. Ingenue sane apud alios fatlus est, se dum Diatriben scriberet *in sua arena non esse versatum.* Vide epistolam ad Johannem Episcopum Roffensem, *Lib. XIIX. ep. 47.* & ad Hezium Pontificis Secretarium *ep. 48.* Imo Ludovico Vivi *Lib. XIX. ep. 22.* candide aperit, *se perdidisse, dum de libero arbitrio scriberet, liberum arbitrium; aliud sibi animum dictasse, aliud scripsisse calamum.* Patet hinc fluctuans viri animus, ita ut laus qvam Maimburgius hic illi tribuit, ob alia omnia ei potius qvam ob hanc scriptitationem debeatur. Lutherum qvod attinet, non dissimulavit ille apud amicos conceptum ex libello Erasmiano dolorem, non abjecta tamen autoris æstimatione; Ad Spalatinum enim 4. Nov. 1524. scribit *Lib. II. epist. p. 238. Incredibile est, qvam fastidiam libellum de libero arbitrio, nec dum ultra duos qvaterniones legi, molestum est tam erudito libello respondere tam eruditi viri.* Et mense Nov. hoc anno 1524. ad Hausmannum scribens, *Erasmum se responsurum esse* promittit, *non propter ipsum, sed propter eos, qvi autoritate ejus abutuntur in gloriam suam contra Christum.* Responsum tamen non nisi mense Decembri anno 1525. prodiit, libello, qvi titulum habet, *de Servo arbitrio,* Vide *Tom. II. Lat. Witteb. f. 457. Tom. II. Jen. f. 165.*

§. CLXXX.

Non pigebit ex prologo & epilogo qvædam hic exhibere, ex qvibus animus & stylus scribentis agnoscatur. Inscribit autem adversario ipsi librum hac honorifica præfatione: Venerabili viro, Domino Erasmo Roterodamo, Martinus Luther gratiam & pacem in Christo. Inde sic exorditur: „Qvod tardius diatribæ tuæ de libero arbitrio „respondeo, venerabilis Erasme, præter spem omnium, præterqve morem meum accidit, qvi hactenus ejusmodi occasiones scribendi non solum libenter apprehendisse, sed ultro etiam qvæsiisse visus sum. Mirabitur forte qvispiam novam illam & insolitam vel patientiam „vel formidinem Lutheri, qvem nec tot jactatæ voces & literæ adversariorum excitarunt, Erasmo victoriam congratulantes, & Io! Pæan! „cantantes. Scilicet Maccabæus ille & pervicacissimus asserror invenit tandem dignum antagonistam, contra qvem hiscere non audet. „Verum illos non modo non accuso, sed ipsemet tibi palmam concedo, „qvalem nulli antea concessi, non solum, qvod viribus eloqventiæ & ingenio longissime superas, qvalem nos omnes merito tibi concedimus, qvan-

qvanto magis ego barbarus in barbarie semper versatus, sed qvod & 1524.
spiritum meum & impetum remoratus es, & langvidum ante pugnam
reddidisti, idqve duabus rationibus. Primum arte, qvod mirabili sci-
licet & perpetua modestia causam hanc agis, qva mihi obstitisti, ne pos-
sem in te accendi. Deinde fortuna vel casu vel fato, qvod in tanta re,
nihil dicis, qvod non sit dictum prius, atqve adeo minus dicis qvam
hactenus Sophistæ dixerunt & tribuerunt: (de qvo latius dicam infra)
ut etiam supervacaneum videretur respondere istis argumentis tuis,
antea a me qvoq; toties confutatis, conculcatis vero & prorsq; protritis
per Phil. Melanchthonis de locis Theologicis invictum libellum, meo-
qve judicio non solum immortalitate, sed canone qvoqve ecclesiastico
dignum, cui tuus libellus comparatus ita mihi sorduit ac viluit, ut tibi
vehementer compaterer, qvi pulcherrimam tuam & ingeniosam dic-
tionem in istis sordibus pollueres, ac materiæ indignissimæ indigna-
rer, qvæ tam pretiosis eloqventiæ ornamentis veheretur, tanqvam si
qvisqvilinæ vel stercora aureis argenteisqve vasis portarentur. Id qvod
tu ipse qvoqve persensisse videris, qvi tam difficilis fuisti ad hoc scri-
ptionis munus obeundum, nempe qvod conscientia tua te monuit, fo-
re, ut qvantislibet eloqventiæ viribus rem tentares, non posse tamen
mihi fucum fieri, qvin feces ipsas, semotis verborum lenociniis per-
spicerem, qvi etsi sermone sum imperitus, rerum tamen scientia non
sum imperitus, gratia Dei. *Et post alia:* Itaqve nec multitudine negotiorum, nec rei difficultate, nec magnitudine eloqventiæ tuæ, nec ti-
more tui, sed mero tædio, indignatione & contemtu, seu (ut dicam) ju-
dicio meo de tua diatribe impeditus est mihi impetus respondendi, ut
illud interim taceam, qvod tui perpetuo similis satis pertinaciter ob-
servas, ne non ubiqve lubricus & flexiloqvus sis, ac Ulysse cautior, in-
ter Scyllam & Charybdim tibi videris navigare, dum nihil vis asser-
tum; rursus tamen assertor videri: cum qvo genere hominum, qvid
rogo, potest conferri aut componi, nisi qvis Protei capiendi peritus
fuerit, in qva re qvid possim, & qvid ea tibi profuerit, postea ostendam
cooperante Christo. Incitatum se *addit*, a fidelibus in Christo fratri-
bus fuisse, qvia Erasmi autoritas contemnenda non sit, & doctrinæ ve-
ritas in multorum cordibus periclitetur, ut ne amplius cunctaretur re-
spondere, imo silentium suum hucusqve servatum non satis pium sed a
carnis prudentia vel malitia sibi illusum fuisse agnoscit; jam vero of-

ficii

1524. ficii memorem esse, quo debitor sit sapientibus & insipientibus. Quamvis enim, *inquit*, res nostra talis est, quæ externo doctore non est contenta, sed præter eum qui plantat & rigat foris, etiam desideret Spiritum Dei, qui incrementum det, & vivus viva doceat intus (quæ cogitatio mihi imposuit) tamen cum liber sit ille spiritus, ac spiret, non ubi nos volumus, sed ubi ipse vult, servanda fuerat regula illa Pauli, insta opportune, importune, non enim scimus, qua hora dominus venturus sit. Optat porro & Deum precatur, ut ipse, miserum licet & fragile vasculum, lucrifacere Erasmum Christo possit, stylum etiam *(qui tamen in hoc tractatu satis nitidus apparet)* excusat, & rogat, ut sicut ipse ferat ejus in his rebus ignorantiam, ita ille suam ferat infantiam; non uni, scribit, dat cuncta Deus, nec omnia possumus omnes, seu, ut Paulus ait, sunt distributiones donorum, idem autem Spiritus. *Epilogus vero hic est:* Te nunc, mi Erasme, per Christum oro, ut, quod promisisti, tandem præstes: promisisti autem, velle te cedere meliora docenti: pone respectum personarum. Fateor tu magnus es, & multis iisque nobilissimis dotibus a Deo ornatus, ut alia taceam, ingenio, eruditione, facundia usque ad miraculum. Ego vero nihil habeo, & sum, nisi quod Christianum esse me prope glorier. Deinde & hoc in re vehementer laudo & prædico, quod solus præ omnibus rem ipsam es aggressus, hoc est, summam causæ, nec me fatigaris alienis illis causis de Papatu, de purgatorio, indulgentiis, ac similibus nugis potius quam causis, in quibus me hactenus omnes fere venati sunt frustra. Unus tu & solus cardinem rerum vidisti, & ipsum jugulum petiisti, pro quo ex animo gratias tibi ago: in hac enim causa libentius versor, quantum favet tempus & ocium. Si hoc fecissent, qui me hactenus invaserunt, si adhuc illi facerent, qui modo novos spiritus, novas revelationes jactant, minus seditionis & sectarum, & plus pacis & concordiæ haberemus. Sed Deus ita per Satanam nostram ingratitudinem vindicavit. Quanquam nisi aliter cautam istam agere potes, quam hac Diatribe egisti, optarim magnopere, ut tuo dono contentus literas & lingvas, sicut hactenus cum magno fructu & laude fecisti, coleres, ornares, proveheres, quo studio nonnihil & mihi servivisti, ut multum tibi me debere fatear: & certe in ea re te veneror & suspicio sincero animo. Huic nostræ causæ ut par esses, nondum voluit nec dedit Deus: id quod rogo, nulla dictum arrogantia existimes. Oro autem, ut propediem Dominus tantum in

hac

hac re superiorem me faciat, qvantum in aliis omnibus mihi superio- 1524.
res. Non enim est novum, si Deus Moysem per Jethro erudiat, & Paulum per Ananiam doceat. Nam qvod tu dicis, procul esse aberratum a scopo, si tu Christum ignores, arbitror te ipsum videre, qvale sit. Neqve enim ideo omnes errabunt, si tu aut ego erramus. Deus est, qvi mirabilis in suis sanctis prædicatur, ut sanctos putemus, qvi longissime sint a sanctitate. Neqve difficile est, ut homo cum sis, Scripturas aut Patrum dicta, qvibus ducibus te credis scopum tenere, neqve recte intelligas, neqve diligenter satis observes, qvod satis monet illud, qvod nihil asserere, sed contuliſſe te scribis. Sic non scribit, qvi rem penitus perspicit, & recte intelligit. Ego vero hoc libro non contuli, sed asserui & asserō, ac penes nullum volo esse judicium, sed omnibus svadeo, ut præstent obseqvium. Dominus vero cujus est hæc causa, illuminet te, & faciat vasculum in honorem & gloriam. Amen. Qvamvis autem, qvæ alicubi in ipso tractatu paulo acriora adversus Erasmum inspersit, emollita exordio hoc & epilogo Lutheri videri potuerint; nec Erasmus nigris, ut ipse loqvitur, salibus abstinuerit, vehementer tamen lecto hoc Lutheri responso exarsit, & intra duodecim dies defensionis suæ sive *Hyperaspistæ* (ut vocavit) partem primam deproperavit, ut in epistola ad Episcopum Lingonensem mense Martio 1526. data, refert. Eodem vero tempore ad Reginaldum Polum scribens, invitum se & pacis ac qvietis amantissimum, *nunc cogi* qveritur *retiarius esse*, imo, ut parum modeste pungit, θηριομαχεῖν. Alteram *Hyperaspistæ* partem anno 1527. edidit, & Georgio Saxoniæ Duci mense Septembri misit. Fatetur autem alicubi se a neutra parte scripto suo gratiam iniisse.

§. CLXXXI.

Materiam librorum eristicorum ipsam, ut jam professus sum, tractare supersedeo. Dissimulare tamen nolo, fuisse etiam post Lutheri obitum inter Theologos nostrates, qvibus qvædam in tractatu illo *de servo arbitrio* visa sunt illis, qvæ Calvini de decretis divinis doctrinæ tribui solent, affinia, aut etiam horridiora, unde qvidam tolerantiam dissensus in istis qvæstionibus tanto impensius commendant. Alii Lutherum postea emendasse sententiam suam putant, præcipue *in commentario in Genesin*, & qvæ constanter crederet, ex Augustana confessione post annos qvinqve exhibita, judicari debere monent. Prioribus illis qvi concordiæ studio plus justo Luthero imputasse existimantur, insignis ex nostratibus Theologus Argentoratensis *D. Seb. Schmidius*, edito an-

I. §. 181. qvorundam ex Protestantibus: nova ejus editio a D. Seb. Schmidio procurata additis annotationibus,

1524.

no 1664. ipso Lutheri *de servo arbitrio* libello, additisqve notis, occurrit, & genuinam Lutheri mentem explicavit; laudabili sane labore. Præmisit autem ante omnia excerpta qvædam, qvibus orthodoxia Lutheri probari potest. Cum vero ex istis qvædam, sed imperfecte, nec satis sincere margini Libri sui adscripserit Maimburgius, paulo integriora hic apponi debere existimavi. *Pag. 67.* ed. Schmid. hæc habentur: Alterum paradoxon: Qvicqvid fit a nobis, non arbitrio libero, sed mera necessitate fieri, breviter videamus, ne pernicios issimum dici patiamur. Hic sic dico; ubi id probatum fuerit, extra vires & consilia nostra in solius opere Dei pendere salutem nostram; (qvod infra in corpore disputationis spero me evicturum) nonne clare seqvitur, dum Deus opere suo in nobis non adest, omnia esse mala, qvæ facimus, & nos necessario operari, qvæ nihil ad salutem valent? Si enim non nos sed solus Deus operatur salutem in nobis, nihil ante opus ejus operamur salutare; velimus, nolimus. *Ad qva Schmidius*; Hæc verba; *velimus, nolimus*; videri possunt dura, qvasi homo aliqvid salutare velle possit, sed non facere. Sed res facile tamen expediri poterit. Loqvitur scilicet Beatus Vir non de velle bono, qvod cum voluntate Dei convenit, sed de velle & conari malo seu hypocritico, qvo plena est nostra corrupta natura, cujusmodi velle fuit Judæorum Rom. IX. 31. c. X. 2. nam ad legem justitiæ non pervenerunt nec zelus eorum fuit secundum scientiam, & de hoc velle hominum loqvitur Apostolus Rom. IX. 16. non est volentis nec currentis. *Sed pergentem audiamus Lutherum p. 68.* Necessario vero dico, non coacte, sed ut illi dicunt, necessitate immutabilitatis, non coactionis, hoc est, homo cum vacat spiritu Dei, non qvidem violentia velut raptus obtorto collo, nolens facit malum; qvemadmodum fur aut latro nolens ad pœnam ducitur; sed sponte & libenti voluntate facit. Verum hanc libentiam seu voluntatem faciendi non potest suis viribus omittere, coercere, aut mutare, sed pergit volendo & lubendo: etiamsi ad extra cogatur aliud facere per vim, tamen voluntas intus manet aversa, & indignatur cogenti aut resistenti. Non autem indignaretur, si mutaretur, ac volens vim seqveretur. Hoc vocamus modo necessitatem immutabilitatis, id est, qvod voluntas sese mutare & vertere alio non possit, sed potius irritetur magis ad volendum, dum ei resistitur, qvod probat ejus indignatio. Hoc non fieret, si esset libera, vel haberet liberum arbitrium. *Et paulo post p. 69.* Facimus volentes & lubentes, pro natura voluntatis,

tatis, qvæ si cogeretur voluntas non esset, nam coactio potius est, ut sic 1524.
dicam, voluntas. Qvod vero hominem bestiis similem in negotio conversionis non faciat, clare patet ex aptitudine illa qvam tribuit libero arbitrio *p. 72*: Si vim liberi arbitrii eam diceremus, qva homo aptus est „
rapi spiritu & imbui gratia Dei, ut qvi sit creatus ad vitam vel mortem „
æternam, recte diceretur, hanc enim vim, hoc est, aptitudinem, seu, ut „
Sophistæ loqvuntur, dispositivam qvalitatem & passivam aptitudinem, „
& nos confitemur, qvam non arboribus neqve bestiis inditam esse, qvis „
nescit? neqve enim pro anseribus, ut dicitur, cælum creavit. Adver- „
sus impudentissimam Manichæismi imputationem qvod Deus mali auctor sit, faciunt verba *p. 210. 211.* ubi videri potest Schmidii annotatio. it. *p. 212. 213.* Qværitur fortassis, qvomodo Deus mala in nobis dicatur operari, ut indurare, tradere desideriis, seducere & similia? Oportuit „
sane verbis Dei contentos esse, & simpliciter credere, qvod dicunt, cum „
sint opera Dei prorsus inenarrabilia; tamen in obsequium rationis, id „
est stultitiæ humanæ, libet ineptire & stultescere, & balbutiendo tentare, si qva possimus eam movere. Primum, etiam ratio & Diatribe concedit, Deum omnia in omnibus operari, ac sine ipso nihil fieri nec efficax esse. Est enim omnipotens pertinetqve id ad omnipotentiam suam, „
ut Paulus ait ad Eph. Jam Satan & homo lapsi & deserti a Deo, non pos- „
sunt velle bonum, hoc est, ea qvæ Deo placent, aut qvæ Deus vult. Sed „
sunt in sua desideria conversi perpetuo, ut non possint non qværere qvæ „
sua sunt. Hæc igitur eorum voluntas & natura sic a Deo aversa, „
non est nihil. Neqve enim Satan & impius homo nihil est, aut nullam „
naturam aut voluntatem habent, licet corruptam & aversam naturam „
habeant. Illud igitur reliqvum qvod dicimus naturæ in impio & Sata- „
na, ut creatura & opus Dei, non est minus subjectum omnipotentiæ & „
actioni divinæ, qvam omnes aliæ creaturæ & opera Dei. Qvando ergo „
Deus omnia in omnibus movet & agit, necessario movet etiam & agit „
in Satana & impio. Agit autem in illis taliter, qvales illi sunt & qvales „
invenit, hoc est, cum illi sint aversi & mali, & rapiantur motu illo divi- „
næ omnipotentiæ, non nisi aversa & mala faciunt, tanqvam si eqves a- „
gat eqvum tripedem vel bipedem, agit qvidem taliter, qvalis eqvus est, „
hoc est, eqvus male incedit. Sed qvid faciat eqves? eqvum talem simul „
agit cum eqvis sanis, illo male, istis bene, aliter non potest nisi eqvus sa- „
netur. Hic vides Deum, cum in malis & per malos operatur, mala qvi- „
dem fieri, Deum tamen non posse male facere, licet mala per malos fa- „

„ciat, qvia ipse bonus male facere non potest, malis tamen instrumentis
„utitur, qvæ raptum & motum potentiæ suæ non possunt evadere. Viti-
„um ergo est in instrumentis qvæ otiosa Deus esse non sinit, qvod mala
„fiunt, movente ipso Deo, non aliter qvam si faber securi serrata & den-
„tata male secaret. Hinc fit qvod impius non possit non semper errare &
„peccare, qvod raptu divinæ potentiæ motus ociari non sinitur, sed ve-
„lit, cupiat, faciat, taliter qvalis ipse est. Et plura non minus notabilia. De
universali deniqve Dei voluntate qva vult omnes homines salvos fieri,
qvid senserit Lutherus, dubitare nos non sinunt verba *p. 162.* Si Deus
„non vult mortem, nostræ voluntati imputandum est, qvod perimus.
„Recte inqvam si de Deo prædicato dixeris. Nam ille vult omnes homi-
„nes salvos fieri, dum verbo salutis ad omnes venit, vitiumqve est volun-
„tatis, qvæ non admittit eum, sicut dicit Matth. 23. Qvoties volui con-
„gregare filios tuos & noluisti? Verum qvare Majestas illa vitium hoc
„voluntatis nostræ non tollit aut mutat in omnibus, cum non possit ho-
„mo eo carere, qværere non licet, ac si multum qværas nunqvam tamen
„invenias, sicut Paulus ad Rom. XI. dicit: Tu qvis es, respondeas Deo?
Hæc & plurima alia qvi semotis præjudiciis considerare voluerit, de-
prehendet qvam maligna imo pessima fide agatur in recensendis Lu-
theri dogmatibus de necessitate actionum humanarum, & qvam pro-
terva calumnia doctrinæ sanctissimæ, qvæ & honori divino omnia de-
fert, & pœnitentiæ utilitatem optime & liqvidissime ostendit, in odi-
um adducatur. Sed Maimburgii, qvi Erasmi & Lutheri controversias
anticipat, saltus in seqventium annorum gesta me abripuit.

§. CLXXXII.

Ad annum itaqve 1524. in qvo *Liber primus* finire debuit, regres-
sus, pauca qvæ sublegenda invenio, subjungam, ex *Epistolis Lutheri* po-
tissimum observata. Periit hoc anno Wittenbergæ Albi flumine qvod
Addit. cum aliis lavandi aut natandi causa ingressus erat, haustus Gvilielmus
Nesenus, vir doctus, qvi Lovanio bonas literas docens, pulsus fuerat.
Luctuosus is Luthero casus fuit & ab eo diaboli sævitiæ adscriptus. Vid.
Lib. II. Ep. p. 220. acerbe deflesse defunctum & optasse ut miraculosum
donum haberet resuscitandi mortuos, alii notarunt. Vide Buchholtz.
hoc anno Erasmus etiam ad Philippum scribens, dolere se ob mortem
viri testatur, *Lib. XIX. ep. 3.* Cæterum cunctatione & dissimulatione in
aula, circa religionis negotium qverelas suas ad finem usqve anni con-

tinua-

tinuavit Lutherus, indignatus inter alia, qvod Parochiæ negligerentur, cum scilicet qvidam, ad qvos jus Patronatus spectabat, non præsentarent, qvi populo Evangelicam doctrinam desideranti satisfacerent, qvodqve plures parochiæ uni, nec idoneo, committerentur; dein qvod alicubi Pastoribus alimenta subtraherentur, cessante aut connivente ad ista Principe. Patet id ex epistola d. 24. Nov. 1524. data, qvæ extat *Lib. II. epist. p. 244. b.* Paulo post Lutherus Spalatinum hoc rerum statu, & langvente diuturno & lethali tandem morbo Electore, discessum ex aula meditantem, ut maneret, cohortatus est; *d. l. p. 245.* vel ut causam qvam subesse suspicabatur, aperte potius indicaret, nempe qvod uxorem vellet ducere, ut & non multo post ab eo factum est. At ipse Lutherus averso adhuc erat a conjugio animo & morti potius, qvam a persecutoribus sibi imminere existimabat, intentus. In eadem ergo Epistola, Nobili isti fœminæ, qvam supra nominavi, *Argulæ* ad uxorem ducendam hortanti, scribi & gratias agi jubet, addens: „ Non miror talia de me garriri, cum garriantur & multa alia, verum tu ei gratias age „ nomine meo, & dicito me esse qvidem in manu Domini sicut creaturam, cujus cor mutare & remutare, occidere & vivificare potest, singulis momentis & horis: hoc tamen corde, qvo hactenus fui & modo sum, non fiet, uxorem ut ducam; non qvod carnem meam aut sexum non sentiam, cum neqve lignum neqve lapis sim, sed animus alienus est a conjugio, cum expectem qvotidie mortem, & meritum hæretici supplicium: itaqve nec Deo figam terminum operis in me, nec in corde meo nitar. Spero autem qvod non sinet me diu vivere. Judicare hinc licet qvam impudenter mentiantur, qvi Luthero uxoris desiderium & amores Catharinæ Boriæ dudum meditatos imputant. Sed de his alibi. 1524.

§. CLXXXIII.

Ex scriptis Lutheri, hoc anno, præter illa qvorum mentio facta est, reperiuntur in Tomis *sermones* qvidam, & *tractatus exegetici* itemqve *epistolæ*, tum *versiones* eorum qvæ antea Latine scripserat, v. g. tractatus *de instituendis ministris Ecclesiæ Tom. II. Lat. Jen. f. 577.* Hunc Paulus Speratus, cujus supra meminimus, Germanicum fecit, & Salisburgensibus, & Herbipolensibus, auditoribus olim suis dedicavit mense Januar. hujus anni. Vide *Tom. II. Alt. f. 494. & seqq.* dein *Commentarius in Psalmos priores usqve ad XXII.* cujus versionis autor fuit Stephanus Rothius, Syndicus Zviccavienſis, eo nomine a Luthero laudatus. *Tom. II. Alt. f. 570.* Edidit hoc ipso anno D. Pomeranus commentarium in Psalmos,

L. §. 183. 1524. reſiqva hujus anni, commendat Pomerani Pſalterium. cantiones ſacras componit & procurat.

cui epiſtolam commendatitiam præmiſit Lutherus. Vide *Lib. II. Ep. p. 241.* qvæ & Germanice verſa extat *Tom. II. Alt. f. 519.* in Latina inter alia hæc habet: Johannes Pomeranus Epiſcopus Eccleſiæ Wittenbergenſis, voluntate Dei & patris noſtri, per miniſterium ſuum, Tibi, chariſſime Lector, donat hoc Pſalterium Spiritu Chriſti, qvi eſt clavis David, reſignatum. Qvod ut multis verbis ornem, non eſt operæ pretium, qvod ſatis abunde tibi (ſcio) commendatum erit, non meo teſtimonio, ſed ſuo ipſius argumento, qvo te coget, ſi legeris, teſtificari, ſpiritum eſſe, qvi loqvitur myſteria hæc a tot ſeculis abſcondita. Nam ut conferri poſſit tam priſcorum qvam recentiorum commentariis, etſi odioſum eſt ſatuere, audeo tamen dicere, a nemine (cujus extent libri) eſſe Pſalterium David explicatum, eſſeqve hunc Pomeranum primum in orbe, qvi Pſalterii Interpres dici mereatur. Adeo cæteri fere omnes tantum opinionem qvisqve ſuam eamqve incertam in hunc pulcherrimum librum congeſſerunt. Hic vero judicium Spiritus certum te docebit mirabilia. Porro & ego aliqvando in hoc libro cœpi operam impendere, ſed Papiſtarum tyrannis ſuſpendere me coegit organum meum in ſalicibus Babylonis iſtius, verum Chriſtus meam ſortem vindicavit glorioſe. Nam loco mei unius, cujus ſtillas noluit ferre Satan, cogitur pluviam & majora ſuſtinere tonitrua & cataractas, ita me oportet minui, illos vero creſcere. Qvare non eſt, optime lector, ut meum expectes Pſalterium amplius, ſed mecum gaude, gratulare, & gratias age Chriſto Salvatori noſtro, qvi pro uno Luthero paupere & tenui, jam ipſiusmet David, Iſaiæ, Pauli, Joannis, atqve adeo ſui ipſius tibi ſpem, imo rem & copiam fecit clare & palam, videndi, audiendi, & palpandi, non unius tandem calamo aut lingva, ſed virtute multa ut Pſalm. 67. ait. Hæc & qvæ non ſemel in Melanchthonis laudem ſcripſit, argumento eſſe poſſunt, qvam iniqvi ſint, qvi Luthero eum tribuunt animum ac ſi omnes præ ſe contemſiſſet. Continuavit hoc anno ſtudium ſuum Lutherus, ut Pſalmi qvidam in rhythmos Germanicos translati in templis a populo canerentur, aliaqve ſacra carmina; qvapropter & Spalatinum & Joh. a Dolzig, eqveſtris ordinis virum, cujus elegantiam & copiam commendat, ad ſocietatem illius operæ invitavit. Vide *Lib. II. ep. p. 239.* Erat autem in aula Friderici Præfectus Muſici chori *Joh. Waliberus*, qvi tonos compoſuit, exiitqve hoc anno primus *Cantionum ſacrarum* libellus, præfatiuncula Lutheri laudatus *Tomo II. Altenburg. fol. 751.*

In-

In illa piorum hymnorum usum ex Ecclesiæ non solum ritu, sed ex verbo Dei adstruit, & Musicam vel ideo commendare se velle profitetur, ne putetur per doctrinam Evangelii artibus honestis interitum afferre. Qvamvis vero poesis Germanica ad id usqve tempus non ita exculta fuit, ut postea factum est, multum tamen pro felicitate ingenii sui Lutherus etiam hac in re Germanis præstitit; & hymni sive ex Psalmis, sive ex historia & materia Festorum præcipuorum, qvæ in Ecclesia celebrantur, ut & de aliis qvibusdam fidei capitibus compositi, non solum (pro illius ætatis profectu) ornatum verborum, sed & tantum pietatis & spiritus habent, ut aliis licet nitidiori stylo, & metro aptiori elaboratis, præferri debere, etiam nunc merito censeantur. 1524.

Non defuerunt hoc anno etiam alii, qvi Lutherum acerbissimis scriptis infectarentur, *Cochleus* imprimis; sed Lutherus spernere illos cœpit; scribit enim *Lib. II. Ep. p. 183. Cochleo non est ut respondeam, cum aliis simus occupati melioribus & ejusmodi libri per se pereant qvotidie multi.* Sub initium anni *Florentina* qvædam, nobilis virgo, in Thuringia, ex familia jam extincta (*a Vinaria superiori*, Ober-Weymar/ cognominata) monasterio prope Islebiam (Neue Helffte vocabatur) elapsa, historiam suam scripto publicavit, referens, ut sex annorum puella, parentum jussu in cœnobium missa, undecimo ætatis anno, cum institutum monasticum nec intelligeret nec de consensu suo interrogaretur, velata fuerit, qvæqve passa sit cum antistes sive Domina comperisset, se de mutatione cogitare & ad Lutherum scripsisse, &c. Hunc ejus relationem Lutherus seqventi anno typis vulgari fecit, addita præfatione & epicrisi ad Comites Mansfeldenses, per qvam inconsultum consilium, qvo parentes liberos cum corporis & animæ periculo in claustra illa intrudunt, indignosqve qvibus ibi tractantur modos haud leviter reprehendit. Memini supra illustris in Franconia Baronis *Joh. Schwarzenbergii.* Is hoc anno filiam ex cœnobio tali retraxerat, magnum inde a Luthero præconium meritus, ut constat ex epistola ad eum d. 21. Decembr. hoc anno scripta qvæ legitur *Tom. II. Altenb. f. 515.* Sed adversariis multa inde calumniandi occasio nata est, ut ex Cochleo, Surio, aliisqve id generis Scriptoribus satis cognoscitur; nec pudet Cochleum crudelia illa supplicia qvæ hoc anno *Henricus Zutphaniensis* in Ditmarsis, & *Casparus* Viennæ religionis causa passi sunt, defendere. Budæ in Hungaria bibliopolam qvendam una cum libris exustum refert Lutherus, *Lib. II. Ep. p. 243. b.* Eadem sævitia in media

§. 555. 184. 1524.

dia Saxonia sive Misnia grassabatur Georgius Saxoniæ Dux adversus Lipsienses imprimis, ex qvibus, duro licet Principis & Episcopi Mersburgensis, ac universi Cleri jugo pressis, multi doctrinæ Evangelicæ magno desiderio flagrabant, sed mulctis, carcere, exiliis coerciti, meliora tempora expectare cogebantur. Capite tunc publice in foro Lipsiensi plexus est, *Johannes Hergotius*, Bibliopola: ex Academicis Magister qvidam *Sebastianus Fröschelius* instigante Episcopo, Lutheranissimi causa captus, & in arcem ductus ab ipso Principe vehementissime increpatus & in exilium ejectus est, (is postea diaconatum Wittembergæ multis gessit annis) alii Mersburgum missi, in carceribus Episcopi dum viverent habendi, nec multo post duo alii ex civibus capitibus truncati sunt, ut narratur in *Chronico Lips.* Schneideri *p. 178. 179.*

§. 555.

Hæc prima bella sunt, qvæ Lutheranismus in Germania produxit, sed tantum calamo & lingva intra septem priores defectionis Lutheranæ annos gesta. Jam alia apparebunt, qvæ ferro & igne turbas horrendas dederunt, neqve tamen funestum hæreseos hujus incendium extingvere potuerunt, sangvine licet innumerorum hominum effuso, qvi vel pro ea destruenda vel defendenda cæsi fuerunt.

§. CLXXXIV.

Epiphonema hoc impertinens est, & sternendæ tantum viæ ad transitionem *de bello rustico*, qvod libro seqventi describitur & Luthero imputatur, arreptum. Neqve enim per annos hos septem intra verba stetit controversia de religione, sed sangvinis jam plus satis fusum fuit, tanto qvidem crudelius, qvod nullo bellorum strepitu, sed sub forma juris inermes per supplicia horrenda sæviebatur. Ratio autem fuit Maimburgio sicco illa pede transire, ex qvibus puriorem doctrinam profitentes in veritatis studio firmabantur, & deprehendebant, qvo spiritu adversarii agerentur, utqve prædicta in scripturis novissimorum seculorum fata implerentur.

FINIS Libri I. Comment.

INDEX LIBRI PRIMI.

A.

Abas: Leninensis. pag. 43. Panormitanus 61. Cellensis 160. Cordemoyus Gallus. 250.

Academia Colonienſis, decernit contra Lutherum 141. Erfurtenſis non vult decernere de diſput. Lipſ. *ibid.* Heidelbergenſis Pontifici adhæret 191. Lovanienſis contra Lutherum 141. refutatur 159. Pariſienſis appellat An. 1517. ad Concilium. 6. minatur ei Cajetanus 77. ad judicium ejus provocatur Lipſiæ in diſputatione. 118. laudatur a Luthero ob libertatem & interpoſitam appellationem 140. notatur ob inconſtantiam 159. condemnat doctrinam Lutheri 242. ei acriter reſpondet Lutherus & Philippus 278. 281. Viennenſis, jubetur Lutheri libros comburere 292. Wittenbergenſis vid. Wittenberga. Academiarum abuſus 165.

Adrianus Cardinalis Ultrajectenſis ſeu Dertuſanus a Luthero notatur 159. fit Pontifex, mittit Legatum Cheregatum ad Comitia Norimb. 356. plura de ejus electione & propoſito reformationis 357. & ſeqq. taxatur eo nomine a Pallavicino 360. 361. cur nihil effecerit 362. ſeverum ejus in Lutheranos diploma 363. fatetur publice neceſsitatem reformationis 364. 366. literæ ejus ad Fridericum Electorem 361. 373. gratulatur Trevirenſi Elect. de oppreſſo Sickingio 388. canonizat Bennonem Ep. Miſn. 405. mors Adriani & elogia 406. ſtimulat Eraſmum in Lutherum 450.

Adrianus Auguſtinianus prædicat Evangelium in Weſtphalia 433.

Albertus Brandeburgicus ArchiEp. & Card. Mogunt. & Magdeb. 18. culpatur a Luthero, qvod indulgentias conduxerit, & ob impudicitiam 19. reſpondet epiſtolæ Lutheri 149. minatur ei Lutherus 144. iterum ſevere ad eum ſcribit & lene reſponſum accipit 266. tacite favere dicitur Luthero 267. mulctatur ob cauſam Sickingii 389.

Albertus Brandeburg Magiſter equitum, poſtea Dux Prusſiæ, Evangelio favet 413. 421. 428. & ſeqq. id ſolenniter recipit 431.

Albertus Saxoniæ Dux, Erneſti frater in præloqv.

Albigenſes ſive Waldenſes. 7. 393. reprehenſi a Luthero ob ſcholarum neglectum 442.

Aleander, Hieronymus: Nuntius

Papæ Præloq. 184. 185. acta ejus cum Friderico El. 187. comburi facit libros Lutheri 184. 186. oratio ejus contra Lutherum 211. excerpit ejus libros de Captiv. Babyl. 214. ejus artes in Comitiis Wormat. 216. & seq. mendacia in oratione 218. autor fuit Edicti Wormat. 236. sævit in Belgio contra Lutheranos 398.

Alstet oppidum & arx ficta *Vestberg* falsò Lutheri secessui assignatur 237. 239.

Amsdorfius Nicolaus 137. 164. 223. 233. & passim.

Anabaptistæ, Zviccaviæ surgunt, Wittenberg. veniunt, Lutherus de iis ex arce scribit. 294. monet Mulhusinos de iis cavendis 438. & Principes Saxon. 439. spiritum illorum describit 439. 440

Angliæ Rex Henricus VIII. scribit contra Lutherum, & titulum defensoris fidei obtinet 277. 278. 279. Oratio ejus Legati ad Leonem 280. persecutio Wiclefitarum & Lutheranorum. ibid. & 281. Lutheri adversus regem liber 285. 289. & seqq. Rex de eo qveritur apud Duces Saxon. 395

Argentoratum: initia doctrinæ Evangelicæ 274. progressus 390. nuptiæ Pastoris Thomani, & lis civitatis & pastorum cum Episcopo 418. Senatus reformationem suscipit 433.

Argula, Matrona Nobilis, Evangelii studiosa 320. scribit ei Lutherus 461.

Aristoteles a Luthero reprehensus 27. 36. 37. 54. 159. 165. 247. 255. 263.

Augusta Vindelicor. comitia ibi habita 67. & seq. initia Evangelicæ doctrinæ 353.

Augustinus Alfeldensis, Franciscanus, Lutheri adversarius. 160. & alibi.

Augustiniani Lutherum hortantur ad qvietem, referente Maimburgio 144. examinatur 155. missas solitarias abrogant Wittembergæ 272. probatur factum a Theologis Wittemberg. 328. decreta Synodi August. 329. Liber Lutheri ad Augustinianos. ibid. & seqq. legatio Electoris de ea causa 331. Augustinianorum monasteriũ Antverpiæ destruitur. 353. Wittembergense vacuum fit & Principi offertur 444. Augustiniani duo exuruntur Bruxellis. 398. seqq. Erasmi de eo facto judicium 401. Lutheri d. l. & 425.

B.

Bambergensis Episcopus cunctatur in publicatione Bullæ Leonis 171. civitas Luthero favet de hortante Papa 336.

Barnimus Dux Pomeran. 120. 423.

Bartholomæus Bernhardi, Pastor Kemberg. primus uxorem duxit: ejus facti apologia. 252.

Basileensis Episcopus 142.
Baptismus: formula ejus Germanica a Luthero præscripta, & postea correctior 342.
Batavia initia doctrinæ Evang. relata a Frid. Canirmio 355.
Bellarminus, Robertus, taxatur a Richerio 364.
Benno Ep. Misn. ejus Canonizatio, 404. & seqq.
Bergvinus, Ludovicus, martyr Parisiis. 403
Biblia: versionem suscipit Lutherus magno cum applausu. 315. & seqq. prohibent eam a subditis haberi Principes. 321. seqq.
Bohemi: qvo statu fuerint tempore Lutheri. 7. vid. *Piccardi*. scribunt Luthero 138. libellos ejus petunt. 142. vertunt in suam lingvam 207. Evangelium docetur in Valle Joachim. 273. Lutheri ad eos literæ 355. aliaqve cum iis gesta 392
Bona Ecclesiastica, an scopus fuerint reformationis, in præloqv. & p. 193. qvid juris in illa sit Principibus & Pontifici 347. an Lutherus Principibus illa asignaverit. 351. 445.
Bona opera: de iis disputatur Lips. 118. tota & totaliter sunt a Deo. 125. 133. it. 458. comparatio de serra 134. bonorum operum necesitas ex Luth. 153. qvotuplicia sint, & qvam necessaria 197. merita eorum refutata & qvatenus sint peccata 246. asserta a Pontificiis 215.
Bonaventura notatus a Luthero. 53.
Bonifacius VIII. Papa culpatur. 41.
Boria, S. de Bora, Catharina Lutheri uxor. 153
Borussia, Evangelium recipit. 426. seqq. solenni ritu. 431. ordinatio Episcoporum de religione 431.
Brandenburgensis vid. Albertus.
Brandenburgensis Elector agit cum Luthero Wormatiæ 232, infensus Luthero 243.
Brema initia doctr. Evangel. 354. Progressus 424. reformatio in Archiepiscopatu 426.
Brentius, Johannes. 353.
Brismannus Joh. Corbusiensis docet in Borusia 390.
Brissonetus Gvilielmus Episc. Meldensis 403.
Brunsviga, initia doctr. Evang. 422
Bruxellenses martyres Augustiniani. 398
Bucerus, Martinus. 36. 37. 192. 224. 355. 390
Bugenhagius, Johannes vulgò Pomeranus. 95. 274. 423. ejus Commentarius in Psalmos. 461. seq.
Bulla cœnæ Domini 55. 214
Bulla Leonis de indulgentiis 97. contra Lutherum 167. de ejus autoribus & stylo. 168. 169
Burnetus Gilbertus, autor histor. reform. Anglicanæ 280.

C.

Cajetanus Cardin. Thomas de Vio Augustam mittitur. 68. agit cum Luthero Augustæ 74. 80. Theologiæ tunc imperitus. 80. 74 scribit Friderico. 82. Maimburgii de eo judicium. 83. Bullam contra Lutherum promovet 168.

Campegii Cardinalis legatio & acta Norimbergæ. 407. 410. Acta ejus Ratisponæ. 416. judicium de iis. 419.

Canonici vid. Wittemberg.

Canonicum jus docetur Wittembergæ invito Luthero. 275

Cantiones sacræ vernacula lingva a Luthero suppeditatæ, primum prodeunt 42

Capito, Wolffgangus Fabricius 89. 266. 267. 390. 437.

Capnio, seu Reuchlinus, Johannes. 44. 50. 159.

Caracciolus Legatus Papæ 187.

Carolus Cæsar, ejus judicium de Sleidano. *in præloq.* Electio 181. & seqq. vult Lutherum Wormatiæ audire 214. 219. præcipitanter de eo judicat 231. edictum adversus eum condit 236. qvomodo causa Lutheri ad suam utilitatem erga Pontificem usus sit 240. infelicitatem ei prædicit Lutherus 271. postulat tributa Eccles. a Papa, prætextu opprimendi Lutheranismi 367. dehortatur civitatum Legatos 378. scribit acerbe ad ordines Imperii 420.

Carolostadius, Andreas Bodenstein, describitur a Maimburgio 116. id consideratur 120. disputat Lipsiæ cum Eccio 126. & seqq. laudatur a Luthero 139. pugnat acriter cum Eccio 149. defendit conjugia clericorum 253. incipit turbas, qverente Luthero 276. apertè tumultuatur 292. & seqq. uxorem ducit, *ibid.* & 299. a Luthero reprimitur 293. Acta Orlamündæ & exilium 303. 305. ulterior de eo narratio 434. seqq. acta ejus apud Helvetios 435. scholarum destructionem machinatus est 441.

Cassander, Georgius 347

Catharina vid. Boria.

Catharinus, Ambrosius, Dominicanus, scribit contra Lutherum, eiqve hic respondet 261. seqq.

Cellarius, Martinus, Anabaptista 294.

Cellius, Matthias, prædicat Evangelium Argentorati 274. ejus uxor 413.

Ceremoniæ seu ritus qvomodo observari debeant 156. 341. seq.

Cevrius, Gvilielmus Crojus, Caroli V. educator 214. 222. ejus fratris filius Archi-Episcopus. *ibid.* æmulus Adriani Papæ 359.

Charitas sive dilectio, ejus natura. 199. seqq.

Cheregatus, Franciscus, Legatus Pontificis accusat Lutheranos in

in comitiis Norimberg. 157. publicat mandata ſua 364. reſpondent ei ordines 372

Chriſtierni II. Dan. Regis hiſtoria ex Maimburg. 378. & ſeqq.

Claves, Jus clavium: Lutheri de eo ſententia 119.

Clementis VI. Bulla de indulgentiis 90. 97.

Clemens VII. Papa, & judicia de eo. 406. 409. ſcribit Friderico El. 410 averſatur concilii convocationem 411.

Clerus, Clerici, eorum nimiam prærogativam taxat Lutherus 164. corruptio cleri 263. tractatus contra falſum ſtatum Eccleſiaſticum 307. ſeqq. clerus inferior Luthero adhæret 206.

Cnophius, Andreas 274.

Cochleus, Johannes notatur paſſim. a Luthero demum ſpernitur 463

Cælibatus vid. conjugium.

Cæna Sacra vid. Sacramentum.

Colloqvium ſeu diſputatio diaboli cum Luthero 250.

Comitia Auguſtana 1518. 68. vid. Norimberga & Wormatia.

Communio ſub utraqve qvomodo a Luthero probata ſit, & æſtimata, notatur Abrah. Scultetus 301.

Concilia qvæ indulgentias decreverunt. 9. & exceſſus præconum correxerunt. 16. de autoritate conciliorum 41. Pontifices conciliorum convocationem evitant. 66.

Concilium liberum poſcitur in comitiis 372.

Concilium Baſileenſe 61. 77. Conſtantienſe 16. 121. 123. 133. 233. Lateranenſe 6. 113. 133.

Conciones pomeridianas ſvadet Lutherus a Philippo habendas 269.

Concordia circa religionem tractatus in medium proponitur 378.

Concupiſcentia ſive fomes, an ſit peccatum 247. 248.

Confeſſio, tractatus de ea Lutheri. 243. 244.

Conjugium an clero licitum 252. 254. & ſqq. ſermo Lutheri de eo, vindicatur 333. ſeqq. improbantur cleri conjugia in comitiis, intercedit Lutherus 377. narratio de conjugio vel concubinatu ſacerdotum in Biſcaia 419.

Conſilia Evangelica. 251.

Coppe Leonhardus juvat moniales in egreſſu monaſterii 391.

Cordemoyus Abbas Gallus refutatur 250.

Cordus Euricius 223.

Cnichgoa Evangelium recipit 353

Cronebergius, Harthmuth, fautor Lutheri 236. ejus ſcripta 336. clades 388.

Cronebergius Walterus Magiſter ord. Teut. 430

D.

Dania: Rex Chriſtiernus Lutheroſavet 273. reformatio Danica a Maimburgio narrata. 378. ſqq.

Disputatio Lipsiensis inter Eccium, Carolostadium & Lutherum 116 seqq. relatio de illa Lutheri 121. seq. Melanchthonis & Eccii concertatio occasione disputationis 128. sqq. a Luthero defenditur, Melanchthonis relatio 132. Eccii & adversariorum literæ ad Electorem de disput. Lipsi. 136.

Doctrina: ejus veritas non pendet a moribus docentium 287.

Dolscbius Johannes Canon. & Professor Wittenberg. 171. 331. 392.

Dmco Joh. Ecclesiastes Evang. 354. 397.

Dungersheimius Hieron. seu Ochsenfarth Theol. Lipsi. 110.

E.

Eberbachius Philippus, docet Evangel. in Bohemia 237.

Ecclesia: qvid sit ejus pax 5. qvæ obedientia debeatur antistitibus. *ibid.* ejus miseria & corruptio ante Lutherum 6. 7. ejus definitio & descriptio ex Sylvestr. Prier. 40. refutata a Luthero 41. ejus servitus a Luthero deplorata ipsiusqve Pontificis 49. 50. proditur hæreticis & hostibus, si incerta asserant 52. præcepta ejus qvo animo servanda 155. corruptio ejus ex felicitate 177. veri ejus characteres 262. de unitate ejus an sub Pontificia potestate qværenda 290. 291.

Eccius, Johannes, alias *Mayer*, contra Lutherum scribit 34. 38. 39. astitit Franciscanis contra eum 112. ejus thesis pro Pontifice contra Lutherum 113. disputat cum hoc & Carolostadio Lipsiæ 116. & seqq. ejus mores in disputatione 122. edit expurgationem. ibid. Sophismata ejus notantur. ib. refutat epistolam Melanchthonis de disput. Lipsi. 123. qveritur apud Electorem de Luthero post disput. Lipsi. 136. ad Hochstratanum scribit de eadem. 137. dolet de libello, Canonicorum indoctorum nomine scripto 141. Romam proficiscitur Lutherum accusaturus. 149. redit Lipsiam cum Bulla 166. 167. 170. 171.

Eck Johannes ab Eck, officialis Trevirensis 226.

Emserus, Hieronymus, scribit in Bohemiam de Luthero & refutatur ab hoc 138. incitat Episcop. Miss. in Lutherum 142. impugnat versionem Bibl. Lutheri 321. aliam ipse facit 322. calumniatur Lutherum 323. mors ei prædicitur 325. Missam defendit 346. & canonizationem Bennonis 406. libellum Erasmi contra Lutherum vertit & publicat 447.

Episcopus. Episcopatus, qvatenus sit de jure divino 251. verum ejus officium 307. falsi destructio svadetur a Luthero, sed non violenta

olenta 308. habet eos pro Principatibus ſecularibus 351
Equites, vid. Nobilitas.
Eraſmus Roterodamus ſcribit ad Fridericum Elect. item ad Lutherum 111. laudat libellum Lutheri, Teſſaradecada 142. ſcribit ad Moguntinum de Luthero 148. de Friderici Elect. ad imperium electione teſtatur 182. judicium ejus de Luthero apud Fridericum El. 188. deſcribitur a Maimburgio 206. ejus ingenium & animus expenditur 208. it. de ejus natalibus & morte qvædam 210. hæſitatio ejus circa conjugia cleri 260. nocet cauſæ Lutheri 309. 450. ſupplicia ob religionem improbat 401. Aleandrum taxat 403. Leonem ob Bullam excuſat. ibid. adulatur Leoni 292. ſcribit contra Lutherum 446. ſeq. reſponſum accipit 447. ulterior de lite hac narratio 449. & ſeqq. literæ Eraſmi, ex qvibus conſilium & cauſa ſcribendi adverſus Lutherum cognoſcitur, ad Melanchthonem 450. 452. ad Adrianum Pontificem & Campegium Cardinalem 451. ad Tonſtallum Epiſc. Lond. & ad Volſerum Cardin. ibid. aliæ ad Melanchthonem, qvibus mentem ſuam de Luthero explicat 453. pœnitere videtur ſcripti ſui 454. iraſcitur ob Lutheri reſponſum, & replicat 457.
Erfurtum: concionatur ibi Lutherus. 93. tumultum improbat a ſcholaribus & plebe in clerum concitatum 243. Evangelium ibi prædicat Johannes Langus, Auguſtin. 273. 331. Lutherus ibi concionatur & moderationem ſvadet 334.
Erneſtus Elector Sax. *in præloqv.*
Erneſtus Saxo Archiep. Magdeb. 166 429.
Erneſtus Dux Saxoniæ *in præloq.* it. 25.
Erneſtus Lüneburgicus favet Evangelio 422.
Evangelii & legis diſcrimen 202. de præceptis Evangelii 203.

F.

Faber Johannes, Conſtantienſis Vicar. Gener. 378.
Faber Jacobus Stapulenſis 159. 403. 432. 437.
Fanatici violenti vi reprimendi ex ſententia Lutheri 404. 439.
Feilitſchius, Philippus, 79. Fabianus 104.
Ferdinandus Auſtriacus, prohibet Bibl. Luth. 323. 353. decreta contra Lutheraniſmum condit. 375. 419.
Fides ſola juſtificat, ſed non mortua verum efficax 134. de ejus natura ex libello Lutheri de libertate Chriſtiana 153. ex comment. in Galat. 198.
Fiſcher Joh. Epiſc. Roff. 404.

Franciſcani ſive Minoritæ Lutherũ impugnant 112. reprimuntur ab illo 158.

Francofurtum ad Mœnum: Paſtor Petrus Mayer 336. Evangelium ibi docet Hartman. Ibachius 353.

Franconica Nobilitas vid. Nobilitas.

Freiberga, urbs Miſniæ 273.

Fridericus Sax. Elect. *præloq.* fundator Acad. Witt. 19. Luthero ad Doctoratum ſumtus ſuppeditat 22. Lutheri de eo judicium 28. an Lutherum inſtigaverit 34 jubet eum Auguſtam ire 72. qvatenus Luthero faverit 87. & 101. 102. 142. mandata ad Pfeffingerum. 88. laudatur ejus ſapientia 90. ſuccenſet Cajetano. *ibid.* literæ ejus ad Eraſmum 102. qvomodo Miltitium Nuntium Pontificis exceperit *ibid.* & 105. diſqviſitio de filio ejus Notho 109. ægrotat, eum conſolatur Lutherus 141. mandata ad Valentinum Teutlebium Romam perſcripta 156. 157. recuſat oblatum imperium 181. 182. Lutheri ea de re relatio 183. acta Friderici cum Legatis Papæ, Coloniæ. 187. de amore ejus erga verbum Dei Staupitii & Lutheri teſtimonium 204. & ſeq. leniter agit cum Luthero Wartburgum relinqvente 296. caute verſatur in eo protegendo 326. legati ejus Wittebergam miſſi, de miſſæ negotio 331. ſeqq. cunctatio in Comitiis Norimb. 374. reſponſum ad Regem Angliæ 396. & Hungariæ 397. exitum ei machinatur Pontifex 413. Luthero pannum mittit, cucullum exuenti 444. lethaliter decumbit 461.

Fridericus Sax. Pruſſiæ magiſter 428

Fridericus Dux Sax. Gothanus *in præloqv.*

Friſii petunt Doctores Evang. 355

Friſius Carolus Baro, laudatus, *in præloq.*

Frobenius, Typographus Baſil. 111.

Froſch Johannes, Carmelita Auguſtanus, Lutheri hoſpes, fugit in Saxoniam 80. docet Auguſtæ 353

Froſchelius Lipſia ob religionem pulſus. Diaconus Wittemb 464

Frundsbergius ſive Fronsberg, Georgius, Lutherum hortatur 235

G.

Gabriel Didymus Altenburgum miſſus a Luthero, abire jubetur 326.

Gallia, perſecutiones in illa Lutheranorum 403.

Georgius Dux Saxoniæ deſiderat diſputationem Lipſienſem 117. judicium ejus de Primatu Papæ 124. ejus mens poſt diſputationem Lipſ. 125. 126. dat ſalvum conductum Luthero 222. gravis eſt Henrico fratri 273. ſpernitur a Luthero 295. Biblia Lutheri prohibet 353. perſeqvitur Lutheranos 294. expoſtulat cum Luthero per literas 394. ſcribit Regi Angliæ

Angliæ de Luthero 396. continuat persecutiones 397. Lipsiæ capite qvosdam plecti facit, ob religionem 464.
Georgius March. Brandenb. favet Evangelio 355. alia ejus acta 429.
Gerbelius, Nicolaus 267. 390.
Gerson, Johannes 40. 61. 79.
Gerlitius, Martinus Pastor Brunsv. 168.
Glapion, Johannes, Cæsaris Pœnitent. 224 275.
Gleichensis comes Wolfgangus recipit & promovet Evangelium 433.
Gottinga urbs recipit Evang. 423.
Grammatici Luthero favere dicuntur 190.
Gravamina Germanorum de abusibus Romanis 356. 369. & seqq 370. & seq. 371. eluduntur a Clemente VII. 413.
Gvilielmus Parisiensis 49.
Guttelius Caspar, Augustinianus Islebiensis 356.

H.

Hæretici vi non persequendi 178.
Hala Saxon. 424. & alibi.
Hala Svevor. initia doctrin. Evang. 353
Hamburgum: petit doctores Evangelii 355.
Hannovera urbs recipit Evangelium 423.
Hartknochius autor rerum Borusicarum 430.
Hassiæ Landgravius Philippus. in præloq. it. 222. 235. opprimit Sickingium 388. favere incipit Evangelio 426.
Hausmannus Nicolaus, Pastor Zvicc. 273. 344. & alibi.
Hedio Caparus 355. 390.
Heidelbergensis disputatio 36.
Henricus Angliæ Rex vid. Anglia.
Henricus Dux Saxoniæ 237.
Henricus Dux Brunsvic. 422.
Hersfeldensis Abbas, humanus erga Lutherum 239. Pastor ejus oppidi uxorem ducit 252.
Hessus Johannes Pastor Uratislav. 389.
Hieronymus Episcop. Brandeburg. 34. cognomine *Scultetus*, Lutheri ad eum epistola 43. agit cum eo per Abbatem ibid. convenit ipsum Lutherus 110. minatur Luthero 126. publicat Bullam Leonis 171.
Hieronymus de Genutiis auditor Cam. Rom. 67. 81.
Hiobus, liber inter sacros difficillimus 317.
Historiarum scriptores qvales esse debeant, *in præloq.*
Hispani vertunt Lutheri scripta 195.
Hochstratanus, Jacobus 59. 121. 208.
Hortlederus Fridericus, historicus Saxon. *in præloq.* & alibi citatur.
Hoyensis comes Jodocus, recipit Evangelium 433.
Hülsemannus, Johannes 182.
Humilitas Christiana ex Luth. 153.
Hungaria: veniunt ex ea Juvenes ad Lutherum audiendum 355. Rex Ludovicus scribit ad Fridericum El. de Luthero 397.
Hussus Johannes, 121. 133. 159. 233. & alibi.
Huttenus Ulricus 148. 167. 170. 189. 192. 193. 220.

I.

Jacobus, Augustinianus, Antwerp. cognomento, *præpositus* ejus confessio, variatio, evasio, docet Bremæ 274. 275.

Imaginum cultus & usus 302.

Indulgentiæ qvid sint, secundū Maimburg. 8. qvales admittantur a protestantibus 13. earum abusus fatetur Maimburg. 12. majorem demonstravit Lutherus 13. Indulgentiarum præcones ob excessus taxantur 16. 17. causam dant Schismati 18. sententia de iis Lutheri in resolutionibus thesium 48. 49. qvæ sint veræ indulgentiæ, earumqve adipiscendarum ratio 53. an sint thesaurus ecclesiæ 91. Bulla pontificia pro indulgentiis An. 1518. 97. 98. profusio in præcones indulgentiarum nominatim Tezelium 109. disputatur de iis Lipsiæ. 116. & seqq. 123. qvid ad Bullam Leonis responderit Lutherus 121. 135. plane eas rejicit 177. Pallavicinus eas defendit 359. Adrianus moderatur 361.

Johannes Dux Saxoniæ frater Friderici 369. & alibi.

Johannes Fridericus Sax. El. *in præloq.* & alibi scribit ad Lutherum, vivo patre Johanne 441.

Johannes Georgius III. Elect. Sax. *in præloq.*

Johannes Georgius Dux Sax. Isennacensis *in præloq.* Halis Sax. docet Evang. 424.

Johannes XXII. condemnatus ob abusum indulgentiarum 16.

Jonas Justus vel Jodocus, Præpositus Wittenb. sæpius memoratur. docet Hal. Sax. 424.

Irenicus Franciscus 354.

Isennacum 239. 391.

Judæi, qvomodo convertendi 155.

Julius II. Pp. juramento promittit Concilium Generale 6. culpatur 41. 51. titulum Christianissimi destinat Regi Angliæ 280.

Jus Canon. 275.

Justificatio ex fide asserta a Luthero Comment. ad Galat. 196. 197.

K.

Kornius Gallus, docet Norimbergæ 353.

L.

Laici contemptum habiti a clero 120.

Langus Johannes, Augustinianus, Evangelium docet Erfurti 273. 334. memoratur sæpius.

Latomus, Jacobus: scribit in Lutherum & hic ei respondet contenta libri & hujus encomium 245. & seqq.

Leisnicense statutum de bonis Ecclesiæ, probatum a Luthero 349.

Leo X. Pp. habet concilium Lateran. Gallos insectatur 6. Ejus electio & magnificentia 14. examinatur ibid. indulgentias publicat, qvo prætextu & usu 15. excusatur, ejusqve conditio deploratur a Luthero 50. scribit

bit Friderico Elect. 68. item 104. ad Pfeffingerum & Spalatinum d. l. mittit Miltitium ibid. scribit iterum ad Fridericum audito Teutlebio 158. ejus Bulla de indulgentiis 97. dein contra Lutherum 167. 168. de Bullæ autoribus & alia qvædam ibid. examinatur 169. scribit Acad. Wittenb. 170. 171. Lutherum execratur in Bulla Cœnæ Domini 214. Regi Angliæ titulum confert defensoris fidei 280. mors Leonis & elogia 292.

Leodiensis Episcopus Card. Erhardus de Marcka 182.

Leus Eduardus, Anglus Luthero infensus 285.

Lex naturæ item Mosaicæ, ut differat ab Evangelio ex Luth. Comment. in Galat. 201. an lex servari possit 246.

Libertas Christiana, tractatus Lutheri 152. & seqq. improbat abusum 156. asserit eam contra vota monastica 255.

Liberum arbitrium: disputatur de eo Lipsiæ 118. 123. & in Lutheri tractatu contra Minoritas. 127. Melanchthonis de eo sententia 131. theses à Pontificiis damnatæ 275. disceptatio inter Lutherum & Erasmum 449. 454. & seqq. judicium qvoddam de ea 457. & seq. excerpta ex Lutheri tractatu de servo arbitrio cum commendationibus D. Sebast. Schmidii 458. & seqq.

Lincius Wenceslaus: Augustinianus 38. Luthero assistit Augustæ 72. 78. venit ordinis nomine ad Lutherum 151. fit Altenburgensium Pastor. uxorem ducit 392.

Lipsia: Disputatio ibi habita Anno 1519. 116. & seqq. clam favent Luthero Lipsienses 217. plectuntur qvidam eam ob causam, capite 464

Livonia: docetur ibi Evang. 354. Lutheri ad Livonos literæ ibid.

Lovanienses Theologi damnant Lutherum & ab eo refutantur 140. 150

Ludovicus XII. R. Gall. Romam pro Babylone habet. 6.

Lutherus Martinus: vid. præloqv. describitur a Maimburgio 20. & seqq. ea examinantur 24. parentes ejus & familia, cognomen Luder aut Luther, nomen monasticum: Sacerdotium, iter Romanum: Professio Wittenbergensis, Doctoratus 25. 26. initia doctrinæ Evangelicæ 27. libertas, vicariatus, studia, mores 28. cœpta disputatio 29. excusatur ab ambitione 29. 30. concionatur contra indulgentias 31. scribit ad Albertum Mogunt. & theses contra indulgentias public. 31. 32. eo inscio combustæ theses Tetzelii 33. non scripsit ex instigatione Friderici El. in æmulationem Alberti Mog. 34. nec Staupitii impulsu 44. 45. scribit ad Hieron. Ep. Brand. & ad Leonem X. 34. Lutheri theses respondente Gunthero Wittebergæ disputatæ. 35. item Heidelbergæ, respondente Beyero.

36. ſapit profectu non Enthuſiaſmo. 37. 59. reſpondet obeliſcis Eccii 39. & Prieriati 40. 41. 42. de epiſtola Leoni X. An. 1518. mittit ei reſolutiones ſeu defenſiones theſium ſuarum 45. 46. 57. Romam habet pro Babylone, excuſat tamen Leonem X. Pp. 49. 50. ſtyli barbariem excuſat, explicat, qvà mente diſputare cœperit, & potiſſima ab initio dogmata 58. diu autoritatem Pontificum & Clerireveritus eſt. 59. Prieriatis epitomen culpat & refutat. 65. 66. & Principum contra Paparum inſolentiam certo modo implorat, citatur Romam 67. protectionem Electoris non cupit. 70. Auguſtam proficiſcitur. 71. 72. de ſalvo conductu. 73. dictum ejus ad Urbanum Montisferratenſem. d. l. Acta ejus cum Cajetano. 74. 75. ex Maimburgio. de iisdem verior. 76. ad 80. appellat a Cajetano ad Pontificem 80. abit Auguſta. ibid. cur varie ſcripſerit Cajetano & de eo. 82. qvomodo ſe Pontifici ſubmiſerit. 83. in Galliam ire cogitat. laudatus ab oratore Gallico. 87. 88. relationem ad Electorem ſcribit de Actis Auguſt. 89. & ſeqq. abire vult ex Saxonia. 93. edit acta Auguſtana invito Electore. 94. qva occaſione ad concionandi munus Wittenberg. pervenerit. 95. apertius dubitat de poteſtate Pontificis. & qvod ſit Antichriſtus, ſuſpicatur. 95. appellat denuo ad concilium 96. acta ejus cum Miltitio. 104. & ſeqq. ſcribit Leoni X. & absqve ſalvo conductu non vult proficiſci ad Trevirenſem 107. ſcripta qvædam ejus An. 1519. 110. declaratio de poteſtate Pontificia Germanice edita, & alia: vulgantur per Europam. 111. ſcribit Eraſmo. ibid. reprimit Franciſcanos. 112. vult iterum diſcedere ex Saxonia ob metum in aula: theſis ejus contra Eccium de poteſtate Pontificis jure humano ibid. & ſeqq. diſtingvit inter Eccleſiam & curiam Romanam 115. diſputat Lipſiæ cum Eccio 116. & ſeqq. ſermo Lipſiæ habitus. 120. edit reſolutiones theſium Lipſiæ diſputatarum. 133. defendit Huſſum in doctrina de pœnitentia & imperfectione bonor. operum. fidem efficacem reqvirit. de epiſtola Jacobi dubitat. 134. indulgentias oppugnat. 135. & primatum Papæ, jure divino. 136. reſpondet una cum Caroloſtadio ad relationem Eccii de diſput. Lipſ. ibid. de annulo Lutheri calumnia. 137. æſtimatur a Bohemis 138. novum adverſarium ſibi ſe concitat Hieron. Emſerum. ibid. edit Teſſeradecada ſive conſolationem ad Fridericum Elect. 141. cum Eccio omnem abrumpit amicitiam, optat mori. 142. rogatur ut Poſtillas ſcribat, allegat labores. *ibid.* de ſcriptis ejus An. 1519. & ut de plurimis Romanæ fidei articulis dubitare cœperit. 143. tractatus de libertate Chriſtiana. 145. optat Euchariſtiam integram populo dari. ibid. defendit id contra cenſuram Miſnenſem. ibid. liberari

berari vult a munere Professionis, paratus tamen pati, qvæ metuebat. 147. scribit ad Cæsarem, & edit protestationem de doctrina sua. *ibid.* deprecatur errores styli. 148. scribit ad Moguntinum. item ad Mersburg Episc. & responsa accipit. 148. 149. improbat vehementiam Carolostadii contra Eccium. 149. qveritur de Eccii itinere Romano, metuit sibi a veneno. 150. epistolam laude dignam scribit ad Leonem 6. April. svasu Miltitii. 150. scrupulus de die epistolæ. 151. contenta libelli ejus de libertate Christiana, de fide & bon. operibus, de sacerdotio Christianorum, de libertate licita & illicita. de ritibus 152. ad 156. qveritur de persecutione. 157. 158. scribit contra Lovanienses. 158. 159. & adversus Romanistam Lipsiensem. Augustinum Alfeldensem. 160. literæ ejus ad aulam de Schaumburgio 161. qverulæ aliæ 162. 163. liber ejus ad Cæsarem & nobilitatem German. 164. 165. item alterius de capt. Babyl. 165. qvo animo fuerit post publicatam Bullam. 166. dolet de multiplicatione librorum suorum ibid. appellat a Bulla eamqve refutat. 172. & seqq. defendit styli acrimoniam 178. & depellit calumniam, qvod bellum in Turcas disvaserit. *ibid.* comburit libros juris Pontificii 179. rationes facti reddit. 180. scribit ad Carolum Cæs. 184. qverela de Hieron. Aleandro & libror. suorum combustione 186. favor ejus, ex Maimburg. relatione. 189. 190. qvatenus ei faverit Fridericus 190. & eqvitum ordo. 191. laus librorum Lutheri 194. speciatim commentarii in Epist. ad Galat. 195. ejusdem explicationes Evangeliorum, Orat. Domin. Psalmorum, Cantici B. Virg. *ibid. & seq.* excerpta ex comment. in Galat. 196. & seqq. Lutheri fervor præferri debet Erasmi dissimulationi 209. cur & qvomodo vocatus sit Wormatiam, & qva constantia eo profectus sit 215. 216. 217. literæ salvi conductus & titulus Luthero in iis datus 221. iter a Maimburgio descriptum. de ejus curru & comitibus 222. & seqq. concionatur Erfurti 223. intrepidus Wormatiã intrat 224. ejus hospitium. *ib.* cur dilationem in primo accessu petierit, judiciũ Maimburgii 225. examinatur 226 dicta ejus in secundo accessu. 227. 229. seq. an inurbanus & despectus fuerit 227. 232. acta cum eo post comparitionem publicam 231. 232. discedit ex comitiis. *ibid.* judicium ejus de seipso circa acta in comitiis, & de consilio Gamalielis 234. 235. damnatur edicto comitiali 236. capitur & occultatur Wartburgi 237. 238. literæ ejus ad Cæsarem Fridbergæ datæ 239. scripta ejus in custodia Wartburg. 241. afflictiones in illo statu 242. improbat tumultus 243. parat invectivas in Moguntinum 244. summa scriptorum ejus fundamenta 244. tractatus de confessione 245. prædicit seditionem *ibid.* liber contra Latomum 246. an serio se ab initio Pontifici submiserit 249. an doctrinam

contra Missam a diabolo didicerit 250. dubitat de conjugio clericorum, tandem illud probat, & Carolostadio atqve Melanchthoni assentit 253. dedicat patri suo *tract. de vot. Monast.* & narrat qvomodo eo contradicente Monachus factus sit: contenta tractatus 254. & seqq. Liber ejus contra Ambrosium Cathar. 261. scribit acriter ad Albertum Moguntinum 266. temperamenta a Capitone oblata recusat. ibid. dubitat an ex custodia Wittenbergam rediturus sit 268. commendat Philippum ibid. Parat se ad extrema ibid. qveritur de iniqvitate & timiditate adversariorum, præsertim Wormatiæ, & qvod disputare nolint 269. qveritur de odio Georgii ducis 270. Ominatur Carolo Imperatori impro-spera, totiqve Germaniæ 271. habitus ejus eqvestris in custodia ibid. judicium de venatione qvam spectaverat 272. incrementa ejus doctrinæ 273. clam excurrit Wittenbergam ex custodia 276. refutat Parisienses per Philippum 278. 281. 282. respondet Regi Angliæ referente Maimburgio 283. 284. defendit duritiem responsi 285. an ob duritiem illam styli doctrina Lutheri rejici debeat 286. qvo spiritu scripserit 288. contenta libri adversus Regem Angliæ. 289. *& seq.* excusat asperitatem styli 291. abit Warburgo 293. & Electori ex itinere causas aperit, nec ab eo vult defendi. Georgii Ducis minas spernit, Deo confidit 295. *& seq.* cum gaudio excipitur Wittenbergæ 297. aliis literis, ut jussus erat, Electori causas discessus ex arce exponit. ibid. concionatur adversus Carolostadii acta 299. concionum contenta 300. 301. tumultus improbat. *ibid.* sententia & tractatus ejus de communione 301. 306. pingitur sub crucifixo genibus flexis 299. 301. valde affligitur ob acta Carolostadii. 306. scribit *contra statum Ecclesiasticum falso sic dictum.* Ecclesiastæ titulum sumit, & certo modo Evangelistæ. 307. ad 340. magna incurrit odia. 309. valde qveritur de moribus Evangelica doctrina indignis. 309. edit tractatum de vitanda hominum doctrina. 310. urget disciplinam. 311. de versione Bibliorum a Luthero facta, relatio Maimburgii. 312. & seqq. nostra. 315. cum refutatione Maimburgii 317. & seqq. glossæ Lutheri marginales. d. l. Emserum refutat, dein spernit, eiqve finem prædicit. 323. 324. edit librum de seculari potestate. 325. qveritur de aulæ tepore. 326. scribit ad fratres Augustin. Wittenberg. de abroganda Missa. 329 impugnat Bullam Cœnæ Domini. 333. contra cœlibatum concionatur. *ibid.* seditionem disvadet edito scripto ad Erfurtenses. 334. qvo sensu finem Pontificatui prædixerit. *ibid. & seqq.* Bohemis scribit. 335. item ad Carolum Monsterbergensem Ducem, ad Baronem Schwarzenbergium & ad Bambergenses occasione Brevis Pontificii ad eos dati. 336. it. ad Cronebergium. *ibid.*

ibid.& seq. doctrinam suam i. e. verbum Dei vult respici, non mores.337. laudat Melanchthonis commentarios in Ep.ad Rom. *ibid.& seqq.* commendat scripta Wesselii Groning.*ib.& seqq.* consulit, non jubet mutationes in religione & ritibus. 341. Baptismi formulam Germanicam, sed absqve mutatione veteris ritus præscribit. 342. correctio rituum post biennium secuta est.343. consilium ejus de ritu S.Cœnæ. 343. 344. probat statutum Leisnicense de ritibus Ecclesiasticis & in exemplum proponit. 350. & seq. monachis ex cœnobiis discedentibus alimenta monet porrigenda esse. *ibid.* de usuris abolendis singularem habet opinionem, postea mutatam. 351 ad Livonos scribit.354.& sq. commendatur in mandata Adriani Pp.367. intrepidus est adversus decreta Norimberg. 374. edit scriptum de decretis illis. 376. docet qvid sit Evangelium prædicare. ibid. intercedit pro Clericis conjugatis. 377. qvid sit Episcoporum officium, indicat: librorum promiscuam publicationem, excepta sacra scriptura improbat. ib. libertatem styli defendit ibid. non vult Fridericum El. causæ suæ implicare. ibid. probat factum Leonhardi Coppenii moniales ex cœnobio Nimitschensi educentis. 391. Canonicis Wittenb. consilium dat de reformatione. 392. scribit ad Piccardos & Calixtinos in Bohemia.*ibid.* de Waldensibus judicium. 393. de jure ordinandi ministros ad eosdem scribit. *ibid.* & seq. edit libellum de ordine cultus publici.394. literas dat ad Sabaudiæ Ducem.*ibid.* ejus angustia & egestas,ut & liberalitas.304. respondet acriter Georgio Sax.Duci, offert tamen obsequium salva religione.395. edit tractat.de Christo ex Judæis orto & de virginitate Deiparæ. *ibid.* consolatur virgines ex Gynæceo Freiberg. ejectas. 397. consolatur itidem Mildeburgenses, Wormatienses, Eslingenses, Augustanos 397. Lutheranos a se nominari dolet. *ibid.* relatio ejus & hymnus, *item* consolatoriæ de Augustinianis in Bruxelliæ combustis 308. edit tractatum de abominatione Canonis Missæ, parœnesin ad Eqvites Teutonicos, & alia scripta Anno 1523. *ibid.* fanaticis violentis manus injici svadet.404. scribit contra Canonizationem Bennonis Episc.Misn.404. & seq. item Alberto Prussiæ Magistro in causa religionis 413.& seq. improbat acta Comitiorum Norimb.415.intrepidum se ad extrema patienda ostendit.416. Turcicum bellum dissvadet. *ibid.* prædicit mala Germaniæ. *ibid.* Henrici Zutphan. martyrium commendat. 425. de martyrio Henrici Zutphanienſis & aliorum epistola. 425. scribit ad Albertum Prussiæ Magistrum & ducem 431. laudat Georgium Sambiensem Episcopum. 432. & Albertum Magistrum Prussiæ.432. scribit uxori Matth.Cellii.433. certamina cum Carolostadio Jenæ & Orlamun-

lamundæ, aditumqve a Luthero periculum. 434. & seqq. Epistolæ de controversia sacramentaria Argentoratum candide scriptæ. 436. dissvadet conventus & tractatus de concordia religionum. 438. scribit Mulhusinis de cavendo Munzero & sociis. 438. item ad Principes Saxoniæ. 439. spiritum eorum describit, timiditatem exprobrat, suam refert constantiam. 440. Fatetur mores suorum non convenire cum doctrina 440. libertatem prædicandi prohiberi improbat. 441. vim omnem abominatur in propagando Evangelio. *ibid.* Scholarum conservationem commendat publicis scriptis & ingratitudinem taxat, qvæ post reformationem emergebat. 442. & 445. cucullum cur & qva occasione deposuerit. & monasterium desertum Principi obtulerit. 443. 444 parum a principe petit, pro aliis plura. *ibid.* qveritur de rapinis bonor. Eccl. 445. Erasmum monet ut extra partes esse velit. 450. 452. invitus ejus libro respondet. 454. Excerpta ex Lutheri libro de servo arbitrio. 454. & seqq. Melanchthonis locos Theologicos invictum vocat libellum. 455. exponit causas tardioris responsi, & cur tamen non tacuerit. *ibid.* nitidus responsi stylus. 456. laudat & cohortatur Erasmum ad veritatem agnoscendam. *ibid.* dolet de aulæ Sax. cunctatione. 461. a matrimonio abhorret, & morti se parat. *ibid.* Scripta ejus hoc anno 1524. inter alia commentarius in Psalmos. *ibid.* laudat commentarios in eosdem Pomerani. 462. lætatur qvod pro se uno tot doctores Evangelici surgant. *ibid.* Cantiones sacras componit & ut idem ab aliis fiat, desiderat. *ibid.* laus poeseos Lutheri sacræ. 463. spernit Cochlei & aliorum calumnias & invectivas. *ibid.* scribit pro Florentina virgine ex monasterio egressa. 463. item ad Schwarzenbergium Baronem, qvi suam ex cœnobio eduxerat. *ibid.*

M.

Magdeburgum: docetur ibi Evangelium, a Melchiore Miccio, Eberhardo Wrdensee, Joh. Fritschhansio. 354. in Magdeburgensi provincia longe post. 424.

Maimburgius: qvo consilio & proposito scripserit. 1.2. de stylo ejus Gallico: *in præloqvio*. Lotharingus fuit, Nancejanus. 5.6. an Historici officium præstiterit. 3.4.21. judicium ejus de Cajetano examinatur. 83.84. notatur ejus sententia de potestate Pontificis. 115. errata ejus de Augustinianis ad Luth. missis & de hujus epist. ad Leonem & libello de libertate Christiana. 145. examinantur. 152. ut & judicium de Bulla contra Luth. 169. de libris & fautoribus Lutheri judicium. 189. fatetur optima a Luthero scripta esse. 190. taxat Erasmum 209. incerta narrat de actis Friderici in Comit. Wormat. 219. taxat Luthe-

theri acta in comitiis. 225.227.231. errat circa locum occultati Lutheri. 240. item in judicio de libris Lutheri contra Latomum. 244. dolet de hæresi in Anglia & sperat ejus regni reditum ad Ecclesiam Rom. 277. provocat Lutheranos contra Lutherum ob librum ejus adversus Regem Angliæ. 283. responsum accipit 286. ideam reformationis Lutheranæ maligne proponit 284. refutatur 291. narrat & taxat versionem Biblicam Lutheri 312. refutatur 317. & seq. reprehendit Fridericum El. ob stabilimentum Lutheranismi 325. qvam recte, examinatur 326. narrat Lutheri ordinationes circa Sacramenta monasteria & bona Ecclesiastica 340. examinantur ibid. & seq. notatur judicium ejus adversus scriptum Lutheri in decretum Norimbergense 376. item transitionum ejus ingenium 386. omissa historia de martyrio Augustinianorum in Belgio, & excusata persecutio hodierna in Gallia 400. item de Comitiis Norimb. 410. de progressu Lutheranismi 421. de rebus Prussiæ 428. in sententia Lutheri de libero arbitrio recensenda 447. & seqq. speciatim pungit Jansenistas 449. epilogus ejus consideratur 464.

Margaretha soror Francisci Gall. R. favet Evangelio. 433.

Martinus Danus, a Luthero in patriam missus. 273.

Martyria ob religionem. 159.169.183. 398.464.

Matthesius, Johannes: ejus conciones de Luthero. 8. & passim.

Mauritius El. Sax. *vid. præloq.*

Mauritius Dux Sax. Adm. Ep. Numb. *vid. præloq.*

Maximilianus I. contra Julium II. Pp. concilio Pisano patrocinatur, deinde illi renunciat. 6. scribit Leoni X. in causa Lutheri. 67. 68. salvum conductum dat Luthero. moritur. 101. admonitus fuit de corrigendis Pontificum defectibus. 370. & seq. Prussiâ dicitur Polonis cessisse. 429.

Meckelburg: Ducatus: initia reform. Evangel. 423.

Mediceus Julius, postea Pontifex. 360. 409.

Meierus Sebastianus Franciscanus. Argentorat. retractat qvæ adversus Evangelium docuerat. 433.

Melanchthon Philippus, *vid. præloq.* Wittenbergam venit Luthero laudatus. 69. scribit epistolam de disputatione Lipsiensi eamqve contra Eccium defendit. 128. & sqq. laudatur a Luthero contra Eccium. 132. confirmatur, dum timet. 244. defendit matrimonium clericorum. 253. epistola ejus ad Capitonem. 267. refutat Parisienses. 281. excusat Lutheri stylum adversus R. Angl. 289. Carolostadio obsecutus esse insimulatur a Maimburgio. 300. taxat Carolostadium. 305. subscribit judicio Theolog. Wittemberg.

de Missa. 331. præsentiam realem in S. Cœna defendit. 437. Erasmo respondet scriptum suum adversus Lutherum excusanti. 452. & sq. elogium locis Theolog. Melanchthonis a Luthero datum. 455.

M. Irichstadius, Martinus Polichius D. ejus de Luthero sententia. 26.

Melchior Adami de vitis Theologorum. 95. & passim.

Meritorum superabundantia negatur. 10. 13. 53. jactantia meritorum improbatur. 246. 247.

Merseburgensis Episcopus repugnat disputationi Lipsiensi. 117. 126. respondet epistolæ Lutheri. 149. publicat bullam Leonis. 171. reprehenditur a Luthero. 270. persequitur Lutheranismum. 353.

Mildeburgum, docet ibi Evangelium Joh. Draco. 354. persecutio Mildeburgensium. 397.

Miltitius, Carolus Nuntius Pontificis ad Fridericum El. 102. 104. & seqq. qvis fuerit & qvid cum Electore egerit. 104. relatio de illius negotiatione ex Luthero. *ibid.* & seqq. ut Augustinianos ad Luth misericordiam. 144. agit cum Luth. de Epist. Pontifici scribenda. 150.

Minoritæ vid. Franciscani.

Missa: tractatus contra eam Lutheri 241. 249. an doctrinam contra Missam ex diabolo didicerit. 250. abrogāt Missam Augustiniani Wittembergenses 272. rejicitur cum dogmate transsubstantiationis in tractatu Lutheri adversus Reg. Angl. 289. & seq. item in libro ad Augustinianos. 330.

Misnensis Episcopus Joh. a Schleiniz infensus Luthero. 142. 146. damnat ejus sermonem de Eucharistia. *ib.* publicat Bullam Leonis. 171. disceptat cum Electore de sacerdotibus conjugatis. 311.

Ministerium Ecclesiæ an sustulerit Lutherus. 251. tractatus de ejus ordinatione. 393. & seq.

Mora pagus, unde genus Luthero. 25.

Moguntia: docetur ibi Evang. 355.

Mollensis Henricus docet Evangel. in Meckelb. Duc. 168.

Monachi reformationem juvant. 206.

Monasteria & Ecclesiæ collegiatæ: earum bonus usus. 164. Monachi plurimi Lutherum seqvuntur. 206 uxores ducunt. 242. 259. Monasteria olim Scholas fuisse 257. libidines monasticæ deplorantur. ibid. non probatur monachorum proclivitas ad conjugia. 310. taxatur impudicitia & turpitudo monasteriorum. 311. reformatio ivadetur. 350. vacua Principi curanda offeruntur. 444. & seq.

Monsterberg: Dux Carolus scribit Luthero, & qveritur de excommunicatione proavi sui Georgii Bohem. Regis. 335.

Mulhusa, urbs Imperial. monetur a Luthero, ad de cavendo Munzero. 438.

Munzerus Thomas. 294 434. 438.

Myconius sive *Mecum*, Fridericus. 273.

N.

Nannis, Johannes, Pontificis Monarchiam insulse defendit. 66.
Naumburgenſis Episcopus publicat Bullam Leonis. 171. & edicta contra Lutherum. 294.
Neſenus Gvilielmus. ejus elogium & mors. 460.
Nimirſchenſe cœnobium. 391.
Nobilitas Eqvestris & ſpeciatim Franconica an bonis Ecclesiæ inhiaverit, & ideo Luthero faverit. 193.
Norimberga: initia Evangelii, 353. comitia ibi habita. 356. 357. 367. judicium de iis. 375. alia 407. 409. ſeq. Præpoſiti edunt ſcrip. um de reformatione. 433.
Novatus: Novatiani. 12. an talis fuerit Lutherus. 13.

O.

Occamus, Gvilielmus Scholasticus; ejus secta aliis præfertur a Luthero. 160. 173.
Oecolampadius, Johannes. 128. 141. 355.
Odo eqvestris Teutonicus in Borussia. ejus gesta. 427.
Olmunda oppidum, cujus pastor fit Caroloſtadius. literæ civium ad Lutherum, & qvomodo cum illo egerint. 434. & seqq.
Oſander Andreas. 353. 413.
Oldenarckius Martinus, pastor Cellensis. 422.

P.

Palatinus Elect. Ludovicus, an Luthero faverit. 189. 191. Sickingium opprimit. 387.
Pallavicinus, *Sfortia*, autor historiæ Concil. Trid. *in præloq.* it. p. 6. excusat defectus Pontificum. 15. ejus censura de intentione Lutheri examinatur. 59. improbat appellationes ad concilia. 69. reprehendit consilium Pontificis in publicanda Bulla pro indulgentiis. 98. excusat exactiones pro palliis & pluralitatem beneficiorum in Principes Germaniæ collatorum. 109. defendit sophisma Eccii, distingventis inter *totum* & *totaliter*. 125. & Episcopum Merseburg. qvod disputationem Lipsiensem impedire voluerit. 126. notantur qvæ scripsit de Epist. Luth. ad Leonem. 151. defendit Bullam Leonis. 169. judicium ejus de oblato Friderico El. imperio. 83. qveritur de Hispanis Lutheri libros æstimantibus. 195. Erasmum taxat. 208. orationem Alexandri effingit cum contumelia Lutheri. 218. improbat ut pontificiæ Jurisdictioni noxiam Lutheri evocationem ad Comitia. 220. Status imperii pro ignorantibus habet. *ibid.* sinistre judicat de actis Lutheri Wormat. 226. 227. notatur in aliis circa acta Comit. Worm. 226. 237. 240. & in opinione de indulgentiis. 359. de potestate profana

Pontificum.360. de abusibus curiæ Rom.361.de paupertate Protestantium: & de moribus Adriani VI. *ibid.* de Clemente VII.409.de Epistolis ejus ad Fridericum El.373. de gravaminibus Germaniæ.411. de conventu Ratispon.420.

Pallium magno pretio Romæ ab Episcopis redimendum. 370.

Panormitanus Abbas, culpatur a Sylvio Prieriate.61.Luth.laudatus.133

Papatus sive Pontificatus *vid.præloq.* an conveniat cumPrincipatu mundi.14.an Papa errare possit.41.cantilenæ in Papas.43. autoritas eorũ absqve scriptura non admittitur in rebus fidei.51.52.55. qveritur Lutherus eam in Tyrannidem degenerasse.56.57. Monarchia & potestas supra concilium a Prieriate asserta.63.de Primatu Pp.disputatur Lipsiæ.119.123.agnoscitur a Luthero jure humano post disput. Lipsi. 136. cur potestatem jure divino sibi Pontifices arrogent, sententia Lutheri.139. qvomodo ferri Papatus possit.160. defectus ejus arguitur libello adCæs.& Nobil.Germ.164. Babylon & venatio Nimrodica vocatur.165. tyrannidis incusatur a Luthero post Bullam.172.178. ostendit arcanum Pontificium in doctrina de bon. operibus. *ibid.* sperat ejus reformationẽ in Comment.ad Galat. & excusat mordacitatem styli.203.parallelaPapæ & Christi a Luthero compositæ,cum imaginibus Cranachii.217. impugnat eum in libro contra Catharinum.262.& seqq. agnoscit id cum periculo fieri : negat petram esse. *ibid.* de fine Papatus sententia Lutheri.334. & seq. divina ejus institutio probanda est. 346.

Parisii vid. Academia.

Parochiæ imperitis locatæ.369.371.

Patres ut legendi & interpretandi ex sententia Melanchthonis.130.Scripturæ postponendi licet magnæ sint autoritatis ex Luth. 176.

Paulus Sarpius Venetus scriptor hist. Concil.Trid.6. taxat Bullam Leonis.169. & alibi.

Peccata, ut maneant post Baptismum 177. concupiscentia sive fomes :st peccatum.247. 248. theses de peccato a Pontificiis damnatæ.275.

Peregrinationum abusus. 164.

Persecutiones Lutheranismi. 294.351. 398. 464.

Peutingerus,Conradus. D. 233.

Pfefferkorn Judæus,Capnionis adversarius. 159.

Pfeffingerus, Degenhardus. 28.69.88.

Philippus Palatinus Ep.Naumb. 291.

Philosophia,qvomodo ea utendũ.161.

Piccardi s. Bohemi a Luth. reprehensi.49.52.56.qvatenus tolerandi sint. 165.scriptum ad eos Lutheri. 392

Picus Johannes. 50.54.159.

Planitius, Johannes,El. Sax. legatus, Pallavicino mendose dictus Pluceritius. 373. 374.

Plettenbergius Livoniæ Magister. 40

Pom-

Pœnitentia qvotidiana Christianis necessaria secundum Luth. 11.21.47. disputatur de hac Lipsiæ.119.

Polonia: initia doctrinæ Evangel.355. gesta Polonorum in Prussia. 429. Rex connivet ad reformationem in Borussia.431.

Poliander Johannes.391.

Politiæ defectus notatæ a Luth. 164.

Pollio minister Ecclesiast.Argent.433.

Pomerania: initium in ea doctrinæ Evangelicæ.274. progressus. 423. Dux Bogislaus cum filiis Georgio & Barnimo. ibid.

Pomeranus D. vid. Bugenhagius.

Pomezanensis Episcopus Erhardus Queissius.430.

Postilla, judicium de iis Luth.142.269.

Prabendæ majores, judicium de iis Lutheri. 351.

Presbyterium: ejus potestas circa disciplinam.128.qvo jure nitatur, & qvomodo ab Episcopatu differat. 250.251.

Principium: de hoc convenire debet inter disputantes. 10.

Prierias, Sylvester, scribit contra Lutherum.34.39.40.ejus sententia de Ecclesia & Pontificatu.ibid. taxatur a Maimburgio. 60. ejus epitoma & assertio Monarchiæ Pontificiæ, & ejus Potestat. supra concil. 61.62.63.reprehensus a Maimburg. 64.& Paulo Veneto, it. a Pallavicino 65.a Luthero.66. suffragatur Bullæ contra Lutherum.169.

Proles, Andreas, Augustinianus. 166.

Prussia: vid. Borussia.

Purgatorium indulgentiarum objectum, negante Luthero ipsum tamen adhuc credit, sed dissentit qvoad statum animarum.19.22.dein negat purgatorium. 241.

R.

RAtisponensis conventus a Legato Pontif. indictus. 416. & seqq.

Reformatio ejus causæ: *præloq.* expetita fuit in moribus & disciplina ante Lutherum, aliqvo modo etiã in doctrina. 7.8. frustra desiderata a Pico, Valla, Ravennate, Vesalia, Reuchlino.54. judicium de statu religionis & reformationis an.1518 99.100. similitudo reformat. cum primitivæ ecclesiæ plantatione. 194.fructus ejus in moribus & disciplina. 310. judicium Maimburgii.325.examinatur.326.& sqq. lente procedit reformatio in Saxonia. 356.

Regiomontum urbs Borussiæ.430.

Remondus Florimondus *in præloq.*

Reuchlinus vid. Capnio:

Rhadinus vide Thomas

Riarius Raphael Card. S. Georg.87.161

Richerius Edmundus, Sorbonista. 6. seq. Monarchiam Pontificum impugnat 64. negligentiam eorum in reformatione culpat 364. *& seqq.*

Roma: trepidatur ibi ob Lutherum. 112. de pecunia ex Germania Romam missa 160.

Romana Ecclesia a Luthero culpata 51. 55.
Rorarius Georgius, corrector in editione operis Biblici 317.
Rostochium urbs 423.

S.

Sabaudia Dux, ejus legatus amicus Luthero 155.
Sacerdotium qvatenus Christianis omnibus commune, ex Luthero 154. 164. 250.
Sacramenta, de eorum numero, & de S. Cœna 290. de præsentia reali. 303. 305. 392. ritus S. Cœnæ. 343. 346. & seq.
Sacramentaria controversiæ initium, & mens in ea Lutheri 436.
Sambiensis Episcopus Georgius a Polenz favet Evangelio 414. abdicat se ditione temporali 430. laus ejus apud Lutherum 432.
Samius Conradus Pastor Ulmensis 353.
Sancti non merentur superabundanter 11. 54.
Satisfactio pro peccatis: qvalem statuerit Lutherus 48. abusus Ecclesiæ circa eas. *ibid.*
Savonarola, Hieronymus 178.
Schaumburg, Sylvester, Eqves Francus, Luthero auxilium offert, 161.
Schertelius Sebastianus, Eqves *in præloqv.*
Schlickius, Comes, 114. 284.
Schmidius Sebastianus D. edit & defendit librum Lutheri de servo arbitrio 457. & seqq.
Scholæ, commendantur a Luthero 441. 442.
Scholastici vid. Theol. Scholast.
Schurfius Hieronymus D. 223. 226. 232. 231. 296.
Schwarzenberg. Joh. Baro 336. 436.
Schwebelius Johannes 192. 387.
Scotus, Scotistæ 122. 160.
Scriptura S. sola pro judice in qvæstionibus fidei agnoscitur a Luthero & Protestantibus 10. ab Apostolis pro fundamento allegatur. 38. de ejus interpretatione sententia Melanchthonis 130. Lutheri 174. *& seq.* lectio ejus populo non prohibenda 318. 319.
Seckendorfius Casparus, Episc. Aichstet. in *proem.*
Sedunensis Episcopus, Matthæus Scheiner, bene sentit de Luthero, alludit ad ejus nomen Luther, i. e. Lauter purus 111.
Seboferus Arsatius 320. 390.
Serveta: docetur ibi Evang. 354.
Sickingius, Franciscus, scribit Luthero 161. favet electioni Caroli V. 183. fovet Doctores Evangelicos 192. invitat Lutherum ad se 224. ejus clades 387. familia 389.
Silesia: incipit in ea Evang. Doctrina 355. Scholæ eriguntur 390.
Simon Heinzius Pontanus, Pastor Wittenberg. 95.
Sixtus IV. Pp. 51.
Skeidanus Johannes historicus, passim allegatur, defenditur *in præloqvio.*
Sluterus Joh. docet Evang. Rost. 423.

Sne-

Snepfius, Johannes 354.
Sorbona, vid. Acad. Paris.
Spalatinus Georgius, qvis fuerit 26. ut faverit Luthero 86. 88. allegatur passim. Lutherus eum ut maneat in aula, & ut uxorem ducat adhortatur 461.
Spenius Paulus 261. 461.
Staupizius Johannes, Vicar. Augustin. describitur 19. an Lutherum ad disputandum instigaverit 20. 45. ejus sententia de vera pœnitentia. *ibid.* consolatur Lutherum & Electorem. 70. 71. adest Luthero Augustæ. 79. secedit Salzburgum 80. de ejus favore apud Fridericum ex Maimburgio 86. it. 87. agit cum Luthero ordinis nomine. 131. mors 80.
Steinius Wolffgangus 434. fovet errorem qvendam 439.
Stetinum: docetur ibi Evang. 354.
Stolpena in Pomerania: docetur ibi Evang. 354.
Storckius Nicolaus Anabaptista cum sociis 294.
Strussius: ejus opinio de lege Moysis reducenda 439. idem forte qvi Isennaci docuit, v. suppl. ad 5. 152.
Sturmius Caspar: Fecialis 219. 226.
Svecia: ejus reformatio a Maimburgio relata 378. & seqq.
Sunda, Stralsund: docetur ibi Evangel. 354.
Surius Laurentius, in *præloq.* & alibi.

T.

Tauberus Caspar, Viennæ combustus ob Evang. 425. 463.
Teutlebius, Valentinus 156.
Teutonicus ordo v. ordo Eqvestris.
Tezelius Johannes præco indulgentiarum 17. comburi jubet Lutheri theses. vicissim ejus theses contra Luth. Witteb. comburuntur 33. genus & mores ibid. comparatur cum asino 57. increpatus a Miltitio moritur 103. solatur eum Lutherus 106. alia qvædam de eo 110.
Theologi Crucis & gloriæ ut differant ex Luth. 55.
Theologia Scholastica reprehensa a Luthero 45. Scholasticis opinionibus præferenda est veritas 54. Theologistria dicitur a Luthero 124. qvid noceat 205. Fastus Scholasticus, de merito bonorum operum 248.
Thomas Aqvinas, & Thomistæ 41. qvæ sit eorum autoritas 54. 61. 9. 121. 160. 163.
Thomas de Vio. vid. Cajetanus.
Thomas Rhadinus, Todiscus scribit contra Lutherum & Melanchthonem 161.
Thuanus Jacob. August. *in præloqv.*
Thunavius, Fridericus, Consil. El. 229.
Tolken, interpretes concionum in Borussia 431.
Totum & totaliter distingvit Eccius 125.
Transsubstantiatio impugnatur a Luthero 289.
Trevirensis Archiepiscopus, Richardus a Greiffenklau, judex desideratur in causa Lutheri 107. agit cum eo Wormatiæ 232. 233. opprimit

mit Sickingium 387.
Trocedorfius Valentinus, Grammaticus insignis 390.
Trögerus, Conrad. Monachus refutatur 433.
Turcæ: qvomodo bellum contra eos svaserit Lutherus vel dissvaserit 177.

V.

Valla Laurentius, 50. 159. & alibi.
Varillasius, Antonius, Historicus Gallus allegatur & notatur *in præloq.* 224. 250. & passim.
Veus Hieronymus, agit cum Luthero Wormat. 232. 233.
Virgo, B. Maria, qvæstio de ejus immaculata conceptione indecisa 51. ejus perpetua virginitas a Luthero asseritur 395.
Virginitas, qvatenus laudabilis 256.
Virgines monasteriis egressæ interqve illas Catharina Boria 256. 391. & Florentina ex nobilitate Thuringica qvam scripto defendit Lutherus 463. virgines ex Freibergensi aula ob Lutheranismum ejectæ 397
Ulma: initia Evangel. doctrinæ 353.
Votæ monastica impugnat Lutherus edito tractatu 242. 252. rationes ex eo referuntur 254. & seqq. libera & revocabilia esse debent 256. encomium hujus libri: ibid. 259. 260.
Umtulavia: docetur ibi Evang. 355. apologia Senatus 389.
Urbanus Montisferatensis insidiator Lutheri 73.
Ursinus Robertus Card. 182.
Usura: Lutheri de iis opinio 353.

W.

Waldenses vid. Albigenses.
Warmiensis Episcopus Johann. Dantiscanus 431. (240.
Wartenburgum arx, Patmus Lutheri
Wertheim: Comes, Lutheranus 154.
Wesalia Johannes 50.
Wesselus Groningensis 159. 338.
Widerstett Cœnobium 391.
Wimpina, Conradus contra Lutherum 33.
Wismaria urbs, initia doctrinæ Evangel. 423.
Wittenbergensis Academia scribit pro Luthero 68. freqventes habet studiosos 109. docetur ibi Anno 1521. Jus Canonicum 275. Canonici a Luthero reprehensi ibid. & 331. 346. reformari cœperunt 391.
Wormatiensia Comitia & Edictum 210. 211. relationes de iis variæ 214. 219. & seqq. 226. memoria horum Comitiorum illustris 234. ludicra de iis narratio, in forma passionis 268. in urbe docetur Evang. 274.
Würtzburgensis Episc. humaniter tractat Lutherum 36.

Z.

Zviccavia 273. 343. & alibi.
Zvinglius, Huldricus 303. 305. 435. 438.
Zutphanius Henricus docet Bremæ 354. ejus martyrium 425.

FINIS INDICIS.

ADDITIONES,
sive
LIBRI PRIMI
PARS ALTERA,

in qva
ex Auctoribus manuſcriptis & editis,
rarioribus præſertim,
plurima illuſtrantur
& ſupplentur.

ADDITIONS

TO THE

LIBRI PRIMI

PARIS ALTERA.

L. B.

QVamvis ſcriptores, qvi *Additionibus* & *Supplementis* libros ſuos augent, plures inſtituti ſui cauſas habere poſſint, fateor tamen me præmeditato ad id non accesſiſſe, multominus neceſſarium ab initio judicaſſe, ut iſto, qvanqvam mihi & aliis non inſolito, ſcribendi modo uterer. Ipſa enim, qvam elegeram methodus, ad alienos labores commentandi libertatem, qvæ fortaſſe in Additionibus maxime qværitur, mihi præbebat, ut non ſtricte admodum obſervato ordine hiſtorico, aut connexione materiarum, inſerere poſſem, qvæ inter ſcribendum occurrerent. Dein *prima* libri *parte* complecti tres Maimburgii libros, qvi ipſi priorem operis partem fecerunt, ſtatueram. Verum ut in præloqvio innui, amplior mihi deprehenſa eſt *primi libri* Maimburgiani materies, qvam ut ea, qvam mente conceperam, brevitate tractari a me potuerit. Dein plures, qvam prævideram, interruptiones ſtudium memoriamqve meam turbarunt. Deniqve cum rumor de propoſito meo emanaſſet, moti ſunt Viri egregii, aut benevolentia erga me, aut boni publici zelo, ut plura mihi, qvam ſperaveram, ſuggeſſerint documenta vel nunqvam edita, vel oblivioni tradita, qvorum notitiam, ut mihi jucunda fuit, etiam aliis gratam & proficuam fore judicavi. Scio eqvidem, haud ma-

gnam gloriam colligendo & exſcribendo ab aliis compoſita parari poſſe; ſed neqve illa mihi pro ſcopo eſt, & ea nunc ſum ætate, vitæqve & mentis habitu, ut meis ſolummodo inventis aut non poſsim multum delectationis afferre curioſis lectoribus, aut non tantam præſtare utilitatem, qvanta ex illorum, qvos excerpſi, ſcriptis hauriri, ut puto, poterit. Si qvæ minutiora videantur, qvam ut a me produci debuerint, aut lectionem mereantur, nolim ſane de ejusmodi cenſura ut injuſta qveri: qvanqvam delectui operam dederim, & multa qvæ ſeſe offerebant, & majorem libro molem dediſſent, ſepoſuerim & qvaſi exauctoraverim. Aliqva tamen, qvæ in commentario commodiorem locum habuiſſent, in additiones has conjeci, epicriſes nempe aut reſponſa ad ea, qvæ opponi poſſe, vel jam objecta eſſe a diſſentientibus, paulo tardius deprehenderam. Sed qvis eſt tam doctus tantoqve ingenii & memoriæ vigore, qvi omnia uno complectatur intuitu, aut cui nihil excidat, ſecunda cogitatione & cura corrigendum aut amplificandum? Id ego de meis, qvaliacunqve ſint, magis certe, qvam alius qvisqvam, agnoſco. Pendere etiam a judicio legentium, qvi non tam mihi qvam cauſæ favent, velim, num me, qva cœpi via progredi, an abſtinere ab ea conſultius ducant. Si prius probent, non patiar modo, ſed & hoc alloqvio peramanter rogo rerum harum peritos, ut me

mo-

moneant, & si qvid habent non vulgatum, qvo propositum meum juvare possint, id benevole suggerant & impertiantur. Curavi ut literæ, libri, aut schedæ, qvæ ad me destinabuntur, in *Bibliopolio Lipsiensi*, ex qvo prima hæc operis mei pars prodit, ad me transmittantur. Spondeo etiam fidelem restitutionem eorum, qvæ non nisi ad tempus commodari poterunt. Desidero autem ante alia, qvæ ad historiam Reformationis in annis 1525 & 1546. qvi B. Luthero ultimus vitæ fuit, pertinent. Hæc enim *secundi libri* commentariorum meorum epocha erit, si Deus vitam viresqve ad continuandum laborem dederit. Neqve tamen ingrata erunt, sed in tempore & loco a me attendentur, qvæ ad priores annos, qvos in libro hoc primo, ejusqve additionibus tracto, spectant, & ad emendationem aut illustrationem eorum, qvæ scripsi, facere poterunt, qvalium bene multa esse facile conjicio. Ingenue enim denuo repeto, qvod in præfatione profiteri cœpi, multa mihi deesse, qvæ habent, qvi totam vitam literarum studiis impenderunt, & dotibus instructi sunt, qvas mihi vel natura & studium non æqve largas dedit, vel triginta annorum labores aulici & forenses extenuarunt, tum qvibus domicilii commoditas illustrium & locupletium bibliothecarum & scriniorum majorem facilioremqve, qvam mihi, in rustico hoc secessu, copiam facit, qviqve adeo omnia me-

 rectius,

rectius, melius, ornatius disponere, elaborare, & eloqvi possent. Si qvis ergo ex talibus ad historiam, cujus nunc partem edo, vel ab integro tractandam, vel continuandam animum applicuerit, idqve mihi significare voluerit, illi ego non solum lubentissime cedam, sed & qvicqvid a me suppeditari poterit, candide conferam. Neqve enim lucellum nec plausum sector, satur omnium qvæ appetere solemus, cum calidior circum præcordia sangvis fervet, & habiturus per Dei gratiam, qvibus pauci qvi mihi restant anni non ignobiliter transigi possint.

Ad

Ad Præloqvium.

Johannem Sleidanum) Apologia, qvam ipse commentariis suis in repetita editione præfixit, in omnium manibus est, in qva, ut & in præfatione ad Augustum Saxoniæ Electorem d. 10. Cal. April. 1555. scripta, non solum de veritate & candore suo ingenue protestatur, sed & ad declinandam pravi aut obnoxii affectus suspicionem gravitet allegat, qvod totum opus suum ex Actis confecerit, qvorum bona pars typis procusa extet, & qvod ipse de suo nihil addiderit, nec ullum interposuerit judicium, nec rhetoricatione usus sit: qverimonias & criminationes inter partes ex æqvo retulisse se scribit, nullasve suas facere, qvod alii fecerint, imprimis ille, qvi ante annos sex Moguntiæ librum ediderit criminationibus, calumniis, nugis & convitiis refertissimum. Qva qvidem descriptione designat *Johannem Cochleum*, qvi *commentaria*, ut vocat, sua anno 1549. Moguntiæ publicavit; in Apologia vero eundem aperte nominat, & ob *horrendas, inauditas & fictas criminationes historici nomine indignum censet.* In eadem Apologia repetit testificationem coram Deo, qvod lædere neminem voluerit; dein ostendit, ut verborum acerbitate, etiam in referendis alterutrius partis scriptis eristicis, stylum temperaverit atqve inflexerit: judicium vero suum ita moderatus sit, ut nihil cuiqvam derogaverit, vel plus tribuerit, qvam ipsa res pateretur, licet id pauci scriptores præstiterint; exempla recentiorum, omissis veteribus, affert: *Platinæ, Cominæi, Bembi, Jovii.*

Prolixam Sleidani defensionem suscepit, qvem in præloqvio nominavi, *Fridericus Hortlederus*, Consiliarius qvondam Vinarienſis, vir doctus & diligentissimus, in præfatione operis amplissimi, Germanice anno 1618. conscripti, *de bello Germanico sive Smalcaldico, & qvæ secuta illud sunt*, duobus magnis voluminibus in folio comprehensi, qvorum secundam editionem anno 1646. procuravit gener ejus, vir nobilissimus & celeberrimus, mihiqve, dum viveret, conjunctissimus *Zacharias Pruschenckius*, Consiliarius Duc. Sax. Vinar. intimus. Explicat autem Hortlederus & pluribus rationibus firmat, qvæ Sleidanus in sua exposuit Apologia, alias qvoqve insectationes refellit. Inter asperrimas est, qvam passus fuit ab *Alberto Brandenburgico* bellatore illo,

illo, & tandem exule. Hic desperata jam causa sua, scripto mordacissimo anno 1557. adversus Episcopos Bambergensem & Würzburgensem, itemqve contra Senatum Norimbergensem sparso, [exhibetur ab Hortledero *Lib. VI. cap. 27.*] in Sleidanum ideo invehitur, qvod objecta ab hostibus Alberto commentariis suis inseruerit. Hoc vero, ait Hortlederus, & multis rationibus deducit, optimo jure & exemplo Sleidanum fecisse, neqve ideo teneri, ut de veritate eorum, qvæ ex aliena narratione refert, respondeat. Ipse etiam Albertus agnoscere hoc videtur, dum satisfieri sibi posse scribit, si sua etiam scripta, non minus ac adversariorum, a Sleidano in continuatione aut repetita librorum editione recenserentur, idemqve Johannis Brandenburgici Marchionis nomine *Georgius Sabinus*, in epistola ad Sleidanum, testatus est. Neqve enim probari potuit, ex proposito ista a Sleidano omissa fuisse, cum nulla diligentia evitari possit, ne qvædam fugiant historicum etiam typis publicata. Ita de his ipsis Alberti scriptis [de qvorum omissione is dolebat] Hortlederus refert, qvam difficile sibi fuerit, unicum eorum exemplum adipiscendi, qvod in opus suum insereret. Cæterum qvod a *Carolo V.* Imperatore, *Joachimo II.* El. Brandenburgico, *Julio Pflugio* Episcopo Naumburgensi, *Wilhelmo* Duce Juliacensi, & a *Christophoro Carlevicio*, Consiliario Mauritii Sax. Elect. mendacii inculpatus fuerit Sleidanus, si modo fides habenda est Surio, Gennepo, & aliis id narrantibus, aut Principes ex sua scientia, non alieno relatu, qvo facile decipi solent, locuti sunt, magnum qvidem est præjudicium, neqve tamen tanti, ut absqve demonstratione pro plene & sufficienter probato haberi possit. Qvam cordate de veritate protestatus fuerit Sleidanus, ex ipsius, qvam citavi, apologia anno 1555 evulgata, constat. Post illam editam ultra annum non vixit, neqve vel vivus convinci potuit, nec hactenus tanti temporis intervallo indicatum & probatum, qvod sciam, aliqvid speciatim est, qvod peccaverit. Pro paucis deniqve reprehensoribus innumeros habuit approbatores, interqve eos magni nominis viros inter Gallos *Johannem Bodinum*, & qvi sine honore memorari non debet, *Jacobum Augustum Thuanum*. Hunc solum Maimburgii & Varillasii & mille talium censuris præferendum existimo. Postremus iste in præloqvio *historiarum Haresium* inter alia notat, in prima editione commentariorum

riorum Sleidani, qvam *anno 1553. in folio*, *literis Italica prodiisse* dicit, inveniri, qvæ pro Catholicis facerent, in secunda vero editione, statim post mortem Sleidani secuta, omissa esse. Sed ignoscat mihi, qvod assensum suspendam, donec illam, qvam describit, editionem videro: id enim, qvanqvam adhibita diligentia, hucusqve mihi non contigit, etsi eam adeptus sim, qvam ipse Sleidanus edidit, nondum addito libro XXVI. Et hæc qvidem non prima, sed secunda, aut ulterior fuit editio, nam mentio in illa fit prioris.

Invenitur idem scriptum) Totum ex manuscripto authentico, qvod ex concessione *Serenissimi Principis Friderici* diu apud me habui, apponere potuissem, ob insignem qvam ex hujus lectione sperare licuisset utilitatem, ad intelligendum pium, modestum & sincerum Lutheri, & qvos ille discipulos & tunc collegas habuit, Theologorum Wittenbergensium, pro pace Ecclesiæ obtinenda & schismate tollendo studium. Sed cum additionum hoc volumen præter intentionem excreverit, ad aliam occasionem id differo. Notari tamen interim velim, in editione *Pezeliana*, de qva in præloqvio dixi, ultra octoginta loca esse, qvæ ab authentico discrepant, non tantum qvoad verba & phrases, sed & alicubi in rebus ipsis. Apparet scilicet, Melanchthonem qvædam suo scopo, dum conciliationi Helveticæ & Augustanæ confessionis intentus est, accommodasse: misit enim hoc consilium (incertum an conscio Luthero) eo ipso qvo conscriptum est anno, ad Fridericum II. Electorem Palatinum, qvi in reformatione meticulosus erat, Lutherum utpote communi odio expositum defugiens, & Melanchthonis moderationi plus tribuens. Erant autem in Palatinatu, qvi vel Helveticæ sententiæ de S. Cœna aperte accederent, vel mediam qvandam qværerent: hos offendere nolebat Melanchthon, eoqve pertinent absqve dubio qvædam mutationes in capite de S. Cœna. Qvæ vero de Friderico Palatino dixi, Altingii verbis ex *historia MS.* confirmo: Anno 1545. cum Elector de re tota (id est, reformationis negotio) deliberaret, petierat jam consilium Melanchthonis de reformanda Ecclesia Papistica; qvi prolixe respondit Principi, & ad capita sex rem totam revocavit: de vera & pura doctrina divinitus tradita, de legitimo usu Sacramentorum, de ministerio Evangelico & debita ei obedientia, de disciplina & jurisdictione Ecclesiastica, de conservandis studiis & scholis, deniqve de defensione & stipendiis personarum

Ecclesiasticarum. Et hæc ipsa sunt consilii, de qvo loqvor, capita: differunt qvidem rubricæ, sed verbis saltem. Cæterum qvem effectum habuerit in Palatino Electoratu hoc consilium, ad anni illius historiam differendum est.

Ad §. II. *Maimburgius Lotharingus Nanceji natus.)* Obiit, dum commentario meo scribendo occupatus sum, Lutetiæ, æstate proxima, Anni Æræ Christ. 1686. ætatis suæ 77. Vulgatum id est in relationibus novorum hebdomadalibus, sed luculentius narratur in V.C. *Petri Balii excerptis Rotterodamensibus de Rep. literaria mens. Sept. dicti anni*, condidisse Maimburgium testamentum anno 1685. in qvo narraverit, se nobilem Lotharingum esse Nancejanum, in Gallia vixisse annos 63. ante annos qvinqvaginta parentes suos satis opulentos fundasse collegium Jesuitarum Nanceji, & per annos decem, ante fundationem, patres collegii aluisse, idqve fecisse ea de causa, qvod ipse in collegium illud cooptatus fuerit, ex qvo ejectum se per vim esse qveritur: cum tamen vel naturali lumine evidens esse putaret, a parentibus magnas illas donationes non alia conditione factas fuisse, qvam ut filius suus earum fructu non privaretur: Testamento autem illo suo caviisse, (qvo effectu, ignotum habeo) ut omnia a parentibus donata a Jesuitis ad Carthusianos prope Nancejum transferrentur. In *præfatione* qvidem *historiæ Calviniani* mitius de ejectione illa sua, mandato Pontificis facta, locutus est; refert enim, se, licet sub Regio patrocinio subsistere in collegio potuisset, maluisse sponte cedere, qvam Jesuitas molestiis, sui causa, implicare: profundius tamen exauctorationem illam ad animum ejus penetrasse, ex Testamento apparet, ejusqve rancoris etiam argumentum præbent, qvæ in novissimo *de Gregorii Magni Pontificatu* libello, de studiis suis juvenilibus conqveritur: *coactum* nempe *se fuisse, ut caput fabulis, ineptiis, chimæris, & mille ideis profanis, & falsis divinitatibus repleret, cum posset in pulchris & solidis cognitionibus, qvæ ad verum Deum ducunt, proficere.* Regia pensione ad finem usqve vitæ largiter sustentatum fuisse, fama fert. Multam tamen eum incurrisse molestiam intelligimus, cum aulam Romanam liberioribus scriptis offendisset.

Constat hoc ex historiis) Antiqviores omittens, appono literas *Martini Meieri*, Cancellarii Moguntini, qvibus *Æneæ Sylvio* de adepta Cardinalitia dignitate gratulatus est, Prid. Calend. Septemb. 1457.

1457. Cognovi ex literis amicorum, te Cardinalem esse creatum, congratulor & tibi, qvi pro tua virtute digna conseqvutus es præmia, & mihi, cujus amicus in ea dignitate constitutus es, in qva me meosqve necessarios, aliqvando juvare poteris. Illud mihi molestum, qvod in ea tempora incidisti, qvæ Sedem Apostolicam afflictura videantur. Nam Domino meo Archiepiscopo freqventes adferuntur de Romano Pontifice qverelæ, qvi neqve Constantiensis, neqve Basileensis decreta Concilii custodit, neqve se pactionibus antecessoris sui teneri arbitratur, Nationemqve nostram contemnere & prorsus exhaurire videtur. Constat enim, electiones prælatorum passim rejici, beneficia dignitatesqve cujusvis qvalitatis, & Cardinalibus, & Protonotariis reservari. Et tu qvidem ad tres provincias Teutonici nominis sub ea formula reservationem impetrasti, qvæ hactenus insolita est & inaudita. Expectativæ gratiæ sine numero conceduntur: annatæ, sive medii fructus, absqve ulla dilatione temporis exiguntur: & plus etiam qvam debetur extorqveri palam est: Ecclesiarum regimina non magis merenti, sed plus offerenti committuntur: ad corradendas pecunias novæ indulgentiæ indies conceduntur: decimarum exactiones inconsultis prælatis nostris Turcorum causa fieri jubentur: causæ qvæ tractandæ terminandæqve in partibus fuerant, ad Apostolicum tribunal indistincte trahuntur: excogitantur mille modi, qvibus Romana sedes aurum ex nobis, tanqvam ex Barbaris, subtili extrahat ingenio: ob qvas res Natio nostra qvondam inclyta, qvæ sua virtute suoqve sangvine Romanum Imperium coemit, fuitqve mundi Domina ac Regina, nunc ad inopiam redacta, ancilla & tributaria facta est, & in sqvalore jacens, suam fortunam, suam pauperiem multos jam annos mœret. Nunc vero qvasi ex somno excitati optimates nostri, qvibus remediis huic calamitati obviam pergant, cogitare cœperunt, jugumqve prorsus excutere, & se in pristinam vindicare libertatem decreverunt. Erit hæc non parva jactura Romanæ curiæ, si qvod cogitant Romani Principes effecerint. Qvantum itaqve & tua nova dignitate lætor, tantum commoveor & angor tuo tempore hoc parari. Sed Dei fortasse alia est cogitatio, & illius profecto sententia obtinebit. Tu interim bonum habeto animum, & qvibus repagulis fluminis impetus coerceri possit, pro tua sapientia cogitato, & vale optime. Responsi loco esse possunt, qvæ eodem die stylo Sylvii

Calixtus II. Pontifex ad Fridericum III. Imp. scripsit. Ubi postqvam in exordio suam ipsius laudasset pietatem & solertiam, inter alia hæc regerit: Imprimis qvidem fatemur qvod scribis, inclytam Nationem
» vestram olim fuisse florentem, & suis virtutibus Romanum Imperium
» meruisse. Adjicimus tamen & illud: excellentissimam B. Petri sedem,
» postqvam ille martyrio coronatus est, semper Romæ fuisse; in qva
» qvi sederunt, vicariatum Christi tenuere, clavesqve ligandi atqve sol-
» vendi penes se habuere, sive Græci, sive Itali, sive Germani, aut alia
» gente fuere, nec unqvam regni cœlestis introire januam potuisse, qvi
» Romanorum Pontificum auctoritatem contumaciter contempsere,
» nec hodie illis gloriandum esse, qvi auctoritate propria leges sibi con-
» stituunt, qvibus pro suo lubitu Romanæ sedis jussiones spernere pos-
» sint. Hos enim catholica veritas, nisi resipuerint ante obitum, ignis
» æterni mancipio sine intermissione deputat. Fatemur insuper, aliqvando in Romana curia, qva reguntur homines, aliqva fieri, qvæ digna essent emendatione, nec dubitamus ipsos Romanæ urbis præsules
» etiam in qvantum homines falli, errare, labi ac decipi posse. *Item:*
» Non est cur de hac sede conqveramini, sed potius de cupiditate & ambitione vestrorum hominum, qvi currentes pro Episcopatibus, invenientes competitores, his qvibus palarium patet, certatim pecunias
» offerunt. Illi vero, qvi alloqvi Pontificem possunt, non sunt omnes
» similes angelis, sed qvales in Alemannia Galliaqve multos reperias,
» recipiunt enim qvod offertur, non extorqvent. Romanus autem præsul solus in thalamo suo nunc hos nunc illos audit, & illos promovere
» solet qvi magis commendantur, nec scit nec etiam arbitratur pecuniæ causa hos aut illos commendatione præferri, nec sibi plus auri datur, qvam concordata permittant, nisi forte aliqvando occasione
» expeditionis contra Turcas aliqvid super annata recipit, qvod sibi
» profecto non fuit in tanta necessitate negandum. Habes ergo & in
» hac parte responsionem nostram. De pecuniis indulgentiarum miramur fieri qverelas. Nam illæ postqvam collectæ fuerant, profecto
» Romani Pontificis arbitrio, non alterius, erant distribuendæ. *Et postea:*
» Nota est omnibus Apostolicæ sedis auctoritas, manifesta cuiqve primæ sedis dignitas, vulgata per orbem vicarii Dei potestas, cui dictum
» est a Domino: *Pasce oves meas*, & *Qvodcunqve ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis*, & reliqva, qvibus in Evangelio Romani præ-

sulis

sulis eminentia divinitus declaratur. Qvibus ex rebus non est cur aliqvis opera nostra criminari possit, tanqvam latius evagemur, qvam nobis liceat, aut tanqvam in alienam messem falcem mittere videamur, cum non hujus aut illius provinciæ, sed universi orbis præsulatum in Apostolicæ sedis specula conseqvuti simus. Qvæ cum ita sint, scimus tamen eos, qvi vocati sunt in partem sollicitudinis, non esse turbandos, suamqve jurisdictionem, nisi forsitan abutantur, servandam esse non ignoramus. *Porro:* Qvinimo qvamvis liberrima sit Apostolicæ sedis auctoritas, nullisqve debeat pactionum vinculis coerceri, ex mera tamen liberalitate nostra, ex zelo qvem gerimus ad pacem, ex charitate qva te tuamqve Nationem proseqvimur, concordatis ipsis locum esse volumus, nec patiemur ea temere violari, dum Romanæ sedis gubernacula retinebimus. Si qvid præterea est, qvod ipsi Nationi molestum videatur, ex his qvæ prodeunt ex nostro solio, idqve fortasse dignum emendatione censetur, possumus enim & nos ut homines aliqvando labi atqve errare, in his maxime qvæ facti sunt; non decet Episcopos aut alios qvosvis mortales super Apostolicam sedem auctoritatem sibi vendicare, aut illos imitari, qvomodo qvi pessimo more detestabiliqve exemplo in perniciem Ecclesiasticæ hierarchiæ, in confusionem mixti corporis Christi, in animarum suarum ruinam, leges sibi constituunt, per qvas licitum sibi esse arbitrantur Apostolicæ sedis mandata contemnere, ac pro suo voluntatis arbitrio ecclesiastica disponere spiritualiaqve negotia; nam qvi talia præsumunt alieni sunt, Deum patrem suum appellare non possunt qvi matrem Ecclesiam recognoscere nolunt, sed tanqvam membra vel putrida vel arida a reliqvo corpore rescindi debent: nulli enim permissa facultas est, ut contra Romanam Ecclesiam, omnium fidelium matrem ac magistram, recalcitrare possit, vel se ab illius imperio subtrahere. Comedendus est una in domo paschalis agnus: manere oportet in arca, regnante diluvio, cui cura est ne pereat. Unus Deus, una fides, unum Baptisma. Unus Christi vicarius in terris est, qvi cœlos bene merentibus aperit, claudit autem malignantibus. Si qvis autem arbitratur, secum non bene agere apostolicam sedem, recurrere ad eam debet. gravamen suum exponere, remedium petere, nunqvam pia mater filiorum desiderio deerit, qvod viderit ad salutem eorum pertinere. Et tu ergo, Serenissimo Imperator, si qvid arbitraris tuæ Nationis

nis prælatos habere, qvod per nos emendari debeat, admone eos, hortare & urge, ut ad nos venientes ſuas nobis neceſſitates exponant, gravamina referant, deſideria proferant: nam votis eorum, qvæ & rationis tramite non diſcordent, tanto libentius annuemus, qvanto confidentius eos ad nos recurſum habere videbimus. Ex his ingenium Paparum, & qvomodo Imperatorum, Regum & provinciarum deſideria eluſerint, & qvam magnifice & ex qvibus prætextibus de ſua poteſtate ſtatuerint, eaqve veluti Palladis ſcuto ſummos etiam orbis Principes retuderint, ſatis clare apparet. Ejusdem Sylvii, qvem a patria *Cardinalem Senenſem* vocabant, tractatum *de moribus Germanorum* anno 1584. cum elogio Romæ recuſum perhibent, qvem examinat *Richerius Lib. IV. part. I. de hiſtor. concil. p. m, 8. & ſeqq.* ubi *p. 27. 29.* ex Bernardi libris *de conſideratione* graviſſimas contra dominatum Pontificium qverelas adducit; paulo poſt Appellationem a Sylvio, qvi interea ad Pontificatum ſub *Pii II.* nomine aſcenderat, ad Concilium, a Procuratore Generali Caroli VII. Galliæ Regis anno 1460. interpoſitam inſerit *p. 37.* in qva Rex inter alia *p. 39.* qveritur, Eccleſiaſticam diſciplinam plurimum lapſam eſſe, derelictis canonibus Sanctorum patrum & ſacrorum conciliorum ac decretis antiqvorum ſummorum Pontificum, plurimas inordinationes, deformitates & exceſſus in clero pariter & populo chriſtiano extitiſſe; dein & decretum Conſtantienſe allegatur, qvod concilium a Chriſto immediate autoritatem habeat, cui qvilibet cujuscunqve ſtatus & dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire teneatur. Verum qvibus blanditiis defuncti Regis filium & ſucceſſorem Ludovicum XI. idem Pontifex adortus ſit, & per ea a paternis conſiliis averterit, legere licet *p. 53.* Jactat inter alia *ſe inter Pontifices Gallicæ nationi affectos vel in primis numerari debere.* Id ridet Richerius, & ad epiſtolam Sylvii, qva ſuperbiam Gallorum vehementer exagitavit, provocat *p. 57.* Sed noverat Sylvius cum temporibus animum & calamum mutare. Pontifex ſane factus, qvæ olim pro libertate Eccleſiæ in Synodo Baſileenſi adverſus exceſſus Pontificiæ poteſtatis qveſtus erat, publice in ſcriptis revocavit, faſſus *ſe erraſſe ignoranter, & imitatione S. Pauli perſeqvutum eſſe Eccleſiam Dei & Romanam primamqve ſedem. Exemplo itaqve Auguſtini nunc retractare.* vide d. l. p. 97. & ſeqq. Conſuli etiam poſſunt *Appellationes Pariſienſis Univerſitatis* anno 1491. d. 13. & 18. Septembr. factæ

facta *d. l. p. 107. 131.* Facultas autem Theologica Parisiensis Carolo VIII. Regi, Alexandri VI. Pontificis spurcissimis moribus offenso, ad qvæstiones qvasdam anno 1497. d. 11. Jan. respondit: Teneri Pontificem de decennio in decennium generale Concilium habere, ad reformandam Ecclesiam in capitibus & membris, qvod ajunt eo tempore necessarium esse ob deordinationem, qvæ cunctis notoria sit: qvodsi negligat, Principes tàm ecclesiasticos qvam seculares, & partes Ecclesiæ notabiles, posse se congregare & necessitati Ecclesiæ providere. Vid. *p. 140. & seqq.* Qvæ vero de *Julii II. capitulatione & juramento* tetigi, legi possunt *p. 147.* Juravit autem hac formula: Præmissa omnia & singula promitto, voveo & juro, observare & adimplere in omnibus & per omnia, pure & simpliciter & bona fide, realiter & cum effectu perjurii & anathematis, a qvibus nec me ipsum absolvam, nec alicui absolutionem committam, ita me Deus adjuvet & hæc sancta Dei Evangelia. Ad ista sic commentatur Richerius: Qvibus sacramenti formulis atqve execrationibus Julius II. collegis suis omnem qvam de ejus ferreo ingenio sinistram suspicionem conceperant, minuere ac auferre, illosqve ad se eligendum Pontificem allicere volebat, & revera electus est Pontifex. Cæterum permulta hic continentur qvæ penitus legi gratiæ repugnant: cujusmodi sunt execrationes & alia ejusmodi qvibus nominatim declaratur, qvod electus Pontifex se a perjurio & fide violata nunqvam absolvi procurabit &c. Veruntamen hoc potius infidelis qvam hominis Christiani est, huicqve precandi formulæ, *Dimitte nobis debita nostra*, & articulo fidei: *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum*, plane adversatur. Ex qvo liqvet, qvid non mortalia pectora cogat cæca ambitio & desiderium Pontificatus obtinendi. Qvandoqvidem Julius II. statim atqve creatus & inauguratus est Papa, hoc se sacramento & imprecationibus obstrinxit, neqve tamen promissis stetit, ut fidem datam exsolveret: idqve convocationi Pisanæ & Lateranensis Synodi causam præbuit. Qvæ a me dicuntur, non detrahendi voluntate, sed ut doceam, Christianos debere ab ejusmodi execrabilibus sacramentis supersedere: falsoqve adulatores perhibere, summos Pontifices tanqvam Pontifices vel tanqvam privatas personas esse infallibiles, si modo aliqvo utantur consilio peritorum. Nam hoc sacramentum de fratrum

» trum consilio & consensu editum est a Julio PP. qvem proinde tam
» malis auspiciis incensum, toto sui Pontificatus tempore Ducis potius
» bellicosissimi & ferocissimi, qvam pii & prudentis Pontificis munus
» peregisse nemini mirum videri debet. Consule lector Gvichardini Hi-
» storiam ab octavo ad decimum tertium librum, & nisi ob gesta Julii ob-
» stupueris, totus qvidem eris ferreus. Hæc Richerius. Tandem cum immanibus illis Julii excessibus, consumta patientia, reluctari palam statuisset Ludovicus XII. Galliæ Rex, conventum peritorum ex omnibus Parlamentis sive curiis supremis regni delectorum, in Turonum civitate habuit, qvi jussu ejus justitiam causæ contra Pontificem examinarunt & asseruerunt, anno 1510. *ex legis divinæ & naturalis principiis.* Videatur *Richerius d. l p. 154. ad 159.*

De Concilio Pisano anno 1511. indicto multa referri possent, notatu ad scopum meum dignissima. Defendit id contra Julium II. aliud Concilium *Romæ in Laterano* indicentem, *Philippus Decius* Juris consultus Mediolanensis celeberrimus. Extat ejus *Patrum Pisanorum* nomine conscripta apologia *p. 167. & seqq.* dein respon. Lim suo nomine elaboratum *p. 133. & seqq.* aliud etiam qvod *Sermo* dicitur *p. 278. & seqq. Thomæ* vero *de Vio* Generalis tunc Dominicanorum, Cardinalis postea Cajetani de *potestate Papæ supra concilium* librum & Regis & Concilii Pisani rogatu vel jussu examinavit Facultas Theologica Parisiensis, & refutandum demandarunt *Jacobo Almaino, Johanni Majori*, & cuidam alii, & extat Almaini tractatus *de autoritate Ecclesiæ contra Cajetanum.* Inter alia Decius in *apologia n. 21.* periculum loci qvo Julius concilium
» indixerat, ostendit, neminem esse existimans, qvi illum ad Ecclesiæ li-
» bertatem idoneum aptumqve influentiæ Sancti Spiritus, qvi liberas
» mentes in concilio impleat, dijudicaturus sit, postqvam Pontifices ex-
» ercitus, armatasqve custodias, & arces Romæ teneant, nisi alius vivendi
» gubernandiqve modus a Pontificibus servetur. Ex gravissimis vero *Synodi Pisanæ* literis ad Maximilianum Cæsarem d. 12. Nov. 1511. datis, hæc tantum adscribo: Assurge igitur, Cæsar optime, adesto, vigila,
» labitur Ecclesia, opprimuntur boni, impii efferuntur, mergitur justitia,
» colitur impietas, surgunt in sinumqve recipiuntur infideles; qvi vero
» pro Ecclesia consilium capiunt, illiqve opem & auxilium ferunt, qvasi
» hostes ejiciuntur, opprimuntur, obruuntur. Age, Cæsar maxime, Ma-

jestatem

jestatem tuam appellat ipsa, cujus advocatum & protectorem te fecit omnipotens, Ecclesia videlicet Romana & universalis. Tuum magna miserabiliqve voce auxilium rogitat. In Decii sermone *p. 279.* dicitur: *Constat & omnibus exploratum est, ecclesiam universalem indigere reformatione in capite & membris.* Porro laudatur *Antonii Roselli* tractatus *de potestate Papæ,* (is nempe qvem Prierias summe culpat vide §. xxx.) *in qvo excommunicationes Pontificum injustas neqve apud Deum neqve apud Ecclesiam valere* statuitur. *p. 308.* memoratur *Matthæi Gurcensis* Episcopi (Augustanus erat Patricius, e familia Langiorum) solertia, qva Cardinalitiam purpuram a *Julio* promeruit, effecitqve ut *Maximilianus Cæsar* a Galliæ rege dissociaretur. Mandatum vero Cæsaris, qvo oratores suos d. 16. Jan. 1511. Pisas missos instruxit, habetur *p. 337.* cujus hoc est exordium: Conspicientes immensas calamitates, qvas universa respublica Christiana & ipsa nostra sancta Mater Ecclesia ubiqve patitur, ex qvo & decrementum orthodoxæ fidei & incrementum omnium malorum subseqvitur, & indies major confusio in omnibus rebus ac bella intestina inter Christianos oriuntur, & effusio sangvinis Christiani; ad qvæ cum non videamus aliud remedium, qvam qvod juxta sanctorum patrum instituta, Concilium & congregatio universalis fieret, ut ibidem communi Concilio possit omnibus commode provideri. Galliæ Rex eadem fere in suis mandatis d. 15. Februarii 1511. allegat his verbis: In præsentia magna adest necessitas ipsius Concilii Generalis Universalis Ecclesiæ congregandi, pro extirpatione hæresium, schismatum, ac divisionum in diversis mundi partibus, ac pro reformatione morum Ecclesiæ, & nimium scandalizantium notoriorum, continuorum & incorrigibilium tam in capite qvam in membris criminum eversione; pro pace Christianorum stabilienda, & bello contra infideles procurando.

Ex oratoribus Cæsaris Comes Hieronymus Nogarolus in propositione repetiit, inter causas concilii *reformationem morum Ecclesiæ & extirpationem hæresium.* Iis breviter assensus est *Joh. Biragus* Orator Gallus. In ipso etiam convocationis Concilii diplomate a Cardinalibus emisso hæc habentur *p. 354.* magnam instare necessitatem universalis concilii congregandi pro vera pace Christianorum fundanda, & sufficienti bello contra infideles stabiliendo: nec non potissime pro reformatione morum universalis Ecclesiæ in capite & in membris plurimum

" mum collaplorum, ac emendatione criminum gravissimorum notori-
" orum, continuorum, ac incorrigibilium universalem Ecclesiam scanda-
" lizantium. Eadem repetuntur in Imperatorio edicto *p. 364.* Eodem ten-
dit Pisanorũ Cardinalium responsum misso ad se Roma Episcopo data,
ubi etiam Principum officium in corrigendis Ecclesiæ malis agnoscunt,
" inter alia his verbis *f. 395.* Item significabitis, nos cum multorum sapi-
" entum consilio pro certo tenere indictionem Concilii Pisani per nos
" & Principes factam ex præcepto universalis Ecclesiæ, voto & juramen-
" to S. D. N. & nostro, ad veritatem non ad blanditionem intellectus, &
" pro scandalis Ecclesiæ sedandis, & ex præterita notoria tam longa in-
" excusabiliqve negligentia, & textu Evangelii *Dic Ecclesiæ*, juxta Syno-
" dalem interpretationem intellecto, justissimam fuisse & esse, & jurisdi-
" ctionem convocandi Synodum fuisse & esse hac vice juris ministerio
" devolutam ad indictores Pisani Concilii, qvod Principes viribus o-
" mnibus proseqvi intendebant, & nunc certe prosequentur. Nos ta-
" men voluimus illis conjungi, ne Ecclesiasticæ Aristocratiæ in hujusmo-
" di indictione Concilii per omnium negligentiam jus periret; & ne
" spiritum per omnia spiritualesqve mores videremur extingvere, & se-
" cularibus Principibus admonitionem spiritualem ex toto relinqvere,
" etiam ut in concordando pacifico uno Concilio partes nostras melius
" possemus explicare. Et credebamus certe Sanctissimum Dominum
" nostrum & Reverendissimos Dominos aliter nobis responsuros qvam
" fecerunt, cum nostri nos officii memores Sanctitatem ejus & Cardina-
" lium Dominationes Reverendissimas (sicut Petrum Paulus de obser-
" vatione Concilii Hierosolymitani admonuerat) rogaverimus: qvam ad-
" monitionem libenter Petrus admisit, imo illas Pauli Epistolas in qvi-
" bus hoc contineri sciebat, Paulumqve suis Epistolis canonicis com-
mendavit. Defectum etiam priorum Conciliorum non dissimulant
p. 698. Memorabilem concionem anno 1512. d. 11. Febr. in sessione
qvinta habuit *Zacharias Abbas Sublasiensis*, cujus tenor in Actis refer-
" tur, *p. 459. & seqq.* ubi *p. 458.* ita legitur: Patefecit insuper evidentis-
" simis rationibus, exemplis, similitudinibus, ac divinis auctoritatibus,
" nusqvam ab nascentis Ecclesiæ exordio ad hanc usqve tempestatem,
" tantam congregandæ Ecclesiæ per generale Concilium affuisse neces-
" sitatem qvanta modo incumbit. Seqvitur ut ostendere voluerit ma-

jores

jores convocandi concilii causas esse, qvam fuerint veterum primitivæ Ecclesiæ, aut qvatuor priorum qvæ Oecumenica vocantur. Non enim (ajebat) deest modo occasio damnandi Judam venditorem Salvatoris, pertractandiqve in Apostolico primatu melioris sanctiorisqve electionis formam, qvod primæ Hierosolymitanæ Synodo congregandæ materiam tradidit opportunam. Non deest de commendabili ac fideli mensurarum administratione tractandi occasio, cum Ecclesiæ temporalis substantia detestandæ dilapidationi, pessimæqve distributioni subjaceat: qvod secundum Hierosolymitanum promovit concilium Non desunt enucleandarum legalium qvæstionum detegendorumqve errorum potissimæ causæ, sicuti de virgineo conceptu & magna inde fidelium discordia, de excessu Ecclesiastici Calendarii, & compluribus aliis divinæ legis qvæstionibus, qvæ non nisi in Oecumenica Synodo, ubi dicendi copia & libertate in pertinentibus ad fidem & salutem ex multis ratiocinationibus & sententiis ac divini Spiritus affluentia veritatis judicium colligitur, commode tuteqve expediri possunt, ad qvæ respondet Hierosolymitanum tertium Concilium, qvod circa legalia coactum est. Non deest præterea dimicantes invicem Christianos principes pacificandi evidens ratio, qvæ qvartum Apostolicum Concilium olim excitavit, ut cum fidelibus sanctæ legis æmulatoribus Paulus pacifice conversaretur. Addit qvædam de Bohemorum & Wiclefitarum erroribus: dein de correptione fraterna, cui Pontificem subesse [ut acta loqvuntur] clarissime demonstravit, ac Hostiensis palpantia blandimenta liqvidissime confutavit. *p. 463.* Nam alias Evangelium non extaret, qvum Petrum dominus remitteret ad Ecclesiam nec tunc Prælatus aliqvis accipiendus est, cum nullus sit Petro superior, sed congregatio ipsa universalis Ecclesiæ cui capite 18. Matth. qvo explicatur contentio de majoritate Apostolorum, claves regni cœlorum primum datæ cernuntur, & prout Hieronymus & Augustinus constantissime asseverant, & Petrum fuisse Ecclesiæ ministrum & executorem, & ejus nomine claves accepisse definiunt. Nec illæ etiam existunt solum claves ordinis, sed & contentiosæ jurisdictionis: qvum ad causam exclusionis capitis ministerialis ab Ecclesia, vel aliorum membrorum [cum incorrigibiliter scandalizant] dari referantur, *Amen dico vobis, qvorum remiseritis*, &c. Sacri qvoqve authori-

» tate Constantiensis Concilii, qvod ad instar Nicæni in Ecclesia est venerabile, qvo potissimum illud, *Dic Ecclesiæ*, ad Concilium in reformatione etiam capitis referendum esse decernitur. Alias ipsius Sacri Concilii vigor penitus enervaretur. Deniqve ex sententia suspensionis adversus Julium a Concilio hoc Pisano sessione VIII. d. 21. April. 1512. pronuntiata pauca subjungo. *p. 547.* declarat (sancta Synodus) præfatum dominum Julium Papam II. hujus Sacrosancti Concilii (ultra qvadrimestre & dictos XXIV. adhuc dies eidem concessos) manifestum & continuum in sua perversitate impeditorem & turbatorem, ac ejusdem Concilii indictorum & suppositorum pertinacissimum insectatorem, ac decretorum ipsius sancti Concilii notorium violatorem, contemptorem, & assiduum in maximum Ecclesiæ scandalum & jacturam contumacem, & in aperta rebellione persistentem schismatis excitatorem, pacis inimicum, bella inter fideles Principes & Christiani sangvinis jacturam procurantem, & promoventem, zizania & discordias in populo Dei seminantem, & in his omnibus enormibus continuis & notoriis criminibus incorrigibilem, induratum, inveteratum, & obstinatum, eo ipso incurrisse pœnas in dictis Decretis contentas, ab omniqve tam in spiritualibus qvam in temporalibus Papali » administratione ipso facto suspensum fuisse, esse & fore.

Hæc de Pisano Concilio sufficiant: Observo tamen, Richerium Gvicciardino, qvi objicit Pisanos Cardinales non fuisse meliores, sed æqve vitiosos ac Julium, & qvi ei adhærebant, non male respondere » *p. 160. 162.* si ad personarum vitia respiciatur, nunqvam ad emendationem Ecclesiæ perveniri posse; & Gvicciardini ipsius verba allegat, qvibus refert, *nunqvam augustiores ceremonias & ritus, qvam in Lateranensi Concilio visas esse, sed Pontificem cum suis prælatis mentem omnino alienam & aversam ab ejusmodi sacris habuisse.* Qvod vero ad Lateranense Concilium attinet, indictum id a Julio II. fuit anno 1512. *ad extingvendam hæresin*, uti loqvitur, id est, Pisanorum Cardinalium factionem ab Imperatore & Gallis aliisqve Regibus & Potentatibus protectam. Vide *Richerium Lib. IV. Part. 2. p. 5.* Notat tamen Richerius orationem ab *Ægidio Viterbiensi* Generali Augustinianorum in prima Concilii Sessione habitam, elegantem, politam & liberam fuisse, & ex ea refert, qvæ profecto ultra seculi illius genium æstimari debent. Sed hic illa tantum adscribam, qvibus miserrimum Ecclesiæ, qva talis est, statum,

statum, licet Pontificia potentia tunc ad summum fastigium externi fastus perveniſſet, graviter depingit. Freta [inqvit] initio ſuis armis Eccleſia, Africam, Europam, Aſiam occupavit, non vi, non bello, non ferro, ſed religionis actionibus & ſanctitatis opinione, per univerſum orbem chriſtiana ſigna circumtulit. At ubi ſponſa, qvæ tunc undiqve vocabatur, accerſebatur, expectabatur, in veſtitu deaurato, aureum paludamentum ardentis ſpiritus, ferreis Ajacis inſani armis commutavit. Imperium duodecim ducum ſangvine partum amiſit, Aſiam & Hieruſalem perdidit, Africam & Ægyptum relinqvere coacta eſt, Europæ cum Byzantino Imperio ſibi eripi partem vidit, & nos vidimus, cum Religio vota ferro commutavit, toto fere orbe pulſam, ejectam, exploſam Eccleſiam, aucto in immenſum Mahomete. Qvod niſi ferro relicto rurſum in pietatis ſinum ad aras, ad Dei pulvinaria redeamus, creſcet indies magis, ſubiget Imperio omnia, orbem univerſum noſtræ impietatis ultor impiiſſimus occupabit. Video, video, niſi vel hoc Concilio, vel alia ratione noſtris moribus modum imponamus, niſi noſtram humanarum rerum cupiditatem, malorum omnium fontem cedere divinarum amori compellamus, actum de pietate, actum eſſe de iis ipſis opibus, qvas Patres divino cultu aucto peperere, nos contra neglectu amiſſuri ſumus. Qvæ opes ita ab extrema pauperie pervenere ad ſummum, ut non ita multo poſt interituræ eſſe videantur: ac niſi receptui canamus, niſi rationibus noſtris conſulamus, infula illa ditiſſima, cujus ad ornanda Sacerdotis tempora uſus fuit, vix operienda inveniatur. Audite divinas voces undiqve ſonantes, undiqve Synodum, pacem, ſanctam illam expeditionem eflagitantes. Qvando enim vita noſtra mollior? qvando ambitio petulantior? qvando audacia adverſus pietatem loqvendi, diſputandi, aut freqventior aut ſecurior fuit? Qvando in Populis rerum ſacrarum, qvando ſacramentorum, qvando & clavium & ſanctorum præceptorum non modo negligentia ſed & contemptus major? &c. Tum epanorthoſi ad Julium: Hæc igitur mala, qvæ hodie fieri cernimus, ait, voces Dei ſunt monentis ac præcipientis, ut Synodum habeas, ut Eccleſiam emendes, ut utriusqve hominis bellum tollas, ut ſponſæ tuæ undiqve lacesſitæ pacem reſtituas, ut gladios avertas, urbis & Italiæ jugulis imminentes, ut noſtram frænes vivendi licentiam, Eccleſiæ viſcera

viscera majoribus vulneribus ferientem. Non enim multi refert, qvantum agri possideamus, sed qvam justi, qvam pii, qvam divinarum rerum studiosi simus. At alia fuit vox Thomæ illius Cajetani in secunda sessione, ubi explosis decretis Constantiensibus & Basileensibus Julium adversus Pisanos incitat *(p.13.)* Ut inprimis ipsius Dei potentiam, perfectionem, sapientiam, imiteris, accingere Pater Sancte gladio tuo, tuo inqvam accingere, binos enim habes, unum tibi reliqvisqve hujus mundi Principibus communem, alterum tibi proprium, atqve ita tuum, ut illum alius nemo, nisi a te, habere possit. Hoc itaqve gladio tuo qvi Ecclesiasticæ potestatis est, accingere potentissime, & accingere super femur tuum, id est, super universas humani generis potestates, cumqve accinctus fueris, tum intende contra errores, contra hæreses, contra dissensiones, &c. Nec intende solum, sed etjam procede & regna. Procede inprimis & prospere, procede, gentes qvæ bella volunt dissipando, tum regna Sacerdos & Rex; qvæ pacis sunt cogitando, inqvirendo, perseqvendo. Nolo hic inferere qvæ contra duplicis gladii & temporalis potestatis usum hoc Concilio assertum & exercitum Richerius commentatur. Succesisse nempe Pontifici ex voto omnia. Nam Maximilianus Cæsar illectus spe urbium qvarundam in Italia recuperandarum & Ludovicus Galliæ rex Mediolanensis ducatus recipiendi ardore Pisano Concilio renuntiarunt, & Lateranensi obedientiam promiserunt, qvod exemplum reliqvi secuti sunt; nulli tamen alii Episcopi qvam Itali, Curiæ Romanæ assectæ, ut ait Richerius ad Concilium venerunt. Decessit durante Concilio anno 1513. d. 21. Febr. Julius & d. 4. Martii *Johannes Mediceus* electus fuit, *Leonis Decimi* nomen assumens. Cæterum reformationis veræ & seriæ qvam hactenus tantis flagitationibus petitam audivimus, spes omnis decollavit, licet Bulla qvædam ab ipso Pontifice, absqve deliberatione cum patribus, proposita obseqvio cœco approbata fuerit, qvem modum in Conciliis agendi a Bellarmino licet laudatum Richerius summe improbat, & de hac Bulla ita judicat. *p.76. Hæc est illa eximia & tantopere Christianis nationibus a ducentis annis exoptata reformatio, vel ut verius dicam, abusuum Curiæ Romanæ incrustatio & involutio.* Nec minorem zelum ostendit adversus abolitionem *Sanctionis pragmaticæ*, qvam Francisco I. Galliæ Regi juveni, multis artibus, & promisso etiam *Imperatoris Constantinopolitani* titulo extortam fuisse refert,

fert, cum stabilimento absolutæ Monarchiæ Pontificiæ, qvam etsi Primatum concedat, plane rejicit, & potestatem omnem Ecclesiasticam *non nisi ministerialem & spiritualem esse, omni facultate absolute & temporaliter cogendi divinitus privatam* contendit. *p. 49.* decem totos annos assidue legendo & scribendo de hac materia sese impendisse professus *p. 55.* Seqvuntur inde Acta *de Appellatione Parisiensi* anno 1517. *p. 56. & seqq.* de qva aliqvid in textu dixi. Adde sis lamentabiles exclamationes *p. 113. & seqq.* ubi ruinam Episcopalis & presbyterialis ordinis deflet, & pastores *multos, cæcos, infatuatos obtortos factos esse* qveritur, qvi nullo pacto cognoscant, qvi fuerint, qvi sint, aut unde exciderint.

Hæc ex scriptore Gallo, minime qvidem Lutherano, imo Lutheranis & Reformatis infestissimo, ea fini adduco, ut, qvis verus Ecclesiæ status proxime ante Lutherum fuerit, ex eis qvæ inter Reges & Pontifices, in Conciliis etiam, & in facie Pontificis acta sunt, appareat. Qvos enim defectus, qvæqve crimina, Imperator, Reges, Principes, tot Cardinales & Episcopi Pisis congregati, pro confessis & notoriis anno 1511. & seqventibus agnoscebant, deplorabant, & emendare cupiebant, ea utiqve anno 1517. nondum cessaverant, nec correcta aut sublata erant, sed omnibus in recenti memoria versabantur, divulgatis per typos actis plurimis, sicut speciatim constat de *Appellatione Parisiensi* anno 1517. facta, qvæ Latine eodem anno impressa reperitur, Exemplum extat *in Bibliotheca Paulina Lipsiensi* cum subscriptione Gallica: *L'appellation de l'Université de Paris pour les Recteur, Professeurs, Docteurs, Ministres, Regens, Escoliers & Suppostz d'icelle & leurs adherens des greiefs & causes cy dessus declarez.* Deniqve vaticinium *Francisci de Paulla*, Fundatoris ordinis Monachorum, qvos *Minimos* vocant, fide Richerii relatum, notari meretur *p. 101.* Ludovicæ enim Sabaudæ Francisci Regis matri pridie ante mortem suam prædixisse fertur Monachus, regnaturum filium ejus in Gallia cæterosqve seculi sui Principes gloria, opibus & felicitate longe superaturum, *si modo ad Ecclesiæ emendationem animum adjungeret; coveniafore infortunatissimum, si Ecclesiæ reformandæ rationem detrectaret, qvæ* (ait) *Beati Viri monita si adres a Francisco gestas referantur, pro divino habebuntur oraculo:* idqve pluribus exeqvitur *d. l. & p. 102.* qvibus addi possunt qvæ de Caroli Cæsaris

ris fato Lutherus ominatus est §. CIX. Non multum absimile est Savonarolæ responsum Cominæo datum, cum de Caroli VIII. Regis reditu ex Italia in Galliam eum consuluisset: immitia enim Regi fata prædixit, *qvia officio suo in Italia* (qvam victrici terruerat partim qve subegerat exercitu) *non satis feciisset, nec statum Ecclesiasticum in ordinem reposuisset.* Vid. Comin. & Wolff. in *memorab. Tom. I. f. 927.*

Ad §. c. *Clemens VI. in Decretali vel Constitutione*) In gratiam eorum, qvibus vasta Juris Pontificii qvod *canonicum* vocant volumina, non multum nota, vel non ad manus sunt, de constitutione Clementis VI. Pontificis qvædam adferemus. Reperitur illa inter Constitutiones qvæ *Sexto Decretalium* libro, subjunctæ sunt; post illas, nempe qvas Clemens V. & Johannes XXII. publicarunt (qvarum hæ *Extravagantes Johannis* dicuntur) Illæ diversos Pontifices autores habent, & ideo *Extravagantes communes* dicuntur. *Lib. V. Capit. 2.* titulo *de pœnitentiis & remissionibus*; incipit, (& ita vulgo allegari solet) *Unigenitus* data anno Pontificatus Clementis VI. primo, idest, anno 1342. Promulgat in illa indulgentias in Jubilæo anno 1350. Romæ celebrando concedendas. Allegat autem Bonifacium VIII. qvi anno 1300. eandem ceremoniam instituerat. Est is *Bonifacius*, Anagniæ haud procul Roma in Hernicis natus, qvi ante Pontificatum *Benedictus Cajetanus* vocabatur. Vir qvidem adeo malus, ut Editores voluminum juris Pontificii glossati, qvod Parisiis anno 1561. prodiit, historiam vitæ ejus, a Platina descriptam sexto decretalium libro, Bonifacii auspiciis collecto subnectere non sint veriti. In ea vero immania ejus vitia & tragicum demum exitum, cui Gallorum Rex Philippus Valesius causam dederat, nullamqve prorsus ejus laudem legimus: potius hanc additam a Platina epicrisin: Discant hujus exemplo Principes omnes, „ tam religiosi qvam seculares, præesse clero & populis non superbe & „ contumelioše, ut hic de qvo loqvimur (Bonifacius) sed sancte & mode„ ste, ut Christus Rex noster; ejusqve discipuli & veri imitatores: & ma„ lint a populis amari qvam timeri, unde tyrannorum pernicies merito „ oriri solet. Ex verbis autem constitutionis Clementis VI. ea potissimum notanda sunt, de qvibus inter *Cajetanum* & *Lutherum* disputatum fuit. (*Vid. infra §. 37.*) Ira enim postqvam de Christi incarnatione & passione exorsus esset, & narrasset Papa, qvod non guttam sangvi-

sangvinis modicam (qvam putat propter unionem ad verbum pro redemtione totius humani generis sufficisse) sed copiose veluti profluvium qvoddam effuderit; porro definit & loqvitur: Qvantum ergo exinde ut nec supervacua, inanis aut superflua tantæ effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiæ acqvisivit, volens suis thesaurizare filiis pius pater, ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, qvo qvi usi sunt, Dei amicitiæ participes sunt effecti. Qvem qvidem thesaurum non in fudario repositum, non in agro absconditum, sed per beatum Petrum, cœli clavigerum, ejusqve successores suos in terris vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum, & propriis & rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis, pro peccatis debitæ, tam generaliter qvam specialiter (prout cum Deo expedire cognoscerent) vere pœnitentibus & confessis misericorditer applicandum. Ad cujus qvidem thesauri cumulum, beatæ Dei genitricis, omniumqve electorum a primo justo usqve ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur: de cujus consumtione seu minutione non est aliqvatenus formidandum, tam propter infinita Christi (ut prædictum est) merita, qvam pro eo qvod qvanto plures ex ejus applicatione trahantur ad justitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum. Exponit, id argumento a Leviticis ceremoniis & brevitate vitæ humanæ ducto, & secum Moyse & Aarone comparans, rationem reddit, qvare non centesimum, ut Bonifacius, sed qvinqvagesimum annum ad indulgentias concedendas delegerit; postea præscribit, qvibus conditionibus beneficium Jubilæi adipisci liceat. Notant historici Platina & Trithemius, & ex illis alii, magnum qvidem numerum hominum anno illo 1350. Romam confluxisse, sed vix decimum qvemqve rediisse ob pestem qvæ grassabatur. Hi ergo sunt indulgentiarum fontes copiosius qvam unqvam antea aperti, hæc argumenta, qvibus jus earum nititur, & de qvo dubitare & disputare Lutherus postea cœpit.

Magnus etiam indulgentiarum dispensator fuit *Alexander VI.* & invenit Bulla jubilæi anno 1500. ab eo publicata dignum laudatorem Monachum, *Felicem Fabri* Prædicatorem Ulmensem cujus MS. aliqvoties allegat *Crusius in Annal. Svevic.* & ex eo hæc refert *Part. III. Lib. IX. c. 50.* Ut bulla habeat æternum robur, plumbeo sigillo eam

„ firmat Papa qvo ſigillo ſolus utitur ipſe, ut ſummus Chriſtiani orbis
„ Prælatus. Caput Petri in eo ſignificat, cœlum clavibus Petri aperiri
„ obſervatoribus Bullæ. Pauli caput ſignificat, gladio Paulineglecto-
„ res Bullæ pulſum ad inferos iri. Hanc Papæ ſententiam eſſe, ſignifi-
„ catur ejus in altera ſigilli parte nomine: Non cannabino vinculo (cu-
„ jus uſus eſt in ſigillandis rebus bellicis, & triſtibus) ſed ſerico (leni &
„ miſericorde) ſigillum appenditur, cum colore flavo & rubro. Sub-
„ ſcriptio: *Ego Alexander, Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.* Diß giebt viel
„ Krafft und Macht der Bull: dann ſo viel will die Geſchrifft: Ich
„ Alexander/der gantzen Welt einiger Monarch und Biſchoff der gan-
„ tzen Chriſtlichen Kirchen/ hab die Bull geben/ beſieglet: und bin
„ perſonlich dabey geweſen/das bezeugt unſer eigen Handſchrifft. Nach
„ dem Tittel/ſo hat ſanctiſſimus noſter Dominus gemacht zwo Figur
„ mit der Feder: Eine vor/ und eine darnach. Was die bedeuten weiß
„ niemand/denn ſeine Heyligkeit: der in dem Schreyn ſeiner Bruſt
„ alle Gerecht/Göttlich und Menſchlich/hat geſchrieben. Germani-
corum verborum hic eſt ſenſus. Subſcriptio: *Ego Alexander* &c.
„ magnum pondus multasqve vires dat Bullæ. Hoc enim indicat: Ego
„ Alexander totius mundi Monarcha, totius Eccleſiæ Chriſtianæ Epi-
„ ſcopus hanc Bullam dedi, ſigillavi, præſens fui, hoc teſtor mea manu.
„ Poſt titulum, *Sanctuſimus Dominus* duas figuras fecit, unam anterius,
„ alteram poſterius, qvid hæ ſignificent nemo ſcit, qvam ipſius Sancti-
„ tas: habet enim in ſcrinio pectoris ſui inſcripta omnia jura divina
& humana. Dignus fuiſſe videtur Felix hic ſeculi felicitate, qvam
prædicat in exordio operis Maimburgius. Qvid vero ſibi velit in re-
latione ſigni manu Pontificis facti, divinare neqveo, niſi forte literam
initialem nominis ſui baptiſmalis adſcripſit Alexander. Id enim ali-
qvando fieri ſolere teſtandi aſſenſus Pontificii cauſa, legiſſe me memi-
ni, in diario Gallico *Ludovici Santamorii*, de negotiatione apud Inno-
centium X. in cauſa qvinqve propoſitionum Janſenii. Vide illum
Part. IV. cap. VIII.

Ad §. VI. fin. In hiſtoria *Mauritii Electoris MS.* cujus autor eſt *Georgius Arnoldus* Chemnizenſis Jureconſultus egregius, & Cancella-
rius qvondam Cizenſis, anno 1588. defunctus, hæc habentur, qvæ ex
Germanica verſione anno 1670. a Bibliothecario Electorali *Davide Schirmero* adornata (Latinum enim exemplar nondum adipiſci po-
tui)

tui) excerpsi: Alberti Cardinalis aula erat totius Germaniæ splendidissima & sumtuosissima. Licet autem duos Archiepiscopatus & præterea Episcopatum opulentum haberet, prodigebat tamen omnia per luxum & profusiones enormes, ita ut pecuniam Pontifici pro pallio Moguntino debitam, ex tantis reditibus conficere non posset. Ad fraudes igitur & subdolas corradendi nummos artes se convertit, se & Imperio Romano-Germanico indignas ac demum exitiosas.

Ad §. VII. *id temere & sine fundamento traditur)* Audiamus post longum tempus anno 1541. Lutherum in acerrima illa *contra Henricum Ducem Brunsvicensem apologia* non solum culpam motæ disputationis omnem a Friderico Electore amoventem, sed rem totam cur & qvomodo disputare cœperit ita narrantem: (sensum tamen potius qvam verba refero ex Germanico versa) Accidit anno 1517. Monachum Dominicanum Johannem Tezelium, clamatorem insignem, indulgentias prædicare, & pecunia ut poterat vendere. Hunc Fridericus Elector Oeniponte a pœna submersionis a Maximiliano I. illi decreta liberaverat, neqve id negare Tezelius est ausus, cum id Wittembergenses atrociter criminanti, Principis jussu objicerent. Illo tempore in cœnobio Wittembergensi concionator & Doctor eram, vigens annis, & recens qvasi ex officina Scholæ, multumqve fervidus & alacer in Scripturis. Cum igitur vulgus magno numero Wittemberga in oppida, Jutterbock, Servestam & alia excurreret, ego vero (ita me Christus servator meus salvet) nescirem, qvid essent illæ indulgentiæ, neqve magis id scirent alii, placide concionari cœperam, esse, qvæ rectius fierent, qvam excursiones illæ ad indulgentias adipiscendas: idem in templo arcis pro concione jam antea innueram, malam a Friderico Electore (nam & hic speciales pro Ecclesia illa indulgentias dudum impetraverat. Vide *addit. ad §. LIV.)* gratiam reportans; qvia multum æstimabat Ecclesiam illam a se fundatam. Sinebam ita & negligebam omnia, cum ad me perferretur, qvanta de indulgentiis jactaret Tezelius. Narrat inde vulgata illa de peccato in B. Virginem commisso, & qvod crux rubra cum insignibus Pontificis in templis suspensa, ejusdem cum cruce Christi efficaciæ esset, qvod plures animas salvasset per indulgentias suas, qvam S. Petrus concionando: item de celerrima animarum ex purgatorio liberatione, qvando num-

mus tinniret, & qvod gratia indulgentiarum eadem esset ac gratia, qva homo cum Deo conciliatur, nec pœnitentia vel contritio necessaria esset, & qvod pro futuris etiam peccatis venia daretur, & alia id genus, solius pecuniæ comparandæ causa instituta. Nesciebam tamen, pergit, cujus usibus cederet pecunia, sed interim libellus edebatur sub insignibus Magdeburgensis Archiepiscopi, qvo qvæstoribus prædicatio illa demandabatur. Constabat inde Tezelium, qvia stentor maximus erat, ab Archiepiscopo Alberto conductum ad prædicandum fuisse, tenebatur enim Albertus pro adepto Moguntino Episcopatu pallium Romæ redimere, nam brevi tempore tres Archiepiscopi decesserant, Bertoldus, Jacobus & Uriel, palliiqve pretium, qvod qvidam 26000. alii 30000. florenorum esse dicunt, toties solutum erat. Invenit igitur hanc conqvirendæ pecuniæ Fuggeris Augustanis, qvi eam prænumeraverant restituendæ artem, & hunc nummorum per clamores extorqvendorum Magistrum, qvi etiam magnam jam summam confecerat, ex qva tamen dimidia pars Pontifici ad Fabricam S. Petri mitti debebat. Ista omnia ab initio nesciebam. Scripsi ergo ad Albertum, measqve theses misi, rogans ut pro officio suo, prædicandi illam licentiam Tezelio inhiberet, timendum enim esse, ut tandem mali aliqvid per illam oriretur. Idem ad Episcopum Brandenburgensem ut ordinarium scripsi, qvi mihi valde favebat. Hic respondit, me potestatem Ecclesiæ impugnare, magnasqve mihi molestias concitaturum esse, sibi satius videri, ut qviescerem. Cogitabant, ut arbitror, uterqve, Pontificis potentiam mihi homini misero & mendico gravissimam fore. Ita editæ fuerunt propositiones meæ contra Tezelium, & intra dies qvindecim totam fere Germaniam pervaserunt. Omnes enim qverebantur de indulgentiis, & de articulis inprimis Tezelii. Tacebant Episcopi & Doctores, metu Dominicanorum, hæreticæ pravitatis inqvisitorum, qvi igne grassabantur, & Tezelius pastores aliqvos, qvi aliqvid mussitaverant, acriter repressérat. Itaqve pro egregio doctore laudabar, qvi unus tandem rem aggredi ausus essem; sed mihi ista fama non placebat, cum dubius hærerem qvid essent indulgentiæ, & negotium supra vires meas esse metuebam. Das Lied wolte meiner Stimme zu hoch werden. Addit alia, & secundam motuum causam præcipitatæ in se Romæ condemnationi attribuit, qvæ sexdecim diebus prius, facta fuisset, qvam citatio

tatio sibi fuisset insinuata. Inde iter suum Augustanum narrat, & qvomodo Staupitius Fridericum Electorem permoverit, ut ipse, cum Augustæ esset, Cajetanum adierit, & ab eo impetraverit, ut Lutherum audire vellet. Hæc & ea qvæ ad §. II. ex eodem scripto attuli, tot aliis documentis firmata suspicionem & judicia malevolorum, aut rei gestæ ordinem ex suo ingenio effingentium, sufficienter elidunt.

Ad §. f. *Potestate vescendi ovis & caseo tempore Qvadragesimæ, & eligendi sibi confessionarium.*) Cum cautiores in his Pontifices facti sint, fatente id Maimburgio, & non nostratibus saltem sed fortassis & aliqvibus in Romana Ecclesia non satis notus hodie sit stylus indulgentiarum illius seculi, afferam qvædam ex ipsa Saxonia, in cujus archivis plurimæ adhuc restant Pontificum Bullæ, de vescendis Qvadragesimæ tempore ovis, butyro & caseo, qvas vulgo Butter-Brieffe vocabant, & modico ære vendebant, idqve aliqvando intra regionem ad ædificia sacra applicabant, parte aliqva Romam destinata. Merentur omissis aliis referri tradita a *D. Andr. Mollero in Chron. Friberg. P. I. p. 51.* ex Germanico translata hoc sensu. Cum anno 1484. maxima Fribergensis urbis pars cum templis suis conflagrasset, reædificari Alberti Saxoniæ ducis (Georgii parentis) auspiciis Ecclesia collegiata *B. Mariæ* qvam ipse adversus Bohemos fundaverat, (vulgo der Thum) dein & aliæ cœperunt: Ad sumptus impetrata fuit ab Innocentio VIII. Pontifice anno 1491. d. 6. Jul. Indulgentia, potestate per viginti annos data vescendi butyro & lacticiniis per totam qvadragesimam, tum qvatuor temporibus, & in vigiliis festorum, iis omnibus qvi qvotannis vigesimam floreni Rhenani partem dependerent, (id est, grossum, qvalis tunc erat cum minuta ejus particula) hujus vero tributi pars qvarta ad Fabricam S. Petri Romam mitti debuit. Huic concessioni reluctati sunt viri docti, & per subreptionem impetratam esse contendebant, sed Pontifex per literas datas edictum suum repetiit & declaravit XVIII. Cal. Jul. sive 14. Junii anno Pontific. VIII. id est, 1492. Neqve tamen cessarunt oblocutiones, & ipsi Dominicani in monasterio superiori Fribergæ reclamare, imo theses contra indulgentias typis publicare ausi sunt. Delegato inde ad cognitionem causæ (qvia Ordinarius, sive Diœcesanus judex, Johannes a Salhausen Episcopus Misnen-

» ſis, contra indulgentias decretum tulerat. Vid. *Fabric. Annal. orb. Miſn. Lib. III. p. 78.*) Egerdo Epiſcopo Sleſvicenſi, Alexander VI. » PP. anno 1496. d. 25. Auguſt. *Georgio Frichenhuſio, Johanni de Bamberga* mendicantium uti vocat, ordinum Profeſſoribus & verbi Dei prædicatoribus, (id eſt Dominicanis) tum & Doctori *Johanni Breitenbachio* prædicatoribus adhærenti (qvi, ut ſunt Verba » Pontificii decreti *de hac re publice diſputare & ſic diſputando nonnullas ſcandaloſas propoſitiones & concluſiones circa præmiſſa tenere, & illa in mille qvinternis imprimi facere non formidaſſet*) perpetuum ſilentium impoſuit & indulgentias confirmavit. Sed operæ pretium eſt ex *Alexandri Bulla*, a Mollero *Parte II. p. 139.* producta, ſeqventia adſcribere. Poſtqvam enim ea qvæ relata ſunt, & commiſſionem Epiſcopi Sleſvicenſis narraſſet Alexander ita pergit: » Et demum ex certis cauſis aliqvibus S. Rom. Cardinalibus ſucceſsive, » ac poſtremo dilecto filio Bernardino Sacro Sanctæ Crucis in Jeruſalem » Cardinali, ut de his qvæ ad impugnationem contentorum in dictis literis pro parte Prædicatorum & Doctoris Prædicatorum, & juſtificationem eorundem pro parte veſtra deducebantur, ſe informarent, & » nobis referrent, mandavimus. Cum autem præfatus B. Cardinalis » de præmiſſis plenarie informatus omnia qvæ ad hujusmodi per partes » prædictas deducebantur, nobis fideliter retulerit: nos ſcandalorum » & ſeditionum materiam inter Chriſti fideles amputare, & litium ex » præmiſſis ortarum & qvæ inde oriri in futurum poſſent, occaſionem » præſcindere, ac etiam ſaluti animarum plurimarum pariter, & corporali neceſſitati commoditatiqve ſubditorum præfatorum *Alberti & Georgii Ducum*, & aliorum prædictorum conſulere, nec non etiam reſtaurationi dictæ Eccleſiæ, qvæ ad hæreſin Boëmicam comprimendam, » & ad fidei Catholicæ tutelam in partibus illis procul dubio conducere » dignoſcitur, proſpicere volentes; litem prædictam, & omnes alias inter vos & prædictos fratres Johannem & Georgium, & Johannem Doctorem, ſeu alios qvoscuuqve, etiam ex officio noſtro, aut ad qverelam » cujuscunqve, & omnes alias lites præmiſſorum occaſione motas, & coram dicto B. & aliis Cardinalibus ac Auditoribus cauſarum dicti palatii, nec non judicibus in Curia Romana vel extra eandem, ubicunqve pendentes, ad nos præſentium tenore advocamus, & illas penitus

» & o-

& omnino extingvimus. Et insuper ne decætero de validitate, viribus & observantia literarum prædictarum præfati Innocentii Prædecessoris aliqva hæsitatio in mentibus fidelium remaneat, easdem literas & in eis contenta auctoritate Apostolica durantibus viginti annis, ex die datæ primæ concessionis in dictis literis, ad preces Alberti Ducis præfati emanatis ut præmittitur computandis, robur firmitatis obtinere debere, illasqve sine aliqvo scrupulo conscientiæ juxta earundem continentiam atqve formam observandas esse decernimus; dictisqve Johanni & Georgio Fratribus, Verbi Dei prædicatoribus, & Johanni Doctori super eorum oppositionibus, prædicationibus, disputationibus ac omnibus, qvæ per eos tam in judicio qvam extra adducebantur, contra prædictas literas, & earum observantiam, perpetuum silentium imponimus. Nostræ tamen intentionis existit, qvod usus lacticiniorum hujusmodi, qvi fiet durantibus dictis viginti annis, ad inducendum consvetudinem qvovis modo, aut causandum aliqvam excusationem super illorum usu, post prædictos viginti annos decursos nullatenus alicui suffragetur, ac nullum penitus præfatis *Alberto & Georgio Ducibus*, nec non subditis suis & incolis dictarum partium ac aliis supra dictis adminiculum vel favorem præbeat, qvo minus in eodem statu esse censeantur, qvoad illorum usum, in qvo erant antequam dictæ literæ ab eodem Prædecessore emanarent. Decernentes irritum & inane si qvicqvam scienter vel ignoranter in contrarium contigerit, qvovis modo attemptari. Non obstantibus præmissis ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, qvæ idem Prædecessor in dictis suis literis voluit non obstare, cæterisqve contrariis qvibuscunqve. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXXVI. August. M. CCCC. LXXXXVI. Pontificatus nostri anno qvinto. Sub finem anni Vigesimi, non obstante illius contradictionis memoria & clausulis Alexandri diplomati adjectis Julius II. ad renovationem in alios viginti annos anno 1509. d. 23. Nov. facilis fuit eamqve Episcopi Misnensis & Mersburgensis mense Octob. 1512. in diœcesibus suis publicarunt, temporales & æternas pœnas iis comminantes & absolutionem denegantes, qvi non soluto illo grosso, lacticiniis vescerentur. Neqve reperio contradictum huic indulgentiæ fuisse, cum alias interim anno 1507. Dominicani ipsi prædicassent, ut paulo post notabimus.

Ut autem appareat ex qvibus rationibus indulgentiis illis contradictum

traditum fuerit, Controversiæ statum ex ipsius *D. Joh. de Breitenbach* tractatu, qvem Pontifex in Bulla allegat, referendum esse duxi. Eum nactus sum ex Bibliotheca Paulina Lipsiensi, ubi & alia ad causam illam pertinentia reperiuntur. Titulus est: *Consilium Johannis de Breitenbach utriusqve Juris Doctoris in florentissimo studio Liptzensi Merseburg. Diœcesf. Jure Canonico ordinario legentis: an contribuentes juxta tenorem literarum Apostolicarum per Dominum Papam Innocentium Octavum & modernum concessarum, pro reparatione & restauratione Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ Virginis Oppidi Freiberg. Misn. diœcesf. quadragesimalibus & aliis diebus, qvibus ejus butyri & lacticiniorum prohibitus est, sine conscientiæ scrupulo butyro & lacticiniis libere vesci possint, in qvo quædam pulcherrima verba de potestate Domini Papæ & an ipse Dominus Papa in eo facto detestabili Regis Franciæ nunc occurrenti dispensare possit? ac qualiter Prælati locorum se circa mandata & literas Apostolicas habere debeant, continentur.* Præmittitur Bulla Innocentii, dein seqvitur consilium, qvod constat paginis undecim, in qvarto; post singulas fere lineas plurimis, ut tunc moris erat allegationibus juris & Glossarum ac Doctorum refertum. Pro rationibus dubitandi affertur, qvod Papa jus habeat supra jus dispensandi contra consilium (concilium) generale, qvia major est Concilio, & potest omnia ut Deus secundum Ostiensem. in c. qvanto. de translat. Prælat. & secundum Baldum I. fin. C. sent. rescind. non poss. & qvia Papa legitime electus est in terris Deus, sicuti non legitime electus est Diabolus. Adduntur plura ejusmodi, & inter alia allegatur textus *C. I. de homicid. in Sext.* qvem aureis literis scribi debere ait autor, qvia ponit rationem qvam Dominus noster Dei filius ejus vices & sui gregis curam Beato Petro & successoribus ejus commisit, & ideo idem Dominus noster Dei filius dicit ad beatum Petrum & ad ipsius beati Petri successores, *qvodcunqve ligaveris* itaqve si Dominus Papa intolerabilia nobis injungat, id cum mansvetudine & humilitate est acceptandum, hinc in signum suæ excellentissimæ dignitatis osculamur eum in pede. Objicit porro, Papæ decretis parendum esse, etsi narrata non sint vera. Licet enim contra ea qvæ sunt de jure divino statuta, absqve magna & rationabili causa dispensare non possit, tamen contra ea, qvæ de jure humano & positivo sunt statuta, nuda sui voluntate dispensare potest,

sine

sine aliqva causa. Sed his & aliis non obstantibus decidit contra Bullam, & absqve conscientiæ scrupulo Principem & subditos butyro & lacticiniis vesci posse negat: verius enim esse qvod false suggesta & narrata vitient dispensationes: id allegationibus per duas pene paginas confirmat. Falsum autem esse dicit qvod oleo & piscibus careat Misnia, habere enim oleum olivarum non majori qvam butyrum, aliud ex frugibus terræ confectum, minori pretio, & nunc pro una piscina, qva majores contenti fuerunt, duas aut tres inveniri. Ex voluptate itaqve & lascivia butyrum & lacticinia appeti; idqve ultimorum temporum indicium esse ex *2. Tim. III.* argumentatur. Tacuisse etjam putat impetrantes, qvando scandalo hæc dispensatio Bohemiæ aliisqve vicinis regionibus futura sit, introducto butyri esu, contra piam & immemorialem consvetudinem eo abstinendi tempore qvadragesimæ. Examinat inde officium dispensationis, idqve non nuda voluntate, sed cum ratione & moderatione expediri debere monet, hoc præsertim tempore qvo cupiditas auri abundet. Teneo, *ait*, pro indubitato, qvod Dominus Papa sine causa rationabili non possit in foro poli, seu qvoad Deum relaxare jus positivum, firmatqve id multis rationibus & testimoniis: & postea, licet iterum agnoscat & flosculos ex autoribus suis adducat, qvod peccatum paganitatis incurrat, qvi se Christianum dicat, & sedi Apostolicæ obedire contemnat, impune tamen non pareri Papæ pronuntiat, si is mandet injusta & scandalosa, aut contra utilitatem publicam. Prælatos autem miseros esse qvi statim timent, & ita credunt literis Papæ, ut non permittant aliqvid examinari circa ipsas, cum tamen id facere teneantur. Provocat ad Glossam & Baldum. Addit, qvomodo Papa, etsi ex magna causa contra jus divinum dispensare possit, cavere sibi tamen debeat ne dispenset, contra universalem statum ecclesiæ, contra exemtionem clericorum, qvam statuit esse de jure divino, per dictum Psalmi: *nolite tangere Christos meos*, & autoritates Canonistarum. Negat item dispensandi jus esse contra matrimonium consummatum: & occasionem hinc arripit, de causa illa regia, cujus in titulo meminit decernendi, his verbis Ex his infertur, ad illam detestabilem & atrocissimam injuriam, qvæ fertur gloriosissimo Domino nostro Regi Romanorum per iniqvissimum Regem Franciæ, si rex dici mereatur, per hoc qvod Filiam dicti Domi-

ni nostri regis sibi desponsatam rejecerit, ac ducissam Britanniæ eidem Domino nostro Regi promissam sibi conjunxerit, irrogata, de qva cuncti Christi fideles & præsertim Theotunici (*Teutonici*) Sacro Romano Imperio subjecti merito contristari & suo capiti condolere deberent. Sintitaqve prudentes, & animadvertant omnes Almanniæ Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, aut cujuscunqve gradus nobilitates, ne dicti regis Francorum & cæterorum Barbarorum insidiis, Sacrum Romanum Imperium a Theotunicis, qvi dicuntur veri Germani, & veri nobiles (ut notantur *33. dist. C. qvorundam*, & ibi Joh. Andr.) auferatur & eo ablato, qvod absit, in servitutem redigeretur. Unde antedictus Dominus Princeps Albertus maxima sui sapientia hoc perpendens, ut hujusmodi gravissimo periculo Theotunicis imminenti obviaret, pudicissimam conjugem, nobilissimos filios, sapientissimos consiliarios, obedientissimos subditos terrasqve & ducatus sui opetarios relinqvens, se in partibus inferioribus ingentissimis periculis exposuit, malens mortem eligere, qvam ut ille excellentissimus honor a Theotunicis aufferretur, & eorum Respublica desolaretur, cujus qvidem prudentissimi fidelissimiqve Principis ac cæterorum illustrissimorum Principum Dominorum Ducum Saxoniæ, Landgrafiorum Thuringiæ & Marchionum Misniæ memoria ob id apud cunctas nationes in perpetua benedictione erit. Subjungit, etsi matrimonium illud non esset consummatum, (qvo casu Papa licentiam magna causa dispensare) non posse tamen hoc casu propter magnum scandalum dispensationem fieri. Concludit deniqve propter scandalum non utendum esse indulgentia illa butyri ab Alberto impetrata, & refellit rationes dubitandi supra adductas. Patet hinc qvare scripta a Breitenbachio & qvæ Dominicani & Franciscani in eandem sententiam declamaverant, scandalosa visa sint Alexandro Pomifici: ita tamen, ut ausus non sit condemnare obsequentes, sed magna cum circumspectione, majori sane qvam Leo postea usus est, sepelire ista silentio maluerit. Prospexerat sibi Breitenbachius non solum per consvetam clausulam, qva censuræ Papæ & Ecclesiæ dicta sua submittit, sed & Principum Alberti & Filii ejus Georgii, & cujuscunqve melius sentientis judicio esse sturum se esse profitetur, tam liberaliter qvidem, ut tenere se velle dicat, qvod ipsi vel qvilibet eorum seorsim approbat, & non tenere qvod reprobat, sic ait a nullo sanæ mentis se reprehendi

iendi posse, & hoc qvoqve allegatione glossarum confirmare voluit. Nondum venerat hora Domini, majorem lucem paulo post allatura. Interim, qvantum in illis tenebris permissum fuit, aliqvid certe luminis viros istos affulsit. Dubitare enim incipiebant de absoluta illa Pontificum potestate. Videbant si res sancta esset, ecclesias magno sumtu & ornatu ædificare, & corpus jejuniis a voluptate abstrahere, aliis mediis & institutis opus fore, qvam qvæ tunc exerceri apparebat. Charitas, si per fundamenta Evangelica populo prædicata & persvasa fuisset, eo permovisset homines, ut ex vero amore Dei & zelo ad promovendum ejus cultum conferrent, qvibus opus erat: nam beneficentiam illam laxatione disciplinæ redimere non erat Apostolici genii. Notabile est, qvod ex MS. dictæ Bibliothecæ Paulinæ observavi, Georgium Saxoniæ ducem inter partes, qvas nominat, Decanum & Capitulum B. Mariæ in Freyberg, & ordines Prædicatorum & Discalceatorum Lipsiensium diplomate Germanico anno 1492. Sabbathi post Dionys. dato, *de judicio compromissario*, qvod vocant, constituisse, ita ut ab utraqve parte intra certum tempus Principi mittendæ essent rationes in scriptis deductæ; dein ut Theologorum & Juris Consultorum Lipsiensium conjunctim vel ab aliis extra Saxoniam Scholis judicium de iis peteretur cui a parte utraqve parendum esset. Annotavit autem ex monachis qvidam: *Præscriptum processum, qvem nos utiqve observavimus, ipsi* (Canonici) *minime observarunt, qvin potius in curiam profecti nos falso, mendose & injuriose apud sedem Apostolicam in conspectu catus Cardinalium & totius publici consistorii infamando detulerunt.* Hæc de ista concertatione, ex qva genius illius temporis & studiorum proxime ante Lutherum congnosci potest. Jam de majoribus illis carius venditis indulgentiis, qvarum prædicatio Dominicanis commissa est, aliqvid afferendum restat.

Autographum indulgentiarum *a Johanne Angelo Arcimboldo* J. U. D. Præposito de Arcisate Protonotario & Referendario Apostolico, nec non ad Colonienſem, Trevirenſem, Salzburgenſem, Bisuntinenſem, Bremenſem, & Upsalienſem, Cameracenſem, Tornacenſem, Morinenſem, Atrebatenſem, Caminenſem & Misnenſem provincias earumqve civitates & diœceses. Nuntio & Commissario, civi cuidam Wurzenſi, anno 1516, concessum habuit, & exhibuit *D. Heinricus Hopfne-*

Hopfnerus Theolog. Lipſ. in *Saxon: Evangel. 1625. p. 121.* Simile inſeruit *Hiſtoriæ ſuæ ſeculi XVI. Hottingerus Part. III. p. 166.* Hujus Arcimboldi vicarius tantum ſeu ſubcommiſſarius erat Tezelius & illius diplomata hac ſubſcribere ſolebat formula:

„ Miſereatur tui Dominus Noſter JESUS CHRISTUS, „ per merita ſuæ ſanctiſſimæ paſſionis te abſolvat, & ego autoritate „ ejusdem, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, & ſanctiſſi„ mi Domini noſtri Papæ tibi conceſſa, & in hac parte mihi commiſ„ ſa, te abſolvo: primo ab omnibus cenſuris Eccleſiaſticis per te qvo„ modolibet incurſis: deinde ab omnibus peccatis, delictis & exces„ ſibus tuis hactenus per te commiſſis qvantumcunqve enormibus, et„ iam ſedi Apoſtolicæ reſervatis, in qvantum claves ſanctæ matris Ec„ cleſiæ ſe extendunt, remittendo tibi per plenariam indulgentiam o„ mnem pœnam in Purgatorio pro præmiſſis tibi debitam, & reſtituo „ te ſanctis ſacramentis Eccleſiæ & unitati fidelium, ac innocentiæ & pu„ ritati, in qva eras, qvando baptizatus fuiſti; ita qvod tibi decedenti „ clauſæ ſint portæ pœnarum, & ſint apertæ januæ paradiſi delitiarum, „ qvod ſi non morieris, ſalva ſit iſta gratia, qvando alias fueris in mor„ tis articulo. In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen.

Fr. Johannes Tetzel, Subcommiſſarius, manu propria ſcripſit.

Antonius Varillaſius *Tom. I. Lib. III. de hæreſ. p. 228. edit. Belg.* in eo putat officio ſuo defuiſſe Tezelium, qvod non prædicaverit: indulgentias non niſi vera pœnitentia acqviri, multoqve minori numero, qvam vulgus putaret. Vere pœnitentibus & contritis ſolum „ merita Chriſti & Sanctorum via illa applicari, & qvamvis per indul„ gentias non ſolum pœnæ Canonicæ ſed & Deo debitæ remitterentur, „ mille tamen & plures annos in Bulla memoratos relationem qvandam „ habere ad antiqvos eccleſiæ canones pœnitentiales, qvi longum pœni„ tentiæ tempus reqvirebant, & qvandoq; totius vitæ, ad unicum ſaltem „ peccatum mortale expiandum. Non examino, qvæ Theologicæ ſunt cenſuræ; ſed conſtare puto, ſi hæc prædicaſſet Tezelius, eſurienti ventriculo & vana crumena diſcedendum illi fuiſſe. Qvi enim veræ pœnitentiæ viam reqviri ad indulgentiarum fructum tutiſſimum certiſſimumqve accipiendum credidiſſent, habebant illam domi ſive in mentibus ſuis, per Dei gratiam nemini ſerio petenti negatam, nec erat,

ut

ut ære suo supervacaneam Pontificis liberalitatem redimerent. Itaqve cum Lutherus eo fere modo prædicaret, conscientiæ qvidem suæ & populi spei satisfecit, sed nummorum mansit indigentissimus, qvales & hodie pleriqve sunt, qvi ad ejus ductum concionantur.

Ad §. h. *Natus erat)* Annus natalis Lutheri usqve qvaqve certus non est, ut scribit Melanchthon his verbis; In matre Margareta, conjuge Joh. Lutheri, cum cæteræ erant virtutes, tum vero præcipuo lucebat pudicitia, timor Dei, & invocatio, intuebanturqve in eam cæteræ mulieres, ut in exemplar virtutum. Hæc mihi aliqvoties interroganti de tempore qvo filius natus est, respondit, diem & horam se certe meminisse, sed de anno dubitare. Adfirmabat autem natum esse d. X. Novembr. nocte post horam XI. ac nomen *Martini* attributum infanti, qvod dies proximus, qvo infans per baptismum Ecclesiæ Dei insertus est, Martino dicatus fuisset. Sed frater ejus Jacobus, Vir honestus & integer, opinionem familiæ de ætate fratris hanc fuisse dicebat, natum esse a natali Christi 1483. Habentur hæc in *præfatione Tomi II. Lat. Wittemberg.* qva historiam vitæ Lutheri nervose & egregie complexus est Philippus. Edita autem fuit seorsim anno 1547. a Johanne Pollicario, & Georgio Principi Anhaltino, Administratori Mersburgensi dedicata. Integram *historiæ suæ Ecclesiasticæ* inseruit Boxhornius *p.m.1044.* ubi Lutherum *heroïs incomparabilis* elogio mactat. Nihilominus Remondus diem 22. Octobr. præfert, ut malitiosæ Astrologi cujusdam Junctini calumniæ fidem conciliaret, qvi ex horoscopo illius diei ingenium Lutheri miris modis infamare voluit. Hunc Isaacus Malleolus, Professor Mathem. Argentorat. anno 1617. edita dissertatione de genitura Lutheri refutavit.

Isennaci) Matthaus Razebergius, Medicus *Johannis Friderici Saxon.* Electoris in historia MS. Lutheri (cui jam seniori familiaris fuit aliqvando & medici operam præstitit) Germanice scripta, qvæ in Bibliotheca Serenissi. Principis Gothani habetur, refert, Lutherum anno 1498. Isennacum a parentibus missum, & hospitium apud Conradum Cottam (familia illa senatoria etiam nostra memoria Isennaci supereſt) nactum esse. Docuisse tunc in Schola Franciscanorum qvendam *Johannem Trebonium*, virum doctum, cui in more fuerit adaperto capite puerorum cœtum honorare, anteqvam in cathedra consideret, negligentesqve id aliqvando collegas serio increpasse, dicentem:

dicentem: *Sedent inter hos pueros, ex qvibus deum Consules, Cancellarios, Doctores & Magistratus facit, qvamvis id vos jam lateat: hos non immerito honoretis.* In hac schola pene qvadriennio literis operam dedit Lutherus. Invertit ordinem Maimburgius, dum Magdeburgum præponit Isennaco: hic enim prima posuit tyrocinia, Magdeburgum anno ætatis XIV. missus est.

Ad concionandi simulqve Philosophiam docendi) Ad concionandum a Staupitio vocari non potuit, nisi de concionibus in solo templo Augustinianorum sermo sit, sed in monasteriorum templis raræ tunc erant conciones. Qva vero occasione ad concionandi munus vicaria qvadam opera suscipiendum pervenerit, notatum est §. 42.

En verum Martini Lutheri character) Alium nupertime efformavit Varillasius *dict. Lib. III. p. 225.* Ejus verba ex Gallicæ traducta hæc fere sunt: Martinus Lutherus, ex ordine S. Augustini, omnes Hæresiarcharum qvalitates a S. Patribus suo tempore observatas, bonas malasqve in sua conjunxerat persona. Natura videbatur corpori Germano ingenium Italicum immisisse, tantam habebat vivacitatem, industriam, vigorem, sanicaeln.: Nemo eum in studio Philosophiæ & Theologiæ Scholasticæ superavit, nemo in arte concionandi æqvavit. Perfectissima in eo erat eloqventia, rationis humanæ & robur & debilitatem penitus detexerat, noveratqve aditus per qvos penetrari posset. Nulli auditorum affectus tam varii aut inæqvales erant, qvos non indagaret & sedare aut excitare nosset, prout opus esse putabat; & qvando materiæ subtiliores essent, qvam ut argumentis persvaderi posset auditor, vincebat tamen eum figurarum efficacia. Hoc regnum in affectus ex cathedra in conversationes etiam transferre sciebat; movebat animos non alterabat, suasqve opiniones tacite & insensibiliter iis inspirabat, deniqve elegantia stylı Germanici triumphabat in eos, qvos eloqventia sua commovere cœperat, aut conversationis amabilitate veluti incantaverat. Nemo lingva patria, nec vivo eo, nec post illum melius aut delicatius locutus est aut scripsit. Sed e contrario vanus erat, ferox, ambitiosus, satyricus, qvi beneficiis parum moveretur, irreconciliabilis, in levissimis etiam offensis, iracundus, nec facile placabilis, gulosus, & excessuum, qvi gulam sequuntur, capax: qvanqvam vita monastica occa-

sionem

sionem in eos erumpendi fere abstulisset. In his, qvæ de dotibus Lutheri prædicantur, demtis exaggerationibus, ex ore inimici acceptari possunt. Ex defectibus, qvos allegat, nullum probabunt adversarii præter excandescentiam, de qva ipse non semel qvestus est, & jocandi nimiam qvandam libertatem. Hæc eo tempore, etiam monachis familiaris erat, qvi liberioribus imo scurribilibus dictis concionibus suis gratiam qværebant, imprimis in festo Paschali, in qvo solenne erat, auditores ad risum movere, qvem Paschalem vocabant, das Oster-Gelächter. Intrepido erat animo, non feroci, vanitatis & ambitionis, cum tot occasiones haberet, nullum dedit specimen, sorte, qvam semel nactus erat, contentus, aliisqve omnibus potius qvam sibi prospiciens; astutiæ, qvam Italicam vocant, adeo expers, ut aperta animi simplicitate & credulitate in contrarium errorem impegisse videri possit. Ingratum nemo dixerit, qvi, uti constat, fere nihil cuiqvam debebat, & generoso animi motu omnibus benefaciebat, etiam cum damno rei familiaris & supra vires. Qvam cito placabilis fuerit Tezelii, Carolostadii & aliorum exemplum ostendit. Comessationes invitus adiit, sæpe de incommodo earum qvestus: vili & parco cibo gaudebat, ita ut in custodia illa Wartburgensi lautius habitus valetudinem corruperit. Cum aliqvando graviter ægrotaret, neglecto medicorum præcepto ad cibum vulgarem & solitum halecis assi & pisorum conversus, (ut Razeberglus memoravit) sanitatem recuperavit, & ejecto calculo morbum prodidit, qvem medici dignoscere non poterant. Capacitas, ut loqvitur Gallus, aliarum voluptatum, objectum est virtutis: qvæ in restingvendis naturæ ardoribus exercetur, cujusqve Lutherus sat magnum documentum dedit, dilato ad qvadragesimum secundum ætatis annum conjugio. Denique concessis vel omnibus, vel plurimis, qvæ scribit, nondum evictum est hæresiarcharum ingenium Luthero fuisse, qvale Patres descripserint. Neqve facile fuerit aliqvem eorum archetypum effingere. Historiæ enim testantur varii ingenii diverforumqve morum homines, simplices, astutos, hilares, austeros; placidos, iracundos; doctos & indoctos hæresium autores fuisse; ingenii qvosdam, alios affectuum majori culpa.

Ad §. IIX. *Luderi & Lutheri cognomine*) Negligebatur enim orthographia Germanica, cum ipsa lingva, a monachis latinitatem

qva-

qvalemcunqve affectantibus, tam infeliciter qvidem, ut tertium qvoddam lingvæ genus neqve Latinum neqve Germanicum, sed commixtum & semibarbarum effabricaverint. Itaqve & in *libro Statutorum Facult. Theolog. Wittemberg.* referente D. Joh. Forstero, in oratione anno 1612. de Lutheri Doctoratu & conjugio habita, hæc leguntur: *Decima octava Octobris, qvi fuit festivitas S. Lucæ, religiosus Pater, frater Martinus Luder, ordinis F. Eremitarum S. Augustini S. Theologiæ Licentiatus, hora prima pomeridiana secundum formam statutorum a Magistro nostro eximio Domino Archidiacono omnium Sanctorum Andrea Bodenstein ex Carolstadt vesperatus est; præsentibus Dominis de universitate, plurimisqve aliis venerabilibus hospitibus; seqventi die ad pulsum majoris campanæ congregatis ut prius patribus & hospitibus idem pater a prafato Magistro nostro Andrea Doctoralibus insigniis in S. Theologia secundum formam statutorum est insignitus.*

Erfordiæ, qvo parentum jussu studiorum causa anno 1501. concesserat) Razenbergius annum 1502. memorat, & Præceptorem Lutheri Academicum nominat *Johannem Greiff. sive Gryphium.* In Magistrum promotum esse notat anno 1503. Fulmine sive tempestate territum esse in rure, cum iter faceret, ita ut in terram procidens secum constituisset, si e periculo illo liberaretur, se in monasterium concessurum esse. (idem ipse Lutherus in dicta dedicatione *coactam & necessarium votum* vocat) Invitasse paulo post amicos, & pro more suo musica, cujus peritus erat, illos delectasse, rogasseqve nihil tale suspicantes, ut hilares hac ultima vice secum esse vellent, neq; enim hoc statu se ab illis posthac visum iri, qvia monasticam vitam instituere decrevisset. Idem autor est, duriter habitum fuisse a Monachis, vilissimisqve servitiis, mendicando maxime per civitatem, gravatum, idqve ei omni labore molestius visum. Staupitium vero, cum (ut *provincialis*) aliqvando in monasterium venisset, Priorem monuisse, ut Lutherum jam Magistrum & doctrinæ cupidum humanius tractaret, tempusqve ei ad studia relinqveret. Eundem Luthero svasisse, ut sacras literas ante omnia legeret, *textualisqve & localis* (ut loqvi solebant) fieret, idqve eo cum successu præstitisse Lutherum, qvem Staupitius admiratus fuerit, eaqve de causa illum aliis prætulerit. Melanchthon *in vita Lutheri*, supra citata, territum fuisse Lutherum narrat, cum sodalem, nescio qvo casu, interfectum amisisset: miserabiliter confossum memorat D. Nicol.

col. Selneccerus in *oratione de vita Lutheri* anno 1590. Hildesiæ habita, qvam nuper Wittembergæ recudi fecit & annotationibus illustravit D. Joh. Frid. Maierus. Melanchthon dum ista, qvæ adscripsi, narrat, generatim annotat, Luthetum de ira Dei, item de mirandis pœnarum exemplis cogitantem, subito tantis terroribus sæpe concussum fuisse, ut pene exanimaretur. Ac vidi ipse, *ait*, cum in qvadam doctrinæ dis- „
putatione propter intentionem consternatus, in vicino cubiculo se in „
lectum collocavit, ubi hanc sententiam crebro repetitam miscuit in- „
vocationi. *Conclusit omnes sub peccatum, ut omnium misereatur.* Me-
rentur & seqventia ex eodem libello notari, qvæ ad mores Lutheri, & gesta in monachatu pertinent, ut nempe doctrinam scholasticam ejus- „
qve labyrinthos inexplicabiles diserte multis admirantibus explicave- „
rit, sed ita, ut studia ista tanqvam parerga tractaret, non famam inge- „
nii sed alimenta pietatis qværens. Gabrielem & Cameracensem pene „
ad verbum recitare potuit, diu multumqve legit scripta Occami, cujus „
acumen Thomæ & Scoto anteferebat: diligenter & Gersonem lege- „
rat, sed omnia Augustini monumenta & sæpe legerat & optime memi- „
nerat. Notandum hoc contra illos qvi Lutherum rudem fuisse exi-
stimant. Cæterum, ut Philippus recensere pergit, fontes doctrinæ cœ- „
lestis ex sacris literis avide hausit, doloribus illis angoribusqve suis mo- „
tus. Refert etiam ut aliqvando lethaliter decumbens & seni Mona-
cho terrores suos exponens, magnum solatium cepisset, cum senex ille symboli articulum urgeret, *credo remissionem peccatorum*, & gratuitam justificationem per fidem exponeret: Selneccerus addit, prædictum ab illo monacho fuisse Luthero, non esse cito moriturum, sed in virum magnum evasurum.

Qvoniam musici studii mentio facta est, ex eodem Razebergii MS. percipitur, *Vocalis*, qvæ vocatur, musicæ, non leviter gnarum fuisse Lutherum, ita ut in lineas sive *notas* canenda componere aut composita corrigere posset. Delectabatur *Gregoriano* qvi dicitur cantu, & hymnis ac responsoriis in *figuruti* qvem vocant, toni leges redactis. Igitur cum commensalibus & filiis post cœnam sacra modulabatur cantica, voce, qvæ *Alti* nomen habet, utens. Cum melancholia, qvod non raro fiebat, affligeretur, a cantionibus illis solatium petebat. Impetravit aliqvando ad eundem finem, a præstanti Bavariæ Ducis Musi-
co, ut verba Psalm. IV. *In pace in id ipsum dormiam, &c.* artificiose com-

composita sibi mitteret. Accidit ut aliqvando mœrore correptus se se per unum alterumqve diem solitarius includeret, nemine admisso. Tunc qvidam *Lucas Edembergerus*, qvi Johanni Ernesto Electoris Johann. Friderici fratri a studiis erat, cum juvenibus aliis musicæ peritis, cum conveniunt, fores musei pulsant, & cum non responderet, tandem effringunt; ibi jacentem in deliqvio inveniunt, & non tam medicina aut cibo, qvam concentu musico reficiunt. Solebat etiam animi causa in pagos vicinos ad pastores excurrere, & aliqvando ibi concionari. Musica tamen maxime delectabatur, nam cibum ne sumtuqvenqvam gravaret, secum ferebat. Arti etiam tornatoriæ ad corpus exercendum operam dedisse Lutherum ex epistola ejus ad Linccium patet anno 1525. scripta, in qva instrumenta qvædam meliora mitti sibi Norimberga petit, jocans si mundus nolit ipsum alere, manu victum parare velle. Vide *Lib. II. epistolarum p. 219. b.*

Georgium Spalatinum.) Qvia hujus viri, ejusqve familiaritatis cum Luthero, itemqve librorum qvos de temporis sui historia conscripsit sæpe mentio facienda est, non ingratum erit aliqva de eo hic legere, qvæ diligentiæ Frid. Hortlederi debemus *Vol. I. de caus. bell. German. Lib. IV. c. 23.* Georgius Spalatinus natus fuit anno 1484. in oppido *Spalato* sive Spalt / in ditione Episcopatus Aichstetensis, indeqve more ejus temporis nomen sumsit: literis Norimbergæ, Erfordiæ, & Wittembergæ imbutus, hic Magistri titulum anno 1502. adsumsit. Erfordiam inde regressus, Juris Consultos audivit. Anno 1507. sacerdotio initiatus pastor pagi *Hohenkirchæ* ad radices sylvæ Thuringicæ, prope celebre monasterium Vallis S. Georgii (Georgenthal) factus est, & novitiorum in dicto monasterio præceptor. Anno 1509. Johannis Friderici, qvi postea Elector fuit, informationi præpositus. Anno 1511. Ottoni & Ernesto Luneburgensibus Ducibus, cum in Wittenbergensi Academia viverent, a studiis fuit. Inde a Friderico Electore Saxoniæ ad *Secretarii* & *Sacerdotis aulici* simul munus, vocatus est. Extant literæ Leonis X. P. d. 1. Jan. & Julii Medicei, qvi postea Clemens VII. Pontifex fuit, d. 7. Jan. 1519. ad Spalatinum datæ, in qvibus eum nominant *Saxoniæ Ducis Secretarium Tom. I. Jen. Lat. f. 220. b. 221.* Adfuit Electori in Comitiis 1518. Augustæ, 1519. Francofurti in electione Caroli V. 1520. Aqvisgrani & Coloniæ, 1521. Wormatiæ. Fridericus moriens legavit ei florenos aureos annuos 160. qvam pensionem

Johan-

Johannes Fridericus anno 1538. forte mille sexcentorum redemit. *Canonicus* fuit *collegiatæ Ecclesiæ Altenburgensis*, qvæ in monte, ubi arx Principum est, etiam nunc extat, ad aulæ sacra splendide aptata, reditibus ad alios pios usus applicatis. Sed cum circa annum 1523. Lutheri doctrinam jam publice profiteretur, & anno 1525. uxorem Altenburgi duxisset, Pastor ejus civitatis vicinæqve provinciæ & Voigtlandiæ, qvæ Electori Johanni parebat, *Superintendens* constitutus est. Adfuit eidem Electori, Spiræ in Comitiis 1526. & Augustæ 1530. Johanni Friderico ejus filio 1531. Coloniæ Anno 1532. Svinfurti 1534. ut & Cadani in Bohemia, alusqve in locis tractatuum & negotiorum posteasecutorum, fœderis maxime Smalcaldici, occasione. Bibliothecam Electoralem coemtis Principum ære Venetiis libris Hebraicis & Græcis, qvæ postea Jenam translati fuerunt, locupletavit. Visitationibus Ecclesiarum in ditionibus Electoris ut & Henrici Ducis interfuit. Edidit versionem Germanicam libelli Erasmi *de institutione Principis Christiani*, & tractatum *de Arminio Cheruſco*, ut & *Chronicon de origine & familia Electorum & Ducum Saxoniæ*, Henrici Brunsvicensis diffamationi oppositum, qvod Hortlederus *d. c. 23.* operi suo inseruit. Inedita autem composuit historica multa qvæ *dd.* Hortlederus recenset, suæqve vitæ commentarium. At ex illis præter exempla libellorum *de vita Friderici & Johannis*, Electorum, & *de Maximiliano, Philippo, Carolo & Ferdinando* Austriacis qvædam, nihil hucusqve reperire potui. Obiit anno 1545. Altenburgi, in æde S. Bartholomæi sepultus. Falli hinc aut gratis fingere oportet Varillasium, cum *Lib. III. p. 254.* literas Pontificias ad Pfeffingerum & Spalatinum anno 1519. recensens, *Consiliarium* hunc *Electoris, & multorum liberorum parentem* fecit, *cui pauperta suaderet, Pontifici gratificari & causæ Lutheri nocere*; eo enim tempore Spalatinus sacerdos & cœlebs erat, nec nisi post annos tredecim parens factus est. In epistolis Erasmi *tres* ad Spalatinum extant *Lib. V. ep. 35. Lib. IX. ep. 24. Lib. XIII. ep. 40.* In harum prima V. Cal. Jun. 1519. mire blanditur Spalatino, per qvem Fridericus nomisma aureum sui imaginem referens Erasmo miserat, scribitqve: *Se illum non solum inter præcipuos amicos sed & inter patronos suos observandos habiturum esse non perinde in chartis qvam in pectore:* cæteras alibi allegavi: Extant & ad Erasmum Spalatini literæ *Lib. XI. ep. 23.* in qvibus cum *Germaniæ communis patriæ decus* appellat & refert, *Fridericum o-*

mnes Erasmi libros in sua habere Bibliotheca, qvam optimis libris refertam architectetur.

Hæc tum erant studia) Optandum foret, ut qvæ ante annum 1517. scripsit Lutherus, conservata majori numero essent. Ex paucis qvæ supersunt magnæ jam tum viri dotes elucescunt. Inter epistolas illo tempore memorabilis, si qvid judico, ante omnes est, qvam Spalatino scripsit 19. Octobr. anno 1516. in qva de studio & interpretatione Scripturæ ab Erasmo tentatæ & de Patribus tractat, *Lib. I. ep. 20.* toraqve hic legi meretur: Qvæ me in Erasmo, homine eruditissimo, movent, hæc sunt, mi Spalatine, qvod in Apostolo interpretando justitiam operum seu legis, seu propriam [ita enim appellat Apostolus] intelligit, ceremoniales illas & figurales observantias. Deinde de peccato originali (qvod utiqve admittit) non plane velit Apostolum loqvi cap. 5. ad Romanos. Qvi si legerit Augustinum in eis libris, qvos contra Pelagianos scripsit, præsertim de Spiritu & litera, item de peccatorum meritis, & remissione, item contra duas Epistolas Pelagianorum, item contra Julianum, qvi omnes in parte operum octava fere habentur, videritqve qvam nihil ex suo sensu, sed præstantissimorum Patrum, Cypriani, Nazianzeni, Rethicii, Irenæi, Hilarii, Olympii, Innocentii, Ambrosii, sensu sapiat: erit forte, ut non tantum recte Apostolum intelligat, sed majore etiam opinione dignum arbitraturus sit Augustinum, qvam hucusqve credidit. Ego sane in hoc dissentire ab Erasmo non dubito qvod Augustino in Scripturis interpretandis tantum posthabeo Hieronymum, qvantum Augustinum in omnibus Hieronymo posthabet. Non qvod professionis meæ studio ad B. Augustinum probandum trahar, qvi apud me, anteqvam in libros ejus incidissem, ne tantillum qvidem favoris habuit: sed qvod videam B. Hieronymum velut dedita opera ad historicos sensus incedere; &, qvod miriuseſt, obiter sanius interpretatur Scripturas, ut puta in epistolis, qvam ubi tractat eas de industria, ut in opusculis. Neqvaqvam igitur justitia legis seu factorum tantum est in ceremoniis, sed rectius etiam in universi decalogi factis. Qvæ qvando fiunt extra fidem Christi, etiamsi faciant Fabricios, Regulos, & plane integerrimos viros apud hominem, non tamen plus sapiunt justitiam, qvam sorba ficum. Non enim, ut Aristoteles putat, justa agendo justi efficimur, nisi simulatorie: sed justi (ut sic dixerim) fiendo & essendo, operamur justa: prius necesse est personam esse mutatam

tatam, deinde opera: prior placet Abel, qvam munera ejus: sed hæc alias. Officium itaqve & amici & Christiani facias precor, & Erasmum de iis certum face: cujus autoritatem, sicut spero & cupio futuram celeberrimam, ita metuo ne per eandem multi sibi accipiant patrocinium defendendæ illius literalis, id est, mortuæ intelligentiæ, qva plenus est Lyranus commentarius, & ferme omnes post Augustinum. Nam & Stapulensi, viro alioqvin (bone Deus) qvam spirituali & sincerissimo, hæc intelligentia deest in interpretando alienas literas, qvæ tamen plenissime adest in propria vita agendo, & aliena exhortando. Temerarium me diceres, qvod tantos viros sub Aristarchi virgam duxerim, nisi scires, qvod pro re Theologica & salute Fratrum hæc facio. Adde qvæ postea anno 1518. eodem fere sensu ad eundem Spalatinum scripsit. *Lib. I. ep. 37.* Paulo ante ad Joh. Langum scripserat *Lib. I. ep. 27.* Theologia nostra & S. Augustinus prospere procedunt, & regnant in nostra Universitate, Aristoteles descendit paulatim, inclinatus ad ruinam prope futuram sempiternam, mire fastidiuntur lectiones sententiariæ, nec est ut qvis sibi auditores sperare possit, nisi Theologiam hanc, id est, Biblia aut S. Augustinum aliumve Ecclesiasticæ autoritatis Doctorem velit profiteri. Qvanti vero Augustinum fecerit, ex præfatiuncula in libellum ejus de *Spiritu & litera* a Carolstadio editum apparet, inter epistolas anni 1518. relata. *Lib. I. n. 43.* Ad historiam rerum qvæ Luthero contigerunt ante motam disputationem, pertinet etiam narratio de concione ejus Dresdæ habita, ex Fabricii *Lib. VII. p. 859.* ubi scribit: Paulo anteqvam mota fuerat hæc controversia, Joannem Staupitium hominem nobilem, & sui ordinis in Saxonia primarium, Georgius rogavit, ut sibi probum & eruditum aliqvem concionatorem mitteret: id qvod ille facturum se recipit, eiqve statim misit Witteberga Lutherum, qvem ut summæ indolis juvenem, studiisqve & moribus sibi spectatum, commendavit. Is Dresdam cum literis Staupitii veniens, coram Duce jubetur verba facere in arce. Summa ejus sermonis fuit: Salutis fiduciam nulli mortalium esse abjiciendam, qvod iis, qvi verbum DEI animis attentis audirent, veri Christi discipuli, & ad vitam æternam electi & prædestinati essent. In ea materia amplificanda immoratus est, totamqve doctrinam prædestinationis, si a Christo fiat initium, singularem vim habere affirmavit ad tollendum pavorem illum, propter qvem cogitatione suæ

„ suæ indignitatis homines trepidantes a Deo fugerent, ad qvem confu-
„ gere unum maxime deberent. Erat honesta matrona, gynecæo præ-
„ fecta Barbara Salana: eam in prandio Dux interrogat, qvomodo con-
„ cio placuisset? qvæ respondit, si alteram talem audire posset, se animo
„ tranqvilliore morituram: cui Dux iratior, se magna redempturum
„ pecunia respondit, talem non audivisse concionem, qvæ homines te-
„ merarios faceret, idqve repetivit aliqvoties. Salanæ autem, id qvod
„ optaverat, accidit, ut intra mensis spatium inciperet decumbere, &
„ læta ex hac vita decederet. Post id tempus Dresdam non rediit. Ex
eo qvod annectit Fabricius qvod post tempus hoc Lutherus Dresdam non redierit lucem accipit *epistola 36. ex Lib. I.* ubi Lutherus d. 14. Jan. 1518. prolixe narrat Spalatino, ut Dresdæ convivio ab Emsero exceptus fuerit; sed in disputationem acrem cum subornatis monachis Dominicanis de Theologia Thomistica inciderit, unde ipsi calumnia apud Georgium Ducem fuerit structa; meminit concionis suæ de stultis supplicantium votis & qvid Christiano petendum esset, qvam habuisse se dicit in Festo D. Jacobi, id est, 25. Julii, unde liqvet factum id esse anno 1517. qvatuor mensibus ante publicatas contra Tezelium theses, liqvet etiam jam antea ob liberiorem doctrinam Thomisticæ sectæ odium in se concitasse Lutherum: an tamen eadem sit concio, cujus Fabricius, & cujus Lutherus mentionem fecit, nolim definire.

Ad §. XII. *Hominem absque pudore & indoctum fuisse.)* Eloqventissimum facit Varillasius *Lib. III. p. 226.* ita ut Lutherus, qvi tunc in concionibus tyro, ut ait, erat, hoc fine Tezelium sibi potissimum adversarium elegerit, ut eo superato pro maximo tota Germania concionatore haberetur. Hæc meris conjecturis noviter & impertinenter excogitatis inniti puto, donec certis & fidis testimoniis probentur, neqve enim ulla æmulatio de concionibus (qvas Lutherus pro parergo habebat) sed de dogmatibus fuit, & clamores Tezelii imitari indignum illo ingenio eaqve eruditione erat, qvam paulo ante in Luthero deprædicaverat Varillasius. Veteranum jam agyrtam, & felicem præconem indulgentiarium in Misnia etiam fuisse Tezelium memorabili exemplo *ex Chronico Fribergensi D. Andr. Molleri* probatur. Scribit enim *part. II. p. 153. Anno 1507. die Jovis post Esto Mihi Joh. Tezelius Pirnensis Monachus Dominicanus & Doctor Theologiæ, prima vice Fribergam venit, & intra biduum duo florenorum millia indulgentiarum*

arum cauſa in urbe lucratus eſt. Si verum eſſet, qvod Auguſtiniani Dominicanis nundinationem hanc inviderint, jam decennio ante Lutheri diſputationem, anſam habuiſſent qverelas ſuas inſtituendi. Ex eodem vero Molleri Chronico *Part. II. p. 170.* notandum eſt, Tezelium paulo poſt qvam Lutherus theſes ſuas Wittenbergæ publicaſſet, denuo Fribergam veniſſe, ſed non ſolum parum effeciſſe, ſed & in diſcrimen veniſſe amittendæ qvam corraſerat pecuniæ, foſſoribus metallicis vim ei intentantibus; itaqve ſine mora diſceſſiſſe. Aliud ejus factum improbum & neqviſſimum narratur in *Chronico Zviccavienſi M. Tob. Schmidii* anno 1656. edito *p. 380.* cujus teſtem allegat *Georg. Strigenitium in Jon. proph. f. 142.* Tezelius cum Zviccaviæ, anteqvam præco indulgentiarum fieret, concionatoris munus exerceret, conviva æditui eſſe aliqvando voluit. Hunc, cum inopiam prætenderet, Faſtos inſpicere juſſit, & cujus Sancti nomen craſtina dies gereret, referre. Juvenalem, ait ille, invenio, ſed parum celebrem. Ego illum, reſpondet Tezelius, clariſſimum faciam, tu modo cras campanarum ſonitum maximum ede, qvalis in Feſtis ſolennibus fieri ſolet. Eo facto, concurrit populus. Inter ſacrum, qvod celebra ſolenniter in altari, qvod e regione ſuggeſtus erat, fecerat, ad concionandum aſcendens Tezelius ita infit: Aperiendum vobis aliqvid eſt, auditores, qvod ſine ſalutis diſpendio ignorare non poteſtis. Scitis utiqve nos jam dudum Sanctos plurimos invocaſſe, ſed illi fere ſeneſcunt, & nos audire atqve juvare faſtidiunt. Hodie memoriam *Juvenalis* celebramus, hucusqve qvidem parum noti, ſed confidite: Novus enim Sanctus novo cultu lætus, tanto alacrior ad auxilium nobis ferendum erit. Fuit ſanctiſſimus Martyr, innocentiſſimum ſangvinem ſuum profudit. Si ejus innocentia frui apud Deum vobis cordi eſt, oſtendite ad hodiernum ejus honorem, liberalitatem veſtram: primores exemplo cæteris præeant, & oblationes in Miſſa hac ſolenni largiter omnes faciant. Id ut certius obtineret, in ſuggeſtu perſtitit, hortator & ſpectans, qvid ſinguli offerrent; etiam in januis templi conſtituerat, qvi populum exire ante oblationem, non ſinerent; tandem deſcendens & ipſe nummulum obtulit; ædituo vero in aurem dixit, ſatis oblatum eſſe, unde laute cænarent. Alia magis vulgata prætereo, ſed tacere non poſſum egregiam relationem *de Johanne Epiſcopo Miſnenſi* ex nobili *Salhauſiorum* familia, qvi ante Sleinizium ſedem illam tenuit, in qva & præludia qvædam

Refor-

Reformationis & de Tezelio vaticinium refertur a *Chytræo Lib. II. fol. 55.* his verbis: Fuit præsulis Joannis sagacitas, prudentia, severitas, magnitudo animi, & industria in officio eximia. Libros precationum, electionum & cantionum, qvibus Sacerdotes utuntur, ab Andrea Prole, cujus tum eruditio & pietas inter monachos præcipue celebris erat, emendari & imprimi curavit. Præcones indulgentiarum nomine & autoritate antistitis Magdeburgici, venias venales circumferentes, ex sua diœcesi plane rejecit, & populi stultitiam reprehendit, qvi pecuniam mitteret in eam cistam, ad qvam reserandam claves non haberet. Superstitiones temporum suorum multas palam improbavit, ac se, Sacra Biblia legentem, religionem præsenti valde dissimilem invenire dixit. Nobili cuidam de Missarum fundatione consilium ipsius petenti, respondit, pulcherrimum in eqvo membrum esse oculos, verum si totum corpus nihil præter oculos esset, prodigio magis qvam ornamento id futurum esse. Nullum animal audacius esse eo, qvod e cucullo prospiceret. De Monachis ajebat, ac multa illius similia in superstitiones ætatis suæ jocantis apophthegmara feruntur. Deniqve paulo ante obitum, a Tezelio indulgentias denuo vendi audiens, dixit: Hunc fore indulgentiarum institorem ultimum, qvod nimia ipsius & intoleranda impudentia esset. Aliud Episcopi hujus factum itidem in causa indulgentiarum narrat *Fabricius Lib. VII. fol. 846.* his verbis: Venditabat tum per Misniam Christianus Baumgartnerus, patria Norimbergensis, indulgentias pontificias contra Russorum gentem, armis Livoniam infestantium. Is per Ducis provincias jam multum pecuniæ collegerat; ad suam vero accedentem diœcesin præsul Misnensis Joannes VI. de Salhausiorum familia noluit admittere: in qvem cum sententia excommunicationis ab illo circulatore mercenario lata esset, factum suum ad Pontificem, non tamen sine magnis sumptibus, defendit. Addo deniqve ex *Ms. Arnoldi de vita Mauritii Electoris* supra allegato, festivam narratiunculam de Tezelio: Cum Lipsiæ esset, & multam pecuniam a civibus & nobilitate corrasisset, convenit eum Nobilis qvispiam, fraudem ejus subodoratus & ex eo qvæsivit, an absolutionem impertiri posset de peccato, qvod in animo sibi proposuisset? respondit Tezelius se id posse, sed accepta pecuniæ summa parata. Nobilis nihil cunctatus, qvod poposcerat, solvit, & indulgentiarum diploma pro crimine destinato, Tezelii manu & sigillo firmatum accepit.

Non

Non multo poſt cum Tezelius Lipſiæ diſcederet, Nobilis explorato ejus itinere loco commodo illum per inſidias adortus nummis ſpoliat, & fuſte inſuper probe dedolat, vacuumqve Lipſiam dimittit, indicans hoc eſſe illud peccatum, qvod in mente habuiſſet, & pro qvo veniam impetraſſet. Georgius Dux Sax. intellecto facinore commoveri primum cœpit, indignatus qvod viro Eccleſiaſtico, qvem non parvi faciebat, in ſua regione & a qvodam ex ſubditis ſuis, ea contumelia illata eſſet, ſed poſtea intellecta rei geſtæ ſerie placatus fuit, & nullam Nobili pœnam irrogavit. Hæc Arnoldus.

Extat in Biblioth. Paulina Lipſienſi ſcriptum Tezelii Germanicum, qvatuor qvaternionum paulo poſt theſes Tezelianas, ſed ante habitam diſputationem Francofurtenſem typis vulgatum, in qvo refutare conatus eſt Concionem Lutheri de indulgentiis anno 1517. habitam, qvæ in viginti paragraphos diſtincta in Tomis Germanicis, (*Tomo I. Altenb. f. 56.*) reperitur, nec qvod ſciam Latine verſa eſt, Tezelii ſcriptum titulum habet: Vorlegung gemacht von Bruder Johann Tezel Prediger-Ordens Ketzermeiſter, wider einen vermeſſen Sermon von zwanzig irrigen Artickeln Babſtlichen Ablaß und Gnade belangende allen Chriſtgläubigen Menſchen zu wiſſen von nöthen. Id eſt, *Refutatio a Fr. Joh. Tezelio ordinis Pradic. hæretica pravitatis inqviſitore, contra temerarium ſermonem, qvi viginti erroneos articulos, ad indulgentias, & gratiam Pontificis ſpectantes, continet pro neceſſaria omnium Chriſtianorum informatione compoſita.* Hoc ſcriptum cui Lutheri ſermo articulatim inſertus eſt, itidem in 20. puncta diſtribuitur. Defenduntur indulgentiæ autoritate Pontificia & Scholaſticorum rationibus, tolli autem per illas jactantur pœnæ non ſolum Canonicæ, ſed & qvas Deus exigit, illæ maxime, qvas merentur, qvi non ſatis fuere contriti aut qvibus ſatisfactiones juſto minores a ſacerdotibus imponuntur. Negat Tezelius bonorum operum exercitium per indulgentias retardari, putat potius promoveri, cum plus mereantur opera poſt indulgentias, per gratiam Chriſti, diſpenſante Pontifice ex indulgentiis acqviſitam, qvam qvæ ex obligatione naturali fiunt: præfert vero collationes pro redimendis indulgentiis eleemoſynæ niſi hæc in extremo neceſſitatis caſu detur. Singulis punctis una eademqve formula ſubmittit ſe judicio ſedis Pontificiæ & Univerſitatum & doctorum;

rum; tandem sub periculo aqvæ & ignis in certamen descendere paratum se ostendit. Lutherum non nominat. Respondit ad hunc Tractatum Lutherus, editis vindiciis sermonis sui: Freyheit des Sermons D. M. L. Bäbstl. Ablaß und Gnade belangende / wider die Vorlegung / so zur Schmach sein und desselben Sermons ertichtet. id est, *Vindiciæ Sermonis D. M. Lutheri de indulgentiis & gratia Pontificia, contra refutationem qvæ in suam & sermonis contumeliam effabricata est.* In hac dissimulato vicissim Tezelii nomine & omissis adversarii *foliis aridis aut floribus chartaceis*, ut loqvitur, id est, verbis inanibus, regerit qvæ ad causæ caput pertinent, negatqve pœnitentiam a Christo injunctam per Pontificem relaxari posse, sed saltem satisfactiones canonicas. Ex mille, qvi in contrarium jactentur Doctoribus, non nisi Thomam, Bonaventuram, Lombardum, & Alexandrum Hales pro indulgentiis numerari debere monet, qvos cæteri ut turba sint secuti. Reprehendit restrictionem eleemosynarum ad casum summæ necessitatis, nec præmium qvod misericordiæ erga proximum a Scriptura assignatur, attribui posse existimat illi, qvi ex amore sui redimere vult, meritas & justas censuras. Convitia ab adversario se patienter ferre testatur, imo se eum amare & pro illo orare profitetur: insciticiam tamen ejus arguit, & ut asini vocem a se sperni clamores ejus dicit, præstare enim a talibus culpari, ait, qvam laudari: minas ignis & aqvæ ridet, & consulit adversario, ut pro aqva liqvorem vitis, & pro igne fumum culinæ ex anseribus assis appetat, huic enim illum magis svetum esse: expectare se ait intrepide si qvis sit, qvi Wittenbergam venire velit, hæreticæ pravitatis inqvisitorem, liberum ei accessum & apertas portas offert, hospitium etiam & victum ex liberalitate Saxoniæ Electoris certo sperandum, laudatissimum enim Principem non protecturum esse hæresin, neqve talem illum esse, qvalem notasse viderentur theses Francofurtanæ. Inter illas enim disputatione secunda *num. 48.* ita statuerant cruenti illi magistri Tezelius & Wimpina: *Docendi sunt Christiani qvi Hæreticorum defenderum errorem, & hoc sua potentia efficientes ne ad manus judicis veniant examinandi, pro excommunicatis & si non satis fecerint intra annum, ipso jure pro infamibus sunt tenendi, qvi etiam per Juris capitula terribiliter multis plectentur pœnis in omnium hominum terrorem.* Thesi 50. taxatis iis, qvi *indulgentias* plenissima & *summi Romani Pontificis* circa eandem

potestas.

poteſtatem, chartas aut libros implere, vel prædicantibus ſcribentibusqve adhærere, eorum ſcripta favoriſare, in vulgus ſpargere & per orbem invulgare, ſeu de eis ipſis in angulis vel ad partem coram hominibus, impudenter & per contemtum loqvi velint, hæ ſubjunguntur minæ, timeant ſibi, ne in præfatas propoſitiones incidant, & per has atqve alias damnationis periculo gravique temporali confuſioni ſe exponant. Beſtia enim, qvæ montem tetigerit, lapidabitur. Tale prætor hic, qvi ſe *Sacræ Theologiæ Baccalaureum & hæreticæ pravitatis inqviſitorem* in titulo theſium venditabat, edictum propoſuerat, qvo multo magis qvam argumentorum efficacia conatus Lutheri aut fautorum ejus retundi poſſe confidebat: *Sed qvi habitat in cœlis irridebat eos.*

Reperiuntur & illæ.) Qvædam ex illis ſpeciminis cauſa non pigebit hic legere. Ex prioribus qvidem 106. iſtas:

11. *Hanc pœnam, ob peccata contrita & confeſſa impoſitam, poteſt Papa per indulgentias penitus relaxare.*
12. *Sive hæc ſit ab eo, vel ſacerdotis arbitrio, vel canone impoſita, vel etiam juſtitia divina exigenda, cui contradicere eſt errare.*
13. *Sed licet per indulgentias omnis pœna in diſpoſitis remittatur, qvæ eſt propeccatis debita, ut eorum eſt vindicativa.*
14. *Errat tamen, qvi ob id tolli putet pœnam, qvæ eſt medicativa & præſervativa, cum contra hanc Jubilæus non ordinetur.*
53. *Papa etſi in purgatorium nullam habeat clavis poteſtatem, habet tamen Jubilæum illis adplicandi, per modum ſuffragii autoritatem.*
66. *Qvemlibet Chriſtianum vere compunctum, habere celeriter & totaliter plenariam a pœna & culpa, ſine indulgentiis remiſſionem, error.*
73. *Opem charitatis plus valent in merendo, ſed veniæ plenariæ magis in celeriter ſatisfaciendo, & totaliter relaxando. Qvi hoc neſcit, vel non credit, & unum populos docet, & aliud tacet, errat.*
76. *Dans pauperi & mutuans egenti melius facit, qvo ad meriti augmentationem, ſed redimens venias melius, qvoad celeriorem ſatisfactionem.*
78. *Eleemoſyna ſpirituales ſunt corporalibus præſtabiliores, & ſibi ipſi facta ordinatiores, unde ſi qvis indigeat veniis, nec poſſet pauperem*

extra articulum necessitatis juvare, melius longe facit redimendo, quam pauperi (ut praedictum) succurrendo; contrarium docens, errat.

80. *Quamvis veniarum redemptio non sit praecepta, est tamen egentibus de optimo consilio.*

91. *Thesaurum Christi, non esse merita Christi & sanctorum, error.*

92. *Haec operari venialem, hoc est, a Deo copiosam, celerem, totalemque satisfactionem extra Papae applicationem error.*

97. *Indulgentias, quae Concionatores vociferantur, maximas esse, vere tales, quoad quaestum promovendum, error.*

98. *Imo thesaurus indulgentiarum retia esse, quibus nunc piscantur divitias virorum, impiissimus error.*

99. *Cumque peccatum in Matrem Christi commissum (quantumvis enorme) minus sit, quam si illud ipsum in Filium committatur, quod est Christi expresso testimonio remissibile.*

100. *Quisquis ergo tale in vere contritis Indulgentiis solvi non posse dicit, contra Evangelii textum & ipsummet Christum, insanit, furit & errat.*

Ex posterioribus 50. has:

1. *Docendi sunt Christiani, ex quo in Ecclesia potestas Papae est suprema, & a solo Deo institutae, quod a nullo puro homine, nec a toto simul mundo potest restringi aut ampliari, sed a solo Deo.*

2. *Docendi sunt Christiani, quod Papa in eos omnes immediatam jurisdictionem habens, in his, quae ad religionem Christianam, & ad Cathedram pertinent, si consona fuerint juri divino & naturali, simpliciter obedire tenentur.*

3. *Docendi sunt Christiani, quod Papa jurisdictionis autoritate, superior sit tota universali Ecclesia & Concilio, quodque statutis suis humiliter sit obediendum.*

4. *Docendi sunt Christiani, quod Papa ea quae fidei sunt, solus habet determinare, quodque Sacrae Scripturae sensum ipse autoritative, & nullus alius pro suo sensu interpretetur, & quod aliorum omnia dicta vel opera habet, vel approbare aut reprobare.*

6. *Docendi sunt Christiani, quod etsi Papa in fide erraret circaea, quae fidei sunt, malam tenendo opinionem, non tamen ipsum errare contingit de his, quae sunt fidei, in judicio de eis sententiando.*

16. De-

16. *Docendi sunt Christiani, quod Ecclesia multas tenet Veritates Catholicas, quæ in Canone Sacræ Scripturæ veteris & novi Testamenti in propria verborum forma minime continentur.*

17. *Docendi sunt Christiani, quod Ecclesia multa tenet, ut Catholicas veritates, quæ tamen sicut nec in Canone Bibliæ, ita nec a Doctoribus antiquioribus ponuntur.*

18. *Docendi sunt Christiani, quod observantiæ omnes in materia fidei, Apostolicæ sedis judicio definitæ, sunt inter Catholicas veritates computandæ, licet in Canone Scripturæ sacræ non reperiantur contineri.*

19. *Docendi sunt Christiani, quod ea, quæ de tenenda fide & hæreticorum confutatione, Doctores ab Ecclesia approbati assertive tradiderunt, licet in Canone Scripturæ Sacræ expresse non contineantur, sunt tamen hujusmodi eorum scripta inter Catholicas veritates computanda.*

Invidium Alberti Archiepiscopi.) Henricus Brunsuicensis qui *junior* cognominatur, magnus ille Lutheri & Saxonicorum Principum hostis, inter alia criminatus erat publico scripto Fridericum, quod odio Moguntini, cui Archiepiscopatum Magdeburgensem inviderit, Lutherum foverit, & tumultum illum excitaverit. Id per calumniam spargi dicit Lutherus, in apologia contra Henricum anno 1541. prodita *Tom. VII. Alt. f. 461.* Bonum laudabilemque Principem, ait, excu- „
sare teneor, comperi enim ipsum potius operam impendisse, ut Alber- „
tus fieret Archiepiscopus Magdeburgensis, neque enim tunc erat ex Sa- „
xoniæ Ducibus, cui Fridericus eam dignitatem procurare potuisset. „
Quicquid sit, scio, & Lochaviæ (nunquam enim alias eum vidi, nisi „
Wormatiæ in comitiis) ex eo intellexi, quod Albertum impense lau- „
daverit, & de eo magnam spem conceperit fore, ut utilis in Imperio „
Rom. Germ. Princeps esset futurus. Cum enim Servesta rediisset, ubi „
una cum Alberto pacem tractaverat in bello (Hildesiensi) anno 1519. „
ut Imperii Vicarius post mortem Maximiliani, ita ei placuit Alber- „
tus, & tantum ipsi tribuit Elector, ut diceret: Laßt mir den Mann „
mausen / er wirds thun. (proverbiali dicterio innuens, annis matu- „
riorem res egregias gesturum esse.) Sed non multo post, cum eum „
intimius noscere coepisset, ad suos dixit, nunquam se tota vita in spe „
sua ne aliquo turpius deceptum fuisse, quam ab Alberto; pœnitebat „

ergo eum laudis, qva eum extulerat. Addit Lutherus: nunqvam sibi ab Electoribus Saxonicis tam benigne responsum fuisse, qvam ab Alberto, ita ut pro angelo eum habuisset. Hypocrisin ergo ejus summe culpat, qvi tam placide egerit, & tamen Lutheranos omnibus modis odisset & afflixisset. Notandi hic sunt Antonii Varillasii crassi errores, qvos in relatione & judicio de Friderico Saxoniæ Electore committit *Lib. III. de hæres. p. 230. & seqq.* Prætereo qvod abdomen Joh. Friderici, fratre ejus geniti, Friderico tribuat, qvi formosus & agilis erat, si qvis alius; calumniam etiam qva hypocrisin ei in religione imputat, alibi refutavi. Qvid autem ineptius & falsius dici potest, qvam Archiepiscopatum Magdeburgensem plusqvam dimidiam partem Electoratus Saxonici, latissimi licet & fertilissimi, ut ait, occupare? Archiepiscopatus enim anno 940. fundatus fuit, ex Ottonis I. Imp. patrimonio; illa vero provincia Saxoniæ, qvæ Electoratus dignitatem habet, neqve inter latissimas aut fertilissimas referri potest (separatim scilicet a Misnia, Thuringia & aliis considerata) ad Marchiones Misniæ post qvinqve secula anno nempe 1423. pervenit, cum Archiepiscopali ditione minime commixta, neqve Electoribus in hanc præter Burggraviatus, qvem vocant, jura qvidqvam juris. Qvapropter non ex Germanorum Principum more, sed aliunde sumto exemplo fingit & criminatur, Fridericum nisi religione impeditus fuisset, hunc Archiepiscopatum & sex suffraganeos Episcopatus suæ destinasse ambitioni aut rapinæ. Non magis verum est, qvod narrat Magdeburgum, urbem totius Germaniæ maximam, opulentissimam & populosissimam fuisse, multoqve minus qvod sola plus valuerit, qvam totus electoratus; aut qvod sua potentia omnium Principum Germanorum consilia turbare potuisset, ideoqve illius possidendæ cupidine Electorem flagrasse. Nihil horum in mentem venire potuit vel stupido, nedum tanta, qvantam ipse scriptor ei tribuit, sapientiæ Principi; addo & æqvissimo suisqve rebus summe contento. Unde autem probabit autor, Fridericum omnium Canonicorum suffragia, vacante anno 1513. Archiepiscopatu sollicitasse, sed obstitisse ei Austriacos æmulatione erga Saxones, & sedem Romanam potentiæ Principum Germanorum accessiones præsulatuum invidisse, & ita extrema cum Friderici offensa Albertum Brandenburgicum electum fuisse? Hæc omnia nisi avthenticis documentis demonstrentur, vel incaute ex calumniatorum libris

bris

bris exsculpta, vel ab autore conficta esse apparet, ut Reformationis causas ex æmulatione profana deducat. Nulla erat inter Austriac. & Fridericũ aut ejus agnatos æmulatio, magna potius tunc animorum consensio. Qvod si Pontificiæ dominationis magistri, ut Varillasius putat, impedire incrementa familiarum supremarum in Germania volebant, cur Albertum Saxonem, Friderici fratrem, Moguntino Archiepiscopatu; cur Brandenburgicum hunc Albertum eodem non prohibuerunt, & cur paulo post exemplo inaudito etiam Magdeburgensem huic conferri siverunt? Scriptores deniqve optimi ex nostratibus tum archiva chartæqve publicæ & privatæ, de his simultatibus & artibus tacent: & ex Luthero audivimus, lætatum esse Fridericum de electione Alberti Brandenburgici. Verissima etiam est ratio a Luthero allata, qvod nulli tunc ex Saxoniæ principibus fuerint, qvi ambire præsulatum Magdeburgicum potuerint, non Elector Fridericus; non frater ejus Johannes, cui uxor & filius erat, Electoratus successioni proximus; non patrueles eorum Georgius & Henricus, maritus uterqve hic tunc absqve liberis, Georgii vero primogenitus puer undecennis in spem opulenti principatus educabatur, alter novem annorum mentis infirmæ erat. Et hi sunt omnes qvi illo tempore vivebant. Deniqve tam properanter ad electionem Alberti processerunt Canonici, ut teste Fabricio, Ernesti defuncti mortem per aliqvot dies celaverint, cadavere etiam fenestris admoto, donec rata fieret Alberti successio; ita ut nulli negotiationi locus fuerit. Sed fabulis aut calumniis chartas implent scriptores isti aulici, & pessimo exemplo apud exteros diffamant magnos optimosqve seculi sui Principes; magnamqve insuper rerum, locorum, temporum & hominum, de qvibus tractant, imperitiam produnt. Obiter notandum, qvod ex Lutheri relatione hac constet, qvam caute cum eo versatus sit Fridericus Sax. El. qvod & ex Spalatino alicubi probavi; ita nimirum ut familiarem accessum ei nunqvam dederit. Retulit hoc Lutherus publice vivo Friderico, sed paulo ante ejus mortem in libello *contra cœlestes* qvos vocat *Prophetas* mense Jan. 1525. ubi ad calumniam Carolstadii, qvi se a Luthero apud Electorem Fridericum accusatum esse qverebatur, ita respondet: Se nunqvam verbum tota vita sua cum Electore isto locutum esse, imo semel tantum faciem ejus vidisse, in Comitiis Wormatiensibus, cum secunda

vice

vice coram Cæsare & Statibus audiretur. Sed oblitus tunc fuit ejus, cujus in allegata Apologia anno 1541. meminit, conspectus, qvi Lochaviæ anno 1519. accidit.

Ad §. XIII. *Heidelbergæ publice disputanda*) Est apud me *Henrici Altingii* clarissimi inter Reformatos Theologi *Narratio historica de Ecclesiis Palatinis* anno 1681. Groeningæ eleganti stylo composita. Describi eam fecit Heidelbergæ ante annos plus minus viginti frater meus *Henricus Gottlob a Seckendorff* cum Serenissimo Carolo Ludovico Electori Palat. a consiliis esset, indeque in Franconia patria, & arce nostra Zenniana communi, privatim vivens, a Ducibus Saxoniæ Consiliarii dignitate ornatus, & ad Hennebergici Principatus militaria & circularia, qvæ vocant, negotia adhibitus, præfecturam etiam Regiomontanam ab Ernesto Saxoniæ Duce p. m. gubernandam obtinuit; sed anno 1675. in legatione ad Serenis. Electorem Brandeburgicum, qvi tunc in Franconia cum exercitu hybernabat, lue castrensi infectus, florenti ætate (nam annum XXXVIII. nondum impleverat.) ereptus nobis est, longiori vita, si eruditio & rerum agendarum peritia morumqve honestas spectetur, dignissimus. Ignoscant mihi lectores, qvod teneri amoris affectu, qvo hunc non ut fratrem saltem, sed & ut filium, post communium parentum fata a me educatum, prosecutus fui, & qvem ad relictos ab eo meæ curæ filios duos transtuli, digressiunculam hanc infero, memoriam viri dum viveret, haud incelebris, in libro hoc meo, (si fas est ætatem aliqvam ejus sperare) utcunqve conservaturus.

Ad *Altingii* librum redeo, & ex illo, qvia comperire hucusqve non potui an typis fuerit publicatus, de Lutheri disputatione Heidelbergensi seqventia adscribenda esse duxi, qvibus ille post præloqvium historiam suam exorsus est. Initium Reformationis non aliunde rectius deducemus, qvam a primo Evangelii renati præcone *Martino Luthero*: qvi pridie Calend. Novembr. anno 1517. themata XCV. contra indulgentias Papales publice proposuit Wittembergæ & ut earum adsertione ac defensione, implacabile bellum indixit sedi & Ecclesiæ Romanæ, ita reformationi per Germaniam causam dedit. Is anno seqventi Heidelbergam, licet alio fine, venit, isthic qvoqve initium pii operis facturus. Erat Lutherus Monachus *Augustinianus* ordini illi initiatus, & in eo celebris, cujus cucullum nondum deposuerat,

Cum

Cum igitur Conventus Auguſtinianorum indiceretur Heidelbergæ anno 1518. negotii alicujus cauſa, qvod eum ordinem ſpectabat, etſi diſvaderent profectionem amici ob pericula, qvæ in itinere facile ipſi poſſent obtingere, ipſe tamen perſtitit in propoſito, obedientiæ ordini debite ſatisfacturus, atqve eo ſe contulit. Delatus fuit Heidelbergam menſe Aprili anni ejusdem, & honorifice exceptus a Wolffgango Principe, Electoris Palatini fratre, diſcipulo Johannis Oecolampadii, a qvo cum aliis fratribus minoribus bonis literis & pietate imbutus fuerat, hoſpitium autem ei aſſignatum in clauſtro Auguſtinianorum, qvod poſtea *Sapientiæ Collegium* appellatum eſt. Dum iſtic moratur, & qvæ ordinis erant, tractat, ipſe actus zelo propagandæ veritatis conſcripſit & propoſuit concluſiones (paradoxa vocat ipſe) mixti generis *qvadruginta*; ex Theologia XXVIII, & XII, ex Philoſophia: qvibus taxavit Romanæ Eccleſiæ errores receptos, de Libero arbitrio poſt peccatum, de gratia, fide, juſtificatione, operibus bonis, imprimis autem de juſtificatione per fidem absqve operibus doctrinam Pauli & Auguſtini repræſentare ac demonſtratam dare voluit. Reſpondentem ſibi delegit *Leonhardum Bejerum* ejusdem ordinis Monachum, & themata pro more affixa publice die 26. Aprilis in diſceptationem vocavit: ſed apud Auguſtinianos, & in acroaterio illorum, non in Academia, qvod Profeſſores Theologi non ſatis probarent diſputationem, & tamen in Auguſtinianos nullam omnino Academia jurisdictionem haberet. Qvandoqvidem autem hoc eſt principium eorum, qvæ deinde ſucceſſerunt, operæ pretium erit illa *paradoxa* recenſere, prout tunc propoſita, & in Tomis Lutheri relata fuerunt. (*Theſes qvas inſeruit prætermittere viſum eſt, cum in Tomis allegato loco habeantur*) Pergit inde Altingius: Hæc igitur Themata ſeu paradoxa, tum propoſita fuerunt. Factus autem eſt magnus ad diſputationem concurſus non tantum ſtudioſorum, ſed etiam civium & aulicorum, atqve omnium Theologorum Heidelbergæ tum docentium: ac diſputarunt non ſolum Monachi eruditi, verum etiam Profeſſores Theologi, qvi illo tempore erant, *Marcus Ries*, *Laurentius Wolfius*, *Johannes Hoſſerus*, *Petrus Scheibenhardt*, *Georgius Niger*. Diſputatum acute & graviter, nec minus modeſte, ipſomet Luthero teſte in Epiſtola ad Spalatinum: niſi qvod qvintus & junior Theologiæ Doctor lineas has tranſibat, qvi in ſervore diſputationis riſum movit toti auditorio, cum jactitaret, ſi ruſtici hæc au-

audirent, certe lapidibus nos obruerent & interficerent. Ex auditoribus etiam aderant *Martinus Bucerus, Johannes Brentius, Erhardus Snepfius, Theobaldus Billicanus*, & alii magni post nominis Theologi, qvi mirati acumen, promptitudinem & manſvetudinem Lutheri, a disputatione privatim eum adierunt, & de nonnullis, qvæ non satis assecuti erant, plenius erudiri voluerunt. Præ cæteris *Martinus Bucerus*, qvi jam discentium ordine exemptus commendatione Franciſci a Sickingen, Friderico Palatino Heidelbergæ a sacris erat, id sibi faciendum esse putavit, & cum, qva valebat scribendi celeritate, pleraqve Lutheri notasset, operosius cum ipso egit, & multa ex ipso est scisitatus, de qvibus respondit aperte, ac plene satis fecit: qvæ responsa qvoqve Bucerus in sua adversaria retulit. Qvo nomine literis ad Spalatinum commendatus fuit a Luthero, ipse autem omnia perscripsit ad popularem suum, virum doctissimum, *Beatum Rhenanum* Selestadiensem; cujus epistolæ authographum penes me est, narrans & ordinem disputationis, & sententias novas Scholis inauditas, sed ex verbo Dei depromptas; id elogii tribuens Luthero, qvod non modo pleraqve haberet cum Erasmo communia, sed etiam qvæ Erasmus rectius indicaret, ea ipse explicatius proponeret. Laudavit simul diligentiam Lutheri & sedulitatem ipsius, sed ipse Lutherus easdem conclusiones peculiari scripto confirmavit & obscura illustravit, & a cavillis adversariorum vindicavit, qvod extat *Tomo primo operum Lutheri Latinorum*. Aliis etiam scriptis qvæ paulatim successerunt, eadem illa dogmata plenus explicavit ac deduxit. Atqve hæc est prima sementis Evangelii, qvam Heidelbergæ & in Palatinatu ministerio Lutheri Deus fieri voluit: hæc prima, licet tenuia, Reformationis fundamenta, a qvibus cætera processerunt. Etenim a discessu Lutheri illa ipsa doctrina ab ejus discipulis primum privatim, mox etiam publice in Academia tradi cœpit. Privatim eam collegialibus sectionibus, disputationibus ac concionibus auditoribus suis instillabant cum alii, tum imprimis *M. Johannes Brentius & Theobaldus Billicanus*. Nam Bucerus secutus fuerat herum suum Fridericum Palatinum in Belgium & paulo post, pertæsus vitæ aulicæ, in Germaniam ad Franciscum a Sickingen magnum Evangelii patronum sese receperat. Hæc Altingius.

Episcopum Wurzburgensem) Erat is *Laurentius a Bibra*, ex familia Equestri Franconica splendidissima & vetustissima, non uno adfinitatis nexu

nexu mihi juncta. Obiit anno seqventi 1519. magno sui desiderio ob insignem virtutem & pietatem relicto. Optime animatus fuit ad emendandos Ecclesiæ errores & propterea Lutheri conatibus favebat. Testis est Spalatinus *in vita Friderici MS.* ubi non solum arctam Electoris amicitiam cum Laurentio plus una vice celebrat, sed & hæc refert. Anno 1519. mense Februario Laurentius a Bibra Episcopus Würzburgensis decessit vir honestissimus, probus & sapiens, is paulo ante Electori propria manu scripserat: Euer Liebe wolle ja den frommen Mann/ Doctor Martinus nicht wegziehen lassen/denn Ihm geschehe unrecht. Id est, Ne permittas qvæso, ut pius vir D. Martinus Lutherus abeat ex ditione tua; fieret enim id cum ejus injuria. Hæc verba Electori adeo placuerunt, ut sua manu Lochaviæ descripta ea mihi miserit & paucis ante obitum suum septimanis me de iis per *Joach. Saccum* (nobilem Silesium tum inter ephebos Electoris) admonere fecerit. Tanta sapientia & virtute fuit hic Laurentius, ut uno eodemqve anno Consiliarius fieret Archiepiscopi Colonienſis, Electoris Palatini, ipsius etiam Cæsaris Maximiliani, & simul Episcopus Würzburgensis. Si diutius vixisset multi putant, qvi eum probe cognoverunt, futurum fuisse, ut Evangelicam Doctrinam susciperet, valde enim displicebat ei res Romana, ita ut Jubilæum & nundinationes indulgentiarum ægre & semper parcius admitteret. Narrarunt mihi nobiles Franci, si qvis ex Vasallis eum rogasset, ut in oppignorationem prædii clientelaris consentiret, repulsam tulisse; Si Episcopus audisset, pecuniam ad filias monasteriis includendas destinari, & dixisse. Da filiæ tuæ maritum, noli eam in monasterium trudere: si pecunia ad dotandam eam eges, mutuam egomet tibi dabo: Sic vitæ monasticæ vehementer infensus erat. Hæc Spalatinus.

Ad §. XV. *Eccius tamen postea*) Prolixius sese excusavit epistola ad Carolostadium d. 18. Maji hoc anno 1518. data, qvæ inter centum variorum *a D. Joh. Gothofredo Olearío* anno 1671. editas habetur; cujus hæc sunt verba huc facientia: Accepi, Andrea celeberrime, te tuosqve Wittenbergicos in Eckium esse commotiores, qvod contra Martini Lutheri, communis amici, sententiam, Episcopo meo privatim aliqva conscripsi, arbitratus, doctorum hominum judicium nænias illas nunqvam subituras. At qvomodo elapsæ sint e manibus Episcopi mei & ad vos delatæ, suspicor qvidem, at non certe scio. Jam si hoc

futurum sciviſſem, non extemporarie ſine omni librorum opitulatione, & ut ingenium ſupperebat, confeſtim & tumultuarie illas effudiſſem. Et ut noſti, liberiores ſumus omnes in ſcribendis privatim, qvam cum qvid edimus in publicum. Ideo miror plurimum, cur tantopere Eckio veſtro deditiſſimo ſuccenſeatis. Extat alia epiſtola Eccii ſeparatim anno 1519. excuſa ad Abbatem Gallum menſe Martio ante diſputationem ſcripta, in qva memorat ſe theſes ſuas anno 1518. edidiſſe anteqvam Lutheri literas d. 7. Jan. 1519. accepiſſet, & qvandam cum hoc amicitiam per literas contraxiſſe prius, qvam eum vidiſſet ex commendatione Chriſtophori Scheurlii, Patricii Norimberg. Invidiam itaqve ac ſi theſin de poteſtate Pontificis ſaltem Lutheri irritandi & tentandi cauſa concepiſſet, a ſe amoliri conatur.

Ad §. XVII. *Qva cantilena ex Poetarum.*) De iis qvidem, qvæ ante Lutheri diſputationes & Leonis electionem vulgatæ erant, hic ſermo eſt; at qvid electo jam Leone, & abrogata pragmatica ſanctione initisqve pactis Bononienſibus, ad qvæ Rex a matre ſua & Cancellario Antonio Pratenſi (qvi Cardinalitiam dignitatem iſthoc officio promeruit) inductus fuerat, Pariſiis factum ſit, ex Richerio cognoſcitur *Lib. IV. Part. II. f. 106.* hæc ſcribente: Qvis totius Eccleſiæ Gallicanæ; ſed præſertim Pariſienſis Academiæ planctus incredibiles ſcriptis digne mandare qveat? Cum enim tanqvam ex alta ſpecula imminentem Eccleſiæ & bonis moribus ruinam ex ſacrarum electionum abdicatione proſpiceret: nullus tum ſcholaſticus, pædagogus, magiſterve extitit, qvi in Pratenſis Cancellarii & Concordatorum odium, non aliqvid dixerit, ſcripſerit aut factitarit. Gymnaſii Pleſſæi ſcholaſtici, Pratenſem centonibus atqve purgamentis perſonatum effinxerunt, magnaqve ſcholaſticorum turba ſeſe ad Collegium Pleſſæum adgregante, Legatum ſic difformatum & inqvinatum, velut reum & piacularem hoſtiam in B. Mariæ atrium exhibent, accuſant, patratiqve in Ecclehiam ſceleris damnant: atqve univerſa Civitate ad ſpectaculum advolante, omni genere contumeliarum, luto ac ſordibus conſpurcatum populo execrandum ignominioſe exponunt. Tumqve res haud longe a tumultu & ſeditione, cui ſolum dux deerat, abfuit, ut narrant Hiſtorici, hocqve Epigramma, cujus meminit Genebrardus in Chronologia, per omnes vicos & plateas urbis affixum eſt:

Prata

Prata, Leo, Mulier, frendens Leo rodit utrumqve; „
Prata, Leo, Mulier, sulphuris antra petunt. „
Prata, Leo, consorte carent, mulierqve marito, „
Conjugio hos jungas, Cerberus alter erunt. „

Nam ut idem ait Genebrardus, Leo Pontifex, Regis mater, & Cancellarius a Prato, hujus facinoris auctores habebantur. Hic premo silentio qvoddam populare diasyrticum: *Concilium cleri sic: qvicqvid habes sens riffle, &c.* partim Latina partim vulgari lingva ex his solennibus Jurisconsultorum formulis contextum: Do ut des, facio ut facias: qvo dicterio & Regem & Pontificem velut de Ecclesiæ & Christi opibus colludentes culpabant.

Ad §. XXXI. *Nec multo aliter Pallavicinus.)* Audiamus etiam Erasmum, jam qvidem cum Luthero publice commissum, anno 1527. ad Theologum qvendam Hispanum Doctorem Sorbonicum *Lib. XIX. ep. 71.* de Luthero & Prieriate hæc scribentem: Hoc gravissimum Lutheri incendium unde natum, unde huc progressum, nisi ex Beddaicis intemperiis? (notatur *Natalis Bedda* Theologus Parisiensis, acris Erasmi adversarius) Martinus proposuerat aphorismos disputandos de Condonationibus Pontificiis. Eas non minus impie qvam imprudenter deprædicabant ptochotyranni qvidam, qvi spe lucri nihil non audent. Horum intemperiis Lutherus opposuit sua problemata. Indignabantur, qvorum res agebatur. Missa sunt ad Leonem X. Respondit Sylvester Prierias tam feliciter, ut ipse pontifex indixerit illi silentium. Successere qvorundam monachorum vociferationes apud populum, nihil habentes in ore præter hæreses, blasphemias & schismata. Visa narro. Nulla res magis conciliavit omnium favorem Luthero. Qvod si de condonationibus sobrie, sicut erant propositæ, disputatum fuisset, nunqvam hæc lues sic occupasset orbem. In eadem epistola nec fratres Ecclesiæ nec Papas ab errore immunes esse ostendit, & malitiosas Sorbonicorum, de qvibus qveritur, calumnias refutaturum se esse profitetur, etsi sex Romani Pontifices sententiæ eorum subscriberent.

Ad §. XXXIII. *Fortasse veriorem & intimam.)* Spalatinus in *vita Friderici Electoris* duo magna negotia in his Comitiis superata esse solius Friderici prudentia & constantia notavit: *primum*, qvod Pontifex sub prætextu belli Turcici per indulgentias Germaniam de-

nuo exhaurire non potuerit: *alterum*, ne vivo Imperatore Rex Romanorum eligeretur. Ea *enim*, ait, *Fridericus animi magnitudine erat & firmitate, ut in re, qvæ justa & honesta erat, a consilio semel recte capto, nullo modo dimoveri se pateretur, sed muri abenei instar resisteret.* Licet ergo omni laboraretur industria, ut in Comitiis his Augustanis Carolus Imperatoris nepos in Regem Romanorum eligeretur, & omnes reliqvi Electores jam consensissent; Fridericus tamen multis rationibus dissensum suum Cæsari excusavit. Instabat apud Electorem Laurentius a Bibra Episcopus Wurzburgensis, intimus & charissimus ejus amicus; tum consiliarii Philippus Comes Solmensis, Fridericus Thunavius Eqves, Degenhardus Pfeffingerus Cubicularius, & qvi ei a Secretis erat Hieronymus Rudolfus, & super omnes ipse Cæsar; perstitit tamen in sententia, eiqve Cæsar tandem acqvievit, priſtinam benevolentiam erga Electorem ad mortem usqve nihilo minus servans. Nam & cuidam ex Consiliariis suis, qvi repulsam Friderici sugillare videbatur, dixit, se responso ejus bene contentum esse. Dein Augusta discedentem benigne admisit, multumqve cum eo collocutus, qvanqvam haud optime valens, & pede claudicans ad scalas usqve comitatus est. Paulo post cum Welsæ in Austria decumberet, paulo ante mortem Pfeffingero ab Electore misso, humanissima ad Herum mandata dedit: detracta prius capiti, qva tegebatur mitella rubra (Sein roth Schläplein) ita locutus: Du solt deinen Herrn/ dem Churfursten zu Sachsen/ meinem lieben Oheim/ von mir alles gutes und Gnade sagen/dann er hat gehandelt als ein frommer Churfürst/und daß er ja auff dem Reichs-Tage zu Franckfurt am Mäyn nicht aussen bleibe/ sondern komme/denn ich wil auch hinkommen/ und mich auffs längste auff den achten des Obersten erheben. id est, Nunciabis Domino tuo, Saxoniæ Electori, cognato meo charissimo, salutem plurimam, gratiamqve: gessit is se ut fortem & probum Electorem decet; dicasqve, ut ad Comitia Francofurtensia certissime veniat, nam & ego ad illa venturus sum, iter circa Octavam Festi Epiphaniæ facturus. Imperiti judicabant magnum Electori periculum a Cæsare, repulsa ut suspicabantur offenso instare; sed falsi sunt, ostenditqve Deus, (ita hic commentante Spalatino) & in tempore & æternum felices esse Principes & subditos, qvi secundum verbum ejus, &

præ-

præscripta honestatis & virtutis, consilia & actiones suas instituunt. An de rumoribus illis, & de simultate inter Cæsarem & Electorem aliqvid legerit Varillasius, an ex conjecturis solum scripserit, qvæ *Lib. III. de hæres. pag. 244.* de consiliis Friderici disputat, eqvidem ignoro; falsa plurima in tota illa narratione commisisse infra ad §. XXXIX. ostendam.

Qvam Imperatoris mentem.) Cum Maximilianus Augustæ in comitiis anno 1518. theses Lutheri legisset, Pfeffingero, Friderici Electoris consiliario dixit, *qvid agit monachus vester? certe non spernenda sunt theses ejus; sacerdotibus negotium facesset.* Er wird ein Spiel mit den Pfaffen anfangen. per eundem moneri jussit Fridericum, *ut Lutheri curam haberet, fieri enim posse, ut ipso opus esset.* Er soll den Münch fleißig bewahren / es möchte sich zutragen / daß man seiner bedürffte. Cum vero Augustæ Prior qvem vocant Dominicanorum cum Legato Cajetano discors, postea in causa Lutheri conciliatus esset: Cæsar id intelligens teste D. Peutingerodixit: *Ecce ut nequam isti homines agere soleant, voluerunt me lici suæ immiscere, id si obtinuissent, eodem modo concordes facti essent.* Hæc & alia reperiuntur, qvæ de Clero & Pontificibus vehementer qvestus est, omnium qvi suo tempore sedem renuerunt, machinationes & mutationes infidas enumerans, & cum de Leone X. primo bene sperarat, mox tamen erumpentibus qvæ is cum Gallis egerat, dixit, nisi me hic qvoqve Papa fefellisset, ille unicus esset, cujus bonam fidem laudare possem. Vide *Tom. I. Alt. p. 124. & 150.* Scultet. *in anno 1520. p. 56.* ubi ex Hutteno hæc Maximiliani verba Germanica, qvorum sensum Latine retuli, allegat: Nun ist dieser Pabst auch zu einen Böswicht an mir worden: Nun mag ich sagen / daß mir kein Pabst / so lang ich gelebt / ie Treu und Glauben gehalten hat: Hoffe aber / ob GOtt wil / dieser soll der letzte seyn.

Ad §. XXXIV. *Philippum Melanchthonem.*) Elogia Melanchthonis aut judicia de eo qvi compilare velit librum grandem effecerit: pauca referam aliqvorum illius seculi doctissimorum celeberrimorumqve virorum, qvi diversæ erant religionis. *Erasmi* ad Oecolampadium anno 1518. Lovanio scribentis judicium breve sed maximi momenti est: *De Melanchthone* [ait] *& sentio præclare & spero magnifice, tantum ut eum juvenem nobis Christus diu velit esse superstitem; is prorsus obscurabit*

bit Erasmum. Qvamvis vero cum paulo post Wittembergam venisset Philippus, & in dogmatibus cum Luthero consentiret, locosqve suos Theologicos ederet, nollet omnia ejus probare Erasmus, non ausus tamen est laudes ei suas auferre, aut amicitiam cum eo abrumpere. Hoc ipso enim anno 1519. delatus apud Erasmum erat Philippus, qvod siniſtri aliqvid de laboribus ejus in Novum Testamentum judicasset: intercedit apud illum Petrus Mosellanus Professor Græcæ Lingvæ Lipsiensis vir doctissimus d.6. Jan. his verbis: „ Illud magnopere rogo, per „ Jesum etiam Christum, ne inducas animum credere illis qvi apud te „ Phil. Melanchthonem deferunt: cave qvidqvam siniſtrum de homine „ suspiceris, est adolescens optimus, ad summam eruditionem natus, nec „ pietatem minorem. Respondit ad hoc Mosellano Erasmus: „ Philippus Melanchthon apud me patrono non eget aut deprecatore. Faveo „ juveni, ut cui maxime, plusqvam atrox injuria fit oportet, qvæ apud „ me dirimat amicitiam. Dein ipsius Philippi excusationem lubens accepit, ut constat ex epistola Lovanii Cal. Maji data. Scribit enim: „ Illud tibi persvadeas velim, me Philippum ex animo diligere, & illius „ felicissimo ingenio non vulgariter favere. Dici vix potest qvantum „ arriserit hymnus, qvo jam veterem illum Orpheum nobis referens angelos celebras. Legi & præfationem, qva veterem eruditionem prædicas, fortiter qvidem ingentiqve spiritu, qvemadmodum & juvenem „ decet & Germanum. Bene vale Melanchthon eruditissime, totisqve „ viribus annitere ut spem qvam optimam de tuo ingenio tuaqve pietate concepit Germania, non æqves modo, verum etiam superes. *Item:* „ Moderare studiorum labores, qvo diu juvandis literis superesse possis, nam audio tibi valetudinem esse non prorsus adamantinam. Postremo vel in hoc vitam cura, ne gratum facias τοῖς βαρβάροις τύπτοις Vid. *Lib. V. Epist. Erasm. ep. 38. Lib. VI. Ep. 1. 2. & Lib. XIX. ep. 113.* ubi „ acceptis Philippi Locis Theologicis etsi non omnia dicat assequi aut „ propter conscientiam profiteri se posse, suspicere se tamen ingenium ejus candidum & felix scribit; vidi, ait, dogmatum aciem pulchre instructam adversus tyrannidem Pharisaicam. Ex *Jacobi* denique *Sadoleti* Cardinalis literis anno 1537. 15. Calend. Julii Romæ datis etsi tempore posterioribus referre qvædam huc visum est, dudum qvidem editis. Inscriptio epistolæ, qvæ typis vulgatæ addita non est, in vetusto ejus exemplo qvod in Bibliotheca Cizensi a Julio Pflugio Episcopo collecta extat, ita habet; *Doctissimo tanqvam fratri Philippo Melan-*

chthoni

lanchthoni Sacrarum literarum Professori. Verba Sadoleti inter alia hæc sunt: Carpentoracti cum essem, qvo in loco statutum habere me credens domicilium perpetuum vitæ fortunarumqve mearum omnium, repente tamen inde decedere & Romam redire jussu Pontificis Maximi sum coactus. Sed cum ibi essem, accidebat mihi ferme qvotidie, ut aliqvid nancisscerer de scriptis tuis, qvæ ego & propter excellens ingenium tuum, & propter elegantiam styli & orationis libentissime legere solebam: id cum sæpius facerem, magnaqve in legendo delectatione adficerer, sensi paulatim mihi incendi animum ad qvandam benevolentiam nominis tui, usqve eo qvidem, ut miro qvodam studio tecum ineundæ amicitiæ tenerer. Exponit deinde ut invitus, ex Episcopatu suo Romam tractus Cardinalitia purpura vestitus sit, & in familiaritatem admitti se a Philippo petit, addens: Non enim is sum, qvi ut qvisqve opinione a nobis dissentit, statim eum odio habeam. Arrogantis est hoc & elati animi, non mansveti & comis, qvas me pronius ad partes natura mea vocat: sed faveo ingeniis, virtutes hominum colo, studia literarum diligo, in qvibus tu, ut doctrinæ & ingenii sic amoris mei non mediocres partes possides. Nec dubito qvin tu eadem mente & voluntate sis præditus. Isto enim animo, qvi tam liberaliter artibus ingenuis expolitus sit, nihil agreste atqve asperum inesse potest, qvo etiam majorem mihi spem virtus tua facit, meas hoc apud te literas ponderis habituras, ut qvi locorum spatiis disjuncti sumus, animis tamen & benevolentia conjungamur, qvod ego maxime aveo & expeto. Seqvuntur plura ejusdem humanitatis. Ad qvæ tamen an & qvid responderit Philippus incompertum habere me fateor. Extat & alia *Sadoleti* epistola ad *Job. Sturmium* paulo post anno 1539. data, cujus excerpta nuper Londini edidit Paulus Colomesius. In ea hæc sunt verba: Palam cum facultas datur soleo & commemorare & loqvi, me tibi & Melanchthoni & Bucero, hominibus doctissimis, plane benevolum & ex animo fautorem esse. Qvis Varillasio impoluerit, (nisi ipse finxit) ut scribat *Lib. VII. p. 140.* Melanchthonem Lutheri Secretarium fuisse, & qvod eadem domo, mensa & lecto per septem annos usi sint, usqve ad conjugium Lutheri, non vacat inqvirere. Falsissima interim sunt omnia: nam Melanchthon anno 1519. Wittenbergam venit, cum Lutherus in cœnobio Augustiniano esset, & annis adhuc pluribus maneret, nec consubernalem non-Monachum recipere

 pos-

posset. Seqventi anno 1520. Melanchthon *Catharinam Cruppiam* uxorem duxit, qvinqvennio prius qvam Lutherus de nuptiis cogitasset. Secretarii deniqve titulus ineptissime huc trahitur, eoqve loco erat Melanchthon apud Lutherum, ut non magis pro collega, qvam magistro in qvibusdam haberetur.

Ad §. XXXVII. *In tractatu suo nupero*) Tractatus Maimburgii Gallice scriptus & anno 1685. editus titulum habet: *Traité historique, de l'etablissement & des Prerogatives de l'Eglise de Rome & de ses Eveques. id est, Tractatus historicus de institutione & prærogativa Ecclesiæ Romanæ ejusqve Episcoporum.* Qvi Gallica non intelligunt contenta libelli *ex Actis Eruditor. Lipsi. anni 1685 p. 216.* discere possunt. Asserit in illo primatum & jurisdictionem universalem Pontificum, ut successorum Petri Apostoli, contra Protestantes, sed restringit potestatem illam ad concilia & canones: dein infallibilitatem Pontificum negat, etiamsi e Cathedra & adhibito consilio Cardinalium aut Theologorum (extra concilium) decernant. Exempla lapsus Pontificum, a Petro orsus, notabilia adducit, & conciliorum autoritatem supra Papas prolixe adstruit; Canonum regulis omnino teneri docet, & tandem jus temporale in Reges & Principes Pontifici planissime abjudicat.

Ad finem §. XXXIX.) Complectar hic qvasi per indicem, errores aut sinistra judicia Varillasii, qvæ relatione de Actis Cajetani cum Luthero *Lib. III. de hæres. p. 235. ad p. 252.* observavi. (1.) Fridericum Electorem occasionem nocendi Pontificiæ sedi ex causa Lutheri qvæsivisse, ob collatam Alberto Brandeburgico Cardinalitiam dignitatem aliaqve ejusmodi: qvæ credenda esse nego, donec idoneis documentis probari possint (2.) Leo X. in literis ad Electorem d. 23. August. 1518. datis, qvarum sensum referre vult Varillasius, non scripsit *sedem Romanam in possessione esse cognoscendi de fide fidelium, & qvod Electores imperii hoc jus nunqvam in dubium vocaverint*, itaqve hoc ex se supplet autor, absqve causa; nullum enim dubium erat, pro illorum temporum conditione, ad tribunal Pontificium pertinere cognitionem de fide aut hæresi, & Elector scripserat hoc ipso mense Augusto ad Raphaelem Cardinalem Riarium, se tueri Lutherum nolle, neqve tunc aliud desiderare, qvam ut coram æqvis Judicibus, a Pontifice delegandis audiretur. Ægre saltem ferebat, qvod causa Romam evocaretur, qvam

qvam in Germania more majorum tractari debere existimabat. Itaqve (3.) acris illa expostulatio qva Elector in responso ad Pontificem, (qvale nullum extat) usus esse dicitur, ex eodem ingenio, qvo literæ Pontificis interpolata aut conficta est. Nihil enim ex actis demonstrari potest, qvam qvod Fridericus Augustæ in comitiis Cajetano promiserit, se facturum esse, ut Lutherus se coram eo sisteret. Caret etiam fundamento qvod allegasse Fridericum dicit, Electoribus investituras non alia conditione dari, qvam ut libertatem Germanicam conservarent. Pertinet enim id ad officium eorum, non ad stylum investiturarum. In his enim fides & obsequium Imperatori promittitur, subintellecta Imperii libertate. (4.) Falsum est, totiqve rerum & temporum ordini repugnat, per Miltitium demum Electorem inductum esse, ut Lutherum ad Cajetanum mitteret. Miltitius enim ad Electorem venit post peractum inter Cajetanum & Lutherum negotium, & Elector ipse Augustæ cum Cajetano de Luthero eo mittendo jam egerat. Taceo qvam inepte Miltitius, qvi Cubicularius honorarius & Canonicus Moguntinus & Misnensis erat, famulus (*valet de chambre*,) dicatur, honestiori Maimburgius voce *Camerier* usus est (5.) Lutherus non tam imprudens fuit, ut de salvo-conductu non cogitaret, sed Electoris fide nitebatur, ut ipse in relatione ad eum d. 20. Novembr. scripta his verbis memorat: *Mandaverat mihi Illustrissima dominatio per Spalatinum meum, non esse mihi necessarium salvum conductum adeo Illustr. Tua Celsit. omnia bona de Reverendiss. Legato præsumebat.* In eadem autem relatione asseverat, non suo sed amicorum omnium & singulorum, qvibus commendatus erat consilio, uno Urbano Montisferratensi excepto, salvum conductum qvæsivisse. Exaggeratio itaqve metus & periculi Lutheri, qvam hic tragice facit Varillasius, ingeniosa est, sed non historica. (6.) Neqve magis verum est latitasse Lutherum usqve dum salvi conductus literæ venissent; misit enim primo statim adventus die 7. Octobr. Wenceslaum Linccium Augustinianum, & ex sociis alium ad Legatum, & adesse se atqve comparere velle significavit dictu qve est ei ad comparendum dies sequens, sed ex consilio amicorum dilatus fuit accessus ad biduum & interim a Cæsare, qvi prope urbem venationi indulgebat, & reverti sperabatur, literæ commeatus venere. Itaqve omnes illi cursus & labores, qvos Varillasius hic in scenam producit, intra qvatriduum contigissent (7.) Sunt & in relatione disputato-

rum & actorum, qvæ ſpecioſe magis qvam vere narrantur: ſed imprimis rejici debet qvod dicitur in primo congreſſu (d. 11. Octobr.) ita conſtet natus fuiſſe Lutherus, ut vocem in præſentia Cardinalis perdiderit: Unde etiam fortaſſis immerito culpatur Cajetanus, qvod hoc temporis momento ad flectendum Lutherum non eſſet uſus. (8) Errat Varillaſius, dum inter primum & ſecundum congreſſum triduum interponit, cum alter proximo ſeqventi ſtatim die, id eſt, 12. Octobr. ſecutus fuerit; tertium acceſſum omittit aut ignorat, qvo nempe ſcriptum ſuum Lutherus exhibuit, ita enim ſcribit ad Electorem: *Tertio reverſus obtuli reſponſiones.* Qvæ de rationibus afferuntur, qvibus Lutherus permotus fuerit ab amicis ne revocaret, animi cauſa dici puto: neqve enim nullo modo ad revocationem inclinabat Lutherus, niſi prævia demonſtratione ex Scripturis; vix, ab Auguſtinianis ſuis Staupitio & Linccio perſvaderi ſibi paſſus, ut verbis humilibus & compoſitis ſubmiſſionem offerret. At qvis (9.) credat autori cum negat Pontifices, licet Imperatores excommunicaverint, interdicto ſubjeciſſe ditiones Principum, cum tot exempla in contrarium extent? dein (10.) qvod Fridericus Elector Imperatorem throno dejicere voluerit & potuerit, qvia ſcilicet ut præfectus fœderis Svevici intra tres ſeptimanas plusqvam 70. millia, absqve ſumtu conſcribere potuiſſet. Mirandum eſt (19.) autorem tot arcanorum, ut profitetur, ex ſcriniis regiis aliorumqve, conſcium, tam imperite *de fœdere Svevico*, & de *Friderici Electoris in Maximilianum animo* ſcribere. Nam ut de hoc primum & paucis (qvia alibi etiam tetigi) dicam, nullus fuit tota Germania Princeps Maximiliano addictior, totaqve familia Saxonica cum Auſtriacis pulcherrime conſentiebat, recenti Alberti & filiorum ejus rerum pro Maximiliano in Belgio geſtarum memoria, & Friderici ipſius officiorum, qvæ Imperatori præſtiterat. Gliſcebat adhuc æmulatio inter Auſtriacos & Bavaros, qvæ ante annos viginti Fœderi Svevico anſam dederat, ut Bilibaldi Pirckhaimeri Norimbergenſis, viri illo tempore egregii, teſtimonio probavit, nuperrimus *vitæ Reuchlini* ſcriptor, qvem infra laudabo. Qvoniam autem fœderis illius mentio in annorum ſeqventium hiſtoria aliqvoties facienda eſt, breviter hic noto; procuratum id fuiſſe Friderici III. Imp. filiiqve ejus Maximiliani opera, circa annum 1487. cum Bavariæ principes vicinis graves eſſe & autoritatem Cæſaream contemnere viderentur, ut adeo nec illis nec

Helve-

Helvetiis fiderent Austriaci. Pro tutandis igitur qvas in Svevia & Tirolensi tractu habebant provinciis, cum Episcopis, Principibus, Prælatis, Comitibus, Eqvitibus, Civitatibus Sveviæ, (qvibus Elector Moguntinus & ex Franconia Episcopi Wurzburgensis & Aichstadiensis, itemqve Norimberga & Windshemium urbes, deniqve & Hassiæ Landgravius accesserunt) societatem bellicam inierunt, constituto exercitus numero ad 1330 eqvitum & 1375. peditum; delectisqve ducibus (Hauptleute) seu præfectis tribus, & totidem judicibus, qvi de controversiis inter fœderatos oborientibus decernere debebant, qvos vocabant Bunds-Richter. Sumebantur autem & duces & judices ex singulis classibus ordinum pactiscentium, unus scilicet Princeps, alter Comes vel eqves, & tertius ex civitatibus. Prorogatum qvater fuit hoc fœdus, & postremo qvidem anno 1522. ad annos undecim, qvorum finis in annum 1534. incidit. Is hujus societatis ultimus fuit, sive artibus Gallicis, qvod scriptores gentis & inter hos Varillasius jactant, sive etiam ipsius (ut alii suspicati sunt) Caroli V. consilio, qvi ad bellum contra Protestantes inclinabat, qvorum partibus plurimi ex fœderatis, & civitates fere omnes jam accesserant, ejusqve jam erat potentiæ, ut Svevorum societate carere posset. Hoc comitiorum Augustanorum tempore ex Principum ordine Præfecti fœderis munere fungebatur *Gvilielmus* Bavariæ Dux. Nam etsi, ut dixi, ab initio in illos cudi visa esset hæc societas, ipsi tamen tempori prudenter cedentes satisfecere Cæsari, & in fœdus recipi satius duxerunt, qvam ejus odio & viribus cum periculo exponi. Formulam fœderis, qvæ profecto & æqvitate conditionum, & provisu plurimarum rerum eximia est, & speciminis singularis vicem præbere potest, exhibuit Hortlederus *Lib. III. cap. IV.* item *cap. X.* Ferdinandi Austriaci apologiam pro fœdere adducit. Nugas itaqve hic agit Varillasius, cum Fridericum Sax. Electorem Svevici fœderis caput facit, cujus nec socius fuit; deinde septuaginta millium exercitum somniat, qvem fœderati vix ad 12000. constituerant, & licet eum pro rerum statu multiplicare ex communi consilio possent, ad sextuplum tamen augeri nulla patiebatur ratio, multo minus Duci fœderis obtemperatum fuisset, si suo arbitrio copias imperare, & in Cæsarem, qvi ipse maximum & primum fœderis membrum erat, vertere ausus esset. Sed ad Cajetanum & Lutherum redeundum est. Confundit Autor (12.) acta secundi & tertii congressus, neqve fidem

meretur, cum scribit, *quod Principes Germaniæ plurimi Lutherum animaverint, ne revocaret, idque Cajetanum turbaverit:* nemo enim tunc Principum satis intelligebat, nedum protegebat causam Lutheri, imo ne aderant qvidem: neqve hoc tacuisset Lutherus in relationibus suis, cum non reticeat longe minutiora, qvæ sui causa facta erant: (13) falsissimum est Lutherum eodem die 17. Octobr. ultimo cum Cajetano collocutum esse eodemqve abiisse: tertia enim, id est, ultima vice apud Cajetanum fuit d. 14. Octobr. totumqve inde qvatriduum adhuc expectavit, an denuo vocaretur, & non nisi d. 19. Octobr. abiit. Qvæ ergo de Saxonicorum ministrorum consternatione, ob Lutheri submissas ad Cardinalem literas, & de magna hujus trepidatione declamantur, conjecturæ sunt, non historiæ. Neqve enim in literis d. 17. Octobr. datis causæ suæ nocuit Lutherus, sed post multas excusationes & urbanitates verborum, ad judicium Ecclesiæ provocavit rejecta revocatione; multo minus remisit aliqvid in ultimis literis pridie ante abitum S. Lucæ id est, 18. Octobr. ad Cardinalem scriptis. In his enim appellationem suam allegat, in qva priora satis mascule repetit. Durius etiam referuntur Literæ Electoris ad Cajetanum qvam scriptæ sunt: ut aut non legisse acta videatur Autor, aut inventione supplere, qvæ memoriæ exciderunt.

Ad §. XLI. *Raphaelem Cardinalem S. Georgii.*) Qvæ amicitiæ aut familiaritatis inter hunc & Fridericum Electorem occasio fuerit, nescire me fateor. Erat autem Cardinalis iste qvem *Riarium* Sleidanus vocat nepos sororis Sixti IV. Pontificis Savonæ in Liguria tenui loco nati, sed qvi familiam suam tam fratrum (qvi *della Rovere*, id est, *de robore* seu *qvercu* cognomen habebant) qvam sororum ad magnas opes extulit. Raphaeli Cardinali cognomen erat *Samsoni*. Sed ab avunculo *Hieronymo Riario* (is ex sorore Sixti natus erat) adoptatus; *Riarii* adsumserat. Gesta Riariorum multa cum libertate nuper denuo exposuit Varillasius in Libello Gallico, *de Historia secreta Gentis Medicea.* (*Anecdotes de Florence*) & pluribus ostendit, qvæ ad opprimendos Mediceos conjuratione Pazziana moliti fuerint, cum exigua Pontificis avunculi laude.

Ad §. XLII. *Ingenium Principis Friderici.*) Qvanqvam nec adversæ partis scriptores laudem sapientiæ adimant Friderico, cum tamen adulatum ei esse Lutherum dicant, & calliditatem imo & ruditatem

tem ipsi objiciant, afferam testimonia qvædam ante Lutheri disputationes & ortum inde schisma prolata. *Christophorus Scheurlus* Norimbergensis, Bononiæ, ubi multis annis studio legum incubuerat & Germanicæ nationis Syndicus fuerat, orationem habuit d. 3. Id. Nov. 1505. in laudem Germaniæ & Ducum Saxoniæ, eamqve [postea Lipsiæ anno 1508. recusam Friderico Electori dedicavit: in hac inter alia hæc scribit: Tu enim qvum felicitate Syllam, magnitudine Pompejum, clementia dictatorem Cæsarem liberalitate Cimonem, elegantia cultus victusqve splendore Lucullum vel æqves vel antecellas, omnibusqve virtutibus sis ornatus. Ut emineas undecunqve laudatissimus, amœniores literas, humanitatisqve studia avidissime complecteris; semperqve existimasti præclarum Alexandri Macedonis dictum esse habendum in memoria atqve in pectore: longe nobilius, longe fore præstantius, litteris antecellere; qvam imperio atqve divitiis. Unde qvum sis Germanorum Principum eruditissimus, & eruditorum facile princeps, omnium doctorum ita amator existis, ut eos undeqvaqvam amplissimis præmiis ad te allicias, eorumqve consvetudine mirum in modum delecteris: inde fit, ut ego te ætatis nostræ Mæcenatem alterum appellare soleam. Nam ut Romanus ille Mæcenas consiliis, divitiis, opera favebat sui seculi literatis viris, ita tu facis; qvandoqvidem Doctorum omnium decus & præsidium & unicum refugium, doctos omnes doctus ipse juvas, & juxta Platonicum præceptum, diligis, sustentas, alis, das munera, prodes deniqve omnibus studiosis. In illa vero orationis parte qvam laudibus Saxoniæ & Misniæ Principibus destinavit inter alia plurima, ita describit Principem. In Friderico multa sunt qvæ laudare possis: corpus egregium & species Principe digna, animus sedatus ac tranqvillus, ingenium perspicax, memoria tenacior, religionis ardens zelus, ingens cupiditas pacis & ocii. Homo certe ita mitis ingenii, ut omnes diligat, neminem odio habeat, tardus ad iram, ad miserendum promptus, insignis pietate, clementia monstrabilis, liberalitate conspicuus, fortissimus rerum ecclesiasticarum, honorisqve divini procurator, & defensor acerrimus. His adjicias illa præclara, sine qvibus omnis præstantia in principe deformatur, frugalitatem, honestatem, mansvetudinem, tranqvillitatem, religionem, sanctimoniam. Et hæc omnia egregia. Qvas res transeunter signatas, etsi justum volumen exposcerent, tamen paucis explicabimus.

Igitur

„ Igitur Fridericus cum sit omnium virtutum vivax imago, imprimis re-
„ ctos & vividos animos fovet & attollit, & bonis omnibus prodest; his
„ honores, his sacerdotia, his magistratus offert. Peregrinos autem
„ humaniter excipit; attentus audit, liberaliter tractat, & adeuntibus
„ ita facilem se præbet atqve benignum, ut ejus lateri hæreat qvisqvis
„ accessit, finemqve sermoni suus cuiqve pudor, non principis superbia
„ faciat; a qvo juxta Titi Vespasiani monitum, nullus tristis discedit.
„ *Et post alia:* Princeps Fridericus, ut beatas efficeret suas civitates, ipse
„ vero optime imperaret, adeo literario studio delectatur, adeo avide a-
„ mœniores literas complexus est, ut Germanorum Principum sine con-
„ troversia eruditissimus habeatur. *Item:* Qvantum Princeps Friderici-
„ us musicam calleat, qvantum illa oblectetur, nulla possum oratione
„ consequi, qvi exemplo Achillis, qvi e pugna fessus discedens gravia
„ Martis opera carminis amœnitate lenibat, post multas curas, varios-
„ qve labores musices svavitate se reficit atqve refocillat. Qvi non tan-
„ tum musicos, ut docet Aristoteles qvotiens in ocio degere vult, adhi-
„ bet: verum etiam illis qvotidie ad divinum cultum utitur, qvos tota
„ Germania conqvisitos ad se allicit, & allectos tanta munificentia alit
„ atqve nutrit, ut in hac qvoqve re, sicut & in literarum præstantia, a
„ cæteris Germaniæ Principibus, ei Principatus deferatur. Porro non
„ tantum musicæ incumbit; & oblectatur, verum etiam celerrime le-
„ git, soluta oratione eleganter dictat, & qvod in Principe mirandum
„ est, nec ipse de eo dicere auderem, nisi de Augusto, & Tito Vespasiani
„ filio idem legissem, ita venuste manu propria scribit, ut omnes libra-
„ rios vel adæqvare vel superare possit. Autor hujus orationis Docto-
ris gradu adsumto, Wittenbergam vocatus, Jurisprudentiam aliqvandiu docuit, & ut alibi notabitur observata Lutheri doctrina, Norimbergæ in patria religionis Reformationem promovit. Vivebat eodem tempore Bononiæ *Richardus Sbrulius* Forojulienſis (ex ditione forte Saxonica, qvasdam enim in illo tractu Fridericus pignore a domo Austriaca acceperat) qvi & Wittenbergam postea venit, Poeta non spernendus; ejus carmen ad Fridericum cum aliis ejusdem & Scheurli orationi isti subjunctum reperitur:

Extemporale Richardi Sbrulii Itali Decastichon ad divum Fridericum Saxoniæ Ducem, Sacriqve Imperii & Electorem, & Locum tenentem Generalem &c.

Ut

Ut decorant nitidum radiantia sidera cœlum:
Sic decoras regnum, Dux Friderice, tuum.
Illa polis, ponto, telluri lumina præbent;
Tu terrisque tuis, Theutonicoque solo,
Moribus, ingenio, titulis, virtute, tropheis;
Judice me, cunctos vincis in orbe duces.
Consilium Pallas, Pallas tibi tradidit arma:
Conspicuus bello, conspicuusque toga es.
Juppiter ad superos jubeat te sero redire:
Sed longo faxit tempore adesse tuis.

Extat ad Poetam hunc Erasmi elegans epistola *Lib. XIII. ep. 29.* in qva ei pro carmine in elogium suum edito gratias agit. Celeberrimi viri *Joh. Reuchlini* de qvo plurima *ad §. 70.* annotavi merita agnovit etiam Fridericus & ab eo summe est laudatus. Patet id inter alia ex epistola Georgii Spalatini qvæ invenitur *Lib. I. epist. ad Capn.* ubi hæc leguntur: Ægre fuit animo meo Capnion eruditissime jam anno & amplius non potuisse literis tuis & humanissimis & literatissimis respondere, qvibus ex autoritate veteris & reconditioris historiæ scribis, Phrygas nostris Saxonibus generis esse autores: & simul, divum Fridericum ducem Saxoniæ principem nostrum imo Romani imperii Electorem Opt. Max. graviter & vere laudas. Mirum qva religione Deum omnipotentem & suos suspiciat, qva charitate bonos amplectatur, qva munificentia Mutianum, & me, & eruditissimum qvemqve proseqvatur, qva deniqve fide, justitia, integritate, vigilantia tot gentibus imperet. Diceres vel Ptolomæum vel Cæsarem Julium, vel Carolum alterum, si audires, qvantis sumptibus Academiam Witemburgi architectatus, qvanta excolat diligentia, liberalitate, industria: qvantis muneribus illuc eruditos Professores contrahat, qvot sacerdotiis amplissimis a fundamentis templum divis omnibus sacrum auxerit. Vere præstantissimus Princeps, & ut tu qvoqve sentis, maximo imperio non indignus; qvi & tuam ad me epistolam legit, qva de ipsius virtutibus pari gravitate & elegantia, sed & de Saxonibus qvoqve scribis. Qva de re jussu ejus tibi significo, non ingratam ei fuisse eam commemorationem. Præterea etiam pro magno officio habiturum se, si ex autoribus tuis eruditissimis ad Saxoniam & Saxones pertinentia

collegeris, tuum enim judicium Princeps sapientissimus plurimi faciens mihi commisit, ut ad te id ipsum scriberem. Qvocirca cum sis jam pridem tanti Principis observantissimus te scio summa cum voluptate hæc facturum. *Joh. Aventini* clarum eo tempore nomen fuit, imo ob scriptam Bavariæ historiam immortale erit. Hunc qvoqve Fridericus Elector favore complexus ejusqve consilio usus est, in Chronicorum Saxoniæ compositione, qvam Spalatino demandaverat, ut ostendunt literæ Principis Dominica Esto mihi 1514. scriptæ, & aliæ 4. Octobr. eodem anno, in qvibus ei qvædam proponit ex historiis Germanicis eruenda. Excusæ hæ sunt Augustæ Vindelic. anno 1518. mense Augusto cum carmine Sapphico & Choriambico ab Aventino conscripto, ex qvibus saltem hæc appono, qvæ in laudem Friderici cecinit:

Principem nullum similem sub orbe
Esse Romano videas, recondit,
Nobiles magno pretio coemptos
Undiqve libros:
Ordinat longa serie parentes,
Qvin & heroas prius obsoletos
Eripit stagnis Acherontis atri,
Donat & ævo.

Subscriptio Aventini hæc est, unde tempus carminis compositi patet:

Totius Europæ Principi omnium gravissimo Reipublicæ rerumqve Germanicarum adsertori, literarum parenti, Musarum patrono optimo. Joan. Aventinus cliens devotissimus posuit. Angiloštadii Saturnalibus. Anno Christi Dn. Deiqve nostri M D XVII.

Dum de Wittembergensis Academiæ fundatione hic mentio fit, ex *Selnecceri* oratione pauca addam: Non sunt tradenda (scribit) oblivioni verba fratris Fleccii, qvæ in Academiæ introductione publice pro concione dixerat: *Ab hoc albo monte petet totus mundus sapientiam & puritatem doctrinæ:* id qvod factum esse Lutheri vita, labor, fidelitas & successus, sive ut uno verbo dicam, Lutheri seculum re ipsa ostendit. *Conradus Mutianus*, cujus Spalatinus meminit, Presbyter & Canonicus Gothanus fuit, cognomento *Rufus*, is qvem Erasmus anno 1518. *Lib. XXX. ep. 4. virum omni doctrinæ genere consummatissimum* nominat,

nat. Inhærebat autem veteri instituto cœlibatus & sacrificii missatici, ut patet ex epistola *Croti Rubiani* Erfurto ad Lutherum anno 1520. scripta, qvæ illo tempore typis vulgata fuit. Lutheri ad eum literæ extant *Lib. I. ep. 12.* anno 1516. datæ, in qva eum *delicatissimæ eruditionis virum* vocat.

Ad §. XLV. *pro summo fidei capite tantaqve sub pœna venditandam statueret)* Refert Paulus Venetus erectis Romæ hac Bulla curialium animis, qvasi ejus beneficio flamma (a Luthero excitata) ardere desisset, confestim ad easdem indulgentias apud Helvetios vocis suæ præconio celebrandas missum *Samsonem Mediolanensem* Franciscanum, qvi populo emuncto CXX. aureorum millibus Tigurim pervenerit, ibiqve Huldrici Zvinglii oppositiones expertus fuerit. Neqve huic narrationi, cum alias nihil negligere soleat qvod reprehendi possit, qvidqvam detrahit Pallavicinus. Lapsus tamen est in tempore Venetus, ut constat ex diligentissimo rerum in religionis negotio apud Helvetios gestarum scriptore *Joh. Henr. Hottingero.* Hic ex documentis, a se allegatis, tradit, *Bernardinum* illum *Samsonem* jam æstate hujus anni 1518. atqve adeo ante editam Bullam ad Helvetios venisse, & cum in pago Suiziæ, unde genti nomen est, primum merces suas exponeret, Zvinglii, qvi tunc in illustri monasterio qvod Eremi (Einsideler) nomen habet, pastor erat, contradictiones incurrisse. Tugii mense Septembris appulit, ubi vox famuli, populum confertius concurrentem arcentis, excepta fuit: *Ne qvæso vobis mutuo ita molesti sitis: illis primum pateat aditus, qvi pecunia sunt instructi: Pauperum postea habebitur ratio.* Bernæ diplomata pauperioribus pro duobus bacionibus (Batzen/ ab impresso urbis insigni qvasi Bätzen/ id est, *ursi*, nomen habentibus) vendiderat, locupletioribus majori pretio, sub discessum tres Pontificis gratias solenniter in templo majori promulgavit: *Prima*, ex superabundanti Christi & omnium Sanctorum thesauro, omnibus tum præsentibus, qvi flexis genibus peccata confiterentur, orationem Dominicam cum salutatione angelica ter recitarent, omnium peccatorum remissionem, a culpa & pœna concessit, eiqve qvam in baptismo habuissent, integritati restituit. *Secunda* in ipsum Purgatorium perrupit; ut qvi ter qvotidie Templum majus orantes circuirent, animam, qvam vellent, liberarent ex purgatorii flammis. *Tertia* omnium erat liberalissima. Postqvam enim singu-

» li genibus flexis qvinqvies tum orationem Dominicam, tum salutati-
» onem Angelicam, in defunctorum subsidium, recitassent, elata excla-
» mavit voce: Ab eo momento omnes Bernensium defunctos, ubicun-
» qve excessissent, simul liberatos, tam ab inferorum qvam Purgatorii
» cruciatibus, & in cœlum translatos. *Leonis* vero Bulla jam XVIII. Cal. Octobr. anno 1517. data erat ad Generalem ordinis Minorum Christophorum de Forclivio Cardinalem S. Mariæ in Ara cœli, facta illi in viginti qvinqve provinciis prædicandi indulgentias potestate; hujus vero subdelegatus erat Samson. Cæterum tenor sive formula eadem fere ab Hottingero refertur, qvalem Arcimboldo datam supra retuli. Ut vero postea sub ipsius Episcopi Constantiensis ejusqve Vicarii Johannis Fabri autoritate Pastores qvidam, & imprimis Zwinglius Tigurum interea vocatus, & Bullingerus Decanus Bremogartensis nundinationi restiterint, qvæqve inde secutæ fuerint, ex historia Helvetica petendum est. Videatur omnino *Hottingerus* Sec. *XVI. P. III. Cap. III.* §. *XII.* ubi *p. 177.* rescriptum Leonis X. ad qverelas Helvetiorum de monachi impudentia prid. Cal. Maji 1519. respondentis, legitur, in qvibus jus indulgentiarum ex nupera Bulla sua confidenter asserit, in fine tamen significat, se Prædicatorem (*Samsonem*) ad reqvisitionem eorum revocasse, & si eum in his qvæ scripserint excessisse invenerit puniturum esse. Adduntur ibidem alterius ejusdem Ordinis Monachi Joh. Franc. de Puppio Commissarii, ut se nominabat, Fabricæ S. Petri in facultatibus Sacri Jubilæi, blandæ ad Helvetiorum ordines literæ, in qvibus pro Samsone intercedit eumqve vel tolerari vel saltem illæsum dimitti precatur. Cal. Maji 1519.

Ad finem §. XLIIX.) In narratis Varillasii de negotiatione Miltitii *Lib. III. p. 252.* observandum est, ex scriptoribus illius temporis non apparere, qvod Miltitius cum Electore de violandis Pontificis gratia legibus Imperii tam crude egerit: incognita etiam plane sunt, qvæ de excusatione delati ad Albertum Brandenburgicum Archiepiscopatus Magdeburgici, & qvæ de promissis Electori beneficiis afferuntur. Ista omnia ab ingenio Principis istius, ipsiusqve Miltitii multum abhorrent, nec tacuisset talia Pallavicinus, cui scrinia Vaticana patuerunt. Nimis etiam inurbana & dura fuissent, qvæ de lentitudine Electoris & de ejus Ministris Pfeffingero & Spalatino dicere debuerit Miltitius. Dein multis modis incerta aut falsa sunt, qvæ de duo-

bus

bus istis ministris verb.grat. qvod pauperes fuerint, multos liberos habuerint,& Lutherum,acceptis a Pontifice beneficiis Ecclesiasticis Pontifici tradere voluerint, referuntur. *Degenhardus Pfeffingerus* nobili in Bavaria familia natus, *Marescalli* illius provinciæ *hæreditarii* titulum gerebat, prædium ejus nominat, uxoris etiam meminit Lutherus anno 1516 *Lib.I. ep.21.* Amabat nationem Bavaram Elector, ex qva maternum genus trahebat,& hunc comitem habuit in peregrinatione ad Terram sanctam anno 1493.posteaqve *Camerarii* (*Secretarium* vocat Scheurlinus) munera & intima dignatus est familiaritate: obiit hoc ipso anno 1519. mense Julio Francofurti, magno eum Friderici luctu, in comitiis Electorum, ibiqve in Ecclesia Franciscanorum sepultus est, sed & cenotaphium ei erectum Wittenbergæ in templo omnium Sanctorum conspicitur. Infensusne Luthero an benevolus fuerit,incertum habeo, laudari a Luthero non reperio, imo ob avaritiam taxari. Narrat Spalatinus Fridericum eo qvo Pfeffingerus obiit die, navi in Mœno inter Francofurtum & Steinhemium,[arcem Moguntini] vectum cum dolore dixisse: *O qvam fidelem, strenuum, & bonum ministrum in Pfeffingero perdidi.* Fuit & alius hoc cognomine, *Johannes Pfeffingerus*, & ipse Bavarus, Wasserburgi natus, discipulus Lutheri, postea Theologiæ Doctor & primus Lipsiensium Superintendens, cujus vitam retulit *Melchior Adami.* De *Spalatino* dixi ad §. IIX. Errat Varillasius,qvi eum facit Consiliarium &multorum liberorum patrem, ex mera, credo, conjectura. Hoc sane anno 1519.sacerdos adhuc erat, neqve vivo Friderico maritus aut parens factus est. Fallitur etiam cum Lutherum literas ad Pontificem d.21. Martii scripsisse dicit, datas enim d. 3. Martii acta ostendunt, nec metu, sed Miltitii rogatu, neqve in iis reperias, qvæ hic Varillasius recenset, duplo longiora qvam ipsa est epistola, ita ut hanc cum illa, qvæ post annum ad Leonem scripta fuit, confundere, aut plane aliam excogitasse videatur. Argumento hæc iterum sunt, non legisse qvæ allegat, omnium minime epistolas Lutheri, licet eas in præloqvio alleget: neqve enim (v.g.) de humanitate & osculis Miltitii *p.259.* famæ attribuisset,cum rem ut gesta est,ex Lutheri literis potuisset intelligere.

Ad §. XLIX. *Fabella de notho Friderici.*) Parum certi de hoc optimi alioqvi & laudatissimi Principis defectu apud scriptores illius temporis reperias. Paulus Langius in *Chron. Cizenf.* fugillare eum

videtur; dum *cælibem vixisse* memorat, *neqve tamen se castrasse propter regnum cælorum.* Gravior autor Chytræus *Lib. XIV. Saxon.* (edit. Lipſ. 1593.) *p. 415.* ubi expeditionem Chriſtophori Oldenburgici pro Chriſtierni II. Daniæ Regis reſtitutione narrat, inter duces, qvi ad Helſingburgum Scaniæ anno 1535. infeliciter pugnarunt, nominat *Sebaſtianum a Jeſſen*, vocatqve *Friderici Saxon. Elect. nothum.* Puerum hoc nomine nobilem morienti Friderico adfuiſſe ex *MS. Spalatini* apparet: per eum enim Electori conſolationem qvam conſcripſerat, porrigi fecit. Qvod ſacerdotio deſtinatus fuerit, nuſpiam reperire potui.

Ad §. L. *Luther, id eſt, liqvidus & purus*) Eraſmus in *epiſtola 55. Lib. XVIII.* qva anno 1526. Concionatori Mariæ, Hungariæ Reginæ, Lutheraniſmum maligne depingit, hæc habet: Qvin inſuper addebat nonnihil læti ominis ipſum Lutheri cognomen, qvod Germanorum lingva REPURGATOREM ſonat. Id habet ex patris opificio, qvi rudes æris maſſas officina ſua repurgat. Sed ut a multis tunc alluſum ad nomen Lutheri, eſſe hinc apparet, fallitur tamen Eraſmus Germanicæ lingvæ non admodum gnarus in reddenda etymi ratione. *Luther* enim non ſignificat Germanis niſi liqvidum, non autem eum qvi liqvidum facit. Deniqve, ut ſupra dixi, pater Lutheri cognomen ſuum non ab opificio, ſed a familia habuit. *Nicolaus Ulnerus*, Vicarius Colonienſis, vir octogenarius, teſte Selneccero, jam anno 1520. ex literis nominis LUTER boni ominis cauſa hæc elicuit vocabula: *Lux Vera Totius Eccleſiæ Romanæ.* Cæterum ipſe cognomen hoc ſuum, ut alibi & a plurimis notatum eſt, in ſectæ nomen verti ægre tulit Lutherus, qvapropter in dehortatione a ſeditione anno 1522. publicata his verbis increpat eos, qvi impetu qvodam & ſine ſufficienti informatione, novandi ſaltem ſtudio, & ut Lutherani haberentur, vetera deſerebant, wollen gut Lutheriſch geſehen ſeyn. & abutuntur Evangelio ad licentiam. His ſatis acriter reſpondet: Nicht alſo/ du Narr/ und laß dir ſagen; zum Erſten bitte ich/ man wolte meines Nahmens ſchweigen/ und ſich nicht Lutheriſch/ ſondern Chriſten heiſſen. Was iſt Luther? iſt doch die Lehre nicht mein/ ſo bin ich auch für niemand gecreutziget/ id eſt: Audi, ſtulte, hoc primum poſtulo, ut nomen meum reticeatur, nec qvisqvam ſe LUTHERANUM ſed CHRISTIANUM vocet, qvid eſt Luther? Doctrina non eſt mea, & ego pro nemine crucifixus ſum. *Et paulo poſt:* Papiſtas ſe vocent a Papa, qvi Chriſti doctrinam non

non contenti, Papæ dogmata urgent: habeant magistrum Papam, & nomen ab eo. Ego nullius sum, nec esse volo magister: communem cum Ecclesia habeo doctrinam Christi, hic unus est Magister noster, *Matth. XXIII. 8.* item in Epistola ad Miltenburgenses anno 1524. data, dolentissime scribit, patior doctrinam meam hominesqve eandem amplectentes hoc profanari nomine, ut Lutherani vocentur, cogamurqve ferre Evangelium Dei hac contaminari contumelia. Addit tamen solatium, qvo & huc usqve ejusdem doctrinæ confessores sese erigunt, ut nempe Lutherum Lutheranamqve doctrinam & Christianos ejusdem assecias, velint nolint, tolerare cogantur. Vide *Tom. II. Alt. f. 754.* & versionem illius Epistolæ Latinam *Lib. II. ep. p. 193. b.*

contra Tom. V. jen. fol. 162. b.

Hæc serio scripsisse ex aliis multis locis probari posset. Ad nomen etiam suum, ut alii scommatis causa faciebant, ipse aliqvando allusit, qvasi *luteus* diceretur; nam Epistolam ad Justum Jonam, de tentationibus suis, & qvod una cum doctrinæ sociis pro opprobrio hominum & contemtu populorum haberetur anno 1527. acerbe qvestus subscripsit, *Martinus Luther, Christi lutum.* Gloriatur tamen spe, se suosqve esse gaudium & coronam angelorum & sanctorum.

Ad §. LI. *Luthero peramanter respondet*) Qvia non nimis longa est Erasmi Epistola, totam apponam: Frater in Christo charissime, epistola tua mihi fuit gratissima, & ingenii argutiam præ se ferens & animum spirans Christianum. Nullo sermone consequi qveam, qvas tragœdias excitarint tui libelli: ne adhuc qvidem ex animis istorum revelli potest falsissima suspicio, qva putant tuas lucubrationes meis auxiliis esse scriptas, meqve hujus factionis, ut vocant, vexilliferum esse. Existimabant qvidam sibi datam ansam, qva & bonas literas opprimerent, qvas capitaliter oderunt, velut offecturas majestati Theologicæ, qvam multi pluris faciunt qvam Christum, simulqve me, qvem arbitrantur ad excitanda studia nonnihil adferre momenti. Tota res vociferationibus est acta, temeritate, strophis, obtrectationibus, sycophantiis, ut ni præsens hæc spectassem, imo sensissem, nulli unqvam autori fuerim creditura sic insanire Theologos; Pestem fatalem esse diceres. Et tamen hujus mali virus a paucis ortum, in plures serpsit, adeo ut magna pars hujus Academiæ non infreqventis, ejus morbi contagio lymphata ferretur. Testatus sum te mihi ignotissimum esse, libros tuos nondum esse lectos: proinde me improbare

qvic-

» qvicqvam, nec probare. Tantum admonui, ne libris tuis nondum le-
» ctis ad populum tam odiose vociferarentur, id ipsorum referre, qvo-
» rum judicium oporteret esse gravissimum. Qvin & illud perpende-
» rent, an expediret ea traduci apud plebem promiscuam, qvæ rectius
» libris editis refellerentur, aut inter eruditos disputarentur, præsertim
» cum uno ore vita autoris prædicaretur. Nihil profectum est: huc
» usqve insaniunt obliqvis imo famosis suis disputationibus. Qvoties
» inter nos de pace convenit? qvoties illi ex temere concepta suspiciun-
» cula, novos tumultus excitarunt? Et hi cum hujusmodi factis Theo-
» logi sibi videntur. Est hoc hominum genus hic aulicis fere invisum,
» qvod ipsum mihi qvoqve imputant. Episcopos omnes habeo mihi sa-
» tis æqvos: libris nihil fidunt (monachi): in solis sycophantiis victo-
» riæ spes illis sita est. Eas ego contemno, recti conscientia fretus. In-
» te redduntur aliqvanto mitiores. Eruditorum calamos fortasse ti-
» ment, sibi male conscii: qvos ego sane suis pingerem coloribus, ut
» digni sunt, nisi me Christi tum doctrina, tum exemplum alio vocaret.
» Immanes feræ mansvescunt officiis, isti benefactis efferantur. Habes
» in Anglia, qvi de tuis scriptis optime sentiant, & sunt hi maximi. Sunt
» & hic, qvorum est eximius qvidam, qvi tuis favent. Ego me, qvoad
» licet, integrum servo, qvo magis prosim bonis literis reflorescentibus.
» Et mihi videtur plus profici civili modestia qvam impetu. Sic Chri-
» stus orbem in suam ditionem perduxit. Sic Paulus Judaicam legem
» abrogavit, omnia trahens ad allegoriam. Magis expedit clamare in
» eos, qvi Pontificum autoritate abutuntur, qvam in ipsos Pontifices.
» Idem de Regibus faciundum censeo. Scholæ non tam aspernandæ
» sunt, qvam ad studia magis sobria revocandæ. De rebus receptiori-
» bus, qvam ut subito possint ex animis refelli, disputandum est argu-
» mentis densis & efficacibus potius qvam asseverandum. Qvorundam
» virulentas contentiones magis conducit contemnere qvam refellere.
» Ubiqve cavendum, ne qvid arroganter aut factiose loqvamur, facia-
» musve: sic arbitror gratum esse spiritui Christi. Interea servandus
» animus, ne vel ira, vel odio, vel gloria corrumpatur: nam hæc in me-
» dio pietatis studio solet insidiari. Hæc non admoneo ut facias, sed ut
» qvod facis, perpetuo facias. Degustavi Commentarios tuos in Psal-
» mos; vehementer arrident: & spero magnam utilitatem allaturos.
» Est Antverpiæ Prior ejus Monasterii, vir pure Christianus, qvi te unice

dea-

deamat, tuus olim discipulus, ut prædicat. Cæteri fere aut hominum fabulas, aut suum qvæstum prædicant. Melanchthoni scripsi. Dominus Jesus tibi suum Spiritum indies uberius impertiat ad ipsius gloriam & publicam utilitatem. Cum hæc scriberem, tua epistola ad manum non erat. Vale. Lovanii. Tertio Calendas Junias Anno M D XIX.

Anno seqventi, prid. Non. Jul. 1520. ad Spalatinum scribens, more suo in causa Lutheri sese torqvet, ut laudare videri possit & reprehendere, consilium etiam dare. Verba *epistolæ 40. Lib. XIII.* ista sunt: Scripsi nuper Philippo Melanchthoni, sed sic, ut eadem opera putarim me scripsisse Luthero. Precor, ut Christus optimus maximus Lutheri stylum & animum ita temperet, ut plurimum adferat fructus Evangelicæ pietati, mentemqve meliorem det qvibusdam, qvi cum ignominia Christi suam qværunt gloriam, qvi cum illius jactura suum qværunt lucrum. In castris eorum, qvi Lutherum oppugnant, multos video, qvi mundum spirant magis qvam Christum. Et tamen utrinqve peccatur. Utinam Huttenus temperasset stylo suo, cujus ingenium amo unice. Optarim Lutherum ab istis contentionibus aliqvantisper conqviescere, ac rem Evangelicam tractare pure, non admixtis affectibus, fortasse res aliqvanto melius successerit. Nunc & bonas literas degravat invidia nobis exitiabili, ipsi infrugifera: & periculum est, ne publica morum corruptela, cui nemo non fatetur opus fuisse publico remedio, ceu pestis exagitata, magis ac magis se se confirmet. Nec semper est proferenda veritas; Et magni refert, qvomodo proferatur. Qvam epistolam Melanchthoni nuper a se scriptam intelligat, ignoro, & desiderari credo: proxima enim ante illud tempus extat *Lib. V. ep. 38.* Sed mense Aprili 1519. data, in qva de Luthero hæc saltem scribit, *vitam ejus neminem non probare, de doctrina variari sententias, se vero libros ejus non legisse.* Scandalum vero ex vita qvorundam, qvi Lutheri doctrinam ore profitebantur, imprudenter sumsit, tum qvod fanaticos & hypocritas a piis non distingveret, tum qvod non idem de Ecclesia, cui adhuc adhærebat, judicaret, in qva nemo facile acerbius qvam ipse morum & disciplinæ labem deploravit.

Ad §. LIV. *Non tam fundata.)* Exaggerant suis de causis Maimburgius, Varillasius, & vetustiores qvidam structuram Ecclesiæ omni-

um Sanctorum Wittenbergensis; neqve spernenda ea est: interim a plurimis qvæ in his regionibus ædificatæ erant, & in specie ab ea qvæ eodem fere tempore Freibergæ ab agnatis Ducibus, (uti ad §. *f.* notavi) struebatur, vinci certum est. Spalatinus tamen sat magnos sumtus a Friderico impensos esse in *vita ejus* memorat his verbis: Antequam inqvit, melius informaretur, tantum æstimavit ædificia sacra, ornatum, reliqvias, peregrinationes, tantosqve sumtus in ista impendit, ut non solum Principes, sed ne Reges qvidem æqvare eos facile potuissent. Ex fundamentis *Collegiatam Ecclesiam omnium Sanctorum Wittenbergæ* instauravit, & cimeliis, ornamentis, & reliqviis ita instruxit, ut ducenta aureorum millia erogasse eo nomine existimetur. (nullo scilicet indulgentiarum, qvibus agnati sublevabantur auxilio, nec subditorum subsidiis adjutus) Antea vix viginti clerici in ea erant, sed hac fundatione ad octaginta aucti sunt. Prælati omnes Doctorum Theologiæ aut Canonum gradum tenebant, Canonici reliqvi ad minimum magistrorum. Uno itaqve tempore octo Doctores inter Canonicos enumerat Spalatinus.

De eadem templi structura & religioso Friderici animo, ante reformationis tempus hæc habet *Christophorus Scheurlus* in oratione supra allegata: Hic serenissimus Princeps Fridericus nunqvam satis laudatus, imo omni laude major, ut omnibus majoribus suis clarior esset atqve illustrior, non contentus Wittenbergam celebratissimum literarum emporium effeciss̀e, verum etiam lateritiam urbem, ut ita loqvar, marmoream reddidit, & pulcherrimam opulentissimamqve Ecclesiam collegiatam a fundamentis construxit, constructam multis ornamentis ornavit: qvam his proximis superioribus annis Reverendissimus Cardinalis Raymundus, qvi tum a latere Legatus, pontificis munus in Germania sustinebat, omnibus sanctis dicatam, plurimis (ut vulgo loqvimur) indulgentiis condonavit, potissimum tertia Dominica post sacrum Pascha, qvo die sanctorum reliqviæ, qvæ Principis cura multæ ibi congestæ sunt, visentibus reverentissime monstrari consveverunt. Tunc enim de singulis reliqviarum portionibus, qvantam Cardinalis qvivis potest, indulgentiam elargitus est adstantibus. Et qvoniam de religione divini principis mei verba feci, nunqvam tam arduis negotiis impeditus est: qvin qvotidie se adstante, sacra missarum solennia cum cantu & organo devotissime celebrari jubeat. Cæterum cum

pro-

proverbium sit, eum qvi Deum colit, amare sacerdotes, Princeps Fridericus non tantum sacerdotes honorat, verum etiam divæ Annæ, gloriosissimæ virginis Mariæ matri ita deditus existit, atqve mancipatus, ut in omni territorio suo ejus festum diligentissime celebrandum indixerit, qvin ab ejus sacratissimo nomine argenti fodinas a se inventas, ubi pulchra civitas exstructa est, MONTEM S. ANNÆ appellare voluit. Et cum Hierosolymis rediens, insulam Ophiusam, qvam nunc Rhodum dicimus, transiret, essetqve ei a clarissimo Petro Dabusione, Rhodiorum militum magno Magistro & principe, optio delata, ut aliqvid a se peteret, nihil flagitavit præter pollicem S. Annæ, qvem ille ei, etsi invitus, tamen qvia sic se facturum receperat, dono dedit: qvem religiosissimus Princeps meus longe pluris faciens, qvam maximam vim auri & argenti, cum summo gaudio secum Wittenbergam asportavit: ubi inter cæteras reliqvias collocatus qvotannis religiosissime visitur. Qvid plura? Cum optimus Cardinalis Raymundus admiraretur tantas inclyti principis Friderici virtutes, qvum videret illum provinciæ suæ profuisse non minore justitia qvam fortitudine, cumqve plane cognosceret immortalem Deum Serenissimum Principem Fridericum, absolutissimum naturæ opus huic ætati nostræ concessisse, ut virum haberemus priscæ frugalitatis, & continentiæ, qvem possemus in omni virtutum & laudis genere, cum omni antiqvitate conferre: divina inspirante benignitate, publicis literis elargitus est, ut qvotiens aliqvis una oratione Dominica Christo optimo maximo votum nuncuparet, atqve supplicaret, qvatenus divinum principem Fridericum sospitem incolumemqve præstaret, toties illi centum dies purgatorii piaculi remisit. Hæc sane piam Principis mentem, licet erroribus vulgaribus implicitam ostentant, fidemqve & approbationem publicam & apud summos ejus ætatis viros invenerunt, qvanqvam Varillasius etiam ista sugillare non veritus sit *Lib. III. p. 230.* Obiter noto, qvæ de inventis in monte, in qvo postea oppidum S. Annæ constructum est, argentifodinis memorat, dubio non carere, cum is locus ad Fridericum non pertineret, sed in Georgii Ducis ditione esset, qvi & oppidi illius novi conditor fuit.

Ad fin. §. LVI.) *(Sed de hoc in additionibus)* Qvanqvam Scholasticæ Theologiæ & metaphysicæ subtilitatis parum peritus sum, qva & multi me doctiores carent, annitar tamen, ut faciliori qvodam &

veluri populari modo assequi & exprimere possem, qvis sit status qvæstionis, *de toto & totaliter*, de qva multum operæ consumsit Pallavicinus *Lib. I. cap. 14. §. 9. & 10. & cap. 17. §. 2. & seqq.* Fateor autem me sententiæ ejus, utcunqve speciose propositæ assentiri non potuisse. Rem ita concipio: Disputarunt Lipsiæ, *de causa boni operis, sive bonitatis, in actionibus humanis.* Intelligebat autem Carolostadius, & qvi ei assistebat Lutherus, non qvamlibet *causam*, sed causam *effectivam principalem*: Dein per *bonitatem* non intelligebant qvamcunqve physicam aut civilem (qvanqvam utraqve ex Deo est, autore & datore omnis boni, tam in ordine naturæ qvam gratiæ) sed de illa loqvebantur bonitate, *qvæ reqviritur, ut opus Deo placeat, ex fide salvifica profecta*, qvæ & *supernaturalis* vocari solet. Satis hæc percipiebat Eccius, malitiose ergo a statu qvæstionis, & terminorum notione digrediens objecit nebulas per distinctionem Scholasticam inter *totum* & *totaliter*, ut aliqvid assereret, qvod hominibus meriti loco esset, sive ut Scholasticorum (qvorum doctrinam universam fatente Pallavicino *c. XVII. §. 1.* propugnabat) figmentum de *merito congrui*, & qvæ illi superstruuntur, stabiliret. Qvod autem sophisma fuerit, meraqve cavillatio & aberratio a qvæstione proposita, haud difficulter intelligi potest, si consideretur, qvid sit *totum*, & qvid *totaliter*, & qvo sensu utrumqve ab Eccio intellectum fuerit, idqve postea ad propositionem de qva disputabant, applicetur. *Totum* est, qvod omnes partes suas habet, cui nihil qvod ad integritatem reqviritur deest. *Totaliter*, (qvia a *toto* deducitur) sive idem adverbialiter significat, sive etiam indicat, qvod fit solum sive solitarium, unicum, excluso socio, pariter agente, & qvod hoc modo totaliter operetur. Exempla ab Eccio & Pallavicino allata rem clariorem facient. Qvatuor enim propositiones hic adducuntur, qvibus vim distinctionis explicare volunt, caute tamen omittunt applicationem. Prima est: (Pallavic. *Lib. I. cap. XV. n. 8.*) *pomum totum est a Sole, sed non totaliter, sine plantæ efficientia*, id est, pomi causa non solum est sol, sed & planta. In hac propositione pomum est corpus compositum sive mixtum ex elementis, de hoc autem dici simpliciter & accurate non potest qvod sit *totum* a Sole, sed saltem ex parte, respectu nempe caloris solaris, qvo omnes plantæ opus habent, itaqve ratione alterius qvalitatis, v.g. humoris, est a *planta*, & ita prædicatur hic causa particularis de causato pro parte; & indicantur causæ

par-

particulares & sociæ aut subordinatæ. In propositione autem Carolostadii prædicatur, Deus ut causa universalis & unica, independenter, & vi sua propria efficiens, de causato integro, totali, & qvasi indivisibili; de qvalitate nempe bonitatis in conversione hominis: dum statuitur, ut bonum illud totum, integrum, solum, qvatenus bonum est, illoqve sensu & respectu, qvem disputatores intelligebant, placens nempe Deo & qvatenus ex fide salvifica proficiscitur, toraliter a Deo esse, independenter, efficaciter, & propria vi agente. Ad hanc bonitatem nihil præstat homo, qvam facultates suas passivas, ut Dei operationem recipiat, & postea cum Deo & per eum sua etiam voluntate cooperari discat. Nullas ergo partes habet homo in operatione illa effectiva principali, de qva qværebatur; sed illud opus *totum & totaliter*, unice solummodo, & exclusa omni alia causâ principaliter & vi propria agente, a Deo est, licet homo ejusqve voluntas instrumentaliter, materialiter & capacitate subjectiva, qvæ & mera passiva dicitur, ad opus concurrat. Apparet ergo propositionem de pomo applicari non posse ad propositionem de bonitate operis: neq; ratione subjecti, neqve ratione prædicati; & sophisma esse qvicqvid hic commentus est Eccius. Idem dicendum de secunda propositione, *genus totum est in qvalibet specie, sed non totaliter, qvia est etiam in aliis omnibus:* item de tertia: *anima tota est in pede, sed non totaliter, qvia tota etiam est in manu & aliis membris*, Pallavicinus *d. Lib. I. cap. 17. n. 2.* Applica hæc ad propositionem, *bonum opus in homine est a Deo*, vel, *Deus operatur bonum opus in homine*, & videbis nihil concludi, qvam Deum non in uno tantum homine, sed in pluribus, non minus nempe in Paulo, qvam in Petro operari. Inter disputantes autem de hoc non qværebatur, sed de integritate & totalitate operis, & ejus causa effectiva, principali, unica, in uno eodemqve homine sive individuo. Iterum atqve iterum ergo sophisticatus est Eccius, & cum eo Pallavicinus; & hæ propositiones nullam habent cum Carolostadiana conformitatem. Qvarta propositio est, *Beati vident Deum totum* sed *non totaliter, qvia est infinitus.* Sed neqve hæc qvadrat ad propositum. Deus enim hic non consideratur ut causa efficiens, sed ut objectum, & qvatenus est infinitus. Hoc respectu accurate loqvendo, Deus qva infinitus, neqve totus neqve totaliter videtur aut comprehenditur a beatis; videtur qvidem sub conceptu infini-

nitatis, sed non modo infinito, verum eo, qvem subjectum videns, qvod finitum est, admittit. Qvid autem hoc ad propositionem Carolostadianam: *bonum opus est a Deo totum & totaliter?* nulla hic est de subjecti aut objecti qvalitate disceptatio, qvæ utriqve disputatori satis nota erat, sed de *totalitate* ut ita dicam *causæ*. Sic qvarta hac propositione eo applicata dicendum fuisset *bonum opus non est totum & totaliter a Deo*, qvia non est opus infinitum; qvia in hominem finitum confertur, aut qvia Deus ut infinitus non omnem nec infinitam vim operandi in solo hoc homine exercet. Lusus itaqve merus & nugatorius erat, qvicqvid Eccius tunc cavillatus est, & defendit Pallavicinus. Riserunt merito & exploderunt Carolostadius & socii distinctionem, sive ut plane peregrinam, Scholasticis antiqvioribus & sibi probatis ignotam, sive ut impertinentem, & ad propositionis suæ terminos inapplicabilem. Per hos enim id volebant asserere, qvod Deus *totus* (atqve sic etiam *totaliter*) & *exclusive*, ut causa principalis independens & vi propria agens, sit causa boni, seu conversionis in homine, & qvod homo ab illius causæ consortio *totus & totaliter* excludi debeat, sic exigentibus clarissimis Scripturæ & Patrum, inprimis Augustini, & qvicunq; contra Pelagianos disputarunt, testimoniis. Nihilominus tamen cum Scriptura & Patribus Orthodoxis admittebant hominis vires ut instrumenta, imo & post acceptam gratiam, ut causam subordinatam sociam & cooperantem; ita tamen, ut homo hanc cooperandi vim soli Deo acceptam ferat, & sic non habeat de qvo glorietur. Ita etiam agnoscebant differentiam inter instrumenta inanimata, & inter hominem, anima & ratione præditum; Nam etsi ratione Dei operantis hominem non aliter considerarent, qvam ut Lutherus (loco alibi citato) scripsit, *ut ferrum in manu hominis eam habentis*; in *Passivitate* tamen illa capacitatem agnoscebant, non recipiendi saltem operationem & gratiam Dei operantis, sed & talem qvæ non sit saxum aut stipes, sed qvæ sentiat opus operantis, qvæ resistere possit, & qvæ accepta vi & efficacia divina, postea etiam cooperetur. Hæc itaqve est manerqve doctrina, qvam tunc Lipsiæ propugnarunt, deinde magis magisqve excoluerunt Wittenbergenses, qvamqve stylo Melanchthonis Augustæ confessi sunt, *Art. XVIII.* ejusqve *Apologia*, & qvam eorum successores hucusqve defenderunt. Videatur Chemnitius in *Examine*

mine Concil. Trid. Artic. *de libero arbitrio,* ubi difficultatem, qvæ ex consideratione subjecti recipientis objici solet, solidissime explicat, allata Scholasticorum doctrina, qvi dicunt *mere passive* se habere, *qvæ ex se ad productionem formæ nullam habent activitatem.* Lutherus ergo (ait) usus Scholasticorum phrasi, sententiam illam ita explicavit, qvod *mere passive* se habeat. Et tamen non docuit sine cogitatione mentis, & consensu voluntatis fieri conversionem, sed hoc voluit: Deum eos qvos convertit, trahere volunt artibus eorum, qvas ipse in illis per Spiritum S. operatus est, sicut Augustinus loqvitur. Nihil igitur incommodi habet illa phrasis, si recte intelligatur. Sed constituta de rebus ipsis vera sententia, de modis loqvendi facilis potest iniri ratio, ut scilicet sine ambiguitate, rem ipsam proprie, commode & perspicue explicent. Interim bono & sano illo sensu, phrasis ista (mere passiva) in Formula Concordiæ, qvam vocamus, retenta est, nec satis gravis causa fuit, ut ab ea discederetur. Vide D. Scherzer, in *Syst. Theol. Loc. VII. §. IX. p. m. 159.* Addam locum ex Theologi nostri, partium clariss. *Leonh. Hutteri Locis Theol. f. 282.* ubi format qvæstionem: *Num post lapsum in homine ita vires omnes sint fractæ, imo extinctæ in spiritualibus, ut nulla prorsus ἱκανότης, aptitudo sive capacitas remanserit?* eamqve sic decidit: Vocabula isthæc gemino sensu possunt accipi, *activo* nimirum & *passivo: Activo* tum, si per aptitudinem & capacitatem talem intelligas facultatem ἐνεργητικὴν, qva homo ex se possit apprehendere oblatam in verbo prædicato gratiam conversionis. *Passivo* vero si homo statuatur esse subjectum παθητικὸν, qvod sit habile ad recipiendam conversionem, sive aptum ad conversionem. Qvalis passiva capacitas sive aptitudo in truncum aut lapidem non cadit, qvorum neuter est ἱκανὸς aptus, sive δεκτικὸς capacitatis. Et posteriore sensu B. Lutherus noster homini *recte tribuit capacitatem*, hoc est, δυνάμιν παθητικῶς se habentem: sic scribens in defensione contra Eccium: *Qvando Patres liberum arbitrium defendunt, capacitatem illius libertatis prædicant, qva ipse converti possit ad bonum per gratiam Dei, & fieri revera liberum, ad qvod creatum est* &c. Cæterum de hac passiva capacitate h. l. non controvertitur; sed tantum de activa illa, qvam (ut ad propositum ζήτημα respondeamus) homini non renato usqve adeo in solidum denegamus, ut ne qvidem illud ipsi largiamur, qvod aliqvibus nominare placuit, *modiculum.* Hæc Hutterus. Nuperrime qvæstiones has-

ce

ce solidissime & pro solita modestia & insigni pietate sua tractavit. Theologus summi loci & nominis *D. Philip. Jacob. Spenerus* in laudatissimo opere *contra D. Joh. Brevingium*. Liceat mihi ex Germanico latine versa qvædam adscribere, speciatim ubi de operatione Dei & de viribus hominis agit. *C. VI.* Ostendit ibi, in qvo hodie discrepantia inter Romanam Ecclesiam & nostram post tot tamqve diuturnas disputationes adhuc hæreat & versetur. Deinde monet primo illa *canonis IV. Conc. Tr. Sess. VI.* verba nos non tangere, qvibus condemnantur qvi negant liberum arbitriū dissentire aut resistere Deo excitanti & operanti posse, id enim nos qvoqve (ait) concedimus imo docemus, liberum arbitrium per se & absqve gratia victrice, nihil posse qvam malitiose & pertinaciter resistere. Deinde qvoad explicationem phrasis, qvæ dicto canone damnatur, qvod homo se habeat *mere passive*, ad Chemnitii locum provocat qvem adscripsi. Pergit, si verba Canonis (qvo asseritur liberum arbitrium a Deo motum & excitatum cooperari, & excitanti & vocanti Deo assentiri, & ad obtinendam justificationis gratiam se disponere & præparare posse) ita accipiamus, ut voluntas nostra cooperetur, dum gratiam vocantis Dei acceptat, & qvod pœnitentia & fides sit actus voluntatis, ita ut dici possit, homines pœnitere credere, qvod non diceretur, si plane nullus voluntatis motus deesset; possemus utiqve hoc sensu verba illa ferre. Verum enim vero qvia error in decreto isto latet, qvod vis & potentia qvædam ad bonum in voluntate superstes manserit, qvæ a Deo saltem excitari, non autem ab integro conferri & donari debeat, assentiri decreto illi non possumus. Id enim eo tendit, ut voluntas non ita solum concurrat, & ipsa sit, qvæ id velit: qvod gratia operata est, ut veller, sed qvod in ea naturalis potentia sit, qvæ eodem plane modo, qvo bono potest resistere, ita oblatæ gratiæ & vocationi assentiri valeat. Hinc enim liberum vocant arbitrium, ut ipsum sit qvod ad gratiam se præparet, non qvod per gratiam præparetur. Hinc tanta vehementia disputatur (*Can. V.*) non esse amissum & extinctum: ubi sane non agitur aut ambigitur de potentia *volendi aut nolendi in se*, sed de potentia *volendi bonum ex sua natura*. Si itaqve hæc est sententia concilii, seqvi eam tenentur omnes qvi Romanæ Ecclesiæ fidem profitentur. Qvanqvam cordicitus optemus ut agnito hoc errore, nobiscum secundum verbum Dei crederent, totum pœnitentiæ opus qvoad efficaciam solius Dei esse. Aliqvando

do certe verba illorum, si non accuratissime expendantur, id videntur asserere. In §. *seqventi 13.* qvæstionem *de merito congrui* qvod Scholastici statuunt, eoqve contritionem & præparationes conversionis trahunt, mitiores phrases Bellarmini & Becani, maxime Wallenburchiorum, allegat, qvi statuunt opinionem illam non esse de fide Catholica, *qvia* (ajunt) *nec Concilium Tridentinum nec aliud generale eam qvæstionem definivit; & negantem sententiam cum multis aliis tenet Alvarez.* Monet vero per dispositiones & præparationes in Concilio Tridentino nihil aliud intelligi qvam *meritum congrui*, qvamvis duræ & odiosæ hujus vocis mentione Patres Tridentini callide abstinuerint, atqve ita ad minimum libertatem reliqverint meritum congrui statuendi. Videmus itaqve in hac ipsa materia memorabile sophismatis exemplum, tantoqve minus Eccium ab ejus culpa absolvere poterimus.

Extat in *Bibliotheca Paulina Lipsiensi* Epistola uti vocatur exegetica, cujusdam *Joh. Ulrici Schultherr.* monachi (ut alibi legisse memini) Benedictini, ex monasterio S. Haimerani Ratisponensi, qvem *Johannes Faber* Vicarius Generalis Constantiensis Eccio comitem dederat. In hac refutat alterius monachi Posaviensis *Matthæi Hiscoldi* (qvem tamen ex monasterio profugisse dicit) relationem de disputatione Lipsiensi, qvam jussu Degenhardi Pfeffingeri edidisse dicebatur. Sed Ratisponensis non tantum magnam ruditatem Hiscoldo, sed & falsa plurima imputat, & qvamvis judicium suum videatur suspendere, idqve ab Academiis expectandum esse dicat, mire tamen extollit Eccium, qvod annum ætatis trigesimum tertium vix egressus, in octo Academiis disputando magnum nomen adqvisiverit, & non a memoria tantum, sed & Scripturæ & Patrum notitia & a modestia celebrandus sit. Producit etiam magnificum testimonium a Theologica facultate Lipsiensi Eccio datum d. 5. Julii, in qvo illum *strenuum pugilem, in omnem partem* armatum nominant, ejusqve *memoriam, alacritatem*, & ut ex *Scriptura sententias suas confirmaverit*, commendant. Carolostadium tamen etiam & Lutherum *egregios & eximios viros* vocant. Inter alia vero de distinctione illa inter *totum* & *totaliter* postqvam Eccii exempla retulisset, subjungit monachus: Addo qvando duo socii vel fratres possident fundum pro individuo, tunc fundus est totus cujuslibet, qvum ante divisionem nullus eorum dicat, hæc medietas mea est. Sint

ergo duo duces fratres regentes individue provinciam, hi conferunt cuidam nobili feudum castri, neuter eorum medietatem confert feudi sed qvilibet totum, neuter tamen totaliter, verum ambo simul. Adducebat tunc Eccius noster pertinentissime Beatum Bernhardum *de Lib. Arbitr.* loqventem de bono opere. *Qvod a sola gratia* cœptum est, *pariter ab utroqve perficitur, ut mixtim, non figillatim; simul, non vicissim, per singulos profectus operantur, non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt totum qvidem hoc, & totum illa, sed ut totum in illo, sic totum ex illa, nihil Hercle manifestius.* Hæc monachus. Jam si locus Bernhardi recte consideretur, apparebit illum de operibus hominis post acceptam gratiam agere, ut adeo mirum non sit convenisse de hoc inter disputatores: sed id non erat, de qvo controvertebant, sed de viribus hominis naturalibus, de qvibus probare debuisset Eccius, eas in perficiendo opere bono ita concurrere, ut Deo *efficientia toca & totaliter* adscribi non posset. Hoc vero per adductas comparationes Eccianas minime demonstratum est; multo minus per crassam illam Monachi, qvo Deum & hominem in communionem causæ principalis, ut duo principia, conglutinat. Si enim de operatione ante gratiam id intellexit, plusqvam Pelagius insaniit; si post eam, ne sic qvidem scopum feriit. Bernhardus enim etsi de mixta sive individua actione loqvitur, hominem tamen ut *subjectum*, gratiam vero ut *causam efficientem* considerat, qvod patet ex verbis: *Non operantur partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt, totum qvidem hoc, & totum illa, sed ut totum in illo, sic totum ex illa.* Et ab initio dixerat: *qvod a sola gratia cœptum est, pariter ab utroqve perficitur.*

Superest deniqve *Joh. Cellarii*, Prof. Lingvæ Hebraicæ Lipsiensis ad *Wolffgangum Fabricium Capitonem* relatio de disputatione, pridie Cal. Augusti scripta, in qva etsi medius inter partes esse velit, propendet tamen ad Ecciu m, sed de distinctione illa hæc refert: Rediit itaqve manus Carolostadius, leges disputantium observans (in fructus tamen multis libris) & docte in medium adduxit. *Totum bonum opus esse a Deo*, qvod Eccius admisit, qvia simul agant gratia & liberum arbitrium individuo opere secundum Bernhardum, mixtim, non figillatim vel divisim; at per hoc non dici debere: *liberum arbitrium non agere*, qvoniam etsi Deus ageret totum non tamen totaliter; per qvod con-

concursus alterius causæ negaretur. Caroloſtadius fortiter oppoſuit, qvia ſancti Patres non ſic eſſent locuti. Qvod diluit Eccius, qvia diſputatio de nominibus eſſet pertinacibus relinqvenda, conſtare ex ſanctis Patribus opus bonum eſſe totum a DEO, & tamen liberum arbitrium agere illud, hoc ipſe rotunde enuntiavit per *totum* ſed non *totaliter*. Ex qvibus idem qvod dixi colligi poteſt, aberratum nempe a ſcopo fuiſſe, non ſatis liqvide conſtituentibus an de homine ante gratiam ſive poſt eam operante agerent.

Fatendum eſt, cautius qvam Eccium aliosqve Synergiſmi aſſertores loqvi aliqvos, ex adverſa etiam parte, ita ut ſi aliunde non conſtaret qvæ principia, ad ductum Concilii Tridentini qvidam ſeqverentur, qvi hodie de gratia & libero arbitrio ſcribunt, cogitari aliqvando poſſet, nullam aut exiguam de hac materia controverſiam ſupereſſe. Prodierunt ante paucos annos lingva Gallica *D. Alberti, Epiſcopi Auguſtæ Prætoriæ in Subalpinis* (Aoſte, S. Val' d' Aoſte) *Litera Paſtorales*, multa cum eloqventia & eruditione ſcriptæ, etiam Pontifici & Cardinali Cibo probatæ, qvibus pleræqve dedicatæ fuerant. Verum eſt, autorem, ubi de libero arbitrio tractat *Part. II. ep. 1.* inhærere Scholæ ſuæ placitis, dum liberum arbitrium idem facit ac ipſam voluntatem, & in hac imaginem Dei conſtituit, cætera hominis ante lapſum bona pro ſupernaturalibus & accidentalibus habens. At ubi practice & in ſpecie de gratia, bonum in homine operante, agit, itemqve de fidei efficacia, ea tradit, qvæ multum ab Eccii & aliorum *congruiſtarum* ſtylo diſcrepant. Vide *Part. III. Edit. Lugd. 1681. Ep. VI. p. 155. & ſeqq.* ubi inter alia ſcribit: Ex meo conſilio ſcriptores & prædicatores magnum Deo exhiberent ſervitium, & animabus, qvas Chriſtus ſuo redemit ſangvine, ſi libris & concionibus ſuis Chriſtianos exhortarentur, ut indefeſſo ſtudio bene agerent, neqve ſe inqvietari vanis curioſitatibus paterentur, per qvas de modo & natura boni, qvod faciunt indaganda magis ſolliciti ſunt, qvam ut operentur cum humilitate, & fiducia in providentiam Dei. Hoc conſilium nobis dat Spiritus Sanctus per os Apoſtolorum & Prophetarum. Addit dicta *II. Petr. I. 2. & ſeqq.* itemqve alia. Præclara etiam ſunt, qvæ *Lib. I Ep. V.* de characteribus veri & falſi Chriſtiani commentatur, nam etſi fidem ad notitiam myſteriorum divinorum reſtringere videatur, & illam a charitate moveri dicat, intelligit tamen charitatem Dei, qvæ fidem moveat,

sive ipsam gratiam, qvam Augustinus vocat *inspirationem dilectionis*, ut
» patet ex iis qvæ habentur *pag. 123*. Fides est lumen supernaturale, sicut
» ratio hominis est lumen naturale: itaqve fides aliqvo modo est res pe-
» regrina, divina qvippe, & ut ita dicam, insititia & implantata animo
» hominis. Qvantumcunqve tamen hac luce illuminatus homo, & super-
» naturaliter hoc spiritu animatus, non tamen habet nisi vitam Christi-
» ani essentialem, cui sola fides sufficit, ut Christianus denominetur,
» sed opus ei est vita accidentali ad agendum, & ad applicandam fidem,
» qvam habet de mysteriis spiritualibus. Voluntas ejus naturalis, qvæ
» veluti cor aut centrum est animæ, non potest ei motum supernatura-
» lem dare, qvia saltem est potentia naturalis, indiget ergo inspiratione
» a Deo & dono cordis supernaturalis: qvemadmodum jam dedit spiri-
» tum sive intellectum supernaturalem dum fidem dedit, & hoc cor su-
» pernaturale est charitas, qvæ fidem movet in homine & activam red-
» dit. Ita explicat dictum Pauli *de fide qvæ per charitatem efficax est*.
Qvod Lutherus utiqve simplicius & verius, eodem tamen & scopo & effectu docet, qvod fides non solum notitiam de mysteriis fidei & qvidem divinam, sed & assensum & fiduciam habeat, & causa sit justificationis instrumentalis, qvæ, dum apprehendit meritum Christi, sola faciat & denominet (qvod fatetur Episcopus) *Christianum essentialem*; deinde qvod fidei hoc supernaturali dono justificatus homo, inseparabiliter & incessabiliter per charitatem sive in charitate a Spiritu Sancto in corda credentium effusa, efficaciter operetur: Neqve minus verum est, per gratiam qva homo convertitur, charitatem erga Deum simul animo inspirari, qvod Lutherus cum Augustino contra eos, qvi terrores & contritionem sive attritionem solam docebant, semper asseruit. Apparet interim etiam ex Episcopi illius doctrina, omnia illa bona esse supernaturalia & a Deo data, & *potentiam illam naturalem*, qvam solam in homine absqve gratiæ auxilio, agnoscit Episcopus, in causæ principalis & efficientis dignitatem & gradum evehi non debere, sed revera esse *capacitatem recipientem*, & vi gratiæ divinæ agentem, adeoqve si cum hujus virtute & activitate conferatur, non nisi *passivam & subjectivam*, id qvod asserebat cum Carolostadio Lutherus & Philippus.

Dum ista scribo, occasio mihi nascitur pervolvendi libros nuperrimos *Arnaldi* & *Malebranchii*, duorum inter Gallos Theologorum cele-

celeberrimorum, qvos notum est, jam ab aliqvot annis *de Natura & Gratia* disceptare. Et Arnaldus qvidem Jansenii sententiæ de gratia efficaci insistens, eorum qvi Molinistæ vocantur, tradita vehementer oppugnat. Sed Malebranchii hypothesin sive systema, ex Cartesiana Philosophia productum nihilo magis probat, nec a Pelagianismi contagio plane absolvit. Qvomodo vero in novissima contra Malebranchium tractatu, *Libri* nempe *II. Reflexionum* anno 1686. Coloniæ editi, *cap. 29.* operationem Dei in homine eleganter & emphatice describat, digna æstimavi, qvæ ex Gallico versa huc apponam. Præmittit qvædam ex libro Anonymi, *Essais de Morale*, *Specimen moralis disciplinæ* dicto. *Vol. 3.* qvomodo Deus etsi absolute possit, ordinate tamen & per media conversionem & salutem operetur, his verbis: Non ignorabant magni illi & sancti viri ex Patribus, qvod a Deo expectari debeant omnes virtutes, & qvod sit causa omnium bonarum actionum, qvas Christiani faciunt. Sciebant Deum esse dominum cordium, & qvod in iis omnia qvæ vult invincibili & omnipotenti efficacia operari valeat: interim nobis regulas præscripserunt & exercitia, qvalia Philosophi proponerent, qvi virtutem propriis viribus acqvirere prætendebant. Volunt cogitationibus sanctis animum nostrum semper occupari, jubent indesinenter legere verbum Dei, a mundo semotos vivere, corpus labore & mortificatione in servitutem redigere, occasiones infirmitatum & lapsuum vitare, passionibus nostris omni conatu continue resistere, vitam uniformem, regulatam, laboriosam, & ad certas actiones adstrictam gerere. Sciebant tamen perfectissime Deum nobis majorem gratiam etiam absqve exercitiorum illorum impositione dare posse; sed simul sciebant, ita regulariter ab illo provisum esse, ut nobis non concedatur nisi post exercitiorum illorum seriem, & in illis ipsis exercitiis, & qvod prius animabus gratiam largiatur, ut ea exerceant, per qvæ postmodum ad virtutes illas perveniant, ad qvas illos elevare desiderat. Neqve enim minus autor est actionum, qvas in illis operatur ad acqvirendas virtutes, atqve virtutum ipsarum, qvas per actiones illas acqvirunt. Ita veritas combinat, qvæ pro contrariis habent, qvi eam non perfecte cognoscunt. Omnia dependent a Deo, ergo (dicebant qvidem hæretici) laborandum non est. Laborandum est: ergo (replicabant Pelagiani) Virtus non est ex gratia. Doctrina autem Catholica unit has ve-

» ritates, & rejicit, falsas conclusiones, Laborandum est, dicit, & ni-
» hilominus omnia dependent a Deo. Labor est effectus gratiæ, & est
» etiam medium ordinarium ad obtinendam gratiam. Præsumtio Pe-
» lagiana est, si qvis non credat, laborem & virtutes esse dona Dei. Sed
» media, qvibus Deus ordinarie utitur ad communicandam hominibus
» gratiam suam spernere, id esset tentare Deum, & ordinem sapientiæ
» ejus pervertere. Ita vera pietas consistit in hoc, ut media illa exer-
» ceamus, & tamen agnoscamus Deum esse, qvi nos ea exercere faciat.
» Hic postea subjungit Arnaldus: Satis apparet hunc discursum, qvem
» pro utilissimo & solidissimo habuerunt piæ mentes, prorsus fundatum
» esse in doctrina patrum. Certum enim & hoc est, sanctos illos credi-
» disse, Deum agere voluntate particulari (id qvod Malebranchius or-
» dinarie fieri negat) in corda hominum, in qvæ diffudit gratiam suam;
» credidisse etiam, Deum operationes suas divinas ordinarie celare, ita
» ut speciem habeant ejusdem viæ ad acqvirendas virtutes, qvibus uti-
» tur mundus ad acqvirendas qvalitates pure humanas, v.g. civilitatem,
» virtutem militarem, prudentiam politicam, artem parandi amicitias,
» affectus domandi, ex amore proprio. Negat inde *causam occasiona-*
lem (qva secundum adversarii sui opinionem homo determinet gene-
ralem Dei voluntatem) in homine qværendam esse, v. g. si desideret
& oret, aut mortificationem qvandam subeat, qvæ ab homine non a
» Deo dependeat. Neqve enim ex his duobus, *petite & dabitur vobis,*
» *vigilate & non succumbetis tentationi; humiliamini & humilitatis vir-*
» *tutem acqviretis*, prius ab homine est, alterum a Deo, sed utrumqve
» est a Deo. Pelagianum est, dicere initium esse ab homine, progressum
» ex Deo; ex nobis tamen est, qvia id facimus; ex Deo, qvia is est, qvi
» nos facit facere. Probat id ex dictis Apostoli, & ex Augustino. Con-
» cludit deniqve. Seqvitur hinc manifeste, qvod Deus non minus sit
» autor præparationum ad gratiam, qvam gratiæ, qvæ post illam præ-
» parationem seqvitur; precum non minus, per qvas gratiam petimus,
» qvam doni qvod illas preces seqvitur; vigilantiæ contra tentationes,
» qvam victoriæ contra easdem. Qvicqvid rationabiliter dici potest,
» hoc esset, qvod qvædam ex illis mediis considerari possint, ut *causæ oc-*
» *casionales* cæterorum: sed impossibile est, ut ullum illorum sit occasio
» vel *causa occasionalis* voluntatis divinæ: *omnium enim nullo excepto,*
» *causa principalis est voluntas Dei.* Ideoqve absurditatis manifestæ rei
sunt,

sunt, qvi ex his mediis argumentantur: Deum non agere in ordine gratiæ, voluntate particulari sed generali, qvæ determinanda sit ab homine veluti causa occasionali. Contradictio esset palpabilis: Si enim preces sunt donum Dei & effectus divinæ voluntatis, eædem etiam voluntatem Dei determinarent (sive applicarent ad hominem) & tunc voluntas Dei determinaret se ipsam, & unum donum alterum ad se traheret. Hæc & plura in eundem sensum Arnaldus, cujus etiam *Caput XXXII.* de gratia efficaci, (qvanqvam de ea ex sua docent hypothesi) legi meretur, in qvo *p. 398.* definitionem Augustini urget, qvod *gratia Jesu Christi sit inspiratio dilectionis, ut cognita Sancto amore faciamus.* Ubi in his locum habere possit Eccii distinctio inter *totum* & *totaliter*, & qvæ causa efficiens aut principalis aut socia ab initio, in bono opere homini adscribi possit, *si præparationes etiam a Deo sunt, si preces, si desideria, si vigilantia: si homo nihil boni vult, nisi Deus det velle, si nihil facit, nisi qvatenus Deus eum facere vult & facit, si homo tantum facit, id est, instrumentum est, animatum qvidem & voluntate sua voluntati Dei obsequens:* eqvidem videre me non posse fateor, multoqve minus, qva de causa Lutheri doctrinam tantis convitiis proscindant Maimburgius, Pallavicinus, & ejusdem sectæ innumeri alii, nisi Sophismatibus & cavillis indulgeant. Licet enim Jansenismi nomine odiosa sit Arnaldi sententia, non tamen damnata est Romæ, aut damnari potest, nisi simul plurimos Augustini sectatores ex Thomistis aliosqve in eandem censuram (qvod ne fiat sedulo cavetur) involvantur.

Nescio an non eidem Arnaldo tribui debeat libellus recentissimus Gallicus, in qvo *compendium historia de congregatione a PP. Clemente VIII. & Paulo V. in qvæstione de auxiliis gratiæ habita* exhibuit, addita relatione Latina *D. Gregorii Nunzii Coronel*, qvi congregationis Secretarius fuit. Certe in censuris adversus dogmata *Ludovici Molinæ* ita sæpe loqvuntur Prælati & Theologi ad disqvisitionem illam delegati, ut ab Eccii & qvicunqve hominis arbitrio & viribus plus justo tribuunt opinione, longissime videantur abesse. Unum saltem locum apponam, in qvo crassi istius Monachi, qvem supra nominavimus, assertum de causa socia sive partiali diserte rejiciunt, *p. 139.* Resolvit congregatio, secundum doctrinam Sancti Augustini contra Pelagianos & Semipelagianos, ex divinis Scripturis plene cumulateqve com-

» comprobatam, gratiam Christi efficacem esse prævíam, non pedisse-
» qvam, & influere in voluntates hominum bonum motum voluntatis
» eorum, atqve adeo bonum usum auxiliorum esse effectum gratiæ effi-
» cacis. Secundum vero doctrinam Molinæ, qvi negat gratiam adju-
» vantem esse influxum in voluntatem, & constituit, gratiam, & volun-
» tatem concurrere tanqvam duas causas partiales ad actus supernatu-
» rales, atqve gratiam efficacem, non ab omnipotentia Dei, & absoluta
» ejus voluntate, qvod docuit S. Augustinus, sed ex consensu liberi arbi-
» trii habere suam efficaciam: bonum usum auxiliorum esse ex sola in-
» nata libertate: qvod est omnino Pelagianum. Hæc utiqve & Eccium
feriunt, & Pallavicinum, qvi in Eccio defendendo Molinæ etiam caus-
sam agit. Cur vero ab annis octoginta, decreta illa qvæ duo Pontifi-
ces, eorumqve alter magno cum studio, nec exigua sancti zeli specie,
elaboraverant, imperfecta & inedita manserint, tanto magis mirari
licet, qvanto urgentior occasio dari videbatur, ante annos pene qva-
draginta, orto in Belgio & Gallia super *Cornelii Jansenii* Episcopi
Iprensis sententia immani dissidio, qvod Bullis Pontificiis Regiisqve
imperiis oppressum magis qvam extinctum est: ut adeo appareat, al-
tiores radices egisse Pelagianismum, qvam ut Pontificum autoritate
evelli possit. Cui copia est diarii a *Ludovico Santamorio*, Doctore
Sorbonico, anno 1662. editi, legat si placet, qvas ex MS. Augustiniani
qvod Romæ est Monasterii, in collectaneis *fol. 45.* apponit censuras
Prælatorum & Doctorum a Clemente VIII. deputatorum ad qvatuor-
decim propositiones ex Molina excerptas, qvas subscripserunt *Petrus
Lombardus* Archiepiscopus Armacanus, *Job. de Rada* Pactensis, *Jul.
Sanctutius* Agathensis, *Lælius Landus* Neritonensis, *Hieronymus Pal-
lantus* Bisontinus Episcopi. *Anastasius* Abbas Farsensis, *Job. Bapt.
Plumbinus* Augustinianorum Generalis, & is ipse *Nunnius*, qvi con-
tenta earum in libello, cujus memini, refert, denique *Jacobus le Bossu*
Doct. Sorbonicus: inter qvas decima hæc est, Eccio ejusqve encomia-
» stæ Schultherro, ut puto contradictorie opposita: Qvi dixerit Deum
» per auxilium gratiæ suæ, & liberum hominis arbitrium tanqvam du-
» as causas partiales se habere in negotio nostræ justificationis, ita ut
» una ab altera non promoveatur, nec ab ea virtutem agendi recipiat,
» errat. Eodem fasciculo *p. 173.* exhibentur responsa, Innocentii X.
jussu a consultoribus tredecim de qvinqve propositionibus Jansenia-

nis

nis consignata. Inter hos primus fuit *Sforzia Pallavicinus* Jesuita, postea Cardinalis, sententiæ Molinianæ, qvanqvam caute & multa cum moderatione accedens; cæteri pleriqve, etsi Jansenii sen'um, qvem supponebant, damnent, Molinismo tamen adversantur. Producitur etiam scriptum *Dominicani* cujusdam ad informationem Cardinalis cognomento *Roma* elaborato, *p. 79. & seqq.* in qvibus inter alia *p. 81.* autor iste de controversiæ illius momento hæc scribit: Agitur itaqve de summa rerum, & qvod olim dicebat, in hostem conflicturus Imperator, *Hodie in uno orbis angulo de totius imperio dimicatur:* agitur, inqvam, in uno articulo de totius corporis salute & vita; de tota dico fide sacrosancta, qvam in causa liberi hominis arbitrii, gratiæ Christi medicinalis, & gratuitæ Sanctorum prædestinationis a Paulo gentium doctore assertam, a Pelagio & Massilienſibus impetitam, acies Ecclesiæ per viginti & amplius annos Augustino Doctore fortiter dimicans illæsam vindicavit. Deliteſcit enim tota in hac una propositione, qvæ sedis Apostolicæ judicium hodie præstolatur, ut cum hac stante stet tota, cum hac cadente tota concidat. Si enim damnatur propositio Jansenii, asseritur eo ipso gratia Molinæ, qvam solam propositio negat, & solam Jansenius impugnat; pro gratia Christi humanorum cordium victrice & domina, stabilitur gratia creatæ voluntatis serva & pedisseqva; libero arbitrio humano bonorum operum gloria adscribitur; prædestinatio Sanctorum non jam ex vocante, sed ex operibus prædicatur; electorum salus æterna non amplius miserenti Deo, sed volenti & currenti homini plenissima deputatur; atqve ut uno verbo concludam, pro solidissima & sacratissima ac per omnes Ecclesiæ ætates usqve ad Molinam celebrata fidei doctrina, qvæ abjicitur, nova Massilienſis farinæ molitura cum sui remolitoris Molinæ novis & pejoribus paraturis in Ecclesiæ sanctuarium importatur. His non obstantibus *Innocentius X.* Pp. propositiones Jansenii anno 1653. prid. Cal. Junii damnavit. Idem fecit *Alexander VII.* 17. Kal. Nov. 1657. acerbe conqverentibus Jansenii defensoribus, qvi & affictum ei stylum & sensum, & Augustinum ipsum in Jansenio damnatum esse contendebant, multum vero gloriantibus ex adverso Jesuitis. Sed ista ex editis ejus controversiæ occasione libris petenda sunt, & compendiose retulit *Joh. Henricus Heideggerus* Theologus Tigurinus clarissimus, *historia de Papatu §. 245. & seqq.* Ita tamen concepta est condemnatio Pontificia, ut utraqve dissentientium pars, si velit, sententiam aut approbatam

bitram aut intactam esse causari possit. Cavent sibi nempe Pontifices, ne factiones monasticas offendant, qvarum potentiæ, ut dudum Erasmus notavit, impares sunt. Insigne exemplum idem Alexander VII. dedit, edita anno 1667. d. 7. Maji Bulla, in qva circa aliam, ex disputatione de auxiliis tamen dependentem qvæstionem inducias indixit, liberum & a censura immune pronuncians, num aliqvalis dilectionis Dei necessitas in attritione ex metu gehennæ concepta negetur, an requiratur. Vid. *Heidegger. d. l.* §. 297.

Finiam hanc digressionem de magno fidei Christianæ articulo, ex cujus vera cognitione multa pendent, illustrissimo exemplo *Friderici Electoris Saxoniæ*, illius nempe, de qvo in hoc opere toties mentio facta est. Hujus pietatem & studium sacræ Scripturæ his verbis (Latine redditis) narrat in *vita ejus MS. Spalatinus*. Qvanto amore, qvanta diligentia, qvanta devotione Elector hic verbum Dei prosecutus sit, neminem latet. Etiam anteqvam Deus pro ineffabili sua bonitate & misericordia doctrinam de divina sua & paterna dilectione & gratia denuo prædicari, & mundo illucescere fecisset, multum illi displicuit, qvod tam male tractaretur verbum Dei. Orta dein qvadam per Dei gratiam Evangelii luce, dixit ad me (*Spalatinum*) se semper speravisse, fore, ut de fide puriorem cognitionem simus habituri. Interim conciones libentissime audivit, nec minus lubenter legit verbum Dei, Evangelistas præsertim, ex qvibus multa egregia & consolationis plena dicta in promtu habebat, & utiliter applicare noverat. Imprimis & ante omnia allegabat dictum Christi *Joh. XV. sine me nihil potestis facere*: & ex eo adversus libertatem arbitrii, qvam jactabant probe argumentari noverat, etiam prius qvam *Emsmus Roterodamus*, miseram illam libertatem adversus verbum Dei scriptis plurimis asserere auderet. Dixit mihi aliqvando, *qvomodo liberum arbitrium habere possumus*, cum Christus ipse dicat, *sine me nihil potestis facere?* Hæc Spalatinus. Nemo credat sapientissimum, omnium testimonio, nec indoctum principem, necessitatem Stoicam asseruisse, aut voluntatem hominis naturalem, ejusqve propensionem ad bonum naturale negasse. De illo bono loqvebatur, qvod Christo unice acceptum est ferendum, qvod sine Christo neqve cognosci neqve appeti, neqve obtineri potest; & ad qvod corrupta hominis natura per se nihil potest.

Ad §. LVII. *Prudentiam Episcopi Merseburgensis*) *Adolfus* erat,

ex

ex Anhaltinorum Principum familia, jam alibi memoratus, senio tum gravis, moribus ad clericam disciplinam satis compositis, avaritiæ tamen & sanctitatis affectatæ a Luthero non semel inculpatus. Hic ex fundationis legibus *Academiæ Cancellarius* erat. Cæterum qvibus rationibus *Georgius* Saxon. Dux longe aliud qvam Pallavicinus sentiens, Episcopum & Academiam ad permittendam disputationem moverit, ex tenore Epistolæ a *Zacharia Schneidero in Chronic. Lipf. Lib. IV. pag. 165.* relato, agnoscere non pœnitebit: Mirari se scripsit, cur Episcopus a veteri laudabilium majorum & Ecclesiæ patrum, in controversiis religionis usitato more veritatem explorandi tantopere abhorreret. Expediret certe ut nuper mota qvæstio examinaretur, an animæ defunctorum illico in cœlum ex purgatorio evolarent, cum nummus pro indulgentiis in pelvim projectus sonaret: & annon plebs misella pecunia hoc modo defraudaretur. Videri episcopum plus justo hominibus nihili, inflatis tamen patrocinari, qvi militum pavidorum more ante pugnam feroces, canentibus signis fugam capesserent. Veterem consvetudinem esse controversias disputatione inter partes examinare. Si errarent Theologi, neqve Papæ neqve Ecclesiæ displicere posse, ut corrigerentur. Si bonam causam haberent, & ab adversariis industria dialectica vincerentur, supersse provocationem ad Pontificem. Publicum hoc colloqvium non nociturum esse recte sentientibus, nec Romanum Pontificem aut Cardinales invidere posse laicis, ut in capitibus, qvæ ad omnium hominum salutem spectarent, recte instruerentur. Theologos qvi disputationem recusant, contra officium facere, contraqve prærogativam, qvam officii intuitu in consessibus publicis ante omnes obtinerent; hanc defendere & tueri eos debere; alias satius fore ut stipendia eorum ad alendas vetulas & pueros impenderentur, ex qvibus reipublicæ plus commodi sperari posset, majusqve obseqvium Magistratibus adhiberi, qvam a Theologis inertibus: fœminas sane fila ducere aut cantu delectare auditores posse. Consideraret pro prudentia sua Episcopus, qvid molossus ovibus prodesset, qvi nec latrare nec lupum aggredi auderet: petere se ne pigros illos rueretur, sed noctuas lucifugas ad certamen in lucem produceret, ut faciant, qvod pro officio aut munere suo deberent; neqve enim prohibitum esse a Pontifice, ne adversus hæreses pro veritate Christia-

„ na pugnarent. Catholicos esse, nullum ab iis si veritatem mascule
„ tuerentur, periculum aut præjudicium Ecclesiæ aut Academiæ timeri
„ posse. Qvod si nec Episcopi nec sua, ut Principis, autoritate permo-
„ veri se sinerent, contumaciam illam apud omnes rerum intelligentes,
„ argumento fore, non esse illos theologos, sed illusores populi, qvi sen-
„ tentias suas nec producere nec tueri possent aut vellent. Si tergiver-
„ sari pergerent, se edicto proposito coram Deo & orbe protestaturum
„ esse, se nihil intendisse, qvam ut per hoc medium de controversia recte
„ judicari, & veritas erui posset; Theologos vero ex ignorantia & ru-
„ ditate disputationem declinasse, & ne fieret, manibus pedibusqve la-
„ borasse. Qvæ inde gloria in Ecclesiam & Clerum redundatura, & ad
„ posteros perventura sit, cogitaret Episcopus. Rogat tandem ut se
„ virum, & ipso facto & opere Episcopum ostenderet. Hæc profecto
si non dura, mascula utiqve & salsa sunt. Fabricius qvi contenta il-
lius scripti *Lib. VII. p. 861.* aliis verbis, sed eodem sensu retulit, Theo-
logos acqvievisse nec hiscere ausos esse memorat. Attamen non at-
tenta seria ista Principis cohortatione statim atqve d. 17. Jun. Witten-
bergenses urbem ingressi essent, mandatum Episcopi nomine valvis
Ecclesiæ affixum fuit, qvo sub pœna excommunicationis disputatio de
religione inhibebatur. At senatus jussu Principis non refigere saltem
illud, sed & eum qvi affixerat in carcerem conjici jussit.

Ad §. LXII. *Forma epistolæ*) Edita est hæc non adscripto die,
sed post Lutheri librum adversus Emserum, mense Septembri publica-
tum, & legitur *Lib. I. ep. 117.* & *Tomo I. Lat. Jen. fol. 378.* Multa in-
hac valde notabilia sunt: stylus Melanchthoniano simillimus est. In-
genium Eccii expurgatione illa mire denudatum esse scribit & læta-
„ tur, his verbis: Hucusqve misera & inqvieta vexatus sum conscientia,
„ præcepto Dei confixa, qvo non licebat libere de te sentire, & dicere,
„ qvæ tot argumentis mihi movebantur, tot virorum integerrimorum
„ testimonio firmabantur: tam valide mihi obstabat, præsertim in pu-
„ blico, species illa tua & simulatio speciosissima; qva amicum Lutheri,
„ veritatis sincerum & apertum amatorem, te passim venditabas. At
„ bene habet! Expurgatio tua, velut medium Comicum, has omnes tur-
„ bas dispulit ac sedavit, qva omnibus qvalis fueris & sis, palam ostendis.
„ Ea sane paucula, qvæ ceu perizomata contexis, qvibus modestiam cha-
„ ritatemqve etiam cum juramento tibi affingis, talia sunt, ut crimina-

tio-

tionum tumultibus & tempestatibus collata, qvendam ridiculum Struthionem referant. Hujus enim animantis eam ferunt esse stultitiam, ut se totam credat tectam esse, si una fronde collum texerit. Ita & tu totus criminatio & impatientia, uno & altero verbo te rotundæ modestiæ & charitatis exemplar proponis. Circa liberum arbitrium & gratiam statum qvæstionis nervose proponit: Attende itaqve qvid qværam: Has propositiones Carolostadii duas, nonne obtulit defendendas? *Liberum arbitrium ante gratiam non valet nisi ad peccandum. Liberum arbitrium sine gratia tanto citius propinqvat iniqvitati, qvanto fortius intendit actioni.* Verum ne hic dico? Qvid autem amicus veritatis zelosissimus & apertus impugnare veneras nisi errores? Sic de teipso jactas. Falsas ergo has propositiones tenebas & teneri volebas. Si enim veras putabas, cur impugnabas veritatis defensor? At in media disputatione veras esse concessisti, libere pronuncians, *liberum arbitrium sine gratia non posse, nisi malum facere.* Addebas; nec Scholasticos Doctores unqvam aliud docuisse: ob idqve negabas te Scotum & Capreolum tueri. Hæc dico, non timens tuos Lipsienses; qvos toties mihi frustra intentas: testis est horum omnium totum auditorium. Ego sane hæc audiens, gaudebam, tam cito te rediisse in viam, atqve jam totius disputationis finem esse ducebam: qvando ex hac rei summa fere omnia pendebant. Hæc itaqve rei summa est, qvam nunc agimus: qvare & epistolæ meæ rationem audi. Ego eum disputatorem vinci judico, qvi id asserat, qvod prius impugnaverit. Ita pronunciavi & pronuncio, Eccium victum, Carolostadium victorem, & hoc ad nobilissimum Virum Pyrcheymerum Nürmbergensem scripsi, staturam victoriam Carolostadio: & illud scheda publica, Carolostadium non fugitivum militem (sic eum tu traduxeras) venturum, victorem Ecciani erroris jam dudum. Omnia hæc vera sunt hodie qvoqve etiamsi judices aliud judicarent, qvod non spero. Defendit inde sententiam Hussi dividentis actus in bonos & malos, Scholasticos tamen ab hæresi Pelagiana excusat, qvia sententiam suam, *qvod liberum arbitrium ante gratiam dare possit actum sine peccato*, pertinaciter non proposuerint; ad effugium vero Eccii qvod actus ille non *malus*, sed non *meritorius* dicendus sit, hæc inter alia respondet: Ubi unqvam legisti, peccatum, malum, iniqvitatem, pro non meritorio accipi, nisi in tuis Pelagianis erroribus, Scripturæqve depravationibus? Qva Scriptura, qva ratione niteris? qvibus viribus defen-

» des, ne hæreticus hoc significationis jure fretus, neget peccatum in
» Scripturis contineri, sed omnia esse *non meritoria* contendat? Siccine
» illudis verba Patrum, qvæ etiam Scripturæ soles præferre? Ista est me-
» dulla, qvam me in dictis Patrum jactas non videre? Sic didicisti pro
» veritate disputare, ut aliud coram hominibus loqvaris, & aliud penes te
» intelligas? *Et postea:* Uror ego utrinqve nimis, & miserens tui & in-
» dignans tuæ maledictæ simulationi. Desine tu veritatem theologiæ
» qværere: abolita est fides tui: ad sycophantam tuum Aristotelem, im-
» piissimum inter philosophos simulatorem redi; qvi nunqvam id volu-
» it dicere videri, qvæ dixisset; magister hic tuus est dignissimus. O me
» miserum, qvod unqvam mihi contigit tecum esse qvippiam negocii!
Spiritus disciplinæ effugit fictionem, ut Sap. I. scribitur, & *in simplicitate*,
inqvit, *cordis qværite illum.* Addit in eam sententiam plura, & sinceritatem ei plane abjudicat, oratqve ut nihil posthæc secum rei habere velit, pœnitere etiam se libellorum contra eum scriptorum testatur, eum fraudes ejus nunc videat, & cur noluerit dicta sua a notariis excipi, nec Carolostadio permittere ut libris aut schedis uteretur, scil. ut negare aut aliter interpretari illa posset. Dixerunt (ait) mihi ante disputationem insigni autoritate viri: cave Luthere; experto crede, homo
» iste nihil nisi fictio est & simulatio. Non credidi eis, nec omnibus sen-
» sibus meis: licet Erasmi epistola & Udalrici Zasii apologia qvoqve ta-
» lem te mihi formarent. Et circa finem majusculis literis hæc propo-
nit: Si has propositiones veras esse concedis; Qvod liberum arbitrium
» ante gratiam non solum non meretur, sed etiam peccat damnabi-
» liter (audis, audis Ecci, ne simules) & propinqvat non solum ei, qvod
» est non meritorium, sed iniqvitati mortali, dum intendit actioni: vi-
» ctus es; & epistola mea vera est; Si negas aut concedere simulas: Pe-
lagianus es. *Zasius* ille cujus meminit, professor primarius Jurisprudentiæ in Academia Friburgensi fuit, vir celeberrimus, qvem Erasmus *Germanorum doctissimum, sanctissimum, candidissimum* vocat, & vix ullum alium majoribus prosequitur laudibus, Vid. *Lib. III. Ep. Erasm. 39. XII. 7.* ubi & Zasii ad Erasmum Epistola habetur *n. 6 XV. 19. XXIV. 10. XXV. 9.* Favebat is Luthero, ut ex Epistola inter Schwebelianas edita, & a Sculteto ad *annum 1520.* relata constat, in qva Lutherum *Theologorum Phœnicem* vocat, & scripta qvædam ejus, maxime *commentarium in Epist. ad Galatas* mire commendat, licet de potestate Pontificia

ficia nimis ab eo attenuata aliqvantum qveratur. Ea vero æqvanimitate commeruit, ut omnes ejus libri, doctiſſimi licet & excellentiſſimi, Rómæ in indicem librorum prohibitorum relati fuerint, *donec corrigantur.*

Ad §. LXII. fin.) Paralipomena de hiſtoria diſputationis ſubjicio. Dilata fuit ab ingreſſu Wittenbergenſium, ad diem decimum, intereaqve de conditionibus actum, de qvibus cum conventum eſſet, tam Wittenbergenſes qvam Eccius cum comitibus qvos hic Ingolſtadio & Erfurto, ille Wittenberga adduxerant, in collegium qvod *majus Principum* vocant, accerſiti a *D. Simone Piſtoris*, Juridicæ Facultatis primario, ſeu ordinario, oratione eleganti excepti fuerunt: inde in templum D. Thomæ (qvod prope arcem eſt) ſolenni proceſſione ſe contulerunt: poſt Miſſam arcem ingreſſi, ubi Dux cum filio Johanne & Georgius Anhaltinus Canonicus Mersburgenſis, tum puer duodecennis eos expectabant. Orationem ante diſputationis initium habendam conſcripſit, ita juſſus a Principe, *Petrus Moſellanus*, ſed pronuntiandam eam a puero qvodam eſſe qvibusdam videbatur, qvi morum innocentia & habitu Theologum referret; aliis hoc improbantibus *Ottoni Paccio* ex nobilitate aulica (de qvo alibi dicendum erit) id muneris injungebatur, ſed is morbo correptus exeqvi mandatum non potuit. Itaqve Moſellanus ipſe recitare eam adactus eſt, in conſeſſu Principis & totius auditorii. Exhortatus in illa eſt diſputatores, ut ad gloriam Dei & veritatem, poſitis affectibus reſpicerent. Extat oratio non ita pridem recuſa, ſed compendium ejus terſiſſimum inſeruit ex *D. Davidis Pfeiferi* Cancellarii olim Electoral. Sax. *MS. de Lipſia patria ſua*, *D. Henricus Hopfnerus* parentationi *D. Polycarpi Lyſeri* Jun. his verbis: Cogitarent, palmam in eo ſitam eſſe, ut absqve acerbitate & pertinacia ſuſcepta veritatis cœleſtis indagatio ſummi brabei loco haberetur: In palæſtra enim Theologica vinci humanum, vincere vero, humanarum virium non eſſe, atqve ideo nec victorem virtuti ſuæ tribuere qvicqvam poſſe; neqve victum ullum dolendi cauſam habere, qvod victo error, in qvem naturæ imbecillitate inciderat, ſic eripiatur: victor autem non ſuum ſed Dei negotium gerat, & qvod a Deo acceperit, id cum altero tantum communicet, ut victus nil, niſi qvod nocuerit, amittat: eoqve ipſo, qvod ab altero confertur, fiat melior: proinde & hac in parte vinci qvam vincere, pio & veritatis ſtudioſo

dioſo longe optabilius eſſe. Fabricius *Lib. VII. p. 862.* ex relatione D. Joh. Nevii, qvi diſputationi interfuit, narrat, Cæſarem Pflugium eqvitem auratum ſumma apud Georgium autoritate, alia gravi oratione diſputaturos ad ſtudium veritatis, moderationem & concordiæ adhortatum eſſe.

Meretur eruditione & pietate ſua *Moſellanus*, ut honorifica ejus mentio fiat. Natus erat in pago *Protegenſi ad Moſellam*, ſed a flumine ut notiori, ex more temporum, cognomen ſumſit: alias *Schade* vocabatur, excellentis ingenii & doctrinæ juvenis Profeſſor Græcæ Lingvæ, ſecundus poſt Richardum Crocum Britannum Lipſiæ circa annum 1517. conſtitutus, paris cum Melanchthone præcocitatis, ſed brevioris vitæ. Evangelicæ veritatis fautor fuit, ut ex ipſius ad Eraſmum epiſtola *Lib. VI.* & hujus ad illum *d. Lib. ep. 2.* colligi poteſt. Lutherus ad *Caſp. Bornerum*, menſe Majo 1522. ſcribens de hac Moſellani ad Eraſmum propenſione ita loqvitur: Salutabis Moſellanum, neqve ideo alienus ſum ab eo, qvod Eraſmi magis qvam mea ſectetur, imo dicito ei, ut fortiter ſit Eraſmianus: erit tempus, cum aliter ſentiet, interim eſt ferendus optimi animi ſenſus inferior. Monachi Paulini conſervarunt exemplum alius Epiſtolæ Lutheri ad Moſellanum datæ, qvæ diem non habet, cum vero illi inſcribatur, ut *Rectori Magnifico Lipſ. Academiæ* ejusqve anteceſſor proximus nominetur *Arnoldus* (is ſcilicet qvi *Weſſenfelderi* cognomen habuit & anno 1519. ſemeſtri priori, Academiæ Rector fuit) ſatis apparet epiſtolam iſtam anno 1519. ſcriptam fuiſſe: qvamvis Moſellanus poſtea iterum anno 1523. faſces Academicos geſſerit. In epiſtola illa Lutherus qveritur de maledicentia monachi cujusdam, qvem non nominat, ſed ita deſcribit, ut *Alfeldenſis* intelligi poſſit. Conteſtatur ſe omni ſtudio curare, ne Lipſienſis & Wittenbergenſis Academiæ in arma, ut loqvitur, ruant, dein ſubjungit: Hæc ſic tecum loqvor, Optime Petre, non qvod ulla ſcintilla mihi perierit mei in te amoris: imo hoc ipſo magis accendiſti, qvod te unum ſaltem oſtendis, qvi iſta ſentiat & odiat; ſed ut habeas qvod coram tuis de nobis reſpondere qveas. Jam res, vita, anima mea qværitur per veſtros, & miraculum cenſetur, ſi qvid vel mutiam. Tu optime vale & perſevera Petrus noſter. Ex Lutheri etiam literis anni 1518. *Lib. I. ep. 52.* ſcriptis conſtat, Moſellanum profeſſionem Græcæ Lingvæ Wittenbergæ ambiiſſe, eoqve nomine Spalatino com-

commendatum fuisse: Cur autem res exitum, non habuerit, non liqvet. Obiit Mosellanus anno 1524. 17. Kalend. Martii anno ætatis 31. Chytræus in *Chron. Sax. Lib. XI. p. 323.* versum in æde Nicolai Lipsiensi monumento insculptum memorat:

Μικρὸς ἐὴν ῥώμην οὗτος γνώμην δὲ μέγιστος.

Iste parvo corporis robore mente maximus fuit.

Id Epitaphiorum Lipsiensium collector *Stepnerus in paralipomenis*, in lapide sepulchrali extare notavit *n. 2216.* Sed elegantissimum Epicedium æneæ laminæ incisum, dignum omnino est, qvod hic locum inveniat, vel ob autoris gloriam, qvi fuit *Julius Pflugius*, postmodum Episcopus Naumburgensis, de qvo suo loco multa dicenda venient. Versus hi sunt:

Conditus exiguo jacet hoc sub marmore PETRUS,
Nobile cui nomen clara MOSELLA dedit.
Attica qvo primum hic audita interprete lingva est,
Cum docuit Grajo Teutonas ore loqvi.
Et Latiæ veterem Lingvæ revocavit honorem,
Nativumqve illi reddidit arte decus.
Ipsius eloqvium vivo Cicerone probasset
In medio qvondam Roma diserta foro.
Magna etiam coluit pietate oracula Christi,
Et sanctis studiis consona vita fuit.
Ipse sua vivens qvod spe votisqve petebat,
In gremio ut vivat da, Bone Christe, Tuo.

Julius Pflug, Præceptori Cariss. F.

Positum anno post natalem Christi M D XXXVI. Mense Julio.

Operæ etiam pretium est, elegantissimam multaqve pietate & gravitate scriptam Mosellani epistolam ad Birckheimerum, qvam Scultetus ex MS. erutam *Decadi* suæ *primæ* inseruit, hic conservare, in qva brevis & sincera de Lipsiensi disputatione relatio invenitur: Editum est nobis hisce diebus Lipsiæ rarum omnino & jucundum spectaculum. Nempe Theologorum insignium disputatorius congressus: de qvo non dubito, qvin plura scire gestias. Sed gravissimi morbi, qvi me totos qvatuordecim dies decumbere coegit, reliqviæ, non sinunt rem accuratius perscribi. Tum itineris molestiæ, qvod ex rei familiaris

negotiis ad Treviros institui, multum qvoqve alacritatis adimunt. Itaqve capita paucis tibi significabo. XVIII. Junii, qvi dies condictus erat, illustrissimi Principis mei Georgii jussu & sumptu, magnificum sacrum mane omnis generis musica adhibita in honorem sancti Spiritus cœptum. Qvo peracto Doctores peregrini qvi disputaturi erant, honestissima totius Scholæ nostræ pompa in arcem deducebantur. Ibi enim spectatissimus locus in auditorium erat, aulæis & tapetis, pulpitis, suggestisqve instructus. Hunc locum armatorum civium manus ita obsedit, ut non cuivis gregario (confluxit enim ad illud spectaculum magna vis hominum, doctorum pariter & indoctorum) aditus pateret. Huc ubi ingressum est & consessum, ipse conscenso suggestu, illustrissimi Principis mei nomine disputatores commonui sui officii, longa oratione differens de disputandi ratione, præsertim in re theologica. Qvam partem liberius fortasse tractavi, qvam ut omnium auribus grata fuerit. Princeps ipse, lectam orationem, antequam pronuntiaretur vehementer probavit. Hoc unum mirabatur: esse tam stultos Theologos, imo malos, ut locum facerent ejusmodi reprehensionibus. Eam orationem, Principis jussu editam, hic una mitto. Tu, si qvando vacabit, lege & judica. Sed ad rem. Posteaqvam ipse peroraram, tibicines pariter & liticines, tum cantores dulcissimo concentu canticum illud; *Veni sancte Spiritus*, ter modulabantur. Qvod ipsum ex meo consilio Princeps demandarat. Hic finis apparatus. Jam prandii tempus appetebat. Qvare disputationis serium initium in horam secundam dilatum est. Qvod tempus ubi advenit: partes utrinqve pro more Theologico, simplicitatem suam protestabantur. Martinus hoc adjecit: *Se hoc gravatim ferre, qvod ex fratribus Prædicatoribus, qvi eam tragœdiam primi exuscitassent, nemo disputaturus adesset: cum tamen in singulis suis concionibus graviter Martinianos errores in invidiam vocassent.* Commissi sunt primum Carolostadius & Eccius, par omnino dissimile. Nam Carolostadius voce, vultu, gestu, incessuqve modestiam Theologicam præ se ferebat, disputabatqve non ad ingenii gloriam aut victoriam, sed veri, rectiqve inqvisitionem: qvare nihil nisi adhibitis libris asserebat, nihil item ab adversa parte adductum admittebat, nisi sententiam scriptoris ex præcedentibus & sequentibus collegisset. Qva diligentia doctis se vehementer commendavit; indocti timorem & tarditatem interpretabantur. Eccius contra

tra clamore, vultu militari ac truci, gestu histrionico pene, & incessu impetuoso, feroculus qvispiam apparebat: omnia illa externa corporis signa animum parum theologicum declarabant. Dixisses Gorgiam qvempiam disputare, non Theologum. Adeo leviter & impudenter subinde se jactabat. Magnam adeo jacturam nominis sui apud nos fecit. Levissime asserit, qvæ falsa sunt: impudentissime negat, qvæ pro certo vera, idqve cum jactatione sui, qvo res sit odiosior. Res fuit Eccio cum Carolostadio de libero arbitrio: *Omnene bonum opus proficiscatur e divina gratia, an vero nonnihil etiam de suo conferat humani arbitrii actio?* Priorem sententiam Carolostadius, posteriorem Eccius tuebatur. Tum illud jactatum: *sine omnis Christianorum vita pœnitentia?* unde fluit, in opere suo hominem peccare: Contra qvæ nisus est Eccius. Porro Martinus negavit Romani Pontificis potestatem primariam jure divino, hoc est, sacræ Scripturæ testimoniis posse comprobari: imo sacerdotem qvemvis ex æqvo (qvod ad Pauli Theologiam attinet) Apostolis succedere, habereqve facultatem & culpæ & pœnæ remittendæ, si necessitas ita ferat. Hic Eccius in adversum multa decreta, multas Patrum authoritates congessit, cum jure divino tantum primatus Pontificis esset asserendus. Ventum tandem est ad sacram ancoram nempe illud Matth. XVI. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c.* Hic Martinus *Petram* solidam fidei confessionem interpretabatur; aut totum corpus Ecclesiæ cum Origine, aut Christum ipsum cum Augustino. Eccius cum recentioribus, hominem Petrum, & ejus successores: eamqve expositionem aliqvot Bernhardi & Hieronymi verbulis decerptis firmavit. Qvæ omnia Martinus mire elusit, per hoc: qvod toties Ecclesia redderetur ἀκέφαλος, qvoties Episcopus Romanus aliqvis moreretur. Nam eo tempore, qvod necdum surrogatus sit in sedem alius Pontifex, dubio procul ἀκέφαλοι reddi Ecclesiam. Nam qvod de Cardinalium cœtu, qvi interim agat Pontificem, respondeatur, duplici de causa frivolum esse: primum qvia Cardinales haud ita multa ante secula esse cœperint, qvi tamen multa capita faciant, non unum: deinde qvod, qvæ jure divino statuantur, nullius hominis morte, imo ne cœlorum ruina interpellari possint. Jactatæ item in disputationis aleam indulgentiæ, sed magis pro ludo, qvam re seria. De purgatorio item disceptatum: non qvod non esset, sed qvomodo erga Deum

afficerentur animæ in illo supplicio detentæ. Ejusmodi contentionibus tres pene hebdomades sunt consumtæ, certe (qvantum mihi judicare licet) majore expectatione qvam fructu. Neqve enim qvidqvam est decretum, nec ulla de re partes consenserunt. Res tota notariorum fide est excepta. Judices disputatis sunt delecti Erphurdienses ac Parisienses: Erphurdienses, qvantum privatim ex qvorundam colloqvio conjicere potui, gravatim tanti oneris sarcinam in humeros suos recipient: cum ob alias causas, tum maxime, qvod Eccius optimos qvosqve & doctissimos Theologici ordinis, ut sibi suspectos, a judicio submovit. Hoc præjudicium vulgo jactatur, in primatu Pontificis asserendo Eccium se turpiter daturum. Ut ut est futurum, mea nihil refert. Mihi hoc disceptandi genus theatricum nunqvam visum est mansvetissima Christi doctrina dignum. Nec adduci possum, ut credam, Spiritum Sanctum, pacis autorem, ad ejusmodi pugnas unqvam sese demittere: Christianæ theologiæ veritas, citius impetratur orando, qvam invenitur disceptando. Habes totam hanc disceptationem, ex tempore a me, & negligentissime descriptam. Si qvæ reliqva sunt, fama ad te pertulit. Sed vide ne fidas. Tam est ficti qvam veri tenax: & scis ut πολλὰ τȣ̃ πολέμȣ κενά. Erfurti qvinto nonas Augustas An. M D XIX.

Multa in recensenda historia disputationis hallucinatur Varillasius *Lib. III. p. 260. & seqq.* non perseqvar tamen, qvod in dictis & personis disputatorum referendis & describendis turbat & errat nimii id laboris esset; sed a supina negligentia excusari non potest, qvod locum disputationi *Mersburgum* assignet, idqve bis facit *p. 260. & p. 264.* cum nemo, vel levissimam historiæ peritiam habens, nescire possit, Lipsiæ disputatum esse. Senatum tamen Lipsiensem inutili & præpostera curiositate Mersburgum transfert, ut cum Georgio Principe disputationi assistat. Eidem etiam Senatui contra omnem rationem autoritatem dat, ut Lutherum de moderatione admoneret, præsente Principe cum consiliariis suis qvi omnia dirigebat. Falsum est inter Judices electam fuisse Academiam Lipsiensem: falsum etiam duplici modo (qvod *d. p. 263.* pro certo asseveratur) Lutherum in verba illa protupisse: *disputationem non esse cœptam in nomine Dei.* Nam etsi Emserus tale aliqvid ei objecerit, mascule tamen ad id respondit Lutherus, dein qvicqvid dixerit, id non in disputatione, sed ante eam, in

Gan-

Cancellaria ducis, factum est, ut in commentario memoravi. §. 127.

Tezelius, qvi hujus disputationis tempore in cœnobio Dominicanorum peste correptus decessit, cum audisset disputationem fieri debere, dixisse fertur: *hoc faxit Diabolus*; Das walt der Teuffel. sive, ut hodie levioris animi homines pronunciarent: Das hohle der Teuffel. Luth. *Lib. I. ep. 104.* Adeo inqvisitorium & dictatorium illud monachorum genus malebat, igne & gladio opprimere dissentientes, qvam palma in medio posita, cum iis certare. Pertinet huc forte relatio Lutheri ad Spalatinum de convivio qvo se a D. *Breitenbachio* & *Henrico a Schleiniz* exceptum narrat, in qvo de Theologis Lipsiensibus multus fuerit sermo, & apophthegma audisse se memorat; qvi Theologum ejus generis (Scholasticum scilicet) viderit, illum septem peccata mortalia videre. *Lib. I. ep. 218.*

Sublegenda adhuc qvædam ex schedis *Lipsiensis Bibliothecæ Paulinæ* restant, & ex iis qvæ Vir clarissimus *Jacobus Thomasius* annotavit. Ingressi sunt Wittenbergenses Lipsiam, magno comitatu, nec sine aliqva pompa. Carolostadius solus in curru vehebatur, omnesqve præcedebat, sed pro omine habitum fuit casus ejus postea secuti, qvod non longe a porta, qva ingressus erat, apud ædem D. Pauli rota carpenti, in qvo sedebat, rupta fuit. Seqvebatur currus Barnimi Pomeraniæ Principis, qvi tunc Wittenbergæ studiis operam dabat, & Rectoris honorarii titulum gerebat, assidebant ei Lutherus & Melanchthon: Studiosi plurimi ex Wittenberga, & qvidem, ut alii observarunt, armati, currum comitabantur. Georgius Dux ab initio disputationibus interfuit, sed arte aulicorum, inde distractus est, ut calumniis contra Lutherum magis pateret. Orationem finita disputatione habuit alius ex Academicis *Joh. Langius* Lembergius, qvi Eccio magnas laudes tribuit, sed nec in Carolostadium & Lutherum iniqvus fuit: de hoc ex *Schneideri Chronico Lipsi.* isthæc verba notabilia sunt: Sed qvo „ piaculo te, Martino, virum integerrimum præterierim? & qva honoris præfatione tuam doctrinam, ingenii acumen (qvo plus sapere, „ qvam dicere videris) tuam deniqve in exploranda veritate constantiam commendem? qvi tot male feriatorum hominum procellis exagitatus, nulli, nisi meliora dicenti, cedere voluisti. Mira & ingenua „

„ eſt tui ſermonis libertas, qvæ veritati perbelle qvadrat. Hæc cum nu-
„ da pingitur, nullis involucris vult obumbrari. Ob id Ethnici, ſa-
„ cris Saturni, temporum Dei, capite diſcooperto operabantur, qvod
„ veritas temporis (ut Sophocles ait) filia, nullo velamine celari velit:
„ Sed (ut Menander ait) ἔρχεται ἡ ἀλήθεια εἰς φῶς ἐνίοτ' οὐ ζητούμενον:
„ *venit veritas in lucem, vel non qvæſita.* Hæc tuæ vitæ integritatem,
„ nobis communi rumore prodidit, qva & doctrina & vivendi ratione
Auguſtinianum agis. De judicio Academiis delato, & in ſpecie de li-
„ te circa Erfurtenſem, hæc habet *Cellarius* ſupradictus: Martinus Pari-
„ ſienſes & Erfurtenſes judices obtulit, qvos qvoqve Eccius acceptavit,
„ modo confratres Martini Eremitæ in Erphordia non intereſſent; ab-
„ eunte autem Duce, voluit Martinus totum conſilium univerſitatis de-
„ bere judicare. Sive eſſent Juris civilis prudentes, Medici vel Philoſo-
„ phi, & qvod patres ordinum S. Dominici & S. Franciſci non intereſ-
„ ſent. Sed id injuſtum viſum eſt Eccio, Medicos aut alterius profeſſi-
„ onis homines de altiſſimis Theologiæ locis judicare: res tamen utri-
„ usqve conſenſu in illuſtriſſimi Principis manus data eſt. Reſervavit
autem Lutherus appellationem a decretis Univerſitatum ad Concilium. *Schultherrus* refert, Lutherum prius, dein & Caroloſtadium ſubito poſt diſputationem & qvaſi clanculum diſceſſiſſe, Eccium poſt aliqvot dies. Caroloſtadium argumenta ſua, & eorum probationes non ex memoria ſed ex ſcheda protuliſſe, magna proli.itate, id a conſiliariis Principis ei interdictum fuiſſe, qvia aliter conventum erat, permiſſum tamen, ut ex libris, qvorum magnam copiam biga advexerat, (einen Karn voll) prælegeret, qvibus opus haberet. Cauſabatur autem Caroloſtadius memoriæ defectum ob ſangvinis miſſionem copioſam, qva uti ſe oportuiſſe dictitabat. *Chronici Lipſienſis* autor miratur non ſolum ex Epiſcopis tribus, ſed nec ex undecim Abbatibus in ditione Ducis Georgii, ullum adfuiſſe. Schedæ autem Thomaſianæ *Portenſem, Pegavienſem & Bozenſem* præſentes fuiſſe memorant. Lutherus ſcriba uſus eſt *Johanne Agricola* Islebio, a qvo poſt aliqvot annos malam retulit gratiam; Eccio amanuenſis vicem præſtabat *Joh. Poliander*, qvi eo relicto finita diſputatione Lutherum ſecutus eſt, & poſtmodum in Pruſſia Evangelium docuit. Magna etiam Juventutis ſtudioſæ pars Lutheri dotes admirans relicta Lipſia Wittenbergam conceſſit.

Ad

Ad §. LXV. *Ut dignissima lectu sit ista epistola.)* Constitueram hanc totam inserere, sed Erasmi literæ eodem anno 1519. & qvidem maturius, qvam illæ ad Albertum, ad ipsum Fridericum Electorem Antverpia scriptæ, a *D. Majero, in notis ad Selnecceri orat. de Luthero pag. 87.* nuperrime exhibitæ sunt, per qvas Erasmus libellum *de vitiis Cæsarum* Friderico dedicavit. Hæ literæ in volumine Epistolarum Erasmi, non æqve ac illæ ad Albertum reperiuntur, ejusdem tamen sunt argumenti, verbis etiam fere iisdem. Merentur seqventia ex illis adscribi: Prodiere nuper lucubrationes aliqvot Martini Lutheri, simulqve rumor allatus est, hominem supra modum gravari autoritate Reverendissimi Cardinalis S. Sixti, qvi apud Svevos, Romani Pontificis agit Legatum. Ut his protinus exilieruut? ut gestierunt? ut gavisi sunt? occasionem, ut ipsis visum est, maxime oportunam esse datam, lædendi bonas literas. Nam, juxta Græcorum proverbium: *improbis prater occasionem nihil deest*, qvæ videlicet nocendi facultatem præbeat iis, qvibus adest perpetua nocendi voluntas. Continuo sacræ apud populum conciones, scholæ, conciliabula, convivia, nihil aliud crepabant, qvam hæreses & Antichristos. Atqve huic tam odioso negotio, præsertim apud mulierculas & indoctam plebeculam, miscuerunt homines callidi, trium lingvarum, eloqventiæ, politiorisqve literaturæ mentionem, qvasi aut Lutherus his præsidiis fideret, aut ex his fontibus hæreses nascerentur. Hæc impudentia plus qvam sicophantica, cum optimis qvibusqve displiceret, tamen ut bellum inventum probabatur qvibusdam, qvi se Theologiæ antesignanos, & Christianæ religionis columnas existimant. Et vide qvam studio cœci, nostris blandimur vitiis! atrocem contumeliam, imo facinus hæresi proximum ducimus, si qvis Theologum rabulam, qvales sunt non pauci pro Theologo Μαλαιόλογον nominet. Ipsi nobis ignoscimus, cum apud freqventem populum hæreticum & Antichristum vocamus, cuicunqve succensemus. Lutherus mihi tam ignotus qvam cui ignotissimus, ut suspectus esse non qveam, qvasi faveam amico. Hujus lucubrationes nec tueri meum est, nec improbare, ut qvas hactenus non legerim nisi raptim. Certe vitam hominis nemo, qvi novit, non probat, qvæ cum longissime absit ab omni suspicione avaritiæ aut ambitionis, & morum innocentia, vel apud Ethnicos favorem invenit. Qvam non congruit mansvetudini theologicæ, protinus, ac no perlecto qvidem

„dem libro tam immaniter debacchari in nomen ac famam probi viri,
„idqve apud imperitam plebeculam, qvæ prorsus caret judicio? Præ-
„sertim cum ille disputanda proposuerit, cum omnium judicio sese sub-
„miserit, qvorum oportuit. Nemo monuit, nemo docuit, nemo revi-
„cit: tantum vociferantur hæreticum, seditiosis clamoribus ad lapides
„provocant. Dicas eos sitire sangvinem humanum, non salutem ani-
„marum. Qvo invisius est hæreseos nomen auribus Christianis, hoc mi-
„nus committendum est, ut temere in qvenqvam impingatur. Non
„statim qvivis error hæresis est, neqve protinus hæreticum est, qvicqvid
„huic aut illi displicet. Neqve semper fidei negotium agunt qvi præ-
„texunt hujusmodi splendidos titulos. Imo, pleriqve suum agunt ne-
„gotium, vel qvæstui suo consulentes, vel tyrannidi. Qvin præcipiti
„lædendi studio sæpe criminantur in alio, qvod ipsi domi probant. De-
„niqve, cum tot sint veteres ac neoterici Scriptores, nec horum qvis-
„qvam adhuc repertus sit, in cujus libris non fateantur inesse periculo-
„sos errores: cur reliqvos taciti placidiqve legimus, in unum aut alte-
„rum tam atrociter sævimus? Si veritati patrocinamur, cur non ex æ-
„qvo offendit, ubicunqve reperitur qvod veritati repugnat? Sanctissi-
„ma res est fidei religionisqve sinceritatem tueri, sed sceleratissima res
„est, prætextu defendendæ fidei nostris servire cupiditatibus. Si qvic-
„qvid in Scholis receptum est, oraculum haberi volunt, cur inter se
„Scholæ dissentiunt? cur Scholastici Doctores inter sese pugnant ac
„digladiantur? Imo, cur in eadem Sorbona Theologus a Theologo dis-
„sentit? Imo perpaucos reperias, qvi consentiant nisi conspirarint.
„Adhæc, non raro deprehenduntur damnare in recentium libris, qvod
„in Augustino aut Gerſone non damnant, qvasi veritas cum autore mu-
„tetur. Eos, qvibus favent, sic legunt, ut omnia torqventes nihil non
„excusent; qvibus infensi sunt, sic legunt, ut nihil non calumnientur.
„Optima Christianismi pars est, vita Christo digna. Qvæ cum suppe-
„tit, non debet esse facilis hæreseos suspicio. Nunc qvidam nova com-
„miniscuntur fundamenta, sic enim vocant, hoc est, novas leges con-
„dunt, per qvas docent, hæreticum esse, qvidqvid non placet. Qvis-
„qvis alterum hæreseos accusat, ipse præstare debet mores Christiano
„dignos, charitatem in admonendo, lenitatem in concipiendo, cando-
„rem in judicando, lenitudinem in pronunciando. Cum nemo no-
„strum careat erratis, cur alienos lapsus tam inclementer insectamur?

cur

cur malumus vincere qvam mederi? cur opprimere qvam docere? „
At ille, qvi solus omnium omni caruit errore, non comminuit bacu- „
lum confractum, nec extingvit linum fumigans. Augustinus de Do- „
natistis plusqvam hæreticis agens, non vult eos cogi, sed tantum do- „
ceri; & ab horum cervicibus magistrâtuum gladios depellit, qvorum „
sicis ipse qvotidie impetebatur. Nos qvorum proprium munus est „
docere, cogere malumus, qvia facilius. Hæc, illustrissime Dux, eo „
scribo liberius, qvo minus ad me pertinet caûsa Lutherana. Cæterum, „
ut Tuæ Celsitudinis est, Christianam religionem pietate tua protege- „
re, ita prudentiæ est, non committere ut qvisqvam innocens te justitiæ „
præside, sub prætextu pietatis, aliqvorum impietati dedatur. Vult „
idem Leo Pontifex, cui nihil magis est cordi, qvam ut tuta sit innocen- „
tia. Pater vocari gaudet, nec amat eos, qvi super ipsius membra ty- „
rannidem exercent. Neqve qvisqvam magis paret animo Pontificis, „
qvam is, qvi qvod æqvissimum est, exeqvitur. Qvid istic de Luthero „
sentiant, nescio. Certe hic video libros illius ab optimis qvibusqve „
cupidissime legi. Qvanqvam mihi nondum vacavit evolvere: Ex ea
vero epistola, qvam Erasmus ad Albertum Moguntinum dedit *Lib. XII. ep. 10.* de defectibus Ecclesiæ & erroribus Theologorum hæc po-
tissimum notanda sunt: Mundus oneratus est constitutionibus huma- „
nis, oneratus est opinionibus & dogmatibus scholasticis, tyrannide „
fratrum mendicantium, qvi cum sint satellites Sedis Romanæ, tamen „
eo potentiæ & multitudinis evadunt, ut ipsi Romano Pontifici atqve „
ipsis adeo Regibus sint formidabiles. His cum pro ipsis facit Ponti- „
fex plusqvam Deus est: in his qvæ faciunt adversus eorum commo- „
dum non plus valet qvam somnium. Non damno omnes, sed plurimi „
sunt hujus generis, qvi ob qvæstum ac tyrannidem, data opera illa- „
qveant conscientias hominum. Ac perfricta fronte, jam cœperant, „
subinde impudentiora dogmata de indulgentiis: sic loqvebantur, ut nec „
idiotæ ferre possent. His & ejusmodi multis rebus paulatim evanesce- „
bat vigor Evangelicæ doctrinæ: & futurum erat, ut rebus semper in „
deterius prolabentibus, tandem prorsus extingveretur illa scintilla „
Christianæ pietatis, unde redaccendi poterat extincta charitas. Ad „
ceremonias plusqvam Judaicas summa religionis vergebat. Hæc su- „
spirant, ac deplorant boni Viri, hæc ipsi etiam Theologi, non Mona- „
chi, & Monachi qvidam in privatis colloqviis fatentur. Hæc opinor, „

» moverunt animum Lutheri, ut primum auderet se qvorundam intole-
» rabili impudentiæ opponere. Qvid enim aliud suspicer de eo qvi nec
» honores ambit, nec pecuniam cupit? De articulis qvos objiciunt Lu-
» thero, in præsentia non disputo, tantum de modo & occasione dispu-
» to. Ausus est Lutherus de indulgentiis dubitare, sed de qvibus alii
» prius nimis impudenter asseveraverant: ausus est immoderatius loqvi
» de potestate Romani Pontificis, sed de qva isti nimis immoderate pri-
» us scripserant, qvorum præcipue tres sunt prædicatores, Alvarus, Syl-
» vester, & Cardinalis Sancti Sixti, (id est, Cajetanus). Ausus est Tho-
» mæ decreta contemnere, sed qvæ Dominicani pene præferunt Evange-
» liis. Ausus est in materia confessionis scrupulos aliqvos discutere, sed
» in qva monachi sine fine illaqveant hominum conscientias. Ausus est
» ex parte negligere scholastica decreta, sed qvibus ipsi nimium tribu-
» anti, & in qvibus ipsi nihilo minus inter se dissentiunt; postremo, qvæ
» sub nde mutant, pro veteribus rescissis, inducentes nova. Discruciebat
» hoc pias mentes, cum audirent in scholis fere nullum sermonem de do-
» ctrina Evangelica; sacros illos ab Ecclesia jam olim probatos autores
» haberi pro antiqvatis: imo in sacris concionibus minimum audiri de
» Christo; de potestate Pontificis, de opinionibus recentium fere omnia;
» totam orationem, jam palam qvæstum, adulationem, ambitionem, ac
» fucum præ se ferre. His imputandum opinor, etiamsi qvæ intempe-
rantius scripsit Lutherus. Qveritur dein Erasmus speciatim de mo-
nachorum Dominicanorum & Carmelitarum crudeli erga literatos
odio, utqve illos sub hæresis prætextu prosequantur, Capnionis & suo
» jam etiam Lutheri exemplo demonstrat, & subjungit: Olim hæreti-
» cus habebatur, qvi dissentiebat ab Evangeliis, ab articulis fidei, aut his,
» qvæ cum his parem obtinerent autoritatem. Nunc si qvis unqvam
» dissentiat a Thoma, vocatur hæreticus, imo si qvis a commentitia ra-
» tione, qvam heri sophista qvispiam in scholis commentus est. Qvic-
» qvid non placet, qvicqvid non intelligunt, hæresis est; Græce scire,
» hæresis est; expolite loqvi, hæresis est; qvicqvid ipsi non faciunt, hæ-
» resis est. Fateor, grave crimen est vitiatæ fidei, sed non oportet qvid-
» vis trahere in qvæstionem fidei. Et qvi tractant fidei negotium, de-
» bent ab omni specie ambitionis, qvæstus, aut odii, vindictæqve procul
» abesse. At qvid isti præ se ferant, qvis est qvi non videat? qvorum
» cupiditati si semel licentiæ frena laxentur, passim incipient sævire in-
optimi

optimi cujusqve caput: postremo minitabuntur ipsis Episcopis, arqve ipsi etiam Romano Pontifici. Qvod non recusabo, qvo minus falsum videatur, nisi jam a qvibusdam fieri videamus. Qvid ausit ordo Dominicanorum, ut ne qvid aliud adferam, *Hieronymus Savonarola* & *Bernense facinus*, admonere nos debet. Non renovo ordinis infamiam, sed admoneo qvid sit cavendum, si illis successerit qvicqvid temere tentarint. Historiam *Savonarolæ*, cujus hic mentionem facit Erasmus, tangam infra ad §. *LXXIIX*. Ex Helveticarum rerum scriptoribus petendum est, qvid patraverint *Dominicani Bernæ*, cum hominem semifatuum ementitis apparitionibus, dein fraudis conscium, in æmulationem Franciscanorum subornassent, ut contra conceptionem B. Virginis immaculatam qvam illi statuunt, revelationes publicaret. Factum id ante Lutheri disputationem fuit, combustiqve sunt ob impostaram diabolicam multaqve crimina, qvorum coram Pontificiis delegatis convicti fuerunt, ex Dominicanis qvatuor anno 1509. Amplissimam immanis sceleris relationem a Franciscano qvodam ejusdem urbis Monacho, ut apparet, descriptam ex Archivo Bernatium, produxit *Hottingerus Hist. Secul. XVI. Part. V. f. 334. ad 411.*

Ad §. LXIX. *Valentin. a Teutleben*). Illustrium virorum memoriam renovare, siqva commoda datur occasio, haud facile negligendum est. Eqvestris *Teutlebiorum* familia in Thuringia, sine dubio ab ejus nominis vico appellatur, in via regia qva Gotha Isennacum itur, sito, in qvo & reditus qvosdam adhuc habet. Huic proxime adjacet prædium & vicus *Laucha*, qvod Teutlebii a Landgraviis Thuringiæ feudi nomine cum omni jurisdictione tenuerunt, ut & jus Castrensis incolatus (Burgmann) in vicina arce *Tenneberga*, idqve per aliqvot secula. Cædem enim Palatini Thuringiæ, qvæ Ludovico Thuringiæ Comiti vulgo tribuitur Ulrici Teutlebii opera anno 1065. patratam fuisse, Gozecensis monachus, & ex eo Fabricius *Lib. II. Orig. Saxon. fol. 84.* annotavit. Aliud autem antiqvum meritum Friderici cujusdam Teutlebii insigne memoratur (sed non describitur) in diplomatibus investiturarum Lauchensium, ejusqve causa fœminis successio in prædio deficientibus masculis a Principibus olim indulta fuisse indicatur. Ex hac familia natus fuit, *Valentinus Teutlebius*, [Sleidanus *Ditlebium*, Chytræus *Tetelebium*, vocant] & in studiis Canonum multum

tum versatus, Doctoris titulum qvod nobilitati tunc valde solenne fuit, assumsit, diu Romæ vixit, *Præbendas* qvas vocant in Collegiatis Ecclesiis *Moguntiæ*, *Magdeburgi*, *Francofurti* tum maxime *Hildesiæ* in Cathedrali obtinuit, fuit *Vicarius Archiepiscopi Moguntini*, magnumqve pro Romana hierarchia zelum ostendit. Sic meruit, ut Pauli III. Pontificis commendatione, cum Otto Comes Schaumburgensis Hildesiæ Episcopus Lutheranismi suspectus esset, Collegio Canonicorum commendatus ad Episcopatum anno 1537. eveheretur, litis diœcesis suæ adversus Duces Brunsvicenses acris prosecutor. Fratres habuit plures, horum tamen non nisi unus *Casparus* (nam cæteri Clero adscripti Canonicas præbendas sectati sunt) qvi *Doctoris legum* & *Electoralis Saxonici Consiliarii* titulis insignis erat, familiam propagavit. Ejus abneptis Fratri meo juniori, cujus supra *pag. 56.* memini, nupsit, haud indignis majorum gloria moribus matrona. Hujus cum familia ista contractæ affinitatis occasione, documenta qvædam vetusta ad notitiam meam pervenerunt, ipsiusqve *Valentini* autographum, qvo pactum hæreditarium inter Fratres firmavit.

Ad §. LXX. *Capnionis causam.*) Controversia erat de libris Hebraicis, qvos intempestivo qvodam zelo omnes comburendos esse, Colonienses qvidam monachi & inqvisitores apud Maximilianum Cæsarem instabant. Consultus ea de re Capnio distingvendum & servandos plurimos esse respondit: reprehendentem vero id *Johannem* qvendam Judæum baptizatum, cognomine *Piperigranum* (Pfefferkorn) edito libello acrius taxans, offendit Theologos, ita ut liber ejus Coloniæ deinde & Parisiis comburetur. Exagitatus inde Capnio a Monachis indoctis, & odio furentibus, qvorum caput erat *Jacobus Hochstratenus*, famosus ille inqvisitor Dominicanus graves sustinuit lites. Earum relatio, & ut D. Capnio a Georgio Com. Palatino Episcopo Spirensi, Pontificis commissario, adscitis nobilissimis doctissimisqve viris ab imputatione hæresis absolutus, Hochstratenus etiam in expensas condemnatus fuerit, excusa est *Hagenoæ anno 1518.* ex qva tamen patet, Monachorum artibus, & imprimis *Sylvestri Prieriatis*, qvi jam tum Magister palatii erat, in Hochstratenum propensione effectum esse, ut causa Romam evocata diu in suspenso hæserit. Commendaverant Pontifici Capnionem Maximilianus Cæsar, multiqve magni

magni Germaniæ Principes, interqve alios Fridericus Sax. El. sed paulo post mota a Luthero controversia, & Reuchlini mors anno 1522. secuta, in oblivionem induxit litem illam ex mera calumnia optimo viro intentatam. Plura de eo, qvoniam facem qvandam meliori doctrinæ & literaturæ sacræ prætulit, licet ipse morte præventus receptum eo usus in Svevia cultum non mutaverit, memoratu non indigna sunt. Natus fuit Pforzhemii in Badensium Principum ditione anno ut ipse ad Joh. Cuspinianum scripsit, 1455. & cum *Reuchlini* (a *fumo*) nomen haberet, Græcum *Capnionis* ab Hermolao Barbaro suggestum aliqvando usurpavit, ut tunc fieri moris erat. De ejus studiis & gestis qvibusdam Altingius in MSca. historia Palatina hæc habet: Post fata *Rudolphi Agricolæ* circa annum Christi 1497. in aula atqve Academia Heidelbergensi successit *Johannes Reuchlinus* seu *Capnio*, a patria *Phorcensis* dictus, qvi qvidem cum alibi, tum inprimis Parisiis & Basileæ fundamenta studiorum posuit, usus magistro illo *Wesselo Groningensi*, qvi utrobiqve docuit: a qvo præter necessariam philosophiæ & lingvarum cognitionem cum Hebrææ lingvæ rudimenta percepit, tum etiam sensa ejus & judicium de Religione ac capitibus controversis recte hausit, & constanter tenuit. Eum hortatus est Wesselus Basileæ, ut cum mediocrem Græcarum literarum peritiam acqvisivisset, eisdem plenius cognoscendis se se dederet, propterea qvod copia codicum Græcorum major suppeteret Basileæ, qvam alibi, utpote qvo tempore concilii Basileensis Cardinalis Cusanus magnum eorum numerum devehendum curarat. Ita his partibus plenius informatus ad Academiam Tubingensem, & inde porro in Aulam Wurtenbergensem adscitus fuit. Sed cum ab obitu Ducis Everhardi gubernationis mutatio accideret, & vita ipsius Monachi cujusdam insidiis, qvi apud Principem plurimum valebat, peteretur, ipse periculi declinandi causa Heidelbergam ad Electorem Palatinum *Philippum*, concessit, & tum in aulam, tum etiam in Academiam vocatus fuit, delectatus ubiqve magnorum ac doctorum virorum consvetudine, qvibus tum Heidelberga florebat. Et in aula qvidem, qvod ante fecerat Rudolphus Agricola, idem ipse instituit, rogatu Electoris, ut novam epitomen historiarum per omnes Monarchias deductam Principi contexeret, explicatis præcipuis rerum monumentis, qvæ sub imperiis illis contigerant. In Academia autem novo & eo usqve inaudito in Germania

„ exemplo, ſcripſit comœdias, *Hennonem & Sergium*, qvarum alteram
„ magno cum applauſu publice ſpectandam exhibuit, cætera autem ſtu-
„ diis Hebraicis excolendis ac propagandis tribuit. Agitabantur tunc
„ in aula Palatina conſilia de conjugio *Ruperti* Principis Palatini, qvi
„ tertio genitus erat, & Eliſabethæ filiæ unicæ *Georgii* divitis Ducis Ba-
„ variæ: qvi cum conſobrini eſſent, nulla ratione, propinqvo ſangvine,
„ jungi poſſe videbantur, qvam ut juxta Pontificis diſpenſationem nu-
„ ptiæ coirent. Romam igitur deſtinatus fuit Capnio legatus, cum co-
„ mitatu ad Alexandrum VI. gratiam diſpenſationis ab eo petitum, ubi
„ annum pene integrum a Pontifice ejus rei potiundæ ergo detentus
„ fuit. Qvod tempus ſibi non putavit otio tranſigendum, ſed literis
„ Hebraicis potiſſimum excolendis impedendum eſſe. Ideoqve cum
„ Romæ viveret Judæus nomine *Abdias* exactiſſimus literarum Hebrai-
„ carum magiſter, dum iſtic egit eum ingenti pretio conduxit; ita qvi-
„ dem ut in ſingulas horas ſingulos aureos didactri loco ei penderet.
„ Qvo ipſo id aſſecutus eſt, ut Judæus non tantum diligentiam &
„ aſſiduitatem, ſed etiam fidem præſtaret Reuchlino; adeoqve ipſe tem-
„ pore legationis ſuæ eousqve proficeret, ut ſumma cum laude literas
„ Hebræas alios docere poſſet. Accidit autem & aliud in hac legatio-
„ ne. „Vivebat & docebat Romæ eodem tempore *Argyropulus*, exul ex
„ Græcia profugus, & ſtipendio publico ad literas Græcas docendas
„ conductus: qvod qvidem uti magna cum gratia ita magno cum aſflu-
„ xu præſtabat, ut viri imæ, mediæ & ſummæ ætatis, nobiles & ignobi-
„ les, Epiſcopi & Cardinales ad lectiones ejus audiendas concurrerent.
„ Putavit Capnio etiam hujus auditorium ſibi ſubeundum eſſe, qvod
„ qvum magno cum comitatu Legato Principis digno feciſſet, & ante
„ lectionem, conſidentibus nobilibus & auditoribus univerſis, magi-
„ ſtrum reverenter ſalutaſſet, gratiis actis hic ſciſcitatus eſt, num Græ-
„ cas calleret literas? qvod cum affirmaret, mediocriter ſe eas poſſe, ro-
„ gavit, ut eas clara voce legeret, & Latine interpretaretur. Id cum
„ Capnio Legatus prompte & cum gratia faceret, ita qvidem ut ad dia-
„ lectum Græcorum attemperaret pronuntiationem, tum etiam com-
„ mode ac eleganter redderet, gemens & tantum non lachrymans bo-
„ nus ſenex publice exclamabat, *Græcia noſtro exilio Alpes transvolavit.*
„ Divinabat ſcilicet, Græcas literas & artes non jam amplius Italiæ fini-
„ bus contineri, ſed longe lateque ad gentes etiam horridiores (qvo no-

mine

mine tum Germani censebantur) propagatas esse. Sic igitur cum & publice rem, cujus gratia illuc missus fuerat, confeciſſet, & privatim literas Hebræas excoluiſſet, atqve etiam Græcarum ſpecimen non infelix edidiſſet, regreſſus eſt ad Electorem Palatinum, & legationis ſuæ ratione reddita ad qvietem ſe compoſuit, ac ſimul ad ſtudia Hebræa rediit. Mutatis autem interea rebus in Ducatu Wurtembergenſi, cum ad Aulam & Academiam Tubingenſem revocaretur, vix dimiſſus ab Electore, eo reverſus eſt, ita tamen ut fructum ſui, memoriamqve relinqveret. Hucuſqve Altingius. Recte itaqve inter reſtitutores eruditionis & reformationis præcurſores cenſetur Capnio, gratamqve ei memoriam æternum debet Germania; multum etiam Gallia: In illa Pictavii anno 1481. Grammaticam Græcam prælegit & (ut oſtendit diploma inter epiſtolas ad Capn. ſcriptas *Lib. I.* relatum.)

Licentiati in Jure titulum aſſumſit: Hebraicam poſtea Grammaticam & Lexicum edidit. Cabbalæ tamen qvam vocant Judaicæ ineptiis plus juſto viſus eſt indulſiſſe, qvod & *Pico Mirandulano* accidiſſe fertur. Comœdiam a Capnione in honorem Johannis Dalburgii Epiſcopi Wormatienſis viri laudatiſſimi conſcriptam & primam omnium in Germania habitam eſſe, annotant etiam Bucholzerus, & Cruſius in anno 1497. Antea, nempe anno 1492. a Friderico Auſtriaco Imp. Comitis Palatini, tum non adeo ut nunc vulgata, dignitate cum egregio elogio honoratus eſt. Videatur diploma *dicto libro I. Epiſtol. Reuchl.* Lutheri ad Capnionem epiſtola d. 14. Dec. 1518. data integra exhibetur inter alias: ex ea *Martinus Cruſius Parte III. Hiſt. Svev. Lib. X. cap. 4.* hæc producit, qvæ hic inſeri merentur: *Dominus tecum*, vir fortiſſime, Gratulor miſericordiæ Dei, qvæ in te eſt, vir & eruditiſſime, & humaniſſime: qvæ tandem prævaluiſti obſtruere os loqventium iniqva. Fuiſti tu ſane organum conſilii divini: Sicut tibi ipſi incognitum, ita omnibus puræ Theologiæ ſtudioſis expectatiſſimum: adeo longe alia fiebant a Deo, & alia videbantur geri per vos. *Item* invadunt dentes iſtius Behemoth me: ſi qvo modo ſarcire qveant ignominiam, qvam retulerunt ex te. Occurro & ego ipſis, longe qvidem minoribus ingenii & eruditionis viribus, qvam tu occurriſti & proſtraviſti, ſed non minore animi fiducia, congredi mihi detrectant, reſpondere recuſant: ſed mera vi & violentia in me viam affectant. Vivit vero Chriſtus: & ego perdere nihil poſſum,

" ſum, qvia nihil habeo. Fracta ſunt in tua firmitate, non parum qvi-
" dem cornua horum taurorum. Hoc enim in te egit Dominus, ut ty-
" rannus Sophiſtarum, aliqvando & tardius & mitius diſceret veris
" Theologiæ ſtudiis reſiſtere, ac reſpirare inciperet Germania, ſcriptura-
" rum doctrina tot (heu) annorum centenariis, non tam oppreſſa, qvam
" extincta. Wittembergæ altera die Luciæ anno 1518. Hortatus eſt
Capnio Philippum Melanchthonem, qvem puerum aliqva affinitate
ſibi junctum, admiratus erat, & ad ſtudia incitaverat, ut vocante
Friderico electore Wittembergam iret. Refert epiſtolam ejus ad Phi-
lippum *Sculteti in An. 1518.* adde *Camerar. in vita Melanchthonis.*

Cæterum Capnio paulo ante mortem Ingolſtadio, ubi lingvam
Hebræam & Græcam docuerat Tubingam revocatus anno 1521. can-
dem ſubiit profeſſionem; anno vero ſeqventi Stutgardiæ obiit, anno
ætatis 67. Magni eum fecit Eraſmus, ſed ut cautus erat, cauſæ ejus
NB ſeſe non immiſcuit. In *præfatione ad Epiſtolas Hieronymi* ad Leonem
X. anno 1515. inter eos qvi in Hieronymum aliqvid commentati erant,
laudat virum his verbis: Johannes Reuchlinus Phorcenſis, trium lin-
" gvarum, Græcæ, Latinæ & Hebraicæ pene ex æqvo peritus, ad hæc in
" nullo doctrinæ genere non verſatus, ita ut cum primis certare poſſit;
" Unde merito virum hunc ceu Phœnicem & unicum ſuum decus tota
" ſuſcipit ac veneratur Germania. Hac certe laude a laudato viro qvæ
major eſſe poſſit vix video. Vide *Lib. II. Ep. Enſm. ep. I.* Iniqvum
ejus fatum ob libellum ipſo non volente editum, eodem tempore ad
Cardinalem Grimanum ſcribens deplorat, *ep. 2.* Mortuum ex Ger-
manis unicum deſiderat *Ep. V. Lib. XXIII.* Per libellum vero illum
non intelligo qvem titulo Augenſpiegel (*Speculi*) contra Piperi-
cornum utiqve ex propoſito edidit, ſed comœdiam qvam *Hennonem*
vocavit, in qva Monachos falſe exagitaverat. Eam enim ſvaſu Wor-
matienſis Epiſcopi ipſe ſuppreſſit, ſed ab aliis illo inſcio edita fuit, &
monachorum iram ei peperit, nata poſtmodum occaſione exſertam.
Judæum Capnionis adverſarium ob Judaiſmum male diſſimulatum,
& profanatam hoſtiam ſacram anno 1514. Halis combuſtum fuiſſe re-
fert Bucholz. in an. 1510. ſed Eraſmus *Lib. XXX. ep. 23.* anno 1517. ad
Pirckheimerum Judæi illius ut viventis meminit. Error forte ex ſimi-
litudine nominis ortus eſt, nam Halis ejusdem nominis Judæum ob
crimen illud aliaqve multa ſupplicio affectum Dreſſerus refert in
Chron.

Chron. Sax. Ann. 1514. & ante eum Spangenbergius in *Chronico Mansfeldensi.* Extat & *Theodor. Plieningii* Eqvitis Svevi viri docti, (*Plinium* vocabant literatores) ad Capnionem epistola, anno 1508. data, in qva eum *Germaniæ Homerum & Ennium* nominat. Audiamus etiam ex adversa parte *Jacobum Gretserum* Jesuitam, infensissimum & mordacissimum Lutheranismi insectatorem, ubi de Erasmo, Capnione & Philippo Melanchthone eodem fere modo ex sectæ suæ genio judicat, in Satyra, qvæ titulum habet, *Suppetiæ Luthero Academico missæ. 1612.* ut patet ex epistola dedicatoria ad Abbatem Cæsareensem (Käysersheim): Video Academiæ nostræ Ingolstadiensi ter præsentissimum periculum imminuisse, morum & fidei orthodoxæ jacturam, imo naufragium faceret. Primo, qvando huc Basilea accersitus est Erasmus Roderodamus anno 1516. Secundo, qvando hic reipsa jam Hebræas Græcasqve literas docebat Johannes Reuchlinus, seu Capnio, anno Redemptoris 1520. & qvidem ingenti discipulorum numero, qvod ipse testatur in epistola ad Bilibaldum Pirckheimerum, Patricium Norimbergensem; Qvotidie, inqvit, de throno Doctorum, freqventi auditorio prælegendus est a me in lingva Hebraica, mane, Rabbi Moses Kimchi, & vesperi Plutus Aristophanis, discipulis plus trecentis, & multo inqvam plus. Tertio, qvando eodem salutis anno, Philippo Malanchthoni, Wittebergæ in Saxonia degenti, & jam tunc cum Luthero Qvintum Evangelium procudenti, Professoris munus in ista Academia oblatum est, proposito lauto & largo stipendio. Licet autem Erasmus & Reuchlinus apertis machinis Catholicam religionem non oppugnarent, ejus tamen eversionem fraudulenter per cuniculos moliebantur; erant enim acerrimi Religiosorum & Clericorum rituumqve Ecclesiasticorum osores & insectatores, qvos dicacitate sua dentataqve facundia publico ludibrio passim exponebant, & in contemptum apud auditores operumqve suarum lectores adducebant. Cui fundamento in pectoribus mortalium semel jacto, firmiterqve stabilito, facillime postea manifesti sectarum conditores, hæreseos fabricam inædificare ac superimponere possunt; qvia si non rem penitus factam, at certe dimidium facti habent. Aurea est D. Bernhardi sententia: *Plus nocet falsus Catholicus, qvam si verus appareret hæreticus.* Cæterum divino nutu & singulari Numinis in Academiam Ingolsta-

N3

„ dienſem, toramqve Bavariam benevolentia accidiſſe arbitror, ut Era-
„ ſmus & Philippus, licet vocati, venire abnuerint; Reuchlinus autem,
„ qvantum ex epiſtolis ejus hinc Norimbergam ad Pirckheimerum miſ-
„ ſis, conjectare licet, vix annum hac in urbe transegerit. Invitaverat
„ Eraſmum huc Urbanus Rhegius, præſtantis Theologi Johannis Eckii,
„ tunc in Theologia diſcipulus; at aliqvot annis poſt, novi Evangelii,
„ Auguſtæ Vindelicorum, & alibi, buccinator & tibicen, inter ſynergos
„ ſuos non infimus; idqve fecerat juſſu Principis Erneſti, (Bavari) ſtudi-
„ orum & ſtudioſorum omnium eximii Patroni, mox Epiſcopi Paſſavi-
„ enſis, & tandem Archiepiſcopi Salisburgenſis; fratris laudatiſſimo-
„ rum Bavariæ Ducum Wilhelmi & Ludovici; cui tantus Eraſmi Ingol-
„ ſtadium pertrahendi ardor injectus fuerat, flammas indubie ipſo Rhe-
„ gio ſubminiſtrante, ut tabellarium Baſileam Eraſmi adducendi cauſa
„ ablegaret. Qvod ſi animo apud nos manendi venire recuſaverit, in-
„ qvit Rhegius, aureos ducentos qvotannis ſi noluerit, & opulentiſſima
„ ſacerdotia reſpuerit, Princeps tamen hoc unum petit confiditqve ſe
„ exoraturum, ut videlicet Eraſmus, viſendi Gymnaſii cauſa veniat.
„ Huic itineri menſem impendat, ut a Principe videatur, excipiatur, am-
„ plexetur (ita loqvitur neſcio an ſatis urbane, Urbanus Rhegius,) vi-
„ dere enim ex animo Eraſmum cupit: ſumtus ad iter miniſtrabit ma-
„ gnificos, remunerabitqve virum liberaliſſime, ut videat Principem ni-
„ hil æqve ac literatos & literas amare, obſervare, ſuſcipere. Verum e-
„ nim vero, & o factum bene, tantis promiſſis Eraſmus, ut Baſileam de-
„ ſereret, illici haud potuit. Reſcripta epiſtola per Rhegium Principi
„ amplisſimas gratias egit, obtendens ſe multiplici vinculo adſtrictum
„ teneri, qvo minus ad Bojos commigret. Ego ita judico. Ex geſtis
„ Eraſmi, qvæ laudem merentur, hanc recuſationem ejus vel primo lo-
„ co collocandam, qvia Bavariæ valde ſalutaris accidit: illos enim fe-
„ cam fructus Eraſmus intuliſſet, & forſan duplicatos aut triplicatos;
„ qvorum ſemina jam per libros ſuos paſſim ſeverat, vel potius, qvi jam
„ ex monumentis ejus in uberrimam meſſem omnibus ferme in locis
„ excreverant. Magna auctoritate & exiſtimatione apud plerosqve
„ tunc erat Eraſmus; & habebar, qvorum opera apud Summates in gra-
„ tia poneretur; qvia nec dum ſatis dilucide veritas veteris illius verbi:
„ *Notum malum optimum*; ad Eraſmum ſpectare intelligebatur. Id ubi
„ intellectum eſt, enimvero tum ſuas ſibi res Eraſmus habere, &, qvo

pedes

pedes & auræ ferrent, abire jussus est; non modo ab illis, qvi Erasmum non nisi ex fama (inter qvos Princeps noster Ernestus,) sed & ab illis, qvi eum familiariter noverant, qvales in Britannia, sanctum illud par Martyrum, Rossensis & Morus. Melanchthonem detinuit in Saxonia Lutherus, magno, negare non possumus, Bavariæ bono; nam si Ingolstadium venisset, qvas strages versipellis ille & versatilis hæreticus non dedisset? Detinuit autem Lutherus Philippum, procurato uberiore stipendio. De qvo ita ad Spalatinum suum. *Spero Philippum ad Bavaros non adspirare. Id tamen est, qvod semper optavi, ut honestiore magnificatus stipendio, spem illis adimeret, qvam concipiunt, qvod vilius eum haberi sciunt, qvam apud eos futurus esset.* Alibi idem Lutherus ad eundem Spalatinum: *De stipendio Philippi nihil scribo ad Principem, si tu non satis fueris. Qvæ antea scripsi, feci, ut homini nulla esset occasio migrandi unqvam a nobis.* Animadvertebat nimirum Lutherus, qvantopere ad fabulam, qvam exorsus fuerat, Philippi, juvenis tunc audacis, diserti, & ad qvemcunqve laborem indefessi, persona sibi opus esset. Gratias Luthero, qvi tantam pestem scholæ nostræ nec misit, nec ut mitteretur permisit: Est cum & hostes prosunt, etiam nescii atqve inviti. Id hic evenit.

Affero hæc historiæ causa, & Capnionis occasione, & ut calliditatis exempla, qva fit, ut Principes, etsi aliqvando lucis & veritatis desiderio accendantur, facile tamen avertantur, præclusis mediis ad audiendos per qvos proficere possent.

Qvanti autem post Cæsarem & Pontificem ipsum, a viris sui temporis maximis & doctissimis habitus fuerit Reuchlinus, epistolæ jam sæpe memoratæ ex omnibus Europæ partibus ad eum datæ, & *anno 1519. Hagenoæ* excusæ, luculenter demonstrant. Inter eos præter *Henricum Nuenarium Comitem, Huttenum, Capitonem, Eobanum Hessum, aliosqve* qvi ob Lutheranismum suspecti videri possent, & odiosum ut audivimus, Clero *Enismum* inveniuntur *Johannes Fisher*, Episcopus Rossensis, *Johannes Dalburgius* Episcopus Wormatiensis, *Thomas Truchsius*, Decanus Spirensis, *Ægidius Viterbiensis*, Augustinianorum generalis, *Philippus Beroaldus*, Jun. *Picus Mirandulanus* aliiqve plurimi, qvi religionem non mutarunt; plures vero nominari possent, si *tertium* volumen Romanarum epistolarum qvod in fine secundi promittitur, inspicere mihi licuisset, qvanqvam an editum fuerit

Capnionis Amici.

rit incompertum habeo. His oloribus anserinus Gretseri strepitus officere utiqve non potest.

Finieram ista, cum editus proximis nundinis Francofurtensibus libellus *de vita Reuchlini* ad me pervenit autore *Joh. Henr. Majo Phorcensi*, Ecclesiaste Durlacensi & Professore Gymnasii, docto, ut stylus probat, & eloqventi viro, in qvo & ea qvæ ex Capnionis epistolis aliisqve autoribus collegi, & multa alia digniſſima referuntur, præmissa Theologi in provincia illa primarii & celeberrimi *Lic. Joh. Fechtii* insigni præfatione. In hoc tractatu Friderico III. Imp. carissimus fuisse Capnio memoratur, a qvo & codice Bibliorum Hebraico donatus est, (qvi in Bibliotheca Durlacensi etiam nunc asservari dicitur) & in aula ejus a Medico Judæo, qvo Imperator utebatur, lingvam illam didicit; idem in Theologia recte sensisse de justificatione & Sacramentis perhibetur. Magna ei dignitas accessit, cum ex lege fœderis Svevici de qvo supra dixi, inter triumviros illos judices a Cæsare Maximiliano & Principibus constitueretur. Encomio insigni eum mactavit *Ulricus Huttenus*, in Carmine Heroico qvod *Triumphum Capnionis* inscripsit, magna cum monachorum & imprimis Dominicanorum insectatione. Speciminis loco paucos versus addam:

Dicat Io, si se novit Germania, dicat:
Jam vacuum curis, atqve ambitione solutum,
Viventemqve sibi, reliqvoqve suavius uti
Tempore qværentem, studia inter sancta librosqve
Lite relegata fessum, effætumqve senecta
Invasere senem innocuum, nil tale merentem.
Causa viros movit, qvi nil superesse videbant,
Post Bernense nefas, qvo se ingvinare liceret.
Respexere diu, placuit Capnione reperto
Exercere invidiæ stimulos, solitumqve venenum.
Sollicitis qvo principio se accingere possent
Flagitio, curas recutitus apostata solvit:
Consiliumqve dedit, sed versu, dicere durum est,
A piperis grano germanum nomen adepti.
Hunc olim pœnas fugientem, extrema secutum
Opprobria coopertum hominem, famaqve sinistra
Flagitiisqve reum, simulantem, ac multa volentem

Ad

Ad Christi traxere fidem; præstabat in illa
Religione mori, & pro factis solvere pœnas,
Quam bellum ac fœdas nobiscum accendere lites. &c.

Et post alia:

- - - accusat Capnionem, & judicat idem
Acer Hogostratus, scriptis quoque lædere quærunt:
Allexere Ubios fratrum adsc. cœptu Sophistas,
Una omnes ruere, & pugnam miscere parati.
Pallidus imprimis, & olenti Tungarus ore,
Ultro scribit opus cui putidiore Minerva
Ebrius Ortuinus scabris se versibus addit.
Deinde alii certant. - - - - - -

In *Petrum Maierum* plebanum Francofurtensem quo cum *Cronebergius*, ut alibi notavi, per literas disceptavit, inter alia his ludit versibus qui & alios concionatores perversos egregie depingunt:

- - - Quantum est potuisse furentis
Judicio vulgi, stolidæque placere coborti.
At si quando tibi ridet leviora loquuto;
Aut si quando oculos sancti lugubria tergit,
E populo quivis quam, vel de mulieribus istis,
Tum sublime caput, tumefactaque nubibus effers
Labra tenus, plausuque manu, mollique triumphas
Continuo gestu, tunc te hæc suggesta, tuumque
Vix capit hoc regnum, tunc tu omnia voce lacessis,
Omnisque exuperas, & inanem percutis aurem.

Ex plurimis quibus Capnionis laudes prædicat hos appono:

Hic vir hic est, cives, quem vos paulo ante petitum
Mille dolis, mille insidiis, atque arte maligna,
Promissa doluistis ope, hæc venembilis illa est
Canicies sancti capitis, cui debet honorem
Et cui semper habet plenis Germania votis
Virtute illustrata viri. Hic est ille ferorum
Intrepidus domitor monstrorum, invictaque mastix,
Qui temere fratres ausos, temereque Sophistas,
(Laudis opus plenum, & memorandum in secula factum!)
Contudit, & multa trepidos formidine sternens

Intactam asserui: ab iniquo judice famam.

Et paulo post:

Hic vir, hic est, cives, qui non torporis inerti
Segnitie socordis agens, quæsivit honores;
Verum acri studio atque opera, multoque labore.
Qui gravibus rebus quæsitus Cæsaris egit
Et patris & nati causas; qui plurima fecit,
Plurima qui docuit, non ventri obnoxius unquam,
Et nunquam indulgens, quique ut nos vera doceret,
Quæ non dura tulit? cui non se inferre periclo
Est ausus? qui si temere non Ennius olim
Adscripsit tria corda sibi, nos quatuor isti
Jure bono dabimus, scribenti apteque loquenti
Quatuor in linguis, patria, Græcaque latinaque
Et tandem Hebræa. Quare infantissima Fratrum
Plebs fileat, quis enim melius multa ardua scribet?
Rectius & dicet, quam qui multa ardua novit?
Hic vir hic est cives, qui quæ quis legerit alter,
Plura dedit calamo, qui primus Comica scripsit.
Germanisque suis scenam patefecit, & amplam,
Ostendit caveam, vetuitque flere theatrum.
Plurima quæ numero, qui plurima lege soluta
Condidit, invenit qui multa incognita nobis
Optimus interpres, qui certe pluribus annis
Ante duces summos in Cæsareoque senatu
Jus dixit, quam quis, studuisse putabitur alter.

Lis cum monachis anno 1520. interveniente cum aliis *Francisco Sickingio* ita composita fuit, (ut ex epistola Capnionis ad Bilibaldum Pirckhaimerum apparet) ut monachia abolitionem causæ suo sumtu Romæ, cum honorifica Capnionis mentione se impetraturos esse & expensas litis refusuros promiserint, quemadmodum jam illos, in quos sententia Spirensi condemnati erant, ultra centum florenos *in bono auro*, ut scribit, restituerant. Unum adhuc noto: causam propter quam Capnio Romam missus fuit, aliam a Melanchthone in oratione de Reuchlino, ut & ab Altingio, loco supra citato, aliam in recentissima Capnionis quam allego, historia referri. In hac enim traditur, legatum fuisse a Philippo Palatino Electore Reuchlinum ut contra Abbatem, sive

Præpo-

Præpositum Weissenburgensem & commissarium Pontificium, qvi a Præposito instigatus, sine cognitione causæ Electorem excommunicaverat, apud Pontificem Alexandrum VI. conqvereretur & extat oratio ejus Romæ de lite illa habita, perqvam elegans & gravis; potuit tamen & alterum illud negotium qvod reliqvi memorant, dispensatio nempe matrimonialis, inter legationis causas fuisse, idqve non negat scriptor novissimus, Majus. Finiam longam digressionem, unum tantum monens, qvod legi omnino mereantur epistolæ duæ Lutheri ad Spalatinum tum Wittenbergæ agentem, qvarum una (*Lib. I. 4.*) *Ortuinum Gratium*, Reuchlini adversarium exagitabat: ea scripta fuit anno 1514. altera (*Lib. I, 6.*) diem & annum non habet, Chytræi tamen & Calvisii judicio scripta fuit anno 1510. in qva Capnionem non solum prolixe ab hæresi defendit, sed & Ecclesiæ miserum statum & inqvisitorum, qvos vocabant, insciciam & tyrannidem deplorat, jam tumanteqvam cum Tezelio congressus esset, plenus adversus illos Zelo. *Plenum est*, scribit, *cor meum harum cogitationum magis qvam lingva dicere possit.* & paulo post: *Confido Dominum fore veracem etiam invitis & frustra sedentibus mille Colonienſibus, Dei enim solius hoc opus erit ab intra operante, non hominum, a foris tantummodo ludentium potius qvam operantium.*

Augustinus qvidam Alfeldensis.) Plurimi ejus libelli collecti a Monachis Paulinis Lipsiensibus in *Bibliotheca Academica* asservantur, tam Germanici qvam Latini, indigni profecto qvi lucem adspexerint, nisi Luthero ansam dedissent, sententiam suam magis magisqve confirmandi. Inter primarios infelicis ingenii Alfeldensis fœtus est tractatus, de cujus refutatione dixi, qvi hunc habet titulum: *Super Apostolica sede, an videlicet divino jure sit nec ne, neqve Pontifex qvi Papa dici cœptus est, jure divino in ea ipsa præsideat, non parum laudanda, ex sacro Bibliorum canone declamtio, edita per Fratrem Augustinum Alveldensem, Franciscanum regularis (ut dicitur) observantiæ sacerdotem, Provinciæ Saxoniæ, Sanctæ crucis sacrique Bibliorum canonis publicum Lectorem in Conventu Lipsico, ad Reverendum in Christo patrem & Dominum, Dom. Adolfum Principem illustrem in Anhaldt, Episcopum Mersburgensem.* Præmittit articulos Græcorum contra Pontificatum Romanum, Romæ damnatos, dein suam thesin proponit his verbis. *Sedes Apostolica* »

» *lica ſeu Cathedra Petri ſola ſuprema, jure divino erecta, firmata & defen-*
» *ſa, in qva Chriſto Deo noſtro jubente præſideret Petrus & ſucceſſor ejus, ut*
» *univerſalis eccleſiæ militantis caput, pontifex ſummus, Primas, Papa, Re-*
» *ctor, Paſtor, unus & ſolus ſummus Chriſti Vicarius Romæ tanqvam in loco*
» *ſibi congruo fixa atqve ſituata eſt.* Hanc ſeptem probationibus, (*gla-*
» *dios* vocat) propugnat, v. g. a neceſſitate regiminis monarchici, qvod ſtabiliri putat dicto Chriſti, *omne regnum in ſe diviſum deſolabitur:* a figura veteris teſtamenti, qvia enim *omnia in figura contigerunt. 1. Cor. X.* ideo & Aaronis figura impleri debuit, nempe per Papam. Eo qvoqve trahit dictum *Hebræ. VIII.* qvod *Chriſtus ſortitus* ſit melius *miniſterium.* Addit dein vulgata illa: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram* &c. item, *Dabo tibi claves cœlorum: Rogavi pro te Petre: Paſce oves meas.* Sed ſubtilius fortaſſis eſt qvod dicit, Chriſtum in una navi Petri conſediſſe qvanqvam duæ adeſſent. *Luc. V. 3.* & qvod didrachma pro Petro ſolverit, utpote pro vicario ſuo, & alia ejuscemodi, ita ut & Petro reliqvos Apoſtolos pro conſultoribus aſſignet, ſicut Papæ Cardinales. Per hæc putat blaſphemiæ & hæreſeos convinci poſſe, contrarium ſentientes, eosqve cum *lethiferi veneni conflatore aſello Joh. Wicleffo* & cum *Joh. Huſſ conſobrino diaboli*, comparat. Poſt hos flores pronuntiat: *Qvicunqve negat jure divino eſſe ſummum Pontificium Pe-*
» *tri, atqve ſedem Apoſtolicam, qvod idem eſt, ſimul qvi negat jure divino*
» *eſſe Chriſti vicarium Petri ſucceſſorem, hunc coram Deo & Chriſto Jeſu,*
» *qvi judicaturus eſt vivos & mortuos, coram tota univerſali eccleſia pro-*
» *clamo, accuſo, devito velut perverſum hæreticum, ſi pertinaciter in errore*
» *& hæreſi perſiſtit.* Edidit inter alios Alfeldenſis ſermonem Germanicum in qvo compendium qvoddam convitiorum & retorſionum in Lutherum invenitur, cum delineatione plurimorum ſcriptorum, qvos contra eum meditabatur. In hoc adverſus deſideratam a Luthero Miſſæ ſeu Euchariſtiæ celebrationem in lingva populari, ex inſcriptione Pilati qvæ in tribus ſaltem lingvis facta ſit, argumentatur, negatqve licere in alia qvam una ex tribus illis Miſſam celebrare, addita graviſſima, ubi ipſi videtur ratione, ne populus ad inobedientiam, & multos errores moveretur, aut anſam ſumeret communionem ſub utraqve deſiderandi. Comparat in illo ſermone *Lutherum* cum *Conrado Fabro*, qvi Sangerhuſæ Principum juſſu olim combuſtus fuerit ob dogma

Huſſi-

Hussiticum, qvo nunc Saxoniam, Misniam & Thuringiam infici, qveritur a Luthero. At de eadem *communione sub utraqve* Latinum tractatum edidit, anno (nisi innumero errarunt Typographi) 1529. Huic proëmium præmisit de nomine Jesu indeclinabili, cui qvintam literam addidit & JESUH scripsit, ut conveniret cum Voce Josua tot literas habente: mira inde mysteria eruit, præcipue ob interpositam literam S. qvem semivocalem esse tradit, qvia incipit a vocali, & pronuntiatur *ES*. Id notat (ait) mysterium incarnationis, nam natura a verbo assumta ex se plenam vocem, id est, personam non habet; æmulari ita Lutheri studium Hebraicæ & Græcæ lingvæ voluit Thersites iste, ut literaturæ gloriam sibi qværeret, & Reuchlini, qvem *doctissimum virum* vocat, autoritatem seqvi videretur. Elegantiæ etiam Monasticæ specimina sunt, tituli librorum *Fœtor Ludemnus*, *Syrupus Alfeldensis*. Sed ex his plura piget referre, prætereo etiam alias chartas, qvas tum adversus Lutherum tum adversus eos qvi pro Luthero, cum is ipse respondere homuncioni nollet, calamum sumserunt, *Dolschium & Lonicerum*, nugis suis implevit.

Mense Junio tractatus *Card. Cajetani, de divina institutione Pontificatus*, Coloniæ recusus est, is puto qvem teste Richerio *supra ad §. 2.* occasione Concilii Pisani scripsit, in qvo pro Scholastico, qvo valuit, acumine nihil omisit, sed ad stabiliendam sententiam suam testimonia veterum studiose collegit, ex qvibus non solum *principatum* sive ἀρχιεπισκοπείαν Petri & successorum, sed & dominatum illum universalem, & infallibile de religione judicium astrui posse existimavit. Neqve tamen ipse dissimulat, *certitudine mathematica firmari non posse qvæ scripserit*, sed interpretatione Scripturæ secundum sensum doctorum & in autoritate Conciliorum acqviescendum esse, ita enim certam esse fidem, de Pontificatus institutione divina, ut certior haberi non possit. Refutavit Cajetani tractatum anno 1511. primo editum anno seqventi *Jacobus Almainus* Doctor Parisiensis, cujus hunc & alium ejusdem argumenti libellum Edmundus Richerius compilationi suæ, sive *Vindiciis doctrinæ majorum Scholæ Parisiensis* anno 1683. editis inseruit. Dedicavit scriptum suum Almainus *Tristando Salezario*, Senonensi Archiepiscopo, his exorsus verbis: Qvod imprimis optabam mihi hoc tempore sorte qvadam obtigit argumentum, scilicet edendi qvidpiam in assentatorias, & qvasi qvodam adulationis illicio, Summum

mum Pontificem sibi nimis blandiendo demerentes doctrinas, illius Fratris Thomæ de Vio Cajetani, hominis alioqvin eruditi, nisi suam eruditionem assentationis macula contaminasset, & nisi sacratissima illa Concilia Constantiense & Basileense, suis procacibus verbis infamare & sugillare annisus esset. Cum satis innotuerit nova hac editione liber iste, non opus est ut multa ex eo exscribantur: invenient interim Pontificiæ majestatis assertores qvæ Lutheri & Protestantium sententiam excusare, & hos labore impugnandi supremam & infallibilem illam potestatem levare possunt; qvanqvam Richerio in iis, qvæ pro absoluta infallibilitate Conciliorum asserit, non assentiant.

Ad §. LXX. *Thomæ Rhadini*) Paulo ante editum Cajetani libellum mense nempe Octobr. anni 1520. recusa est, annitente Emsero, Lipsiæ *Thomæ Rhadini Ord. Prædic. oratio ad Principes & populos Germaniæ*, Romæ, ubi Theologiam profitebatur, in Lutherum habita. Gloriatur autor de origine Germanica, qvod natus sit *Placentiæ* ex Comitum familia, qvæ *Thodiscorum* (i. e. Germanorum) cognomentum retinuerit, Luthero (ex vulgi, ut dicit, opinione) magnum ingenium, uberrimas artes & compositum sermonem tribui non negat, item qvod sit vir fortis, & bonus qvi bene vivat, solertissimus etiam, & qvi professione vitæ Eremiticæ Augustinianæ, Christum pauperem secutus sit; culpat verò ut rerum & opinionum novarum cupidum, qvi *nullum ex Theologis, qvos seculum illud venerabatur, imitari velit, sed superiores vincere, & posteritati exemplum & autoritatem relinqvere.* Germanorum fortia facta & pietatem extollit, eas autem laudes a Luthero imminui putat, & nobilitati Germanicæ dedecus inferri, imprimis Friderico Principi, qvi templum Wittembergense celebersimum extruxerit, & ex multis regionibus conqvisitis reliqviis ornaverit, indulgentias etiam centum dierum, visitantibus templum impetraverit, qvas nunc Lutherus in contemtum adduxerit. Objicit eidem qvod Philosophiam Aristotelicam spreverit & *Theologiæ pestem* vocaverit; cum Summa Scholasticorum doctorum injuria; qvi tamen per annos trecentos Philosophiam Theologiæ ancillari, & omnem humanum intellectum in obsequium Christi captivum facere allaboraverint. Exagitat encomia qvibus Lutherus se efferri, & veluti sanctum pingi patiatur: maxime vero ei vitio vertit, qvod adversus regale sacerdotium petulanter insurrexerit. *Esto*, inqvit, *sacerdotes* ab illo *antiqvo*

siqvo clarissimarum virtutum, morumqve sanctissimorum tenore defecerint. Esto (licet Salomon non consentiat) hoc sit sub sole novum vivendi genus, priora qve tempora meliora fuerint, ut morosi senes & stultus qvisqve causatur. Esto nunc primum juxta prophetam, dominus de cœlo prospiciat, ut videas, si est intelligens, aut requirens deum, omnesqve declinaverint, simul inutiles facti sint, nec sit qvi faciat bonum, nec usqve ad unum. Esto, inqvam, sandem sit Roma peccatrix, sit misera, sit adulsera. Non tamen debuerat Martinus primus in eam lapidem mittere, nisi forte fortuna se innocentem & sine peccato dicat, atqve seipsum seducens mendacem faciat. Peccasse deinde eum dicit contra decreta Juris Canonici, qvæ nullam in Pontifices censuram admittunt. Dum vero, contra dogmata Lutheri disputat, in traditione Ecclesiæ fundamentum ponit, & *ideo non omnia scripta esse, sed viva voce a Christo & ab Apostolis eorumqve successoribus tradita contendit, ne sacrosancta & divina secreta in prophanum vulgus exirent, & amaracinum suibus offeratur.* Dein ex Lutheri dictis contradictiones colligit, & errores suos ex Wiclefo, Husso, Marsilio Ficino, & Johanne Laudunensi hausisse eum asserit, pugnat pro primatu & potestate Pontificis; testimoniis Patrum, speciatim exprobrat Luthero odium in ordinem Dominicanorum. & Hussitarum exemplum eum seqvi scribit, qvi monasterium Prædicatorum Glatoviæ in Bohemia funditus everterint. Gratias agere Philippo Melanchthoni Lutherum jubet, qvod hic scripta ejus expoliat, & ut loqvitur *supra balbiloqventiam nonnihil elevet.* Reprehendit commentarium ejus in Epist. ad Galatas, nulla tamen allata ratione, qvam qvod Paulum Petro æqvalem fecerit. Allegat dictum *II. Petr. III. 15.* eo, credo, sensu ut censuram Pauli ex cathedra Pontificia continere videatur. Appellationem vero ad concilium a Luthero interpositam, Pii II. & Julii II. decretis damnationem Luthero afferre asseverat. Post innumera convitia & scommata, qvæ collectis & applicatis Scripturæ centonibus, Poëtarum dictis, historicisqve & grammaticis allusionibus (qvarum magna tumet copia) toto spargit & effundit sacco, tandem Deum omnesqve sanctos implorat, ut a Germania, qvam patriam suam vocat, mala illa ex Lutheri *doctrina metuenda avertant, ipsum vero ad meliorem mentem reducant, vel interitum ei accelerent, ut omnes posthac in tranqvillo Ecclesiæ statu dormiant.* Hæc Summa votorum erat. Orationis hujus exemplo Lipsiæ

recuſo, Phil. Melanchthon æqve ac Lutherus ſuſpicatus fuit autorem ejus eſſe *Hieronymum Emſerum* ſub *Rhadini* nomine latentem. Conſtat id ex epiſtola Lutheri ad Spalatinum *part. II. pag. 7.* & ex *Hirci* cognomine, qvo Emſerum, ad inſignia ejus alludens Philippus compellat. Edidit autem hic ſub *Didymi Faventini* nomine Orationem pro Luthero doctiſſimam graviſſimamqve, Principibus Germaniæ itidem dicatam, qvæ in *Tomo II. Oper. Philipp. p. 38. & ſeqq.* extat. In hoc
» rerum eousqve geſtarum ordine breviter & perſpicue enarrato, ini-
» qviſſime accuſari dicit Lutherum, qvi patriam Romanenſibus fraudi-
» bus liberavit, qvi ſeculorum aliqvot errorem unus his temporibus au-
» ſus eſt convellere, qvi Chriſtianam doctrinam impiis Pontificum con-
» ſtitutionibus, & nugacibus Scholarum Sophiſmatis prope extinctam,
» in lucem revocavit. Nam has laudes docti tribuunt Luthero, non e-
» go tantum, & vere tribui intelligetis, cum ad accuſationum capita
» reſpondero. Hæc præfari libuit, ne hunc tumultus hujus autorem eſ-
» ſe putaretis, qvam plane iſtorum furoribus debetis, qvi jam annos plus
» tres nihil non agunt, nihil non moliuntur, ut extingvatur Luthe-
» rus: non ut qvieta ſit respublica Eccleſiæ, ſed ut ipſi in qvie-
» tam Eccleſiam tyrannide ſua libere graſſari qveant. Dein ad capita accuſationis reſpondet. De miſſa, ait, ita docuiſſe Lutherum, ut boni non offenſi, ſed teſtati ſint aliqvot eorum, multum ſe debere Luthero, qvod eo autore tandem ſanctorum myſteriorum fructum cognoverint; reclamare autem illos ſolum, qvi ſacra in qvæſtu habent. Fridericum Electorem (qvem a Luthero læſum eſſe declamaverat Rhadinus) teſtem appellat, qvod Lutherus indulgentias non in Principis contumeliam & damnum, ſed veritate Evangelica convictus reprehenderit, ipſeqve Elector intellexerit, meras impoſturas eſſe indulgentiarum nundinationes: laudat eum, qvod Lutherum non prodiderit inimicis pro libidine cruciandum. Ad objectam porro ſtudiorum oppreſſionem, & primo qvidem Philoſophiæ, hæc regerit: Non damnat Lutherus eam Philoſophiæ partem, qvæ mathemata,
» qvæ gemmarum, plantarum & animantium naturas deſcripſit. Nam
» horum cognitionem fatetur ad ſacra neceſſariam eſſe, ſoletqve in loco
» uti, qvoties res poſtulat, probat inqvam pingvem illam rerum deſcri-
» ptionem, cujus autores habemus, apud Latinos Plinium, apud Græcos
» Athenæum, addo, ſi vis, Ariſtotelem, Theophraſtum, Dioſcoridem, ut

Poe-

Poetas interim taceam. Breviter, collaudat Lutherus, qvæ de rerum natura fere sunt a medicis conscripta, damnat autem, si ignoras, eam Philosophiæ partem, qvæ de rerum principiis, ventorum ac pluviarum causis, prodigiosas nugas comminiscitur, adeoqve qvicqvid id est, qvod Aristoteles vocat Physica ἀκροάματα, καὶ τὰ μεταφυσικά, damnat qvicqvid de moribus a Philosophis proditum est. Allato dein Antiochi regis contra Philosophos decreto optat, ut in Christianismo illi locus fuisset, sic enim (ait:) Sacra doctrina sincerior hoc tempore esset, & cum doctrinam mores imitentur, adhuc esset reliqva Ecclesiæ nonnulla disciplina, qvæ jam ita cum doctrina Christiana, novis Theologorum dogmatis, qvæ e Philosophia nata sunt, & impiis Pontificum constitutionibus extincta est, ut ne nomen qvidem Ecclesiæ mereatur horum temporum confusio. Speciatim porro Theologiæ Scholasticæ vitia exponit, tam in Metaphysicis qvam moralibus, magno pondere argumentorum & verborum flumine. Pauca saltem specimînis loco adscribam: postqvam enim doctrinam Physicam Aristotelis taxasset, de ea parte disserit, sine qva Theologiam mancam putaverint, metaphysica nempe de Deo, (scribit) de iis qvæ Deo tribuuntur ab hominibus, de unitate, de intellectu, de voluntate, de simplicitate, differunt Metaphysici, qvos vocant, qvam partem Theologia Scholastica sibi totam vindicavit, in qva regnare sibi videtur. Hinc natæ sunt factiones illæ, Thomistarum, Scotistarum, Occamistarum, velut ex Chao demorgogoneo. Hic Theologorum vulgus studia in contraria scinditur, dum hic rem rationabilem, illæ realitates, breviter dum suum qvisqve dogma asserit. Ostensa vero vanitate dogmatum istorum ita judicat: Ni sol noster Jesus Christus præeat humanis tenebris, fieri plane non potest, qvin palantes animi passim errent & a vero excidant. Qvo duce cum careat istud Theologorum genus, qvas non opiniones, qvæ non portenta, imo qvæ non idola confingit? qvum varias divini numinis formas delineat, cum hic essentiam divinam re ipsa a relationibus, ille ratione distingvit, cum hic aliqvot realitatum myriadas in eo numerat, ille realitates inter Platonicas ideas ridet. Qvæso qvorsum ista tam putida? qvæ Paulus testatur ad ædificandam fidem nihil conducere. Est enim alia qvædam spiritus doctrina, alia qvædam lux, qva tenebræ mentium nostrarum divinitus discuti solent. Post alia eodem facientia moralem Philosophiam aggreditur, eamqve

negat cum Christiana Doctrina convenire, imo e diametro cum Christo dicit pugnare. Optabile (ait) foret me rhetorice hoc potius qvam vere dicere, & hoc errare loco. Sed hæc nimium vera est oratio mea; Hanc post multas alias qverelas, *depradatricem illam Philosophiam* esse statuit, qvam Paulus caveri jusserit. Summam inde necessitatem ostendit, qvæ Lutherum ad damnanda Philosophorum Ethica adegerit, præcipue in articulis summis *de lege, peccato & gratia.* Omitto qvæ de legibus, de peccatis ac affectibus disputat Philippus: ubi *stultos* vocat Theologos Scholasticos, qvi dogma mediocritatis ad virtutes etiam theologicas applicent, ut prohibeant ne Deus immodice ametur; de gratia tantum qvædam addo: Censent Philosophi absolutam virtutem in homine adsvetudine parari; contra divinæ literæ docent, humana omnia polluta esse peccato, nec purgari nisi spiritu, qvem Christus emeruerit generi humano. Omnia philosophi viribus humani ingenii tribuere, divinæ literæ omnia ademerunt, in comparanda absoluta, & germana virtute. Hic Scholæ Theologorum Philosophos secutæ virtutem parari posse viribus humanis, docent: Spiritum accedere, ut sese in nobis jam nostro Marte purgatis oblectet, non ut suo numine transformet, ac purget animos. Qvo dogmate qvis non videt Christum vulgo obscuratum esse, qvem cum exhibeant divinæ literæ autorem boni spiritus, & purificatorem humanarum mentium, isti plane repudiant, cum nihil non pudet eos humanis viribus arrogare. Hinc prodigiosæ illæ de donis, de fructibus, de Theologicis, de cardinalibus virtutibus disceptationes, ubi omnia tribuuntur naturæ, Christo nihil. Donorum enim qvæ vocant & virtutum cardinalium plane fatentur seminaria qvædam in natura esse. Theologicas vero virtutes, ne qvid divino spiritui relinqvant, fingunt alias divinitus in nos effundi, alias a nobis parari. Deinde, plane ociosas in nobis fieri tere eas, qvæ divinitus inspiratæ sunt, vigere vero, qvas nos paravimus. Qvod dogma, ut veteres taceam, nuper contra Lutherum ausus est vinosus Lapitha: Sophista *Eccius* proponere disputandum, in hanc sententiam. *Nobilior est fides infusa qvam acqvisita, tamen ut ita dicam, fides acqvisita est activior*; hæc enim illius verba sunt. Qvæso vos, Principes, qvid magis impium, qvid magis blasphemum vel excogitari unqvam aut a Marcione aut a Pelagio potuisset. An non videmus qvid insulæ ndei tribuerit in Evangelio Christus, cum ait Petro

tro, *Beatus es Simon Bar Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui in cœlis est.* An non hic tribuit fidei confessionem, spiritui Patris? aut vim fidei cui tribuit, quum ait, omnes a Deo doceri? Hoc genus sexcenta licet reperire in istorum commentariis, quos pro sacrosanctis habent. Et paulo post: Jam & nominibus gratiæ, fidei, caritatis ac spei sic abusi sunt, ut nihil minus in divinis literis significent, quam quod istis, in disputationibus suis. Adeo non modo Christi doctrinam, sed & sermonem dedidicimus. Nam ubi gratia, quod Christo favoris vocabulum est, formam animi, ut isti disputant, signat? aut unde sunt fidei infusæ & acquisitæ, formatæ & informis appellationis natæ? Unde ille item caritatis ordo, quem præscribunt? Aut quo autore docent humanis meritis in spem salutis erigi Christianas mentes? Imo unde prophana illa *meriti* appellatio, qua nihil impudentius aut magis impie confingi potuit? persequitur inde multitudinem Legum Pontificiarum, & casuum conscientiæ tot voluminibus enarratorum, quorum nomenclaturam nemo facere possit, interim in tanta Theologastrorum copia, non esse qui conscientias erudiant, qui leges divinas, peccati formas, aut ipsum Evangelium norint, Sacramenta vero ita tractari, ut baptismus facta sit frigida ceremonia, pœnitentia conscientiæ carnificina & ratio compilandæ plebis. Missa in profanum quæstum & sacrificium a Scholasticis conversa, cujus fructus in quosvis dispensari possit pro arbitrio sacrificantis: multiplicatum Sacramentorum numerum a Thoma & Scoto, viro hoc nomine dignissimo. His & aliis argumentis Lutherum & Philosophiam & Philosophorum fecem Theologiam Scholasticam damnasse, huic enim deberi quicquid est in Republica Christiana publicorum & privatorum malorum. Quorsum (ait) vesana curiositas, qua ne quid ignorare viderentur isti, omnium mysteriorum cœlestium exactas rationes vestigare conati sunt? Adorari & credi volunt sublimia de Trinitate, de providentia, de incarnatione verbi mysteria, rationibus humanis penetrari non volunt. Atque utinam saltem Aristotelem suum audissent, hac parte, ubi tam pueriliter desipuere! ait enim ille, τὸ ἀκριβὲς οὐχ ὁμοίως ἐν ἅπασι τοῖς λόγοις ἐπιζητητέον. Quorsum vero hæc stultitia, malle ad naturæ leges, quam ad divinas exigi, hominum mores? cum falli judicium naturæ possit, divinæ legis non possit: An vero non fefellit uspiam Philosophos ratio, quæ eis tot sectarum, tot

dissen-

» dissensionum autor est. Qvorum hæc amentia, absolutam virtutem, » humanis conatibus potius, qvam divini Spiritus operæ tribuere, cum » & Philosophi qvidam innasci verius, qvam parari nostro sudore vir- » tutem docuerint? Hic vestram fidem, Principes, vestram pietatem » implorat Ecclesia, ut hactenus Philosophiæ & humanarum traditio- » num captivam, vel tandem ab hac misera & bis Babylonica servitute » adseratis. In Scholasticorum primores qvosdam nominatim stylum acuit, qvos omnes *a Luthero vinci* dicit *bis sedecim pedibus, si de ingenii acrimonia, de eloqventia & Cyclicis disciplinis contendatur.* Damnat Scholas *non ut parum ingeniosas, aut qvod orationis ornamentis careant, aut qvod obscuræ & impeditæ, sed qvod impiæ sint; & de impietate ex sacris literis a Luthero convincantur:* affert inter alia exempli loco Thomæ sententiam: *Antequam ratio in qva est peccatum mortale reparetur per gratiam justificantem, potest singula peccata mortalia vitare. Hoccine* (ait) *est, in Christi obsequium » vincire intellectum humanum?* illam enim gloriam Rhadinus Scholasticis tribuerat. Occamum (delicias ait qvondam nostras) ob hanc thesin condemnat. *Gratia opus esse ad justificationem neqve Scriptura neqve experientia testatur.* Hac occasione adversus jactatam Eccle- » siæ pacem (qvam in frontispicio operis Maimburgiani collaudatam » vidimus) ita scribit Philippus: *Pax* censenda non est, qvod annos » jam qvadringentos nullæ videntur hæreses fuisse, nulla dogmatum » bella in Ecclesia: nam & hæreses ipsi communi in scholis decreto pro- » fessi estis, nisi hæreseis vocare non licet, qvæ contra Evangelium prodi- » ta sunt, & cum pro Evangelio reluctari Pontificum & Principum ty- » rannidi debuissetis, contra Evangelium a tyrannide stetistis. Ibi cum » libere degrassari in pietatem tyrannis licuerit, qvicunqve tandem fue- » re, qvorum scelere factum est, ut prisca Ecclesiæ statuta legesqve pau- » latim extinctæ sint, vos socordiam vestram, pacis studium interpreta- » mini. An nescitis non pacem in terras sed gladium missum esse? Non » minus acriter oppositam illam autoritatem Cleri aggreditur: Si Chri- » stianos (ait) faciunt purpura, mitra, tituli vestri, & illa insana stipen- » dia, qvibus saginamini, nihil Christianius reperiemus Sybaritis illis ac » Milesiis hominibus, ut ferunt, prodigiosæ luxuriæ. Et qvia ab opi- » bus ac deliciis vestris æstimari doctrinam vultis, qvæso Paulum audite, » ..... hujus

jus judicii vestri βάσανον, cum scribit: *multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Cum vero Rhadinus Lutherum provocet ut unus insurgat contra decem millia, Audi (inqvit Philippus) unius Christi potior est, qvàm decem myriadum calculus. Christi spiritum Lutheri doctrina referri contendit. Vincat itaqve, ait, si ex Deo ejus Spiritus est, si cum Christi literis consentiunt ejus dogmata, qvem unum profitetur, ut vero cum Aristotele, cum Thomistis, cum insanis Pontificum constitutionibus conveniant, non laborat. Qvanta vero, & solidítate & eloqventia, qvantaqve fiducia ad objecta vulgaria illa pro primatu Pontificis, loca respondeat, & qvomodo Lutheri institutum & sententiam tueatur, optandum esset, ut omnes ex ipso legerent tractatu. Summam disputationis huc reducit, ut neget jure divino primatum illum niti; Causentur isti (ait) seculorum consensum, consvetudinem, hominum opiniones: Nos oracula sancti spiritus causabimur, qvibus par est humana omnia cedere. Esto, imperarit Romanus Episcopus Galliarum & Germaniarum Ecclesiis, nos de jure qværimus: *Num divino jure oporteat Romano Pontifici serviamus, qvo cum non cogamur, qvid obstat, qvo minus Papa, qvod dedimus jus, adimamus?* Nam in hoc vindicanda est libertas Ecclesiastica, ne illius legibus diutius conscientiæ divexentur & crucientur: Et postea: Hic vestram fidem hic vestra studia implorat Lutherus, implorant omnes pii. Alii apertis vocibus, alii lamentis, alii miserabilibus gemitibus, & ipsi etiam in cunis infantes, qvi vobis suam salutem, cum non possunt voce ac verbis, vagitu commendant: vel tamen recordamini vos & Christianos esse, & principes Christiani populi, & ab Anti Christi tyrannide miseras Christianismi reliqvias adserite. Fallunt enim qvi vobis adversus sacerdotes, ut ipsi loqvuntur, licere nihil volunt. Nam qvi spiritus animavit Jehu adversus sacerdotes Baal, idem nunc qvoqve cohortatur vos prisco illo exemplo, ut extingvatis illam multo tetriorem Baalis idololatria, Romanam superstitionem. Proinde ut intelligatis qvi fuerit dominatus Pontificius jam a seculis aliqvot, & qvam nihil referat Christi, paucis percurram res Pontificias. Qvæ affert ex historiis Pontificum, cum notissima sint, hic recitare non est opus. Acerbe invehitur in sublatas scholas qvæ olim in collegiis habebantur, &

& intrusis in hæc otiosis monachis, & sacrificis: multa qveritur de Academiarum instituto.; qvas severa reformatione indigere validis demonstrat argumentis, & Principes graviter cohortatur, ut animum ad illas reformandas serio intendant. In manu, inqvit, vestra est, modo velitis opem ferre vel hac parte Christiano populo, qvem fidei vestræ Deus Optimus Maximus commendavit. Eqvidem hæc non sine magno animi mei dolore vel dicere vel cogitare possum, atqve utinam salutem Academiarum hat anima mea qveam emere. Non eram de moribus eorum qvi degunt in Academiis dicturus. Sed huc me rapit dolor, maxime cum hic peccetur publicis exemplis. Qvæso qvid aliud Academiæ sunt, qvam qvædam omnium vitiorum lerna? Adolescentia, qvæ tenerrima pars Christiani populi est, luxu, libidinibus, ingluvie perit. Qvid enim faciat hæc ætas, cui tam svaviter indulgent magistri qvos pascunt? Deinde ut diligens præceptor contingat, qvid promoveat cum sacra, aut plane non doceat, aut parce doceat? At juvenilem mentem frustra regas, nisi adversus carnem, adversus exempla mundi, adversus insidias Dæmonum Evangelicis literis & exemplis munias. Et post alia qvædam: Nulla apud gentes Respublica fuit, in qva non fuerit præcipua cura juventutis optimæ instituendæ: soli nos, qvi Christi nomen habemus, nihil perinde atqve hanc unam rem inprimis necessariam contemnimus. Agite Principes, cognoscite qvibus minis vocet ad curam regendæ juventutis Christus, cum inqvit, *Qvi offenderit unum ex pusillis istis qvi in me credunt, illi melius fuerat mola asinaria de collo suspensa, in profundum maris merso esse.* Si parum adficiunt cætera, at misereseat vos innocentis adolescentiæ, qvæ alieno scelere perit. Ipse aliqvot vidi minime malos juvenes, qvi nescisse literas malebant, qvam tanto emisse, qvi ex Academiis præter sauciam conscientiam nihil retulerant. Dominici deinde & Franciſci instituta catenus laudat, qvod Ethnicis studiis se opposuerint & Ecclesiæ vindices esse voluerint, sed qveritur horum discipulos ad Paparum dominatum stabiliendum & ab Evangelio ad hominum commenta transiisse, ita ut nemo jam Theologus Christianus sit, sed aut pingvem Thomæ Philosophiam aut impeditas Scoti qvæstiones aut argutias Occami discere debeat; cœlestem ac simplicem Christi sapientiam nemo ambiat. Pergit. Cum in Ecclesia docendi provinciam tam episcopi parochis, pa-

rochi

rochi fratribus (Monachis) delegassent: Fratres alii per ambitionem philosophicas suas, alii ventris causa plausibiles fabulas docere cœperunt. Hic confingi divorum historiæ, venundari preces, præscribi subinde novæ ceremoniolæ, & hoc genus infinita. Breviter, sic certatum est mendaciis, ut minime sit obscurum, Satanæ scenam fuisse, istorum conciones, o gratam, o jucundam dæmoni comœdiam! sic ridere, ludere, subsannare stultum vulgus. Non erat jam cur insidiaretur Ecclesiæ Satan, sed fruebatur capta & subacta. Postremo orationis capite *de indulgentiis & pœnitentia* item *de attritione*, qva spiritus Dei impetretur ex Scholasticorum traditis, qvæ sit controversia egregie ostendit. Calumniam deniqve qvod Lutherus bellum cum Turcis improbet ita eluit, ut dicat nil aliud velle Lutherum, qvam ut pium esse dicat, nos ipsos prius emendare, qvam ferro in Turcas grassari, & astum Paparum deregit, qvo vel objecerint Principes & populos gladio infidelium, ut ipsi interim domi dominarentur, vel pecuniam Turcici belli prætextu corraserint. Epilogus qvo Principes ad ferendam Ecclesiæ opem admonentur, summe est memorabilis, & in tota hac oratione specimen elucet qvid inventione & stylo valeret Philippus, eo præsertim juvenilis ætatis vigore: neqve enim alibi puto altius eum assurrexisse, aut magis mascule sententiam suam aperuisse.

Reposuit Philippi responso Rhadinus declamationem aliam; in hac qvicqvid ex Catilinariis & Philippicis imitari potuit, largissime denuo in Lutherum & omnes qvi ei vel assensum vel patrocinium præstabant, effudit. Immanis calumniæ specimen esto inter plurima cum scribit: *Nonne tu Cæsar* & vos principes jam videtis, qvo sceleratissimæ hujus conjurationis & seditiosæ flammæ incendium tenderet? Oppressam primum volebant Pontificiam dignitatem extinctumqve Episcoporum splendorem, qvo sic deinde populos religione exolutos facilius corrumperent, neqve ducibus, neqve regibus neqve Cæsari parere paterentur: qvoniam ea demum Lutheranis Christiana libertas est, non Sacerdotes, non Pontifices, non leges, non mores majorum, non instituta Patrum, non principatus, non ipsum deniqve vereri Deum. *Et postea*: Qvantum iste tibi Cæsar & vobis Principes amicus sit, qvantum Christo & Paulo obediens, hinc apertissime cognoscitis. Christus qvæ sunt Cæsaris Cæsari reddenda statuit: Paulus tributa

» buta propter conscientiam præstanda censuit: propterea qve potestatibus sublimioribus omnem animam subditam esse oportere, ne ordinationi Dei cujus Principes ministri sunt, resistamus: Iste vero inflatus furiisqve accensus, satis per se volubilis incitat plebis animos, ne Lutheranæ (Christianam ipse vocat) libertatis immemores sint: ut sua jura viresqve cognoscant: ut æqvatis solo (si possent) principatibus libere tandem vivere, immo ut fundamento libertatis, & æqvitatis fonte, qvæ in legibus posita sunt ablatis, sine mente, sine animo, sine consilio, pecudes demum feroci ariete attollere cornua aliqvando possint. Cum Melanchthone multa expostulat. Lutherum præter infinita convitia etiam ideo a diabolo edoctum esse contendit, qvod Romam *Babylonem* dixerit; oblitus dudum, idem ab iis factum, qvos reprehendere Romæ nemo facile ausit. Cætera qvis enumerat, qvæ vel adversus Lutheri dogmata vel ad Philippi defensiones incredibili despumat petulantia? Subjungam etiam verba ex qvibus vana hominis spes elucet, qvam de interitu Lutheri prostrataqve tota ejus causa per Edictum Wormatiense conceperat: Qvoniam perlectum est Cæsareum illud tuum edictum, jamqve apud omnes gentes pervulgatum est, Martinum turpi exilio mulctatum, vitam illam arrogantissimam ignibus justis debitisq; ereptam fugæ solitudiniqve mandasse, proscriptionem ipsam in præsentia non exponam: verum Christianæ reipubl. summopere gratulabor, qvi Dei Optimi voluntate ac numine, divorum suffragio & precibus, bonorum omnium studio, Pontificis Max. authoritate, Eruditissimorum virorum laboribus & consilio; tua, Carole Cæsar, pietate, religione ac imperio ex Lutheranis flammis erepta sit. Qvamqvam enim voces illæ jactentur adhuc, Martinus vivit, vivit adhuc, nostræ tamen gratulationi haudqvaqvam officiunt, qvandoqvidem hæc Lutheri expulsio nefandissimæ istius conjurationis vires vehementius fregerit ac debilitaverit, qvam si ultimo supplicio ille ipse fuisset affectus. Isto namqve uno interfecto ad breve qvoddam tempus ab hac pestilentia fortasse relevata extitisset religio, sed mox densior qvædam malorum hominum seges ex Lutherano seminario succrevisset: qvi scilicet superbissimi & violentissimi conjurati morte illa terreri non possent, qva ob desperatam tranqvillæ vitæ rationem, qvum sibi anxietates in præsenti & miserias adimi viderent, tum ob effrænatam gloriæ cupiditatem parari famam apud posteros

steros arbitrarentur. Sed major hæc fuit scelerate factionis vulneratio & excisio, ductorem illum & principem, qvem triumphali pompa Wormatiam deduxerant, cui ex oppidis & ex agris tot Impii occurrerant, qvem jam victorem salutaverant, condemnatum, infamem, profugum, redeuntem videre, viarum flexiones ac diverticula qværentem, ut sese tandem a conspectu hominum in ignoto qvopiam loco abderet ac sepeliret. Hæc illa pœna est, hi sunt ignes, hæc est mors, qvam plus omni morte Lutherus odit, elata illa sua cornua confracta esse, abjectum se & contemtum intueri, prodire in publicum non audere, sibi & amicis diffidere, circumspectare omnia, & qvicqvid increpuerit pertimescere, atqve in æternis demum tenebris sine libertate, sine authoritate, sine voce, cum sempiterno arrogantis animi cruciatu ac dolore marcescere. Vivat igitur Martinus (neqve enim illius unqvam sanguinem expetivi) vivat miser, derelictus & vilis. Deniqve Cæsari ita blanditur: *Tu ille igitur Cæsar* ecclesiasticæ dignitatis assertor, heros & semideus, qvi in hac tua adolescentia hoc specimen virtutis, hoc indicium animi & prudentiæ, hoc lumen imperii tui fore putavisti, si in conservanda religionis pietate eum te præstares, qvem Cæsarem habere Christiana respublica jure optimo gloriari possit. Qvanqvam enim tua ista præstans singularisqve natura ab illius Capricorni Cælestis astro, sub qvo natus es, favores maximos hauserit, qvibus & tibi magnitudo illa imperii qvæ Cæsari Augusto concessa est promitti videatur, nescio qvid tamen divinius in te Cæsar intueor, qvod certe non a Capricorno defluxit, etsi sub ipso Reges maximos & acutissimæ cujusdam ac divinæ mentis viros nasci, qvum mathematici tum etiam Platonici doceant, qvi hoc signum Saturni domicilium portamqve Deorum appellavere: non inqvam Cælo, qvam potens & ampla sit hæc tanta pietatis & fidei Christianæ lux, qvam de te oboriri videmus, descendit; ab illo patre luminum tibi donata est, apud qvem nulla reperitur conversionis differentia, vicissitudinisve diversitas, per qvem Reges regnant ac tibi tot regnorum accessio facta est, ut vere his auspiciis Romanæ Ecclesiæ sedisqve servatæ, nihil dubitemus imperii tui fines illos futuros, qvi non terræ sed cæli regionibus terminentur. Sit itaq; Constantinus clarus, ille cujus religione atqve virtute perfidus Arrius exulare coactus est: ornetur eximia laude Gratianus, qvi Arrianos itidem ex Italia depulit: habeatur vir egregius Theodosius ille, cujus authoritate

» ritate & imperio fretus Innocentius Cataphrygas impios ejecit ex ur-
» be: sint æterna gloria Sigismundus & Fridericus Proavi tui, qvi ut
» Hussiticam pestem funditus extingverent, Consilio, vi, armis, omni-
» busqve severitatis rationibus laborarunt. Erit profecto inter horum
» laudes sublimis locus tuæ gloriæ, qvod non modo Lutherum & socios a
» pernicie reipubl. Christianæ repuleris, sed qvod prudentissimo illo &
» severissimo tuo Edicto provideris ut minimo vel nullo motu ac tumultu
nefandissima secta per sese a radice concideret. Non ingratum credo Lectoribus futurum esse legere ista, Viri, inter doctissimos tunc Romæ, nec immerito habiti, qvum præsertim in paucorum versentur hodie manibus, qvæ tum pagellis impressa, & sparsa, variis casibus periere, aut neglecta & fastidita fuerunt. Interim dupliciter falsus est in spe sua monachus, nam res Lutheri minime prostrata Wormatiensis decreti fulmine, aut ejus secessu in arcem Wartburgensem; majora potius habuit incrementa, & Caroli severitas qvam Romani ab eo in Lutherum postulabant, in ipsos haud multo post recidit, cum Roma exercitui Cæsareo in prædam cessit. Cæteras rabidi Rhetoris calumnias refutatione non egere lectores ipsi observabunt; impudens præsertim mendacium illud de seditione in Magistratus & sublato ordine Ecclesiastico, qvod commune est Rhadino cum Aleandro & aliis eodem spiritu actis. Interim Cochleus exultat, qvod Philippus tacere maluerit qvam dedecora sua dedecorosius in literas referre. Operæ pretium faceret qvi utramqve Rhadini declamationem & Philippi sive Didymi responsum, separatim edere, additisqve annotationibus judicio Eruditorum deferre velit, uter dedecora retulerit.

Ad §. LXXIII. *Ernesto Electoris Sax. fratre.*) Dignissimus est princeps iste, cujus memoria recolatur. Postulatus fuit ad Archiepiscopatum Magdeburgensem anno ætatis suæ duodecimo 1476. autoritate enim summo loco nati & eximiis opibus prædiți Parentis cognominis, Saxoniæ Electoris, opus esse Canonici putabant, ad pacem & disciplinam inqvietissimo illo seculo tenendam. Ernestus autem El. tanta erat sapientia, fortitudine & potentia, ut veluti arbitrium qvoddam belli & pacis in Germania haberet: respiciebatur etiam liberalis atqve honesta educatio filiorum; nam non solum *Fridericus* primogenitus, de qvo plurima dixi, talis fuit, ut *sapientis* cognomento etiam nunc prædicetur, & *Johannes*, qvi ei in Electoratu magna cum laude boni-

bonitatis & constantiæ successit, sed & reliqvi. Et Albertus qvidem secundogenitus ante annos curamqve gerens animumqve virilem, Archiepisc. Moguntinus ætatis anno 18. electus, qvietum & felix qvidem sed breve habuit imperium, anno 1484. altero post adeptam dignitatem, præcipiti fato abreptus. Sed Ernestus isto Præsulatum Magdeburgensem, & Halberstatensem summa cum laude, ut ex illorum temporum instituto licebat, rexit. Introduxit eum pater Elector Magdeburgum, qvatuor millium comitatu, in qvo erant Elector Brandenburgicus, Principes qvidam Brunsvicenses & Hassi, tum Episcopi Saxonici octo. Cum vero nec tantæ potentiæ & dignitatis meru pax in Provinciis conservari posset, patriis armis adjutus Præsul refractarios domuit. Sed ista ad seculi typhum pertinent, ut multa alia magnifica magis qvam pia; (non immerito ita judicante Chytræo *Lib. II. p. 56, 57.*) Præstitit interim, qvod mores seculi & inveterati defectus permittebant, & aliqvanto plus qvam alii: neqve enim sacra prorsus neglexit: Sacerdotis ordinem ipse suscepit, qvod excelso genere nati, licet ad Episcopatus evecti sæpe omittebant. Fabricii verba adscribi merentur ex *Lib. VII. Orig. fol. 795.* Ipse in obeundis muneribus Ecclesiasticis diligens & assiduus fuit: (ea enim qvæ majores ipsius per vicarios aut suffraganeos, ut nominant, egerant, aut qvæ multis annis plane intermiserant, ipse per se egit atqve instauravit: turpe dicens esse, Episcopi dignitate excellere & gloriari, & ea qvæ ad officium ejus pertinent pudore aut superbia omittere atqve negligere. Sacra igitur sæpius ipse fecit, qvæ Halberstadii hominum memoria in suo templo ab ullo præsule celebrata nulli meminerant. In ædibus templisve dedicandis alii locum reliqvit nulli. Ea tum religio præcipua erat, & opus unicum præsulum: nam docendi munus monachis mendicantibus, aut curionibus mercenariis committebatur, cum id non modo Canonici non susciperent, sed minorum etiam ordinum sacrificii ad se pertinere non existimarent. Eo tempore si aulas Antistitum vidisses, Regum aulas diceres: tam venerabiles comitatus, & tam selecti ministri erant; in vestitu vero atqve sumptibus exqvisita copia & varietas. Qvod cum pugnare cum suo officio duceret, disciplinam domesticam correxit, luxum sustulit, freqventiam turbæ ad minorem numerum coegit; in ministros fidos & spectatos semper manfit perhonorificus. Sumptus autem præ cæteris majores fecit in

ædifi-

ædificia: nam arcem Halensem de fundamento excitavit, & a Divo tutelari *Mauricianam* appellavit: sacellum in eadem ornatissimum extruxit, idqve & pluribus & pretiosis auxit donariis. Tum alias qvoqve per universam diœcesin aut condidit aut renovavit, Eglensem, Vancelebiam, Volmerstetiam, Gruningiam, Jatterslebiam, Glanstetiam. Palatia etiam, in qva sedes præsulum erant, Magdeburgi & Halberstadii, in formam meliorem reduxit & ampliavit. De eodem Antistite hæc leguntur in oratione Christophori Scheurli supra ad §. 42. citata. Maximum etiam & præcipuum habeo dicendi argumentum de augustissimo Ernesto Archiepiscopo Magdeburgensi, qvi Archiepiscopatum suum vehementer ornavit, auxit, locupletavit: cui alium episcopatum, qvem Hemipolensem (*Halberstatensem*) appellant, adjecit, & multa oppida, potissimum civitatem Hallensem armis subegit: Ubi munitissimam arcem maximis sumptibus extruxit, magnificentiam conditoris haud dubie ostentantem, cujus epigramma, meo rogatu ex officina doctissimi Camilli Palleoti Bononiensis nisi molestum sit, audire velitis.

Perduellis qvisqvis es, huc non accedito: neve machinas tormentave diruendæ hujusce arcis tecum adducito: neve populationes in hisce finibus edito: si qvis adversum ierit feceritve, id ne sibi suisqve copiis fraudi internecioniqve sit, caveto.

Tu qvicunqve vides surgentem mœnibus arcem:
Qvanta Semiramide nec Babylonis erant,
Ne mirare hospes: Hernesto præside structa
Auctoris retinet nomen & ipse sui.

Compendio felicitatem provinciarum sub hoc principe enunciat Fabricius: Ipso sedente & Ecclesia tranqvilla & Respublica felix habita fuit, cives in otio bonis suis fruebantur, negotiatores pace ditescebant, ex agrorum cultu magnos percipiebant fructus agricolæ, nobilitati ex fœcundis prædiis atqve fundis plurimum accedebat: Antistitem suum amabant, venerabantur, prædicabant universi. Et postea: In nuptiis Joachimi El. Brandenburgici cum Elisabetha Danica Stendelii anno 1500. celebratis sacra ipse fecit, & solennem peregit copulationem: cum Fridericus frater Academiam Wittenbergensem aperire decrevisset, consilio Ernesti fere omnia egit, habuitqve eum præclari

cœpti

cœpti adjutorem prudentissimum. Itaqve hac ipsa Academiæ fundatione bonum postea secutum promovit, aliud licet agens.

Sed qvoniam de nullius felicitate ex Solonis monito ante mortem tuto judicatur, hæc qvoqve Ernesto ita contigit, ut de beatitudine ejus confidere liceat. Refert enim Matthæus Dresserus *in Chron. Sax. fol. 494.* Cum decumbentem Archiepiscopum Monachi Franciscani visitassent, omniaqve sua opera & merita ad promovendam ejus salutem obtulissent, respondisse illum: *Nolo vestra merita & opera qvæ nullius sunt valoris, opera Domini & Salvatoris mei Jesu Christi unice mihi prosunt:* Lieben Herren/es ist nichts mit allen eurem Verdienst und Wercken/ ich begehre derselben auch nicht/ die Wercke meines HErrn und Heylandes JEsu Christi müssen es alleine thun. Epitaphium etiam ejus memorabile est margini laminæ æneæ incisum:

Qvalicumqve me arte artificis manus elaborvere, terra tamen terram, & qvod Ernesti ex ductibus Saxoniæ Magdeburgensis Archipræsulis Germaniæ Primatis, ac Halberstadensis Administratoris, reliqvum est, tego. Ipse me vivus posuit, & ex ære, ut posteris pietatis & amoris sui memoriam relinqveret qvam longissimam. Vixit annis 49. mense uno, diebus decem, præsedit Ecclesiæ Magdenburgensi annis 37. mensibus novem diebus duobus, & Halberstadensi annis 33. Obiit die tertia mensis Augusti: cujus anima in refrigerio lucis ac pacis reqviescat, Amen. In plumbea vero tabella, qvæ pectori defuncti imposita fuit, hæc erant: *Ernestus Ecclesiæ Magdeburgensis Archiepiscopus, primas Germaniæ, & Halberstadensis Administrator; Dux Saxoniæ, Landgravius Thuringiæ, & Marchio Misniæ, anno Domini 1476. ætatis suæ anno duodecimo postulatus: Obiit Halis in arce D. Mauritii die Mercurii, 3. Augusti, anno 1513.*

Ad §. LXXIIX. *Hieronymum Savonarolam.*) De hoc viro, qvi monachus Dominicanus Florentiæ fuit, in cœnobio S. Marci, & anno 1498. cum duobus sociis, *Dominico Pisciensi & Sylvestro Florentino* exustus est, legendi sunt Historici: Paulus Jovius, Franc. Gvicciardinus cum Scholiaste suo Thoma Porcacio, qvi, Petrum Delfinum, & Bernardinum Lorium allegat, ut & Wolfius *Vol. I. Memorabil. in anno 1494.* item *Apologia* pro eo a Johanne Francisco Pico Mirandulano scripta. Nupertime Varillasius *Lib. V. anecdot. Florent. p. 212. & seqq.* in causas & actionum & mortis ejus suo more inqvisivit: magnis tamen eum

elogiis extollit, sed qvæ censuris qvibusdam temperat. Inter alia scribit, *Doctiorem Italum a prima Cæsarum ætate non fuisse:* Id nolim in tribunali Parnassi serio defendere, sed qvod sanctam & austeram vitam & maximam in taxandis vitiis seculi, libertatem & multorum prædictionum veritatem ei tribuit, consensu facit cæterorum. Nec de meditationibus ejus, qvas in Psalmos pœnitentiales, in septiduo illo, qvo in carcere fuit, male judicat, *qvod etiam ab iis non sine devotionis stimulo legi posse dicit, qvi induratissimi sint.* Lutherus præfationem in eas, cum anno 1523. recuderentur, conscripsit, qvam qvia brevis est totam inseram: Gratia & pax in Christo. Meditationes sanctas hujus sancti viri *Hieronymi Savonarolæ*, tibi lector optime, exhibemus, qvo & hoc exemplo videas, qvales viros perdere soleat perditionis illa sedes abominabilis; vipera enim qvædam ex eorum numero, qvi titulo *Franciscii* inflantur & turgent, hunc virum perdidisse dicitur, nulla culpa, nisi qvod Lernæ Romanæ optabat purgatorem. Et ausus qvidem tum fuit Antichristus ille sperare, memoriam tanti viri extinctum iri, etiam sub maledictione, sed ecce vivit, & memoria ejus in benedictione est. Canonisat eum (qvod ajunt) Christus per nos, rumpantur etiam Papæ & Papistæ simul. Deinde & hoc observabis in istis lucubrationibus, qvam nulla sit gloria operum in conspectu Dei, & qvam necessaria sola & solida fides misericordiæ Dei, sine omnibus operibus (qvibus fidi possit) in judicio & morte, qvando hic & ipsam fidem cernis luctari, & ægre superare per verbum Dei, tantum abest, ut opera qvicqvam hic posse confidas. Et qvamvis aliqvando humanæ Theologiæ lutum adhuc in pedibus ejus hæreat, in qva multum videtur temporis perdidisse (qvis enim per id tempus ab istis sordibus satis purus esse potuisset?) tamen credendi, fidendi, sperandi, in Dei misericordiam, diffidendi vero & desperandi de nobis & nostris viribus, hoc est, Evangelicæ doctrinæ, & Christianæ pietatis, purum & pulchrum exemplum tibi monstrat. Non enim per vota sua substantialia, non per statuta, cucullum, missas & opera sui ordinis, eum incedere vides, sed in præparatione Evangelii pacis, indutum lorica justitiæ & armatum scuto fidei & galea salutis stare, non de ordine Prædicatorum, sed de communi ordine Christianorum. Vale & imitare.

Gvicciardinus qvi eo tempore vixit, *Lib. III. p. m. 99. b. & seq.* per tormenta interrogatum Savonarolam calumnias omnes de avaritia, turpi-

turpitudine, occultaqve cum Principibus externis conſpiratione eliſiſſe refert, ſed faſſum eſſe, qvæ aliqvando prædixerit, non ex inſpiratione divina, ſed ex ſua opinione, doctrinæ & Sacræ Scripturæ innixa ſumſiſſe, neqve aliqvid mali intendiſſe, aut dignitates affectaſſe, ſed ſolum deſideraſſe ut ſua opera Concilium univerſale convocaretur, per qvod corrupti clericorum mores & ſtatus Eccleſiæ reformaretur, ad illam maxime formam, qvæ primitivæ Eccleſiæ tempore fuiſſet, hoc ſi obtinuiſſet, Pontificatu majus habiturum fuiſſe, qvi ſæpe caſu aut malis artibus pararetur. Addit, mortem ab eo conſtanter toleratam fuiſſe, ſed nihil locutum eſſe, nec de culpa nec de innocentia ſua. Judicia hominum variaſſe, fuiſſe enim qvi eum pro impoſtore haberent, alios contrarium ſtatuiſſe, & confeſſionem ejus qvam judices Pontificii publicarunt vel corruptam fuiſſe, vel cruciatu extortam, fidem plenam non mereri dictitantes, cum & Petrus non tormentis coactus, ſed ancillularum & ſervulorum verbis territus negaverit ſe diſcipulum Domini eſſe, cujus tamen ſancta præcepta & miracula ſciebat. Veram etiam cauſam & ordinem proceſſus idem autor exponit. Excomunicatus nempe Savonarola ab Alexandr. VI. fuit, non tam ex odio ſingulari (nam parvi eum faciebat) qvam aliorum ſuggeſtione, (Franciſcanorum puta) qvi eum accuſabant qvod cum ſcandalo in mores cleri & curiæ Romanæ concionaretur, di cordias Florentiæ nutriret, & non ſatis concordantia cum fide catholica doceret. Citatus ob hæc Romam, varias excuſationes, qvo minus compareret, obtendit, itaqve ut contumax an. 1497. condemnatus & ſacris functionibus privatus & excommunicatus fuit. Spreto hoc, continuavit conciones, & ſententiam contra ſe latam publice impugnavit, vehementer in Pontificem totamqve aulam invectus. Cum vero motus inde in urbe factioſa orirentur, Magiſtratus illum a concionando prohibuit. Huic paruit, ſed ſocij ejus non deſinebant eadem de pulpito declamare. Contradicebant iis non minori cum vehementia Franciſcani, eoqve exarſerunt mutuis contentionibus, ut ex utraqve parte unus ſponſionem facerent, ad experimentum veritatis publice in rogum ſe conſcenſuros eſſe victoria penes illam partem manſura, qvam propugnans intactus ex igne prodiret. Rei temerariæ dies dictus eſt, concurrit populus, comparuere certantes: At Dominicanus ſacram qvam vocant hoſtiam ſecum in rogum illaturus erat, hoc ferre nolebat Franciſcanus, Savonarola (ita refertur) ſui

socii institutum defendebat, omissum itaqve experimentum fuit indignante populo, & incitato inde, adversariorum artibus & impetu plebis magistratu, ut Savonarola ex monasterio vi raptus in vincula conjiceretur. Sic Pontificii judices *Generalis Dominicanorum & Episcopus qvidam*, hucusqve a Magistratu ac populo in munere sibi demandato impediti, jus suum tenuere. Damnarunt itaqve cum sociis Savonarolam & supplicium ejus procurarunt. Hæc gravissimi autoris Gvicciardini narratio historiam sapit, Varillasii inventis, si qvid judico præferendam. Modestius etiam de eo sentit Spondanus & dubitat an supplicio dignus fuerit.

Ad §. LXXX. *Nullum Germaniæ scriptorem.*) Præter eos qvo-
» rum libri editi extant, allegandus hic etiam est Spalatinus, tanto qvi-
» dem fide dignior, qvia in comitatu Friderici, cum Carolus eligeretur, adfuit, magnamqve in omnibus narrationibus, sinceritatem ostendit. Is in *vita MS. Friderici* hæc habet ex Germanico versa: Cum mortuo Maximiliano Cæsare callidæ negotiationes ad eligendum alium fierent, Elector Fridericus honestissime, & ut Principem decet, sese gessit, non obstantibus variis artibus & machinationibus, Regum, Principum & nationum exterarum; qvarum qvædam contra Carolum, qvædam pro illo parabantur. Paulo infra responsum Electoris qvod die Jovis post Reminiscere anno 1519. Altenburgi, Legatis Gallicis dederat refert, in qvo sibi liberum suffragium relinqvi peramanter
» rogat, qvod pro juramento & officio suo daturus esset. Sperare etiam
» se, qvia Rex Electorem pro pio, sapienti & honesto Principe in man-
» dato Legatis suis dato, qvanqvam immerentem, celebravisset, non æ-
» gre laturum illum esse hoc responsum, conscientiæ suæ conveniens. I-
» dem alii Legato Gallico qvi in comitiis Augustanis fuerat, Grimmæ
» hebdomate sacra respondit. Qvamvis vero (pergit Spalatinus) Gal-
» li & Hispani ita de imperio cum Electoribus tractarent, ut fama esset,
» multa aureorum millia ad qvosdam ab utroqve Rege perveniisse: tan-
» ta tamen virtus fuit Friderici, per DEI gratiam ut ne teruncium qvi-
» dem acceperit. Neqve ullus fuit qvi ad illam usqve horam, qva ele-
» ctio peracta fuit, penetrare potuisset, qvo ille inclinaret: qvanqvam
» continuæ fuerunt sollicitationes non a peregrinis saltem, sed & ab ipsis
» Electoribus; a Richardo Trevirensi maxime, qvi aliqvando circa me-
» diam noctem Fridericum convenit, eumqve de recipiendo in seipsum

Impe-

Imperii onere admonuit. Refert inde contenta literarum ad se Erasmi die VII. Id. Aug. 1519. datarum; qvarum tamen ipsa verba satius est hic legi ex *epist. XXIV. Lib. XI.* Ricardus Pacæus, vir in utraqve literatura præcellens, qvi in electione Imperatoris nomine Serenissimi Angliæ Regis legatione fungebatur reversus isthinc, dictu mirum, qvo pectore, qvaqve facundia mihi FRIDERICUM totum depinxerit, gravitatem viri, prudentiam, integritatem, eruditionem, qvid multis? omnia magno Principe digna. Is mea sententia majore cum laude recusavit imperium, qvam qvidam ambierunt. Et tamen nemo melius gerit principatum, qvam qvi pondus ejus penitus perspexit. item ex *epistola 40. Lib. XIII.* in qva alias etiam Friderici laudes deprædicat: *Alexander juvenis* longe candidissimus, reddidit mihi tuas literas exoptatissimas, una cum duobus nomismatis, optimi Principis tui vivam imaginem nobis referentibus. Qvo sane dono magis sum exhilaratus, qvam si mihi misisset auri talentum Atticum. Ille se mihi misit argenteum & aureum, ego me vicissim illi mitto æreum. Utriusqve meritis respondet materia. Qvid enim in isto Principe non aureum? qvi pro magnitudine animi plus qvam heroica contempsit ultro delatum Imperium; qvi pro singulari fide & integritate sua nullis præmiis vinci potuit, qvo minus ei decerneret imperium, qvem oneri ferendo judicasset unum omnium hujus ætatis Principum maxime idoneum; qvi tantam auri vim a nostris oblatam pertinacissime respuit; qvi mira qvadam prudentia dexteritateqve inaudita, ditionem suam ornat ac locupletat, idqve nulla finitimorum injuria, sed omnium potius publico bono: qvi nova schola rem Christianam auxit, qvam annis perpaucis ex rara frigidaqve, omni lingvarum ac literarum genere florentissimam reddidit, ea moderatione favens optimis studiis, ut tamen non sit veteris doctrinæ patronis, qvod de illo qverantur. Ingratissimæ literæ, nisi hujus herois merita monumentis consecrent nunqvam intermorituris. Subjungit dein Spalatinus exempla literarum ad electionis negotium pertinentium, in iis duas Caroli ad Fridericum, suffragium ejus petentis, & legatis suis fidem facientis datas 6. Febr. in Monte ferrato & 2. Martii Barcinone 1519. Indicat plurimas aliorum Regiorum legatorum & ministrorum literas & Georgii Brandeburgici officia pro *Ludovico Bohemiæ Rege* minorenni interposita. Caroli item literas d. 29. Jul. Barcinone

cinone scripras, qvibus ingentes gratias Friderico pro suffragio ejus agit, curamqve salutis publicæ se absente commendat, alias deniqve qvibus de adventu suo in Germaniam spem certam facit d. 24. Decembr. 1519. & ad has responsum Electoris d. 8. Febr. 1520. Reprehendit *Roberti Latini Ursini* Archiepiscopi Rhegini a Leone missi importunitatem (Er kam gar mit einem Rumpelwagen gefahren) qvod aperte in literis ad Fridericum Confluentia & Moguntia datis, ut & ad alios Electores scribens postulaverit, ut Galliæ Regem suffragio suo juvaret, Carolum vero rejiceret: juramento enim Ferdinandi (qvi avus Caroli fuit) cautum esse, ne Imperator fieret, qvi regnum Neapolitanum teneret, neqve fore, ut Pontifex Carolum, etsi eligeretur, pro Imperatore habiturus esset. Apponit literas Cardinalis Cajetani, Legati Pontificii ad Electores Moguntia d. 24. Jun. postea datas, qvibus mutatum Pontificis animum exponit, & ut jam repugnaturus non sit, si Carolum eligere vellent. Adjicit alia Spalatinus Cordine qvidem temporis non servato) v. g. Literas Angliæ regis ad Fridericum d. 11. Maji Grenvici datas, cum mandatis ad Pacæum non immodestis sed tardius & paulo ante electionem d. 24. Jun. Friderico exhibitis. Item literas Helvetiorum, acriter Galli Regis electionem nec sine minis dissvadentium, die Lunæ post Lætare 1519. datas. Mirani vero producit epistolam, qvarum exemplum nescio qvomodo in manus Philippi Comitis Solmensis, qvi Friderico a consiliis erat, pervenisse notat: datæ sunt 1. Jun. Gelnhusæ ad Regem Galliæ, a qvodam Principe, qvi omisso nomine subscripsit, *Regiæ dignitatis vestra bonus frater & cognatus*. Dicit se Ammiralium Regis Legatum, & qvendam Jessinum Centurionem, in cubiculo suo clanculum servare, promittit Regi Imperium, aperitqve qvorum Electorum ope id præstare confidat. Post interjecta alia Spalatinus ad historiam electionis, redit, narratqve anno 1519. mense Januario, eodem die qvo Maximilianus Cæsar obiit, Albertum Cardinalem & Electorem Moguntinum apud Fridericum Lochaviæ fuisse: (hodie ab *Anna* Danica Augusti Electoris conjuge instauratrice arcis *Annæburgum* dicitur) inde Torgaviam profectos, cum in itinere venatione sese oblectarent, tres soles vidisse, Torgaviæ vero, cum ex fenestra in arce Albim versus prospectarent, aviculam (qvem regulum vocant) a nemine in conclavi observatam, inter utriusqve Electoris

caput

caput evolasse: hoc pro omine mortis Maximiliani acceptum fuisse; sed tres soles Spalatinus ad tres Reges imperium ambientes applicat, refertqve speciatim ut Pacæus Anglicus Legatus, qvi Moguntiæ commorabatur, per qvendam Magistrum *Vitum Warbeck* Francofurti, Friderico sæpius significaverit (in speciem tamen, ut haud male judicat) Regem suum cupere ut ipse Elector Imperium acciperet, omnesqve opes suas ei in auxilium offerre, sin vero onus illud recusaret, petere ut Regi suffragium suum gratificaretur.

Extat & aliud MS. de electione & coronatione Caroli V. qvod Spalatino tribuitur, Moguntiæ tamen ex actis publicis collectum videtur. In hoc de Leonis X. consiliis aliqva referuntur non admodum vulgata. Convenerant ante electionem qvatuor Electores Rhenani tres nempe Archiepiscopi & Palatinus, in oppido ad Rhenum Wesalia superiori, Trevirensis ditionis, & de mutua defensione vacante Imperio pacti erant, die Veneris post Lætare 1519. Ad eos accedens Pontificis nomine Cajetanus tria postulavit (1.) ut de eligendo Imperatore potente & sapiente cogitarent. (2.) ne Regem Neapolitanum, id est, Carolum Austriacum eligerent, vetari enim id Bulla Clem. IV. aliisqve rationibus, (3.) ut aperte dicerent qvid facturi essent. Responderunt Electores se jam defensionis suæ non vero Electionis causa convenisse, neqve de hac adhuc cogitare, dubitandum tamen non esse, qvin eligeretur Imperator, & Pontificiæ sedi & toti Christiano orbi utilis & hostibus formidandus. Mirari vero se qvod Pontifex inaudito exemplo leges electionis præscriberet. Regessit Cajetanus post deliberationem cum Rhegiensi, qvi ei aderat, Archiepiscopo se qvidem relaturum esse qvæ responderint, petere tamen, ne Pontificia monita pro insolitis haberent, id enim non agere Papam ut ipsis leges daret, sed jure suo & Ecclesiæ uti, præsertim cum audiverit Maximilianum ante mortem jactasse, se jam de qvinqve Electorum suffragiis pro Nepote Carolo certum esse. Apparet etiam ex insertis huic volumini documentis, & Protocollo Electionis in ipso actu die Martis qvæ erat vigilia Festi Apostolorum Petri & Pauli, id est, 28. Jun. per Electores sex præsentes, & Ladislaum Sternebergium Legatum Bohemicum, unanimibus votis, incipiente ad interrogationem Moguntini Trevirensi, & seqventibus inde reliqvis omnibus, electum fuisse Carolum,

lum, præsentibus duobus notariis, testibus vero Hieronymo Episcopo Brandeburgensi, Laurentio Trucheſio Pommersfeldio, (Eqvite Franco) Decano Moguntino, Henrico Rhuteno, Decano Colonienſi Florentio a Vennigen Cancellario Palatino & Friderico Thunavio Eqvite Thuringo, Consiliario Saxonico. Itaqve omnia illa qvæ historici de certamine inter Electores referunt, jam antea extra conclave transacta fuere. Legati, oratores, & procuratores Caroli fuere, & in mandato d. 8. Martii Barcinone dato, nominantur *Matthæus* Cardinalis Gurcensis Coadjutor Salisburgensis, *Fridericus* comes Palatinus (postea Elector) *Erhardus* Leodiensis, *Bernhardus* Tridentinus Episcopi, *Henricus* Comes Nassovius, *Maximilianus* Bergensis Sevenbergæ Dominus *Gerhardus de Plan* Rochæ Dominus, *Cyprianus Serotinus*, *Paulus Amsdorfius*, *Jacobus Villingerus*, *Nicolaus Zieglerus* & *Johannes Rennerus*, Eqvites Consiliarii, cubicularii, Secretarii. Consilia Leonis Papæ alio modo proponit Varillasius *in historia Florent. Lib. VI. p. 288.* asseverans si per Leonem stetisset, neqve Carolum neqve Franciscum electum fuisse, sed qvendam ex Germanis Principibus, nominatim Electorem Brandeburgicum: qvo fundamento ista tradat, hic non examino; interim cum persona Vicarii Christi, qvam præ se ferebat Pontifex, difficulter conciliari poterunt qvæ tam varie egit, cujuscunqve autoris relationem seqvamur. Idem autor de electione Caroli V. *Lib. IV. histor. hæres.* collegium Electorale cœcum fuisse dicit, qvod non videret se sibi dominum imponere, dum nimis potentem principem eligerent. Statim enim (ait) Carolus, postqvam Hispaniam, Belgium, & Italiæ duas partes Imperio junxerat, consilium celebris illius Monarchiæ delineavit, qvod omnes autores non obnoxii ei attribuunt. Si vera hæc fuit de Carolo suspicio, indeqve periculum Germaniæ metui debuit, putat ne Varillasius minus a Francisco I. Galliæ Rege Germanos sibi timuisse? Taceo qvæ Electores aut Principes Ordinesqve alii cogitaverint; certe Helvetii habito Tiguri conventu datisqve inde ad singulos Electores literis, die Lunæ post Lætare 1519. de cavendo dominatu Gallico graviter admodum differebant. Audimus (ajunt) Regem omni studio omnibusqve viribus apud Electores qvosdam agere, ut diadema & decus Imperiale adipiscatur, & Germaniam in suam redigat potestatem. Hoc profecto nobis molestissimum esset, si calliditate

tate & nummis obtineretur ; Id enim omnibus Principibus, Statibus & membris Nationis Germanicæ, totiqve orbi Christiano contumelioſum & noxium foret, & ad bella & ſangvinis profuſionem ruinamqve omnimodam verteret. Gens enim Germanica fortitudine ſua, multoqve ſangvine a-ioma Romani Imperii ſibi peperit, meritaqve eſt, ut eligendi aliqvem jus habeat, ex ſua natione; idqve per ſex ſecula exercitum, & ut percipimus confirmatum fuit a Pontificibus Imperatoribus & Regibus Romanis. Addunt, Regem Galliarum miſſis legatis ad electionem ſui promovendam egregiis promiſſis Helveticos ſollicitaſſe, ſed blandimentis illis non obſtantibus, ſe nullo modo a Pontificatu & Imperio Romano Germanico, cujus membra ſe eſſe prædicant, cauſam eſſe ſeparaturos, nec unqvam conſenſuros, ut Imperii dignitas a Germanis, inter qvos ſint qvi eam optime mereantur, ad Gallos transferatur, ſe potius omni ope repugnaturos eſſe.

Ad §. LXXXI. *Imperii jam adverſus Pontificiam dominationem*) Liceat & mihi denuo ad libellum illum recurrere, & præter ea, qvæ §. 72. excerpſi, de Imperii & Pontificum jure Lutheri ſententiam referre, præſertim qvia Latine, qvod ſciam non extant, magnis tamen adverſariorum clamoribus exagitantur. *Scio*, ait §. *XXVI.* jactari Romæ imperium a Græcis ad Germanos Pontificum beneficio translatum eſſe, eoqve facto magnas gratias & ſubmiſſionem illis a Germanis deberi, nec fas eſſe, de Papis in ordinem redigendis cogitari. Ex hoc principio multis egregiis Imperatoribus ſuperbe inſultarunt, & ſe ſupra illos conſtituerunt, arrogata ſibi temporali ſuperioritate, adverſus Evangelii regulas, ſed videamus qvo jure? Dubitari non debet, Romanum illud Imperium de qvo Prophetæ vaticinati ſunt, dudum interiiſſe. Prædixit id Balaamus *Num. XXIV, 24. Venient de Italia, vaſtabunt Hebræos, & ad extremum etiam ipſi peribunt.* Factum id eſt per Getas, maxime cum ante annos mille Turcorum cœpiſſet dominatus, ſic defecerunt Aſia & Africa, poſtmodum Galli, Hiſpani, Veneti invaluerunt, ut ex priſtina potentia nihil fere reliqvum Romæ manſerit. Cum vero Pontifex Græcos, & Imperatores Conſtantinopolitanos, qvi hæreditario jure Imperium tenebant, pro arbitrio tractare non poſſet, aſtu uſus eſt, ut imperio & titulo illos exueret, eumqve ad Germanos fortitudinis & virtutis fama tunc celebres, de-

volveret. Id ei succesſit: perdiderunt Imperium Græci, Germani
» id titulo tenus acceperunt, ſed ita ut Pontificum ſervi fierent. Diver-
» ſum itaqve hoc Romanum Imperium, qvod Papa Germanis tribuit,
» ab antiqvo illo, qvod intercidit. Obtinuerunt, qvod deſiderabant,
» Pontifices, & Imperatores Germanos juramento obligarunt ne Ro-
» mæ reſiderent. Nomen itaqve hi, ſed Pontifices rem habent. Ita
» ſemper ſimplicitate noſtra abuſi ſunt Papæ, & nos Germanos veluti
» amentes tractarunt & vocarunt, ut libuit. Modica profecto res eſt
» coram Deo regnum aut principatus, dat enim illa ſæpe malis, adimit
» probis, permittit per infidelium hominum machinationes, aut ſucceſ-
» ſiones hæreditarias transferri, ut exempla Perſarum, Græcorum alio-
» rumqve regnorum oſtendunt. Sic Daniel dixit *Cap. II. 21. Deus*
» *transfert & conſtituit regna.* Magni itaqve nemo illa facere poteſt,
» minime is, qvi vere Chriſtianus eſt, ideoqve nec Germani ſuperbire im-
» perio iſto debent. Regnum in Dei oculis leve eſt donum. *Omnes ha-*
» *bitatores terræ in nihilum apud eum reputati ſunt, dabit cuicunqve vo-*
» *luerit & humilimum conſtituet ſupereum. Dan. IV. 32. & 12.* Qvam-
» vis verò Papa jus non habuerit auferendi imperium iis qvi id legiti-
» me poſſidebant, & Germanis dandi, Deo tamen liberum fuit his ejus
» auſis uti, & regnum tale, qvod nunc eſt diverſum ab antiqvo, Germa-
» nis tribuere. Majores noſtri hanc Pontificum injuſtam & ſubdolam
» machinationem non intellexerunt, nobis conſtitit multo ſangvine &
» multa opum jactura. Nobis nomen relictum eſt, Papæ habent opes,
» imo vitam & animam noſtram. Sic deludendi fuerunt Germani, ſic
» Pontifices, cum Imperatores ipſi eſſe non poſſent, ſupra hos aſcende-
» runt. Qvoniam vero utut alienæ injuriæ interventu, ex Dei tamen
» diſpoſitione abſqve culpa noſtra delatum ad nos eſt imperium, nolim
» autor eſſe ut illud dimitteretur, regendum potius eſt fortiter & pie,
» dum Deus permittet. Is nunc non reſpicit qvomodo olim partum
» ſit, ſed qvomodo probe gubernetur. Si papæ id contra fas ademe-
» runt, bona tamen fide ad nos pervenit. Non intentio Pontificum,
» ſed Dei diſpoſitio reſpici debet. Vi partum erat Babylonicum Im-
» perium, regi tamen illud Deus per pios voluit viros *Dan. II 48. 49.*
» qvanto magis a Chriſtianis Germaniæ Principibus regi noſtrum hoc
» volet Imperium qvocunqve id titulo Papæ dederint. Dei fuit conſi-
» lium & ordo, licet eum non intelligeremus. Gloriari autem non poſ-

ſunt

sunt Romani Pontifices, de beneficio Germanis collato: nam nihil boni intenderunt, sed simplicitati nostræ illuserunt, ut se contra legitimos Imperatores suos Constantinopolitanos erigerent: deinde non nobis sed sibi imperium qvæsiverunt, & nostro sangvine nostrisqve viribus totum orbem (ut in Decretalibus suis non dissimulant) sibi subjicere, nisi Deus obstitisset, moliti malisqve artibus plurimis Imperatoribus Germanis ad id abusi sunt. Sic nos Germani probe decepti, & cum Domini esse deberemus, tyrannidem injustam passi & mancipia facti sumus; nomen, titulum, insignia Imperii habemus, opes, vim, potentiam, jus & libertatem Pontifices invaserunt, hi nucleum edunt, nos in putamine hæremus. Justum inde esse statuit, ut tandem non nuda simulachra sed rem ipsam Imperatores habeant, verumqve imperium, utqve nobis reddatur libertas corporis, animæ & opum, & revera detur, qvod verbotenus concessum fuit, adeoqve ut loqvitur, inclytæ nationis Germanicæ ludificatio tandem finem habeat. Negat deniqve ex eo qvod Papa Imperatores coronat, seqvi, qvod superior illo sit. Samuelem, qvi Saulum & Davidem coronavit, non fuisse supra Reges, neqve Nathanem supra Salomonem, qvem ungebat, neqve Eliæi famulum supra Jehu. Ipsum qvoqve Pontificem a tribus coronari Cardinalibus, qvi non sint supra eum: Sufficere Papam supra Imperatorem esse in rebus spiritualibus, in doctrina & Sacramentorum dispensatione (qva tamen ratione qvilibet Episcopus & pastor superior esset). Sic Ambrosius fuit supra Theodosium, Nathan supra Davidem, Samuel supra Saulum. Imperator itaqve sit Imperator verus & summus, potentiam & gladium eripi sibi non patiatur, neqve Pontificiis figmentis inducatur, ut illos gladium arripere & super omnia sinat dominari. Hæc Lutherus.

Dura hæc videri possunt, sed non sunt duriora iis, qvæ illis temporibus scripta sunt, cum Imperatores Germani de summa illa potestate cum Pontificibus decertarent, imo nec illis qvoad sensum, qvæ nuperis libris suis *de Declinatione Imperii Romani*, *de Pontificum potestate & de vita Gregorii Magni* tradidit Maimburgius. Lutherum irritaverat Sylvester & alii, qvi qvintam Monarchiam Pontifici tribuebant, unde seqvebatur, Imperatores non nisi clientelæ & beneficii titulo dignitatem suam ex manibus Pontificum tenere. Neqve absimile vero est, qvod de callido Pontificum consilio commentatur Lutherus,

aliisqve idem fuit obſervatum. Hærebant illi inter debilitatem Imperatorum Græcorum, & ingruentem Germanorum ac Francorum, (qvi Carolo illo Magno imperante unam fere gentem conſtituebant) potentiam medii, vicinosqve hoſtes Longobardos habebant impune in ſe graſſantes. Deſerti ergo a Græcis & aliqvando non pro ſpe tractati, etiam Conſtantinopolitanorum Patriarcharum faſtu irritati, præſidium ſibi a Nationibus noſtris qvæſiverunt. Eventus probavit deſtinata; & ultra ſpem, ut exiſtimo. Neqve enim credibile eſt Pontificem, qvi primus hunc honorem Carolo vel detulit, vel ſumtum ſuo firmavit applauſu, de illa dominationis amplitudine, de prærogativa ſupra Imperatores & Reges, de triplici corona, aliisqve pompis cogitaſſe: iſta omnia & Pontificum, qvi ſucceſſere, ſolertia & ambitione, & per diſcordiam aut inertiam Principum, & populorum ſocordem patientiam acceſſiſſe hiſtoriæ evincunt. Ne illud qvidem ab initio in mentem veniſſe Pontificibus putaverim, ut Majeſtatem Imperatoriam in ipſa urbe Roma ejusqve agro, multominus in reliqvis Italiæ regionibus, in qvibus nihil tunc poſſidebant, nollent agnoſcere. Contrarium profeſſi ſunt multis modis, maxime qvoties eo comitatu Imperatores Germani Romam accedebant, qvi nimia jactantes aut affectantes reprimere poterat. Veriſimile tamen & id mihi videtur, Imperatoribus & Regibus propoſitum fuiſſe, majeſtatis illius titulo & exercitio erga Pontifices moderatiſſime uti. Nondum tributorum qvæ poſtea invaluerunt multiplices impoſitiones adinventæ erant; fidem & auxilia in bellis exigebant Imperatores a vaſallis Laicis: ab Eccleſiaſticis, anteqvam ditiones ſibi acqvirerent, preces expectabant aut conſilia. Fidei tamen vincula Imperatores juramentis & poſtea ſolennitate inveſtiturarum, qvas vocant, etiam ab Eccleſiaſticis firmari volebant. Hoc jus prioribus ſeculis in confirmandis Pontificibus exercitum fuit, neqve viciſſim juramentum detrectabant Principes, qvo Eccleſiæ & populo fidelem & juſtam gubernationem & protectionem promittebant. Excuſari itaqve hactenus poſſunt Pontifices, ipſaqve Roma & aliæ urbes & ditiones, in Italia non minus ac in Germania, dum moderatæ libertatis & immunitatis cupidine priſtinum ſtatum tueri allaborarunt. Exceſſerunt modum, cum Pontifices aliqve Imperatoriæ Majeſtatis, ſive ſponte agnitæ, ſive armorum jure partæ, immemores, invaſerunt reliqva Imperatorum jura,

imo

imo in factiones & bella adversus ipsos insurrexerunt, qvod profecto magno, ut Lutherus loqvitur, cum ludibrio tituli Imperialis factum est, ut jam nihil fere Imperatori ex vero axiomate suo Romæ supersit. Sed qvod Deus hoc modo permisit, cum publicæ pacis, & sangvinis tot Christianarum gentium periculo, ad veteres terminos post tot secula violenter reduci non debet, neqve id svadendi Luthero mens erat. Accedit qvod jamdiu Imperatores Germanici, & qvorum illi consilio & auxilio usi sunt, maximi & potentissimi Principes, Electores imprimis, non inviderunt Romanis Pontificibus, qvæ vel prisco illo tempore, sub Carolo Magno tenuerunt (qvod modicum qvidem fuit) vel postea acqvisiverunt, licet non deessent qvæ de titulo sive jure disqviri possent. Non tamen semper animus vindicandi amissa aut neglecta defuit, & illo ipso tempore Germaniæ Principes de recuperando in Italia imperio Imperatorem admonuerunt, ut ex actis comitiorum relatum fuit. Ea vero fuit Pontificum cautela, ut sub pietatis sive devotionis specie semper invenirent, qvorum potentia adversus rigidi juris Imperatorii assertores protegerentur. Commodissima ad hæc erat æmulatio inter nationes qvæ maxime formidari poterant; Ita Germanis Galli opponebantur, his illi. Tam nota & certa hæc sunt, ut probatione non indigeant. Ex propositione tamen Maximiliani I. Imp. qva Germaniæ proceribus Constantiæ ad lacum Brigantinum congregatis anno 1507. actorum suorum ab adolescentia usqve ad id tempus compendium qvoddam enarravit, satis intelligi potest, qvod Imperator jus aliqvod supremum in Pontificatum Romanum sibi asseruerit. Inter machinationes enim Gallorum contra Imperium non levem memorat, qvod Pontificatum ab Imperio avellere voluerint. Ita enim ubi §. Aus solchen oberzehlten ꝛc. loqvitur: Der König in Franckreich / als die Röm. Käyserl. Majest. in Ubung und Vornehmen des Römischen Zugs war / rüstet sich neben Ihrer Majestät gen Rom zu ziehen / und Ihrer Majestät / dem Reiche und Teutscher Nation das Pabstthum und Käyserthum zu entziehen und abzudringen / & paulo post. §. So aber aus dem allen ꝛc. des Heil. Reichs und Teutscher Nation Obliegen / Kummer und Sorg wird immer gröſſer und mehr / dann vor ie / insonderheit aus Anfechtung und täglicher Ubung der Frantzosen / wie sie sich denn ietzo in Italien mercken lassen und etliche mächtige Stätte und Gebiete zu ihren Willen gebracht

haben/ des Fürnehmens/ wo die Röm. Käyserl. Majestät durch ihre fleißige Handlung und Practicken die Eydgenossen nicht von ihnen gezogen hätte/ daß sie unsern Heil. Vater den Pabst zu erlangen/ und endlich das Käyserthumb/ das durch die Teutschen durch ihr Blutvergiessen vor viel Jahren ritterlich erobert/ und bißher gehalten/ in ihre Gewaltsam zu bringen/ unterstanden haben wolten. Sensus est: Gallos id agere, ut Pontificatum & Imperium, tanto sanguine a Germanis partum, sibi assererent: ideo Regem Galliæ, in Italia civitates & ditiones aliquas sibi adjunxisse, & cum audiret, Imperatorem cum exercitu Italiam ad coronationem impetrandam petere, se quoque instruxisse ut eandem ingredi & Pontificatum cum Imperio Cæsari auferre posset. Discitur hinc, expeditionem illam Romanam Cæsaribus Germanicis solennem, der Rom-Zug/ non ceremoniæ saltem causa, sed ad asserendum jus supremum in Pontificatum institutum fuisse, licet ea occasione Pontifices etiam suis Privilegiis & reditibus, juramento ab Imperatoribus exacto prospicerent. Idem inter Germanos & Gallos de autoritate in Pontifices certamen, patet ex historia Caroli V. & Francisci I. Neque Carolum post captam cum Clemente VII. Pontifice Romam religionis magis reverentia, quam invidia (per quam omnium aliarum Regum contra se vires coaluissent,) ad media consilia adactum fuisse credendum est. Exemplo nocebat subjugata Roma: quod enim jus Imperatorius titulus in illam tribuebat, idem præstabat in alia regna & ditiones, quæ & olim Imperii Romani provinciæ fuerunt. Sed id minime egerunt Pontifices adversus propria commoda, cum titulum illum Germanis Francisque darent, ut hi Romanum imperium ad vetares terminos restituerent, neque de Imperatoribus præsumi potest quod id propositum tunc habuerint, aut diu conservaverint. Ex his, ut candide profitear, apparere puto, Lutherum, cum illa quæ narravi scriberet, retundere Romanæ aulæ jactationem de translato ad Germanos imperio voluisse, & reverentiam Pontifici erga Imperatores svadere. In eum sensum, cum mature de his rebus deliberaretur, mentem suam alio tempore declaravit, ut immoderati fervoris inculpari non possit. Neque enim tantum spiritualem Pontificum prærogativam, in iis quæ ad officium pastorum Ecclesiæ ex lege divina debito modo exercendum spectant, (quod & in hoc fecit libello) agnoscere paratus erat, sed & in temporalibus quic-

quid

quid salva religione concedi potuit, non negavit: uti vel ex eo quod in præloquio allegavi, responso, haud diu ante mortem ejus dato demonstratur. Qua enim ratione Episcopis temporalia non invidit, eadem & Romano, quem omnibus Ecclesiastico jure præferebat, cæteris paribus, quantum in se erat, detulisset, salva religione & conscientia. Huic Lutheri & Principum Germaniæ moderationi si locum re integra & ut licebat, dedissent Pontifices, ad extrema, quæ postea secuta sunt, non fuisset perventum.

Qualicunque autem fuerit Alexander.) Erasmus multum de illo queritur, quanquam amicum, ut scribit, veteri ac jucundissima necessitate conjunctum habuisset, imo & in tenuiori ejus fortuna juverit commendationibus *Lib. XXV. ep. 24.* Inculpatus ab illo fuit Erasmus, ac si Lutherum non uno juvaret modo, & libellorum quorundam ab aliis sparsorum autor esset. Vide *Lib. XVII. ep. 14. 16.* Imputat id Erasmus aliorū calumniis, a quibus vir apprime quidem, ut ait doctus, & acrisimpliciqve ingenio præditus, sed credulus, deceptus fuerit. Concitavit contra Erasmum Pontificem, & alienavit ab eo Leodiensem Episc. ipsi amicissimum, *Lib. XIX. ep. 113.* Epistola itaq; an. 1524. data placare eum Erasmus voluit, amnestiam offerens, & eruditionis laudem ei tribuens, *Lib. XIIX. ep. 53.* sed parum profecit; manst enim iniqvus ejus & librorum illius censor, imo his schismatis culpam pene unice tribuebat; ita refert Erasmus in Epistola ad Christophorum a Stadio (von Stadion) Episcopum Augustanum anno 1528. Vide *ep. 84. Lib. XX. & Lib. XXX. ep. 56.* Paulo ante ad Prieriatem scripserat Erasmus anno 1523. Aleandrum nihil non facere adversus Lutherum, at se plus fregisse animos illius factionis qvam omnia Aleandri molimina, *Lib. XX. ep. 52.* Inter hæc, ut obiter notem, erat & corruptionis per nummos tentamen. Narrat enim Selneccerus, Aleandrum dixisse, *Lutherum etiam pecunia non posse emolliri: & hanc bestiam non spectare largitiones & honores; alioqui dudum multa millia ei de Pontificis voluntate per Fuggeros numeranda fuisse.* Sed ut ad Erasmum redeam, scripsit is anno 1531. ad amicum, *exitium sibi ab Aleandro parari*, & hunc cum Eccio, ea de causa Lutetiam profectum esse suspicatur. Vide *ep. 56. Lib. XXX.* Antea ad Cardinalem Sadoletum scripserat, dixisse Aleandrum, se mirari cum tot millia hominum in Germania (bello rusticano) cæsa sint, vivere adhuc Erasmum, qui totius tumultus princeps & antesignanus fuerit.

» fuerit. Hoc pro atroci habet calumnia, dein hæc subjungit. Præcla-
» rum facinus sibi facere videtur ille διπλωματο φόρος, qvi qvacunqve
» iret Carolus, chartarum fumis & incendiis implebat omnia, nulli non
» minitans. Me vero qvo minus oppresserit, per illum non stetit; per-
» ierat Erasmus, si pronas aures principum reperisset. Furiosum ejus librum, nomine Doleti emissum indicat anno 1535. *Lib. XXX. ep. 70.* & Julium Scaligerum, ac Paulum Merulam in se subornari ab Aleandro refert anno 1536. *d. Lib. ep. 74.* addit tamen, sibi qvoqve Romæ Cardinalitiam dignitatem destinari, sed qvam accipere nolit. De moribus Aleandri non discrepantia ab iis qvæ spargebantur, ex Erasmi epistola ad Goclenium anno 1533. data (*Lib. XXX. ep. 62.*) intelliguntur; scribit enim: Aleander nunc Venetiæ plane vivit Epicureum, non sine dignitate tamen: erat enim gemina mitra insignitus Brundusina & Oretina. Vide *d. Lib. ep. 60.* Obiit anno 1542. & sepulchro Græcum distichon, qvod ipse (ut erat trium lingvarum peritissimus) composuerat inscriptum est, tersum & memorabile, relatum a Chytræo *Libr. XVII. fol. 458.*

Κάτθανον οὐκ ἀέκων ὅτι παύσομαι ὢν ἐπιμάρτυς
Πλείστων, ὧν περ ἰδεῖν ἄλγιον ἦν θανάτου.

Non invitus obii, qvia qviesco, testis multorum qva videre pejus est morte.

Tædere itaqve vitæ & hunc cœpit, licet, ut narratur, laute & læte actæ; felix si vel in extremo ejus cursu, salutis anchoram arripuit. Memorabilia etiam sunt qvæ de Ferdinandi Cæsaris ab eo aversione, & moderatione, qvam Melanchthon ei tribuerit, referuntur a Pallavicino *Lib. IV. c. 8.* sed de iis alio loco agendum est.

Erasmus qvi tunc aderat.) Addo qvædam ex *MS. Spalatini de Friderico Electore historia.* Coloniæ (scribit) apud Electorem fuit E-
» rasmus Roterodamus vir ille doctissimus: varia cum eo loqvi, & ex eo
» qværi fecit Elector, maxime an putaret Lutherum in scriptis concio-
» nibusqve suis errasse? Erasmus per jocum errasse eum dupliciter re-
» spondit, nempe qvod & PONTIFICIS CORONAM & MONACHORUM
» VENTREM tetigisset. Subrisit Elector, hujusqve postea non longe an-
» te mortem suam recordatus est. Addit: Caracciolum & Aleandrum
» egisse tunc cum Friderico contra Lutherum, ut doctrinam Christianam oppri-

opprimerent, & Electorem qvendam Ecclesiasticum Electori Saxoniæ dixisse, *utinam Lutherus non Germanice sed Latine scripsisset!* Mira vero sunt, qvæ Pallavicinus *Lib. I. c. XXVIII. §. 8.* de Erasmo refert, qvod Bullam Pontificis pro supposititia habuerit, & ostensione Autographi ab Aleandro convincendus fuerit; qvodqve nocturnis congressibus Principes eorumqve amicos a Pontifice & Aleandro alienare voluerit, & Bullam malevolorum artibus, præter Pontificis voluntatem, conditam esse, deniqve colloqvi de hac re cum Aleandro contenderit, ut librorum Lutheri exustionem retardaret aut impediret. Qvæ pleraqve ex Aleandri relationibus arrepta fuisse credibile est. In epistolis Erasmi id saltem reperitur, qvod Leonem ab aliis inductum ad Bullam festinasse existimavit. Extat in Volumine Basileensi Epistolarum Erasmi *Lib. XIII. f. 435.* Erasmi epistola ad D. Conradum Peutingerum, Cæsaris Consiliarium eo ipso tempore, Idibus nempe Novembris Coloniæ scripta, in qva ei Johannem Fabrum Dominicanum commendat, hujusqve consilia laudat. Ex his literis de mente Erasmi judicare licet, majori cum certitudine, qvam ex iis, qvæ blande cum Friderico Electore locutus fuit, aut qvæ de eo suspicatus est Aleander; mediam nempe qværebat viam. Verba ejus inter alia hæc sunt: Ex levioribus initiis, sæpe nata sunt horrenda mundi dissidia. Ac, mea sententia, hic qvoqve verum est, qvod scripsit Marcus Tullius: *pacem vel iniqvam, bello æqvissimo potiorem esse.* Ac jam nunc fabula longius progressa est, qvam velim; & tamen opinor malum esse medicabile, certe sanabilius est, qvam si qvibus cœpit auctibus longius etiam provehatur. Sic autem sanari cupiam, ne malum ad tempus suppressum, post majore cum discrimine recrudescat: qvod solet usu venire medicis, qvi potione propellunt febrem, non ante purgatis venis, unde febris scatet; aut qvi cicatrice obducunt vulnus, nondum saris educto pure. Qvibusdam videtur optimum factu, ut res omnis sævitia coerceatur, a qvibus nec Faber admodum dissentit, nisi metueret, ne parum feliciter cedat austeritas. Ait, non satis esse fortiter hue tendere, qvo vocat animi voluntas, plurima circumspicienda sunt. Primum ut sic consulatur dignitati, & autoritati Romani Pontificis, cui merito favent omnes, ut Christi vicario summo, qvi Christum ex animo diligunt, ne qvid jacturæ patiatur Evangelica veritas. Neqve dubito, qvin hoc animo sit Leo noster, ut tum demum se glorioſum

" eſſe putet, ſi doctrinam Principis ſui viderit ubiqve florere. Negat
" hoc tantum eſſe ſpectandum qvid mereatur Lutherus, aut ſi qvi Luthe-
" ro favent, ſed qvid conducat publicæ orbis tranqvillitati. Magni re-
" fert, qvi manum admoveant huic malo, & qvibus remediis curetur.
" Invehitur poſtea in illos qvi Lutherum ideo maxime, ut putat, oppu-
gnarent, ut cum eo ſimul obruant bonas literas. Lutheri ſtylum ve-
hementiorem improbat, eoqve veritati fructum adimi metuit. Odium
Romani nominis penitus infixum eſſe multarum gentium animis fa-
tetur, ob ea qvæ vulgo de majoribus ejus nobis jactentur, & ob impro-
bitatem qvorundam qvi Pontificis negotia gerant, qvosqve Chriſti po-
tius gerere deceret. Nihil agi poſſe in cauſa illa ſtatuit, ſi eam tra-
ctent, qvi alium ſcopum ſibi propoſuerint, qvam Chriſti gloriam. Poſt-
" ea qvæ vaticinii inſtar ſunt ſubjungit: Saxum illud hinc atqve hinc
" tundi poteſt, loco moveri non poteſt, cui inſcriptum eſt illud myſti-
" cum elogium. *Novit Dominus qvi ſunt ipſius.* Qvicqvid a ſpiritu
" Chriſti proficiſcitur, non poteſt humanis præſidiis opprimi, qvantum-
" vis prematur: qvicqvid humanis conſiliis tentatur, temporarium eſt,
" qvantumvis ardentibus ſtudiis agatur, qvantumvis operoſo molimine
" ad perpetuitatem communiatur. Mei ſimilium non eſt, de Pontifi-
" cum diplomatis judicare. Erant tamen, qvi in Bulla, qvam attulit
" Nuncius pontificius, manſvetudinem illam deſiderarent, dignam eo,
" qvi mitiſſimi Chriſti vices primarias gerit in terris, dignam hujus Leo-
" nis ingenio, multo hactenus placidiſſimo, qvod tamen ipſi non impu-
" tant, ſed inſtigatoribus. Jam ut hac, inqvit, ſævitia maxime abole-
" antur libri Lutherani, ut ipſe etiam tollatur e medio; metuendum eſt,
" ne malum exaſperetur magis, qvam finiatur, & pro uno ſublato exo-
" riantur plures, donec res ad certamen & ſchiſma deducatur. Deni-
" qve Fabri ſententiam ita explicat: Cenſet igitur Faber noſter, rei ſum-
" mam arbitris doctis, integris, & ab omni ſuſpicione alienis delegan-
" dam, non qvod Romanus Pontifex ſit cogendus in ordinem, & alieno
" ſubjiciendus arbitrio, ſed qvod exiſtimet, illius pietatem hoc ſponte
" volentemqve facturam, ſi cognorit ad publicam Chriſtianæ religionis
" tranqvillitatem conducere. Sed hujus conſilii viam ipſe tibi copioſius
" exponet coram: qvæ ſi probabitur, adjunges tuæ prudentiæ conſili-
" um, ut in Wormatiæ conventu ſtatuatur aliqvid, qvod omnibus bonis
approbetur. Videatur etiam relatio de *Actis Lovanienſium contra*
Lutbe-

Lutherum anno 1520. *Tomo I. Lat. Luth. f. 496. b.* in qva multa de Aleandro, Eraſmo, Bulla Leonis, & de Theologis Lovanienſibus leguntur, cum qvibus non parum concordant, qvæ in Epiſtolis Eraſmi legimus.

Vulgatum eſt tempore Comitiorum Wormatienſium ſcriptum Latinum paucarum paginarum, qvod nunc qvidem, ut alia ejuſmodi, raro reperitur: extat tamen in *Bibliotheca Paulina Lipſienſi*, ex qvo ſeqventia exhibeo: Comes de Naſſau Subregulus Flandriæ, Brabantiæ & Hollandiæ, ad prædicatores in Haga Comitis inqvit: *Ite & prædicate ſinceriter Evangelium Chriſti: ſicut Lutherus, neminem offendentes, nec habebitis occaſionem interpellandi adverſus aliqvem.* Lovanienſes Magiſtri conqveſti fuerunt Dominæ Margarethæ, *Cæſaris ſorori gubernatrici Belgii*, qvod Lutherus ſuis ſcriptis ſubverteret rem Chriſtianam; interrogavit ipſa: Qvisnam eſt iſte Lutherus? indoctus eſt, inqviunt, monachus. Reſpondit ipſa: *Scribite multi docti contra unum indoctum, tunc totus mundus plus credet multis doctis, qvam uni indocto.* Dominus de Ravenſtein in imperiali convivio, ut ſermo inciderat de Luthero, ait: *unus homo Chriſtianus ſurrexit in qvadringentis annis, qvem Papa vult occidere.* Domini noſtri Lovanienſes curaverunt ſuis pecuniis, ut opera Lutheri incinerarentur: concurſus factus eſt: plures apportarunt libros, ſed non Martini; ſtudentes itaqve & pleriqve alii parato jam igne libros comportant. Ille *ſermones Diſcipuli*, alter *Tarnretum*, ſic hic *dormi ſecure*, & alios id genus. Ut plures ex illorum autoribus combuſti ſint, qvam ex operibus Martini Lutheri. Ad Moſellanum delata Julii Pflug epiſtola eſt ex Italia, qva ſcribit: *contra Scoti & aliorum nugas, tum Romæ tum Bononiæ prævaluiſſe, qvi Martini ſcripta ſeqvuntur.*

Ad §. LXXXII. *Martinus Bucerus.*) De viro hoc in progreſſu hiſtoriæ plura dicenda venient: in annis, de qvibus in prima hac parte tractatur, tyrocinia qvædam doctrinæ poſuit, tum in aula Heidelbergenſi, tum in Belgio, cum Principe Friderico Palatino Electoris fratre eo profectus, ſed monachorum inſidias fugiens ad Sickingium, ut dixi, ſe receperat. Bello in hunc orto, Weiſſenburgi civitate Alſatiæ inferioris imperiali, a paſtore vocatus, aliqvandiu concionatus, ſed & inde ab officialibus Spirenſis Epiſcopi exactus anno 1523. Argentoratum venit, & aliis Evangelium ibi docentibus collegam ſe adjunxit.

xit. In controversia sacramentaria qvas partes egerit, utqve tandem in Angliam concesserit, & qvæ ibi fata incurrerit, satis notum est. & alibi memorandum. Pertinet ad hujus temporis periodum historia *Conradi Pellicani* (Germanice Kürschner) inter primos Lutheri sectatores numerandi, licet postea Helveticis Ecclesiis accesserit. Luculentam ejus vitæ descriptionem exhibet *Melchior Adami p. 262. & seqq.* ex qva ad illustranda qvæ ad reformationis negotium pertinent sequentia non indigna notatu duxi. Rubeaci (Ruffach) in oppido Episcopatus Argentoratensis natus fuit anno 1478. senior Luthero sex annis, monachatum Franciscanum ætatis anno 16. suscepit, paulo post anno 1496. Tubingam in sui ordinis monasterium venit, cui præerat Gvardiani, ut vocant, nomine qvidam *Paulus Scriptoris*, Wila Svevus. Hic Theologiam Scotisticam, qvam Parisiis sub celebri magistro Stephano Brulio didicerat, magno cum applausu ut & matheſin docebat, auditus etiam ab Augustinianis, qvorum tunc Prior Tubingæ erat Joh. Staupitius. Facundus etiam fuit Paulus iste & ad solennes conciones sæpe in vicinas civitates evocatus, de sacramentis & indulgentiis declamare solebat ad eam fere sententiam, qvam postea Lutherus propalavit: unde & in suspicionem hæresis incidit, & Lecturæ & Gvardiani, qvod vocant, officio amotus est. Hujus ab ore pendebat Pellicanus, nec parum ab illo amabatur, ita ut ejus causa grandem codicem Hebræum Oppenheimii acceptum, humeris suis Pfortzhemium usqve portaret, ubi Pellicanus Capnionis audiendi causa substiterat. Qva molestia, nullo manuductore Hebraica rudimenta didicerit, apud Adamum legi potest, Capnionis tamen instructione mox ita profecit, ut libellis Grammaticis edendis juvare magistrum potuerit. Cum anno 1501. sacerdos in patria Rubeaci consecraretur, Paulus ille Scriptoris, concionem habuit solennitatis & honoris causa. Sed auxit bonus ille vir odia in se monachorum, cum dicere soleret: *instare tempus mutandæ Theologiæ, & deserendæ scholastica disputationes: resumendos priscos & sanctos doctores, Omissis Parisiensibus, tempus etiam appetere mutandarum legum plurimarum.* Hæc ei libertas exitium attulit; vocatus enim in Galliam ut Tolosæ doceret, cum se ad iter pararet, & ante id ab Episcopo Basileensi rogatus commissa sibi negotia qvædam tractaret, Keysersbergæ obiit, fraude, ut Pellicanus existimavit, monachorum. Ipse Pellicanus anno sequenti 1502. Basileæ Lector Theologiæ in conventu Franciscano constitutus fuit, & celebres Typographos

phos Amerbachium, Frobenium, & alios in edendis libris, Augustini præsertim, juvit. Raymundus Cardinalis, qvi legatione in Germania fungebatur, reliqviarum superstitiosus indagator & cultor, & indulgentiarum jactator Pellicanum ob eruditionem *Licentiati* titulo (qvo tamen nunqvam uti voluit) honoravit 1504. & Romam secum duxit. Inde reversus variis muneribus in ordinis sui monasteriis admotus, lectiones tamen continuavit, tum Scholasticas tum Hebraicas, in qvibus Sebastianum Munsterum discipulum habuit, itemqve Astronomicas. Refert Adamus ejus cum Capitone colloqvium anno 1512. habitum de Sacramento Evchariſtiæ, in qvo mutua confidentia agnoviſſe dicuntur doctrinam Eccleſiæ labaſcere, & ſi liceret, malle profiteri eam, qvam poſtea Zvinglius tenuit, ſententiam, anno 1514. & qvam Scotus inter tres alias primo loco recitaverit in IV. ſentent. Provinciali Minoritarum *Caſpare Sazgero* (*Schazgeyerum* puto intelligi, qvi contra Lutherum poſtea ſcripſit) ſeſe adjunxit Secretarii vicem præſtans; cum Joh. Eccio etiam familiaritatem coluit; ubiqve vero Hebraicæ, Chaldaicæ, Rabbinicæ literaturæ operam dedit. Anno 1516. ad Capitulum generale in Galliam miſſus Fabro Stapulenſi innotuit; poſtea Romam iterum ad aliud capitulum profectus ſummam monachorum inſcitiam ut & ſordes in corradendis per indulgentias nummis deprehendit. Reverſus inde monaſterii Rubeacenſis Gvardianus factus. Seqventis anni initio Lutheri articulos & ſermones cum ſtupore legere & ad adſenſum inclinare cœpit, Eraſmi vero ſcripta jam antea magnifecerat, ejusqve paraphraſin Epiſtolæ ad Romanos fratribus monachis prælegebat; Hoc ipſo anno Baſileam venit, ut Franciſcanorum Gvardianus eſſet: ibi cum Lutheri opuſcula Frobenius primo typis vulgaſſet, poſtea vero Eraſmo inſtante continuare operam nollet, Pellicani ſvaſu alius typographus *Adamus Petri*, magno cum lucro ſuo editionem ſuſcepit. Anno 1521. finitis Comitiis Wormatiensibus *Franciſcus de Angelis* Hiſpanus & Provincialis Franciſcanus, a Cæſare in Hiſpaniam miſſus toto biduo Baſileæ cum Pellicano de cauſa Lutheri diſſeruit, ita ut eam magna ex parte probaret. Anno seqventi in capitulo, Leonbergi in Ducatu Wurtenbergico ab ordine habito, ægre admiſſus eſt, imputato ei Lutheraniſmo, a qvo ſe utcunqve tunc excuſavit, decretumqve inde eſt, ne juniores monachi Lutheri libros legerent, licet doctioribus non interdicerentur. Sed recruduit adver-

sus eum odium, ita ut eodem anno una cum vice Gvardiano & concionatore Basileensis monasterii ex Schazgeri Provincialis decreto a muneribus suis dejiciendus & in alia monasteria transferendus esset. Sed senatu autoritatem interponente, omniumqve monachorum Franciscanorum expulsionem minitante, Basileæ in monasterio cum sociis qvadraginta conservatus est. Mox vocante senatu, & alios ab ea prohibente, Theologicam lectionem cum collega Oecolampadio publice suscepit: in periculo tamen haud levi inter Monachos versabatur, ita ut veneni metu aliqvandiu non nisi cibo a civibus suppeditato uteretur. Rogatus postea a primoribus civium, concionem ex N. T. qvotidie ad dimidiæ horæ spatium in templo habuit, indignantibus monachis, qvi Lutheranum esse dicebant, diebus profanis prædicare: subsitit tamen in ordine & habitu suo, usqve ad annum 1526. qvo Tigurum vocatus cucullum deposuit, & exemplo aliorum, ne scandalo esset jam annos natus qvadraginta & octo uxorem duxit. Congessit ista & plurima alia Adamus ex vitæ Pellicani chronico, qvod ipse suorum gratia composuit, ex qvibus multa observari possunt, qvæ statum Ecclesiæ ante & circa tempora Lutheri indicant: ut nempe in mediis corruptionibus doctrinæ & disciplinæ, reliqvi tamen semper fuerint, qvibus veritatis aliqva lux affulgebat, qvibusqve idem semper fatum, odiosæ nempe persecutionis, incumbebat. Tantam vero temporum illorum ante Lutherum infelicitatem notasse Pellicanus dicitur, ut nullum Græcum Testamentum in tota Germania reperiri potuerit, qvantumvis qvis magnam vim auri pro unico exemplari voluisset expendere.

Cæterum etsi relatum supra sit de Pellicani opinione, circa Articulum Sacræ Eucharistiæ, in Epistolis tamen Erasmi ad Pellicanum scriptis legitur, eum non nisi postqvam Carolostadius Basileam venisset, de præsentia reali publice dissentire cæpisse, aut saltem in modo præsentiæ exprimendo hæsisse. Expostulat enim cum eo *Lib. XIX. ep. 95.* anno 1526. scripta Erasmus, & negat fortiter, qvod Pellicanus jactasse dicebatur, se cum eo in illa qvæstione consentire: objicit itaqve ei inter alia mutationem sententiæ: Damnabas (scribit) eos qvi audebant profiteri illic (in Sacra Cœna) nil esse nisi panem & vinum, nec aliud opinatus sum unqvam de te, nisi proximo colloqvio, qvum veluti afflatus aut alius factus absqve fuco declarabas animi tui sententiam:

tiam: eam nunc palam profiteris; ego vero ne in priore qvidem sententia tecum sensi. Censebas enim profitendum in synaxi esse corpus Domini, cæterum qvomodo sit illic, Deo, qvi novit omnia, committendum esse; ego vero hoc tuæ sententiæ adjiciebam, mihi istuc videri simplicius, qvod ita vitarenturvarii difficultatum labyrinthi, si fas esset homini Christiano ab eo dissentire, qvod Conciliorum autoritas, qvod omnium Ecclesiarum ac gentium consensus, tot jam seculis comprobasset. Ad id semper negavi, me posse animum inducere, præsertim qvum Evangelicæ & Apostolicæ literæ tam evidenter nominant corpus qvod datur, & sangvinem qvi effunditur: qvum hoc mirifice congruat ineffabili Dei erga genus humanum charitati, ut qvos redemit sangvine & corpore filii sui, eos voluerit ejusdem carne & sangvine modo qvodam ineffabili pascere, & hac arcana filii præsentia, ceu pignore consolari, donec rediret gloriosus & omnibus conspicuus. Hæc me redderent propensiorem ad Ecclesiæ Catholicæ sententiam, etiamsi nihil esset definitum, nec in hanc partem nec in illam. Nunc qvis furor esset, si ego non vererer pronunciare, ibi nihil esse præter panem & vinum? Soleo cum amicis eruditis, maxime qvum absunt infirmi, libere commentari de qvibus libet, inqvirendi studio, nonnunqvam & tentandi causa, interim animi gratia, hac in re fortasse simplicior qvam par est. Sed agnoscam etiam parricidii crimen, si qvisqvam mortalium vel serio vel joco audivit ex me hanc vocem *in Eucharistia nihil esse præter panem & vinum*, aut, *non esse ibi verum corpus & sangvinem Domini*, qvod nunc qvidam libellis editis propugnant, imo Christum ipsum mihi precor parum propitium, si ista sententia unqvam insedit animo meo. Nam si qvid volatilium cogitationum aliqvando tetigit animum meum, facile discussi considerata Dei erga nos inæstimabili charitate, perpensis divinæ scripturæ verbis, qvæ Lutherum etiam ipsum, qvem vos omnibus scholis, Pontificibus, orthodoxis, & conciliis antefertis, coegerunt profiteri, qvod profitetur Ecclesia Catholica, a qva tamen solet libenter dissentire. *Et post alia*: Scis me in nullo dogmate per omnia sentire cum Luthero, nisi qvod nimium fere taxat corruptos hominum mores: & hic ob Carolostadium, qvi a suo ipsius dogmate jam desciv it, recedam a communione Ecclesiæ catholicæ? *Item:* Si tibi persvasum est, in Synaxi nihil esse præter panem & vinum, ego membratim

» bratim discerpi malim, qvam idem profiteri qvod tu profiteris, & o-
» mnia perpeti malim, qvam tali flagitio contra meam ipsius consci-
entiam admisso, ex hac vita demigrare. Patet itaqve ex hac epistola usqve ad id tempus Lutheranis accensendum esse Pellicanum, & Erasmi simul professio in hoc articulo & in Lutherum bilis percipitur: duæ aliæ non mitiores eodem anno ab Erasmo ad Pellicanum scriptæ literæ habentur *d. Lib. XIX. 95.* & *XVIII. 3.*

In Palatinatu Bipontino) Hoc qvidem anno neqve in hac provincia publice locum habuit doctrina Evangelii, sed jacta fuere semina; paulo post, anno 1523. publica Principis auctoritas accessit, ita referente *Altingio in Hist. Palat.* unum dicere (scribit) præterieram de
» Ducatu Bipontino, qvi pars est Palatinatus, sed ab Electoratu secreta,
» Principem ejus *Ludovicum*, Ducis Wolffgangi Patrem inter primos
» imperii proceres censendum, qvi Evangelium amplexi sunt. Nam an-
» no Christi 1523. feces fermenti Papistici ex ditionis suæ Ecclesiis ex-
» purgavit, missificos omnes eliminavit, & qvoad inter initia fieri po-
» tuit doctrinam & cultum ad normam verbi divini composuit. Qva in
» re usus est ministerio *Johannis Schwebelii* Pforzensis, qvi Landstei-
» nio, ubi cum *Hutteno* eqvite Franco, cum *Bucero*, & *Caspare Agricola*
» apud inclytum illum Heroem, Franciscum a Sickingen vivebat, Bi-
» pontum evocatus fuit. Intercedebant qvidem vicini Episcopi, ma-
» xime Trevirensis, & Principem minis ab instituto dimovere conaban-
» tur, sed frustra, tuentibus etiam ab obitu ipsius, qvi incidit in annum
» Christi 1532. novellam reformationem Fratre Ruperto, Tutore filii
» ipsius Wolffgangi, atqve ipso qvoqve Wolffgango, qvi provinciæ gu-
» bernationem adiit anno 1544. Vidi postqvam ista scripsissem, qvomo-
do (qvem §. 70. allegavi) *Joh. Henr. Majus* in libello nuperrime edito, Schwebelium civem suum a Zvinglianismi imputatione vindicet, & siqvæ in ejus epistolis aut scriptis discrepantia a Lutheri doctrina de S. cœna reperiri videantur, corruptionis & interpolationis suspecta faciat, allegans scriptum apologeticum ipsius *Wolffgangi Palatini Ducis Bipontini* nomine editum. Confirmare hoc videtur Altingius dum verbis illis *qvoad inter initia fieri potuit*, Reformationem Bipontinam restringit, perfectiorem scilicet eam judicans, qvæ postea secuta fuit, Helveticæ confessionis introductione.

Neqve

Neque enim nobilitas Equestris) Superat Maimburgium Varillasius cum *Lib. IV. p. 291. & seqq.* fabulis & conjecturis liberaliter indulget. Fingit primo factionem ab Episcopo Misnensi ad tradendum pontifici Lutherum aut saltem expellendum ex Saxonia formatam: immemor quod paulo ante *Lib. III. p. 259.* Episcopos Saxoniæ clam faviſſe Luthero & a Pontificia jurisdictione subtrahere se voluisse retulerat. De hac factione nihil apud scriptores reperio, & confictam puto, quia ipse silet Lutherus, multa licet tunc quæstus, & satis aliunde habens quod metueret. Sed ficto huic nodo etiam solutio fingenda fuit, itaque de Equitibus Franconicis & de Francisco Sickingio (hunc semper *Sequingue* vocat) incredibile affert; voluisse nempe hunc in Principem locum ascendere, & Archiepiscopum atque Electorem Ecclesiasticum fieri, non obstante, quod conjugem haberet, quia cleri conjugiis favebat Lutherus; cæteros vero nobiles & imprimis Schaumburgium & Huttenum ad partes Lutheri ideo transisse, ut ditiones (*Seigneuries*) a majoribus suis Ecclesiæ datas recuperarent *p. 295.* Magnam profecto qui talia scribit, rerum ignorantiam prodit. Sickingium, quem longe quidem majoris & consilii & potentiæ facit, quam rei veritas patitur, plane insaniisse oporteret, si cogitasset, quæ hic finguntur. Equites arces quidem & prædia sed non ditiones habebant, neque tales dederant Ecclesiis: fundos aliquos aut colonos dedisse constat, non tamen ita multos, ut horum causa tanta adeunda pericula, tantæ turbæ excitandæ essent. Novæ nempe machinæ, quæ hæreses impugnaturum se esse in præloquio recepit Varillasius, magis congruebat, exaggerare omnia & *ostendere*, ut ait, *quod religionis reformatores & protectores non nisi ex causis mere humanis & sæpe criminalibus*, aut *usurpandi aliena studio egerint.* Fingendi tamen artem non satis hic ostendit: etenim licet verisimilia sint quæ narrat de Misnensis Episcopi in Lutherum molimine (sat magno enim odio in eum flagrabat) impertinenter tamen remedium illi a Sickingio Schaumburgio, & Hutteno quærit: nam & longissime aberant, & omnes eorum vires potentia Georgii Saxonis superabantur, auxiliis, si voluisset, Brandenburgicis & Magdeburgensibus, e vicinia firmati. Quæ *p. 304.* memorantur, quod Lutherus per Sickingium inducere Imperatorem voluerit, ut honorifice cum Pontifice transigere posset,

fateor me eodem qvo cætera commenta loco habere, donec idoneis autoribus probentur: nullaqve verisimilitudine fingi puto, qvod Lutherus ad combustionem Decretorum Pontificiorum, eo processerit consilio, ut amicos suos irreconciliabiles cum Pontifice faceret: ab iis enim qvos facti illius socios aut spectatores habuit, juvenes Academicos, patrocinium sperare hominis plane stolidi fuisset; eratqve ea tunc mente Lutherus ut nec Electoris Saxoniæ viribus tutum se præstari posse crederet.

Ad §. XCI. *Lipsiæ vero*) Inter eos qvi clam favebant causæ Lutheranæ, qviqve liberiori tempore (de qvo si Deo visum erit, alibi dicemus) plurimum pro ea præstiterunt, merito celebratur *D. Casparus Bornerus* Hayna-Misnicus, cujus vitam retulit *Melch. Adami p. 187.* nuper vero laudes ejus renovavit *V. Cl. Joachimus Fellerus, in descriptione Bibliothecæ Paulinæ.* Extat ad eum epistola Lutheri *Lib. II. p. 68.* anno 1523. sub finem Mens. Maji data, cujus exordium hoc est: Literas tuas novissimas lætus accepi, vir optime, qvod sentiam te egregie sentire, & promereri, in conditione rei Christianæ, & opto oroqve, ut Dominus qvod incepit, perficiat. Sævitiam istam apud vos regnantem adversus Christum, dolens audio, sed erit, ut aut ipse Princeps mutet furorem, aut alius mutabit invito, & brevi. Spes tamen illa mutationis in annos sexdecim dilata fuit, Deo sic gubernante.

Ad §. XCVI. *Hieronymum Veum*). Asservatur in Bibliotheca Paulina Lipsiensi exemplum epistolæ typis vulgatæ anno 1522. qvam Veus d. 28. Martii ex Norimberga ad Georgium Ducem Saxon. scripsit, in qva qvidem multa contra Lutherum pro *confessione* potissimum, qvam vocant *auriculari*, pro *Missa*, qvod sit sacrificium, & pro *veteribus ritibus servandis* acriter disputantur; fatetur tamen Veus Lutheri prima scripta contra licentiam indulgentiarum & excommunicationum, item de decem præceptis & de triplici justitia magnum zelum domus Dei præ se tulisse, & eruditionem Christianæ veritatis egregiam in multis eluxisse: agnoscit etiam *miserum Ecclesiæ statum, & tempora in qvibus*, ut scribit, *refriguit charitas, tepuit devotio, voluptatum spina in comessationibus & ebrietatibus ita excrevere, ut verbum Dei qvasi strangulatum ne dicam pessundatum sit:* Et postea: *Ipse miserum Ecclesiæ statum defleo, de cujus reformatione diu se desperasse dicebat Gerson.* Animat denique Principem in Lutheranos, sed simul curare eum jubet &

opras,

optat, non solum ut Ecclesiastici abusus in vita, moribus, & conversatione, generali Concilio reformentur, sed & ut verbum Dei tamdiu *sub modio positum*, (en eadem phrasi confitentem, qvod in Luthero adversarii irrident) clarius effulgeat, & Domino nostro soli serviens Ecclesia secura tranqvillitate potiatur. Unde confirmatur qvod alii notarunt, Georgium Ducem reformationem qvandam animo volvisse, sed ad eam forte formam, qvam Erasmus aliiqve præscribebant; sive, qvod Lutherus suspicatus esse fertur, ut opes cleri minueret: ut ex *Apophthegm. ejus cap. 45. p. 438.* refert M. *Jeremias Weberus* in concione seculari anno 1639. *de Lipsia Evangelica* habita. Vei scriptum vidit Lutherus, sed ut alia, qvibus idem contra se dicebatur, qvibusqve idem responderat, neglexit.

Ad fin. §. XCVI. Ex Historia Varillasii *Lib. IV.* de comitiis Wormatiensibus & de Lutheri in iis comparitione, incerta aut falsa inter alia hæc notari possunt. (1) Probatum huc usqve non est, insertas fuisse salvi conductus Cæsarei literis conditiones de non prædicando & scribendo. (2) Nec qvod examinatum & pro insufficienti deprehensum sit Cæsaris diploma in consilio Saxonico, (3) Sturmium in omnibus urbibus tibicines & tubicines in Lutheri introitu præcinentes habuisse. Obiter noto: Sturmium hunc qvem *nobilem* Galli vocant, *Oppenheimensem civem* fuisse; illum *virum optimum & pientissimum* vocat Selneccerus, & ex ejus relatu qvosdam sermones facetos Lutheri audivisse se notat, & alia qvædam Wormatiæ acta narrat. *105. 109.* (4) verum non est ad concionem ejus maximum templum Erffurti præbitum fuisse: concionatus enim est in ædo ordinis sui Augustiniani, qvod neqve primarium neqve maximum est. (5.) Tumultum Erfurtensem malitiose *p. 311.* concioni Lutheri subjungit, qvi tertio post mense, latente illo in arce & rem indignissime ferente, (vide ejus epistolam allegatam §. *99.*) secutus est, studiosis mille & ducentis in sacerdotes concitatis, qvod Canonici B. Virginis qvendam cognomento *Dnsconem*, ob Lutheranismum sodalitio & choro suo ejecissent. (6.) contra omnia aliorum scriptorum testimonia & rei evidentiam *p. 317.* refertur, Lutherum ex monasterio Augustiniano Wittenbergensi in qvod se inclusisset, simulata vi, raptum fuisse Electoris jussu. Qvis enim nescit id in Thuringia, cum sex pene dierum itinere a Wit-

tenberga abesset, factum esse? Dein cum Cochleo, Surio, atqve aliis eundem errorem errat; dum arcem in qvam ductus fuit Lutherus, *Alstat* nominat. Cæterum qvæ de Ludovico Electore Palatino scribit *p. 314.* qvod restiterit iis, qvi Lutherum contra impetratum salvum conductum Wormatiæ retineri & in vincula conjici svaserant; Altingius ita narrat, ut in colloqvio potius qvam in consessu comitiali dictum esse appareat. Scribit enim: Qvum anno 1521. Lutherus ad comitia Wormatiensia a Carolo V. Imp. evocaretur, & dictitarent non pauci, in ipso revocatum iri exemplum Johannis Hussi, qvi contra datam fidem ceu hæreticus concrematus fuit: Ludovicus se interposuit dicens, ad labem & dedecus Germanici nominis sempiternum pertinere, siqvidem fides publica non Imperatoris tantum, sed potius Imperii nomine data, violaretur. Sunt qvi hac occasione dictum a Carolo V. Imp. referant, si fides toto orbe exularet, in aulis Principum refugium illi deberi. Vid. nuperrimus Historiæ Burgundicæ scriptor Gallus *de Fabert p. 453. Matth. Razebergius in MS.* sententiam illam de capiendo Luthero Principibus Ecclesiasticis plerisqve & Electori Brandenburgico tribuit, laudem vero improbati ignobilis consilii assignat (qvod mireris) Georgio Saxoniæ Duci, qvi etsi infensissimus esset Luthero, aperte tamen dixerit: *Principes Germanos hanc turpitudinem, maxime in his primis Cæsaris comitiis admissuros neutiqvam esse, ut fidem datam violarent: non convenire hæc cum priscis Germanorum moribus, sed servari debere qvæ promissa sint.* Hæc sane fide & candore Principis dignissima sunt, & in hoste etiam merito laudanda. Aliud qvoddam dictum Lutheri notat autor: Cum Wormatiam proficiscens in monasterio Reinhardsbrunn, ad radices sylvæ Thuringiacæ (Præfectura hodie est Principatus Gothani) pernoctaret, Vicario, qvi monasterio præerat monacho, sollicitudinem suam de eventu itineris & metum ab Italorum & Hispanorum fraudibus restanti respondisse per jocum: *ora tu qvæso Deum, ut Christo filio suo faveat: Si hujus causa salva est, etiam mea salva erit.* Sed in vita Frid. Myconi a Melch. Adami edita facta hæc esse perhibentur, cum anno 1518. Lutherus Augustam iret, & partim per jocum partim serio dicta aliterqve enunciata hoc modo, *p. 176.* referuntur: Anno Christi millesimo, qvingentesimo decimo octavo, cum Lutherus iter suscepisset Augustam, & pedes veniret Vinariam; pernoctavit eo in monasterio, mis-

missamqve decantavit. Ibi Myconius primum vidit Lutherum, sed ab accessu & colloqvio ejus tum est prohibitus. Monachorum vero tunc temporis διοικητὴς vel ἐπίτροπος, vicarius & administrator *Joannes Kestnerus* solus Lutherum compellavit, & de religionis negotio multa cum eo contulit, atqve vel ex pia qvadam συμπαθείᾳ vel potius μικροψυχίᾳ & humana imbecillitate: *Mi frater*, inqvit, *habebis Augusta Italos homines doctissimos & acutissimos, antagonistas acerrimos, qvi plurimum tibi facessent negotii. Valde metuo, ut ne in hac religionis controversia causa excidas; profecto in ignem te conjicient, & flammis exurent.* Cui Lutherus per jocum respondit: *Si urticis me usserint, aliqvo modo tolerabile erit: Si igne, nimium gravе, & prorsus intolerabile:* addens hanc patheticam & spiritu plenam adhortationem: *Interpone, qvæso, tuas preces apud Deum pro me, & ora Christum filium ejus, cujus est causa hæc, ut mihi adsit, qvam si obtinuerit, mihi obtenta erit: Sin vero causa exciderit, nec ego eam obtinere potero, atqve ita ipse solus ignominiam reportabit.* Aliud qvod Wormatiæ Luthero accidit, narrat Razebergius: Invitatus, ait, ad cœnam ab Episcopo (nescio an Trevirense) cum bibiturus vitrum ori admoveret, id tamen prius ex more suo, cruce digitis efformata signaret, subito inferior vitri pars rupta est, effuso vino. Inde suspicati sunt multi, venenum ei paratum fuisse, sed ipse putabat, vitrum dissiliisse, qvod aqvæ nimis frigidæ subito fuisset illatum. Testem rei gestæ allegat Cornelium Block, Regis Ferdinandi musicum, qvi cœnæ illi interfuerit & sibi hæc Pragæ anno 1545. narraverit. De meliori potu in confessu comitiali defatigato propinato non ingrata lectu memorat Selneccerus *pag. 108.* Luthero egredienti, & multorum hominum caterva circumdato, Ericus senior Dux Brunswicensis mittit cantharum argenteum cervisia Einbeccensi repletum, jubens ut se reficiat. Interrogans Lutherus, qvis Principum sui ita recordetur, & audiens donatorem Pontificium, ex eodem cantharo, ne qvid sinistri Lutherus suspicetur, præbibentem, ipse qvoqve bibit, inqviens: *Sicut mei nunc recordatus est Princeps Ericus, ita Christus recordetur ipsius in ultimo agone.* Hujus vocis Dux Ericus animam efflaturus recordatus est, & a puero astante nobili Francisco a Kramm petiit, consolatione Evangelica se recreari. Alia vitæ Lutheri circa illa tempora structa pericula refert *p. 97.*

Ad §. XCIIX. *Pallavicinus facem præfert.*) Qvandam etiam Varillasius, qvi nullam facile negligit occasionem ut Caroli consilia rimetur, & sugillet, ac si suæ utilitati omnia, etiam Ecclesiæ salutem servire fecerit, & extirpationem Lutheranismi suis emolumentis posthabuerit. Ante comitia Wormatiensia, cum de Luthero Romam sistendo Pontifex laboraret, hæc scribit *Lib. IV. p. 294.* Imperator, etsi qvodammodo ejus intererat, ut titulum *Catholici* Ferdinando prædecessori suo a S. sede collatum tueretur, negotium præsens ita considerabat, nt duplici modo sibi utile esset. Primo enim occasionem habebat ulciscendi Pontificem, qvi Electionem ejus impediverat, & simul Germanorum benevolentiam acqvirendi, ostendendo, se Romanæ sedi, non multum gratificari. Secundo Pontificem adigere poterat, ut amicitiam suam reqvireret, qva ad explendam ambitionem suam opus sibi maxime esse judicabat. Narrat inde prolixe, ut Cæsar Mediolanum Gallis eripere cogitaverit, totiusqve Europæ dominatum invadere, & cum Pontificis rationes non paterentur, ut conatibus illis in suam etiam servitutem redundaturis faveret, terriculamentum a Luthero ei injecerit. Hoc *pag. 298.* ita efformat, ut dicat, Lutherum per potentissimum in Germania Principem *Electorem Sax.* per fortissimum belli ducem *Sickingium* per *Huttenum* eloqventissimum, per *Nobilitatem* recuperandarum ditionum avidam protectum, in ordinem redigi a Sede Romana non potuisse, nec schisma qvale post separationem Ecclesiæ Latinæ & Græcæ non fuerit, præcaveri. Dein Imperatorem Nuncio Pontificio in Hispania, qvi capturam Lutheri urgebat, ita respondentem inducit, ut dixerit: Lutherum in ea regione esse, in qva non tam facile ac in Italia statui de hominibus posset. Nec se præstare officium, qvod desideraretur, posse: nisi postqvam ex Hispania in Germaniam rediisset, coronari se fecisset, & Comitia Wormatiæ habuisset. Eo se Lutherum citare velle, ut de doctrina sua responderet, indeqve reus peractus, Pontificis ministris traderetur. Papæ in hoc responso displicuisse, ait, tum qvod Imperator qvasi ad Calendas Græcas rem differret, malo interim pertemporis moram crescente, tum qvod sub auspicia imperii sui adversus jurisdictionem Ecclesiasticam attentaret, auditurus Lutherum, cujus causa jam Romæ ventilabatur. Cum autem Pontifex debilioribus

bus esset viribus, qvam ut impedire hoc attentatum posset, consilium de condemnando prius Luthero cepisse, Bulla d. 15. Jun. 1520. publicata, cujus contenta referuntur *p. 299. & seqq.* Suspecta hæc Varillasii tradita, nisi bonis documentis probare illa possit, non uno sunt modo. Qvæ enim de potentia Friderici & de Sickingio, Hutteno, & Eqvitibus aliis, ut magna & formidanda refert, tam exigui erant ponderis, ut callidum & peritissimum omnium rerum Pontificem terrere non possent. De Sickingio & Eqvitibus jam dictum est, de Friderico vero hic notandum illum sapientiæ & opum fama & consiliorum moderatione, clarissimum, sed inermem fuisse, nullo milite, nec unico loco satis munito, si arces qvasdam in montibus sitas excipias, tunc instructum, pacisqve & qvietis adeo cupidum, ut timiditatis notam vix effugerit. His igitur, qvæ præsupponit Varillasius labascentibus, cætera etiam qvæ inter Carolum & Pontificis legatum in Hispania tractata referuntur, vix consistent. Certe Bullam Leonis ad prævenien-dum Imperatorem festinatam esse non tacuisset Pallavicinus, cui in scriniis Vaticanis sine dubio relatio Nuncii ex Hispania ad manus venire debuit. Sed is Bullæ historiam aliam nobis narrat, emissamqve dicit, postqvam Leo Lutheri sive mansvetudine sua sive coercitione per Electorem recuperandi spem perdidisset *Lib. I. c. 20.* Porro cum legationem Caraccioli & Aleandri narrat Pallavicinus *cap. 23.* cur obliviscereturcorum, qvæ in Hispania acta forent, nulla apparet ratio. At legatos illos a Cæsare, non in Hispania, sed in Belgio ante coronationem & post publicatam jam Bullam, edictum contra Lutherum (de capiendo eo nihil memoratur) postulasse, diserte tradit Pallavicinus, *d. l. cap. 24.* & pro magno secreto tum demum profert vocem, qvæ Ceurio, Politicis artibus dedito, exciderit, dicenti: *Cæsarem erga Pontificem ita se esse gestarum, uti is erga Cæsarem se gereret.* Denique consilium de Luthero ad Comitia vocando, minime in Hispania, sed Wormatiæ extempore, & Friderici Sax. El. suggestione captum esse, ut rem Aleandro improvisam & Pontifici ob jurisdictionis violationem ingratam, memorat. Qvis ergo credat hæc scribentem Pallavicinum, ignorasse aut dissimulasse alia & apertiora jam in Hispania dicta? sed stant hæc, ut innui, Actorum fide: qvæ si producere potest Varillasius, præ Pallavicino arcanorum Pontificiorum & Cæsareorum scientiam jactare non immerito poterit. Sed si ista ex conjectura scripsit, ruunt etiam

etiam qvæ *pag. 307.* de consilio mittendi Caracciolum & Alexandrum commentatur, qvasi tum demum Pontifex id ceperit, cum Lutherus Libros Juris Canon. combussisset & potestatem Pontificiam acribus argumentis oppugnasset. Hæc iterum adversantur narratis a Pallavicino, qvi Caracciolum omnium primum ad gratulandum Cæsari ex Hispania in Belgium profecto de electione missum, & adjunctum ei propter negotium Lutheri Alexandrum refert. Cætera de avocatione & comparitione Lutheri ad §. *96.* notata sunt. Laurentii Surii spiritum notare hic lubet, qvi in relatione hujus comparitionis deplorat, qvod Carolus, piissimus Princeps etiam Catholicorum Dynastarum precibus, qvi mitius agendum cum Luthero putabant, induci se passus sit, ut eum dimitteret. Cantat carmen illud: *Principiis obsta &c.* & crudelitatem non esse ait, sævire in membrum morbidum ne serpat contagio. Sane ipsum Carolum intus in corde suo meliora de Luthero sensisse ex dictis factisqve ejus haud difficulter ostendi potest, eritqve alibi locus de iis aliqvid commemorandi.

Ad §. C. *de Confessione*). Qvantum in hac, qvalem Pontificiæ leges introduxerunt, ponat Clerus Romanus, nemo mirabitur, qvi observat, arcem hanc qvasi fuisse magnæ illius potestatis, qvam sibi in populum arrogarunt sacerdotes; qvanqvam multum ex vinculo hoc relaxatum est, etiam in Romana Ecclesia partim per imminutum Pastorum ordinariorum officium, datamqve assumendi pro lubitu confessionarios, qvos vocant, indulgentiam, partim facilitate absolutionum, qvam, (ut ex libris nostro tempore, Jansenismi occasione editis constat) alii aliis ex ordinibus sacris imputant. Erasmum ob magnam antiqvitatis peritiam & historiæ causa, ex epistolis suis audire hac de re non pigebit. Disputavit in apologia contra Eduardum Leum, *an confidendi ratio illa Ecclesiastica constitutionis esset divinæ an humanæ?* Id Lovanii Nicolaus ille Egmondanus impotentissimæ & sangvinariæ mentis monachus, imo carnifex, ut hæreticum publice exagitaverat, palum etium minatus. Erasmus eo intellecto, etsi jam post condemnatum Romæ Lutherum nihil ex ejus dogmatibus tueri se velle profiteatur, ita tamen sua defendit, ut ad *Rosemundanum* Doctorem Lovaniensem 15. Cal. Nov. 1520. (*Lib. XV. Ep. 18.*) scribat, *se qvidem nihil definisse, sed ita disputasse, ut Egmondus refutaturus non sit*; addit paulo post, qvod summe notandum est, *non deesse magnos Theologos, qvi*

non vereantur affirmare, nihil esse in Luthero, qvod per probatos autores non posset defendi. Scripsit ista postqvam jam dimidior pœnitere videretur eorum, qvæ ad Albertum Cardinalem Moguntinum anno 1519. *Lib. XII. ep. 10.* scripserat, alibi a me relata. In prolixa vero ad *Card. Campegium* expurgatione mense Decembri 1520. scripta (*Lib. XIV. ep. 1.*) qva suspicionem Lutheranismi a se amolitur, fatetur, in plebe multos esse, qvi pro gravi habeant confitendi onus, se vero nihil definiisse, sed consuluisse, neqve ulcus illud tangere voluisse, ob abusum, qvi metui deberet, si qvis Theologus aut probatæ vitæ vir, contra confessionis necessitatem pronuntiaret. Cum *Justo Jona* expostulans *Lib. XVII. ep. 18.* perperam qvidem Luthero affingit, qvasi in totum confessionem improbaret, non negat tamen *onus illud laqveo qvorundam aggravatum esse.* Multis vero locis profitetur, pro articulo fidei defendere se non posse, qvod confessio ista sit divinæ constitutionis; submittit tamen se judicio Ecclesiæ. Ita scripsit ad *præsidem Mechlinienſem* ann. 1522. *Lib. XIX. ep. 112.* & ad acerrimum adversarium suum *Natalem Beddam* Parisiensem an. 1525. *d. l. ep. 91.* tum ad *Lovanienses Theologos* eodem anno *epist. 82.* Edidit etiam libellum *de modo confitendi*, cujus aliqvoties meminit, sed maxime anno 1528. ad Episcopum qvendam, cujus diœcesin non nominat, ubi & secretum monasticum aperit his verbis: In libello *de modo confitendi*, non hoc ago, ne confiteamur, sed ut utiliter confiteamur. Id efficere non poteram, nisi propositis qvibusdam incommodis, qvæ non adscribo confessioni, sed vitio confitentium & audientium. Jam qvum totus mundus plenus sit fabularum de flagitiis ac sceleribus qvæ sub umbra confessionis admittuntur; indignantur mihi, qvod moderatissime qvædam attigerim: nec reputant, qvam multa pudore Christiano siluerim ejus generis, ut vel sola commemoratio posset lectoris animum inficere. Verum Monachi complures non amore pietatis urgent hanc confessionem, sed qvod hinc auferant luculentam messem, dum regnant in ædibus divitum, qvorum secreta norunt, dum adsunt morientibus, dum arrodunt testamenta. Considerent lernam malorum, qvæ hactenus orta est ex confessionibus, & mirari desinent, si qvid admonui de recte confitendo. Unum addam, qvamvis ante id tempus nempe anno 1521. ex Brugis Flandriæ scriptum *Lib. XVII. ep. 24.* qvia ingenium concionatorum istius seculi ostendit, & festivum est: In natali Divi Augustini qvidam hic concionatus est,

vir ἱεροπρεπεῖ cultu spectabilis. Is inter multa, qvæ divinitus dixit, mire restituit dignitatem qvatuor ordinum, qvos vulgo *Mendicantium* appellant, simulqve confessionem, qvorum utrumqve nonnihil videbatur opera Lutheranorum cœpisse labascere. Dignitatem ordinum sic restituit: *Augustinus*, inqvit, *fuit fons ille in Paradiso, unde prodierunt qvatuor amnes, hoc est, qvatuor ordines Mendicantium, sua doctrina, sanctisqve moribus irrigantes & fœcundantes universam superficiem terræ, hoc est, universam Ecclesiam.* Si Christum dixisset fontem, qvatuor fluvios, qvatuor Evangelia, non omnino fuisset absurda allegoria. Nunc qvid Augustino cum illis ordinibus. Porro qvod addebat de irrigando fœcundandoqve, complures boni viri optabant esse verum, risere permulti. Confessionem ita restituit. *Augustinus*, inqvit, *scripsit multos libros de confessione, in qvibus confitetur qvædam pene frivola, veluti qvemadmodum aliqvando contemplatus sit, non sine voluptate, amneam venari muscam*, *Hoc*, inqvit, *arguit, nihil esse tam minutum, qvin oporteat confiteri.* Primum Augustinus illic utitur *confessionis* vocabulo, ut est anceps, & ad gratiarum actionem & ad confessionem culpæ: atqve in eo opere plus laudis sibi tribuit, qvam agnoscit culpæ: neqve confitetur sacerdoti, sed Deo. Et tamen ille concionator hæc dicens, vulgata voce est usus, qvæ populo nihil aliud declarat, qvam eam confessionem qvam *Sacramentalem* vocant Theologi. Hujusmodi cum multa dicant publicitus apud freqventem multitudinem, mirantur se non haberi pro diis. Tertium fortassis ad me pertinebat, qvi in declamatione plus æqvo tribuere videor matrimonio. *Qvidam*, inqvit, *damnant cœlibatum: imo nisi nos cœlibes fuissemus, jam Christiana fides esset extincta.* Olim nemo fere dicebat pro concione, nisi dispositis notariis, qvi sermonem exciperent: qvod si fieret hodie, Deus bone, qvæ fabulæ nascerentur! Qvi talia dicunt in celeberrima civitate Brugensi, qvæ tot habet eruditos, tot, & sine literis, felicia saniqve judicii ingenia, qvid censes eos dicere in pagis, qvid in conviviis? O columnas orthodoxæ fidei!

Ad §. CII. in fine.) Rei gravitas & atrocitas contumeliæ per renovationem fabulæ dudum explosæ, Protestantibus, & speciatim Lutheranis illatæ, cum ex Theologis pauci essent, qvi Gallicum libellum intelligerent, movit me, ut anno superiori *Dissertationem historicam & Apologeticam, adversus tractatum Cordemoji, tertia vice Parisiis*

anno

anno 1684. editum conscriberem: ita ut libellum ipsum cui titulus: *Recit de la conference du Diable avec Luther. &c.* Latine verterim, & annotationes inseruerim, qvibus omnia (ut puto) Abbatis argumenta sufficienter refutata sunt. Nolui tamen tunc nomen meum, dissertationi præfigere, sed a *D. Casp. Sagittario* Professore Jenensi impetravi, ut editionem susciperet, qvod pro suo erga me affectu præstitit, ut ex præfatione ejus constat. Ex illa qvam potero brevissime huc transferam, qvibus calumnia putidissima penitus destruitur. Qvamvis actum agere videri possim, cum ab eo tempore qvo primum producta est, innumeris viribus repulsa & prostrata sit. Consulantur qvæ scripserunt Theologi inter nostrates clarissimi, *Jacobus Heilbrunnerus, Fridericus Balduinus, Georgius Zamannus, Joh. Gerhardus, Casp. Erasmus Brochmandus, Joh. Mullerus, Erasmus Gruberus*, & plures alii. Notandum ante omnia, narrationem Lutheri qvam ex *Tomo VII. Witt. Lat. fol. 228.* libello suo præmisit Cordenoyus non esse opus Lutheri, qvi Germanice scripsit, sed *D. Justi Jonæ*: qvem (mendoso, credo Hospiniani loco *Part. II. Hist. Sacram. fol. 200. b.* deceptus) Abbas Præceptorem liberorum Lutheri facit, cum Canonicus esset Wittenbergensis, Canonum & Theologiæ Doctor & Professor, dein Ecclesiastes Halensis, & deniqve Superintendens Ducatus Coburgensis. Variant itaqve Germanica & Latina, & hæc ex illis explicanda sunt, qvia (ut voculæ *&c.* pluribus locis indicant) interpres sensum potius qvam verba secutus est, qvædam etiam per festinationem omisit. Inter omissa statim ab initio narrationis, verba sunt Lutheri, qvibus disputationis modum indicavit: Der Teuffel fieng mit mir in meinem Hertzen eine solche Disputation an/ (wie er mir dann manche Nacht bitter und sauer gnug machen kan.) Hæc integre reddita significant: *Cœpit Diabolus mecum in corde meo disputationem, multas enim noctes satis acerbas & molestas mihi facere potest.* Jonas pro illis hæc saltem ponit & ex iis Abbas: *Satan cœpit ejusmodi disputationem.* Omisit itaqve verba: *in corde meo*, & qvæ seqvitur, parenthesin, ex qva tamen liqvido apparet, qvod in illa disputatione Diabolus nulla forma conspicua apparuerit, aut locutus sit, sed qvod tota illa disputatio *in corde*, id est, per cogitationes peracta fuerit, qvas Lutherus pro Diaboli insultibus habuit. Hospinianus ipse, licet occasione controversiæ sacramentariæ Luthero infensus, vocabula ista *in corde* ex Germanico supplevit.

Si hunc Abbas, cum in aliis alleget, vel *Job. Claudium*, qvem itidem *pag. 30.* citat, & in qvo eadem reperiisset, etiam in his secutus fuisset, frivola disqvisitione de forma colloqvii supersedere potuisset. Paulo post principium periodus satis longa a Jona omissa est, in qva Lutherus ea qvæ dixi confirmat, dum cogitationum illarum, qvas diabolus in tentatione suggerit, celerrimos impetus & pericula exponit. Sed ut excusari possit Abbas Germanicæ lingvæ ignarus, dum versionem latinam seqvitur, culpa tamen aut dolo non caret, qvod finem narrationis omiserit, qvem Jonas exhibet, & in eo inter alia hæc, in qvibus natura tentationis illius, & victoria Lutheri planissime describitur: Satan enim in ictu oculi repente totam mentem terroribus & tenebris obruit, & si nihil qvam hominem inermem & verbo non instructum invenit, qvasi digitulo totum evertit. Verum qvidem hoc est, qvod mendax sit, sed ejus mendacia non sunt simplicis artificis, sed longe callidiora & instructiora ad fallendum, qvam humanus captus assеqvi possit: ipse sic adoritur, ut apprehendat aliqvam & solidam veritatem, qvæ negari non potest, atqve eam adeo callide & versute urget & acuit, & adeo speciose fucat suum mendacium, ut fallat vel cautissimos &c. Uti Cogitatio illa, qvæ Judæ cor pereussit, vera erat, *Tradidi sanguinem justum*, hoc Judas negare non poterat; sed hoc erat mendacium, *Ergo est desperandum de gratia Dei.* Et tamen Diabolus hoc mendacium, hanc cogitationem tam violenter urget, ut Judas eam vincere non posset, sed desperaret. Proinde bone frater, Domine Papista, non mentitur Satan, qvando accusat aut urget magnitudinem peccati, ibi enim habet duos inconvincibiles graves testes, Legem Dei & nostram propriam conscientiam. Non possum negare, me peccasse, non possum negare peccatum meum magnum esse, non possum negare qvod reus sim mortis & damnationis &c. Sed ibi mentitur Satan, qvando ultra urget, ut desperem de gratia, sicut Cain dicebat, *majus est peccatum meum* &c. Et ibi tum opus est in tali agone, divino & cœlesti auxilio, ut vel frater adsit, qvi te consoletur promissionibus gratiæ foris, vel intus in corde Spiritus S. per verbum fratris erigat & animet ac sustenter cor tuum, ut possis sic apud te statuere: Confessus qvidem sum (lege Dei convictus) coram Diabolo, me peccasse, me damnatum esse, ut Judam, sed verto me ad Christum, cum Petro, & respicio ejus offensum beneficium & meritum &c. ille omnem horrendam damnationem damnavit.

mnavit. Extra Christum istum essem qvidem reus mortis æternæ, sed qvia sum in Christo,& in ipsum credo,ipsum invoco,tum jam mea damnatio est damnata,meus reatus jam ipsius reatus,atqve ibi constanter possum dicere: Etiamsi sim peccator,tamen sum sanctus & innocens in Christo: peccator qvidem sum in me ipso extra Christum, sed sanctus, purus, mundus sum extra me in Christo,qvia ipse meum peccatum delevit per sangvinem suum, de hoc non dubito, in hoc accepi baptismum, absolutionem & sacramenta, ut sigilla certa divinæ gratiæ &c. Igitur calumniæ imo mendacii apertissimi omnes convinceuntur, qvi scribunt Lutherum fassum esse se a Diabolo victum fuisse, & qvod ex eo didicerit Missam non esse sacrificium. Nihil enim tota narratione illa sua fatetur aut narrat Lutherus, qvam qvod graviter tentatus sit a diabolo,immisso cordi acerrimo dolore, qvod per annos qvindecim ex cœna Domini contra ejus institutum sacrificium fecerit; ita autem afflictum fuisse ut pene desperasset, aut mortem incurrisset, nisi singulari Dei gratia per fidem in Christum solatia accepisset. Frustra itaqve & nugatorie insultant Luthero qvod qvasi discipulus doctorem diabolum submisse audiverit, nec statim eum rejecerit: qvod postremum in hominis potestate non est, sed a divino pendet auxilio, per qvod etiam Lutherus impetum Satanæ repulit. Gravissimum autem convitium est,cum non Luthero saltem eam proterviam imputat Abbas, qvod sciens ac prudens diabolum magistrum in hoc de Missa articulo admiserit, sed & qvod etiam nunc Protestantes ipsi scientes licet qvo doctore usus sit Lutherus, hujus tamen dogma seqvantur. Hæc cominatio non Reges modo,Principes,& populos,qvi Protestantes vocantur, sed & Imperatorem augustissimum, & omnes alios Reges & proceres tangit,qvi cum Protestantibus,per fœdera aliisqve vinculis conjuncti sunt, vitari autem non modo, sed & pro hostibus generis humani haberi & tractari deberent, qvi scientes & prudentes Diabolum magistrum profiterentur. Neqve alium scopum sibi proposuerunt immanis contumeliæ architecti, qvam ut internecino in Protestantes, odio imbuant Principes Romanæ religionis. Ut vero teterrimi figmenti tota corruat machina primariam, imo unicum argumentum qvo Lutherum infectati sunt jam olim Jesuitarum Monachorumqve Germanorum impudentissimi, *Surius*,qvi primus qvod sciam anno 1560. convitii autor fuit, *Gretserus*, *Tannerus*, *Schererus*,

Vetterus, Semrius, Keddius, Crucius, item *Becanus* & *Cornelius a Lapide*. deniqve horum imitatores Galli, *Arnaldus* & hic *Cordemoyus*, tum *Varillasius*, a conjectura pendet, qvod Lutherus Missam qvatenus non est distributio & communicatio corporis & sangvinis Domini, sed pro sacrificio offertur, non nisi post disputationem cum Diabolo impugnaverit. Hanc veluti sponsionem init ipse Abbas *p. 40. & 41.* & litem qvasi contestans agnoscit, corruere argumenta sua si probari posset Lutherum prius contra Missam scripsisse, qvam conflictum illum cum Diabolo passus sit. Probari autem hoc posse, in Dissertatione evidentissime & luce ut confido clarius, hunc in modum demonstravi: (1.) Lutheri disputatio illa cum Satana (rectius *tentatio* diceretur) non nisi vel completo vel saltem currente anno decimo qvinto sacerdotii ejus accidit. Ipse qvidem cui soli & unico tota illa narratio anno 1533. publicata debetur, expresse ita loqvi facit diabolum: *annos qvindecim totos semper solus privatim pro te Missa usus es in Sacramento.* Lutherus antea sacerdos factus fuit Erfurti anno 1507. primamqve celebravit Missam Dominica Cantate, ut patet ex epistola paulo ante X. Cal. Maji ad Johannem Braun Vicarium Isennacensem scripta. *Lib. I. ep. I.* totus antea annus qvintus decimus completus fuit anno 1522. Mense Majo; ut ipse Cordemoyus computat, cum *p. 62.* scribit tractatum Lutheri qvo disputationem narravit undecim vel duodecim annis post disputationem editum esse, id est, vel anno 1521. vel 1522. Qvod si largiamur annum decimum qvintum non completum, sed cœptum intelligi posse, disputatio inciderit in annum 1521. a Mense Majo currentem. Largimur hoc non necessario (cum possimus cum D. Balduino vel tempus factæ narrationis 1533. computare) sed ex conjectura, qvod Lutherus passus sit hunc diaboli insultum in secessu illo vel custodia in arce Wartburgensi: in illa enim multoties territum & tentatum esse Satanicis persecutionibus ex epistolis illius & historia vitæ ejus constat. Vide qvæ scribat anno 1521. die Petri, id est, in festo vinculorum Cal. Aug. *Lib. I. ep. 238.* Hinc irrefragabiliter sequitur, qvicqvid scripsit aut docuit Lutherus ante Mensem Majum 1521. illud indubitanter præcedit decimum qvintum annum sacerdotii, & tempus disputationis, ideoqve a diabolo non didicit qvæ antea scripsit aut professus est. (2) Scripsit autem docuitqve Lutherus contra Missam sacrificatoriam ante Mensem Majum anno 1521. primo in sermone anno

no 1520. Germanice habito, qvi eodem anno sub titulo *de Novo Testamento & sancta Missa* seorsim excusus in Bibliothecis extat, & postea in omnes Tomorum compilationes relatus est. Vide *Tom. I. Alt. fol. 114. b. & seqq.* qvod vero hic sermo præcesserit librum *de captivitate Babylonica*, ex eo manifestum est, qvia in hoc numerum septenarium Sacramentorum in dubium vocare cœpit, qvem habiti sermonis tempore adhuc agnoscebat. Ex hoc seqventia §. *16. & seqq.* fideliter translata (Latine enim sermo ille, qvod sciam, non habetur) excerpta do: Testamentum Christi sive sacra cœna, est beneficium acceptum, non Christo datum aut redditum. Qvis unqvam dixit, se bonum opus facere, cum aliqvid ex testamento capit, accipit nempe non dat beneficium? Itaqve Sacramentum hoc non est opus, sed est fidei exercitatio. Preces qvidem qvæ occasione Missæ fiunt & eleemosynæ, qvæ prisco more distribuebantur, sunt opera bona, sed hæc non sunt Sacramentum: hoc enim nemo potest offerre, aut sacrificare Deo aut hominibus, sed unusqvisqve id sumit, & ex eo tantum sibi salutariter applicat, qvantum fide apprehendit: hic non est officium sed beneficium, nec magis pro alio sumi potest, qvam baptismus aut pœnitentia, aut unctio. Itaqve maximus omnium abusus est, qvod nunc totus fere orbis ex Missa sacrificium facit, & Deo sacrificare vult. Vocabulum illud *oblationis*, sive *sacrificii* absqve dubio ex Veteris testamenti ritibus retentum & post tempora Apostolorum continuatum est, qvia fideles conferebant cibos pecuniam & alia, qvæ Missæ tempore egentibus distribuebantur, non sine benedictione & precibus, qvæ super elevata illa dona fiebant. Inde est qvod orationes prima & ultima in Missa *Collecta* vocantur, dein qvod post lectionem Evangelii adstantes offerunt *aliqvid* super altari, unde hymno nomen *Offertorii* mansit. Itaqve non Sacramentum, sed illa qvæ populus exhibet, offeruntur, & qvasi sacrificantur, neqve sacerdos, qvando hostiam aut calicem elevat, ullum verbum profert, qvod oblationem aut sacrificium indicet, non magis, cum ipse sumit aut porrigit Sacramentum. Nunc omnia inversa & turbata sunt: Sacramentum qvod non offertur sed accipitur, pro oblatione & sacrificio habetur; oblationes cessarunt; bona Ecclesiæ qvæ hostiarum loco esse, & pauperum usibus servire deberent, ad bella & luxum aliasqve res indignissimas applicantur, ut nullius rei major abusus esse possit. *Pergit §. 24.* Qværis, qvid ergo reli-

reliqvum est, aut manet in Missa ut sacrificium vocetur, totqve verba fiant de sacrificio & oblatione? Respondeo, nihil reliqvum est aut manet, sed præcise statuendum est, Missam esse Sacramentum, & Testamentum, qvod non est, nec esse potest Sacrificium, non magis ac alia Sacramenta, baptismus, confirmatio, pœnitentia, unctio. &c. Alias perderemus Evangelium, Christum, solatium, omnemqve gratiam Dei. Ideo Missam simpliciter separare debemus a precibus & gestibus a S. Patribus additis, & tam longe ab illis sejungere, qvam longe cœlum a terra distat, ita, ut Missa nihil aliud maneat, qvam verbum & sacramentum Christi &c. Porro, si Missa vel Sacramentum esset sacrificium, tunc esset etiam tale, cum ad ægrotantes portatur, aut a communicantibus in templo accipitur, totqve essent sacrificia, qvot homines qvi acciperent. Si autem hic non est sacrificium, qvomodo in manu sacerdotis esset sacrificium, cum tamen unum idemqve sit Sacramentum, unusqve ejus usus apud omnes? *(§. 25.)* Caute itaqve de *sacrificii* vocabulo sentiendum est, ne tam temerarii simus, ut aliqvid in Sacramento Deo offeramus, nam ille nobis dat omnia. Nos spiritualia sacrificia offerre debemus, abolitis corporalibus, in qvorum locum templa, monasteria, hospitalia successerunt. Qvid igitur offerre Deo debemus? Nos nimirum ipsos & qvicqvid habemus per preces devotas, qvemadmodum dicimus: *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo ita & in terra* &c. Tradamus nos voluntati divinæ, ut de nobis disponat ut vult, laudesqve ei offeramus pro ineffabili bonitate & misericordia sua, qvam nobis in hoc Sacramento promisit & exhibet. Hoc sacrificium posset qvidem extra Missam fieri, neqve enim ad Missam proprie pertinet, ut dixi; sed præstantius, convenientius, efficacius & gratius est, si fiat in cœtu, in qvo mutuo nos excitamus & accendimus, ut oratio facilius ad Deum penetret, & desideratis sine dubio potiatur. §. *26.* Ostendit qvo sensu sacrificium dici possit Missa, non qvod Christum, sed qvod nosmet ipsos in Christo & per Christum offeramus & sacrificemus. Sed hoc modo (*ait* §. *27 28.*) pauci Missam intelligunt; putant potius sacerdotem offerre seu sacrificare Missam coram Deo. Cum tamen id faciant (semetipsos offerentes) qvi Sacramento utuntur, imo qvi præsentes sunt, etsi non communicent; ideo omnes Christiani sunt sacerdotes, cujuscunqve sexus & ætatis. Qværis postea, qvid igitur fit de Missis, qvæ pro animabus

Re-

in purgatorio celebrantur, consvetudine universali & freqventissima? Respondet: nihil moror consvetudinem, verbum Dei præferendum & tenendum est. Missa nihil aliud est, qvam Testamentum & Sacramentum divinum, nec potest esse opus aut sacrificium, etsi per modum sacrificii (ut dictum est) & bono opere accipiatur &c. Facile dicitur: Missa est opus operatum, non operantis, sed difficilime probatur; non sufficit dicere, aut consvetudinem allegare & laudare &c. Ego non capio, qvomodo tot Missæ & vigiliæ absqve abusu fundentur & habeantur, eo præsertim animo, ut pro operibus, ut fit, habeantur, qvæ Deo satisfaciant, cum tamen nostrum saltem sit accipere & frui. §. 30. Scio me ob hæc a qvibusdam pro hæretico haberi, sed vide Tu, qvi me ita criminaris, qvid probare possis. Non ignoro artem & argumentationem tuam, sed ea nullum habet fundamentum, nec unqvam ex Missa sacrificium efficies, aut opus satisfactorium.

Succedit secundo liber de *Captivitate Babylonica.* Hic prima vice editus fuit mense Augusto anno 1520. secunda vero mense Octobri. Constat hoc ex epistolis Lutheri *Lib. I. ep. 187. 188. 189.* Ex hoc non opus est ut aliqvid exscribatur, fatetur enim Abbas in libro hoc disputasse Lutherum contra Missam, sed inde contra evidentiam facti evincere vult, librum hunc post disputationem cum diabolo scriptum adeoqve diabolicæ informationis, qva Lutherus usus fuerit, fœtum esse. Patet enim apertissime librum novem menses ante cœptum decimum qvintum annum sacerdotii Lutheri, in qvo tentationem diaboli sustinuit, scriptum fuisse.

Tertio, scriptus est a Luthero mense Martio anno 1521. antequam ad Comitia Wormatiensia proficisceretur, currente adhuc anno sacerdotii decimo qvarto tractatus *contra Ambrosium Catharinum.* Dedicavit hunc Wenceslao Linccio Augustiniano d. 1. April. Vide *Tom. II. Lat. Jen. fol. 370. seqq.* Pugnat in hoc libello contra Missas his verbis: *d. l. fol. 388. b.* Qvis enumeret, prodigia illa de solis defunctis? Bone Deus! qvantum hic mare mendaciorum, de apparitionibus, adjurationibus, responsisqve spirituum inundavit? qvibus factum est, ut Papa etiam mortuorum Rex factus sit, & in purgatorio jam regnet. Nec est repertum ab initio mundi negotium qvæstuosius & minoris operæ, siqvidem hoc ingenio huc derivatæ sunt per fundatores Ecclesiarum, omnium ferme Principum, & divitum opes, & per opes delitiæ

» & otia, per otia autem Babylon ipsa & Sodoma. Odiebat enim Satanas Sacramentum altaris nec patebat via evacuandi ejus. Invenit ergo, ut pro bono opere & sacrificio haberetur, emeretur, venderetur, qvod pro Sacramento Christus ad fidem viventium alendam duntaxat instituit. Atqve ita fide extincta non viventibus sed mortuis accommodatur salutare hoc mysterium, id est, prorsus nullis neqve viventibus neqve mortuis. O furor Dei incogitabilis! Ecce hoc voluerunt spiritus illi neqvam, qvi Missas postulaverunt, & sese redimi finxerunt. Infinita sunt hujus monstri exempla, in qvæ nos, rude vulgus, sine judicio, sine spiritu, sicut imprudentes bestiæ, in laqveum irruimus, prorsus nullum mendacium Satanæ suspicantes, cum Deus non penitus nos dereliqverit, qvin in multis locis illusiones istas manifestarit.

Qvarto in Comitiis Wormatiensibus mense Aprili dicti anni 1521. itidem ante finitum qvartum decimum sacerdotii annum propositi fuerant Luthero qvadraginta articuli, qvos Hieronymus Aleander nuncius Pontificius ex libris Lutheri excerpserat, inter hos qvintus de Missa ita conceptus erat: Manifestus & impius est error, Missam pro peccatis, pro satisfactionibus, pro defunctis aut qvibuscunqve necessitatibus suis aut aliorum offerre seu applicare. Hunc articulum Lutherus pro suo agnovit his verbis: De ipsa Missa seu Sacramento dixi, non de orationibus in Missa. (has enim proficere non negabat.) Rationes patent in libro (ex qvo articulus excerptus erat *de Captivit. Babylon.*) qvia Sacramentum natura sua pro nullo alio accipi potest, sed tantum pro se ipso. *Tom. II. Lat. Jen. 441. b.*

Qvinto postqvam redux ex comitiis & jam cœpto sacerdotii anno decimo qvinto Lutherus in arcem qvam Pathmon vocat mense Majo 1521. abditus fuisset, & in latebra illa libris scribendis & edendis occuparetur, composuit illum *de abroganda Missa.* Hunc dedicavit fratribus suis Augustinianis Wittembergensibus, cum audivisset, illos Missas solitarias abrogasse. Vide *Tom. II. Lat. fol. 465. b. & 494.* misit Georgio Spalatino die Martini, id est, XI. Novembris, ut patet ex *Epistola 251. Lib. I.* Jam si literæ narrationis supra allegatæ insistamus, concludere qvidem possumus, qvod tentatio diabolica post completum annum decimum qvintum sacerdotii contigerit, adeoqve etiam hic liber sex mensibus finem illius anni, qvi in mensem Majum anni 1522.

ni 1522. incidit, præcessisset, sed jam monui, opus non esse, ut hoc pro certo asseramus, cum verisimilius sit a Luthero hunc librum illo ipso tempore qvo diabolicis insultibus in custodia illa sua maxime vexabatur, compositum esse. Interim ex hoc libro evidentissime probatur, primam abrogationem Missæ non Luthero sed Augustinianis Wittenbergensibus deberi. Ita enim scribit ad eos in dedicatione: Significatum est mihi, Fratres charissimi, & literis & verbis amicorum, cœpisse vos primos omnium in vestra congregatione abusum illum Missarum, qvas vocant, abrogare. Fecerunt autem hoc absente & inconsulto Luthero, qvem a mense Aprili istius anni 1521. non viderant, neqve librum ejus ante mensem Januarium anni seqventis videre potuerunt, eo usqve enim cum aliis, aulæ Saxonicæ cautela, suppressus nec prius editus est. Factum Augustinianorum synodus ordinis provincialis mense Decembri 1521. habita, itidem absente & inscio Luthero, per decretum probavit. *Tom. II. fol. 496. b.* tum eodem tempore Theologi Wittenbergenses, in responsis ad Electorem Saxoniæ, qvæ in commentario allegavi.

Itaqve insolubili nodo constricta hic tenetur calumnia, & falsissimum esse evincitur, qvod primus Lutherus fingitur ex Diaboli informatione Missam impugnasse, cum eam non voce tantum aut scriptis sed ipso facto oppugnassent & sustulissent alii, eo absente & ignorante, anteqvam qvidqvam de disputatione & tentatione illa diabolica, qvæ Luthero contigerat, inaudissent, qvanqvam argumenta ejus, in libris qvos citavi, ab anno 1520. ante tempus tentationis publicatis intellexissent, & ad animum revocassent. Accedit qvod in epistola, de qva dixi, *ad Fratres* expresse memorat Lutherus se antea adversus Missas scripsisse *(fol. 466.)* sed denuo ad scribendum & repetendum verbum veritatis moveri, qvia Episcopi scripta sua identidem damnent & opprimant. Sed non opus est conjecturis, aut extensionibus argumentorum in re clarissima; demonstravi enim qvod demonstrandum sumsi, a Luthero publice oppugnatam fuisse Missam, anteqvam tentationem illam Sathanicam, anno Sacerdotii decimo qvinto expertus esset: nec minus manifestum est, in illa tentatione qvæstionem non fuisse de jure Missæ, qvam Lutherus jam publicis scriptis rejecerat, sed de peccato Lutheri missificantis, qvod ei exprobrabat conscientia, & per hanc exaggerabat Sathanas. Explicata ista sunt omnia,

& qva occasione & fini Lutherus anno 1533. narrationem illam de tentatione publicaverit, in *dissertatione* illa, ea fide, eoqve argumentorum pondere, ut confidere possim, æqvis omnibus, etiam ab adversa parte, satisfactum esse. Pœnitere itaqve debet autores calumniæ, recentiores præsertim, & in illis Varillasium, qvi tam effrenem impudentiam & audaciam Luthero tribuit, ut eum scribat ultro, & nulla, qvæ penetrari possit, causa, post annos duodecim sectatoribus suis indicasse, qvod ex diabolo didicerit qvæ illos de Missa docuisset. Certe præteritis annis, innumeris vicibus asseveravit, se doctrinam suam ex cœlo, id est, ex verbo Dei habere; idqve anno 1522. in odiosissime diffamato tractatu illo *adversus Regem Angliæ* proximis post tentationem illam mensibus iis verbis fecit, qvæ magis seria & gravia esse non possunt, ubi, ut alibi allegavi, scribit: *Certus sum dogmata mea habere me de cælo &c. Tom. II. fol. 548. b.* dein ubi speciatim de Missa agens hæc scribit:

» Ego vero adversus dicta Patrum, Hominum, Angelorum, Dæmonum,
» pono, non antiqvum usum, non multitudinem hominum, sed unius
» majestatis æternæ verbum, Evangelium, qvod ipsimet coguntur pro-
» bare; in qvo Missa evidenter traditur esse signum & testamentum Dei,
» in qvo nobis promittit, & signo certificat gratiam suam; hoc enim
» opus & verbum Dei, non nostrum est. Hic sto, hic sedeo, hic maneo,
» hic glorior, hic triumpho, hic insulto Papistis, Thomistis, Henricistis,
» Sophistis, & omnibus portis inferni, nedum dictis hominum, qvan-
» tumlibet sanctorum aut consvetudini fallaci. Dei verbum est super o-
» mnia, Divina majestas mecum facit, ut nihil curem, si mille Augustini,
» mille Cypriani, mille ecclesiæ Henricianæ contra me starent. Deus erra-
» re & fallere non potest; Augustinus & Cyprianus, sicut omnes electi
errare potuerunt & erraverunt. Ultra omnem humanæ stultitiæ modum insaniisset Lutherus, si, cum ipse jam tutior viveret & tot regna & provincias qvas doctrinam suam amplecti apparebat, imprimis vero magnam Germaniæ partem, impetrata prima illa pacificatione in rebus religionis anno 1532. publice lætari videret, aperte profiteretur, diabolum in doctrina maximi momenti magistrum se agnoscere. Sane falsissimarum religionum autores divinas mentiebantur revelationes, solus Lutherus, cui revelationis specialis allegatione opus non erat Scripturam seqventi, jam ultro & nemine cogente propalaret,

qvæ

qvæ sibi uni nota erant, & ex qvorum evulgatione non jam pro doctore Evangelico sed pro Sathanæ discipulo se ipsum proderet. Execrati illum essent non solum innumeri, qvos habebat adversarii, sed & sui auditores: qvibus tamen ab eo tempore, qvo narrationem illam publicavit, semper charior & venerabilior fuit. Neqve erat, qvi in illo libello talem immanitatem reperiret, qvam maledicentissimi & pestilentissimi calumniatores longe post mortem ejus excogitarunt.

Ad §. CVII. *Capitonis epistola.)* Non multum ab Erasmi consiliis illo adhuc tempore, & inde a cœpta Lutheri disputatione discrepabat *Capito*. Qvod ex literis ejus a Sculteto relatis, apparet, qvas jam anno 1518. ad Lutherum dederat, in qvibus nil nisi cautelas præscribit, & meticulositatem suam prodit, inter alia his verbis: Vidi, inqvit, „ concionem tuam de pœnitentia, & alteram de condonationibus, u- „ tramqve contra receptos hujus ætatis mores apertis figuris militan- „ tem. Obstupui de amici salute anxius, qvi densis hostium turmis ita „ nudum objicis latus, qvamvis instructissimus videre armis veritatis. „ Tu tamen longe aliis, male metuo, impugnaberis, & periculum est, ne „ vi res geratur. Qvod si ex fide consulenti aures dignaris, expertus „ moneo, Sertorii consilium amplectaris. Crede mihi, carptim facies, „ qvod viribus ne labefactare qvidem potuisses. Arcem, ut vides, undi- „ qve munitam occupant, triplici vallo septi, velut extra tela, qvod dici- „ tur, stertunt, authoritate Pontificia, hoc est, universalis Ecclesiæ potentia, tyrannorum, & omnium scholarum pertinaci consensu. Profecto triplicem hunc Cacodæmonis funem crassissimum haud facile „ rumpes. Opus est Alexandro qvodam, ceu Gordii vincula gladio „ confidenter dissolvente: ingenio aut ratione fieri difficultas est: pio- „ rum simplicitas a nutu, & renutu pendet hujus factitiæ Ecclesiæ, argu- „ tioribus animum tyrannis adimit. Proponit inde Pauli exemplum, qvi per cuniculos adortus sit auditores, & addit: Qvam vellem semper aliqvam servares fenestram, qva effugias, vel disputatione vexa- „ tus. Item ubi de Prieritatis scripto refutando loqvitur: Sedulo a Pontifice lædendo abstineas, qvin omnem detorqveas invidiam in illum, „ tanqvam impudenter adulantem, tanqvam indigna affingentem Pon- „ tificis dignitati, tantum ventris causa. Sed anno seqventi de causa Lutheri melius sperabat. *Epistolam MS.* allegat Sculsetus, non indi-

» gnam qvæ hic legatur: Helvetia & Rhenana regio ad Oceanum usqve
» solidos amicos fovet Lutherio, eosqve potentissimos, neqve omnino
» alienos a bonis studiis. *Cardinalis Sedunensis, Comes de Gerolseck, Epi-*
» *scopus* qvidam eruditus ac primæ honestatis, aliiqve ex nostris non
» pauci, cum nuper audierant te periclitari, non tantum sumtum, sed
» etiam tuta loca pollicebantur: qvibus aut latere, aut aperte degere
» posses. Cum peregre constitutum fama prædicaret, & summa rerum
» difficultate laborares, fuerunt qvi per me submittere nitebantur lar-
» gissimum sumtum, & submisissent utiqve. Verum hoc vespere nun-
» cium accepimus aureum: vivere Lutherium, & semper victurum. De-
» inde vidimus exemplum literarum Ducis illustrissimi, & vere Princi-
» pis ad D. Cardinalem, unde cognoscimus, qvam nihil opella nostra in-
» digeas. Favore tamen si qvid possumus, aderimus ubiqve. Moni-
» menta tua junctim expressimus, sicut ex dono Frobenii cognosces, sta-
» tim post nundinas Francofurdianas simulqve per Italiam, Gallias, Hi-
» spanias, Angliam, intra sesqvi mensem bona fortuna publicavimus, in
» hoc videlicet communi causæ consulentes, cui maxime consultum pu-
» tamus, si veritas qvam latissime declaratur. Natura enim veri gratia
» vel invitum in amorem sui pellicit. Ignosce qvod nuper monitus e
» ex sententia Erasmi, hoc est, qvod noctuas Athenas intuli. Paulo post
» Erasmum monet, ne Luthero (Lutherum semper ipse vocat) no-
» ceat, dicit tamen se non omnia ejus probare: Martini (scribit) obse-
» cro, negotium, in publicum nihil eleves. Nosti qvantum valet cal-
» culus tuus. Ex animo loqvor. Expedit superesse famam Lutherio,
» dabitur animus reliqvæ juventuti ut aliqvid audeant pro libertate
» Christi: qvanqvam ipse multa in eo desidero. Curato, Lovanium non
» obsit. Nos tibi in officio continebimus Germaniam & Saxoniam, u-
» bi Princeps potens, Lutherii patronus, & florentissima Academia Wit-
» tembergensis, tot illustres viri, qvi ex æqvo favent Erasmo & Luthe-
» rio. Nihil in votis potius habent adversarii, qvam tuum in illum sto-
» machum videre. Tibi cum suis addictissimus est: Omnes præstat in-
» festos habere Theologos, qvam illius propugnatores. Sunt enim
» Principes aliqvi, Cardinales, Episcopi, & clarissimi qviqve Ecclesiasti-
» corum, qvibus cordi est negotium.

Ad §. CX. *Fridericus Mecum sive Myconius.)* Vita ejus, qvam *Melchior Adami p. 171.* prolixe descriptam exhibet, dignissima est qvæ lega-

legatur. Nolo exscribere qvæ de somnio Myconii summe memorabili qvod anno 1510. d.14. Julii eo ipso die qvo monasterium ingressus fuit, habuit, referuntur. Memorat inde Adami, ut Myconius Scholasticam Theologiam exiguo successu tractaverit, ut septennium totum Biblia monachis sub prandium & cœnam prælegerit, cum interpretatione Lyrani, & pene tota memoriæ impresserit, sed sine intellectu & judicio, retentis tamen historiis sacris. Maxime vero notabile est ejus cum Tezelio disputatio, ex qvibus simul ingenium hujus, imo seculi, Simoniaca lue penitus infecti egregie cognosci potest *p.172. & seqq.* ita enim narrat Adami: Sub id tempus venit in Germaniam Johannes ille Tezelius: qvem Myconius Annæbergæ ipsum biennium docentem audivit, nil nisi indulgentiarum virtutem crepantem & affirmantem, nullam esse aliam viam consequendæ remissionis peccatorum & vitæ æternæ, præter satisfactionem per opera, qvæ qvidem homini sit impossibilis; sed hanc unicam restare viam, illam satisfactionis vim & efficaciam, si nummis redimatur a Romano Pontifice, & emántur indulgentiæ Papales, qvas definiebat esse remissionem peccatorum, & certissimam viam ingrediendi vitam æternam. Minabatur præterea, se depositurum crucem, clausurum januam cœli, jam latissime patentem; extincturum radios & splendorem solarem; futurum brevi, ut res tam pretiosæ non amplius tam vili pretio extarent venales, nec in posterum sperandum, unqvam in Germaniam, donec hic mundus staret, tantam liberalitatem Romanæ sedis redituram esse. (*In hoc uno verus vates fuit, aliud licet agens.*) Hortabatur etiam serio, ut singuli suæ, & suorum mortuorum & vivorum amicorum, animæ salutis rationem haberent; adesse enim diem salutis, adesse tempus acceptabile, occasionem præsentem arripiendam. Nisi enim qvis habeat literas indulgentiales, non posse eum a qvoqvam absolvi a suis peccatis. Clamitabat etiam hic Stentor Pontificius, si Annæbergenses cives largiter darent nummos, fore, ut singularum fodinarum venæ circa S. Annæ oppidum argento puro puto abundarent. Hic clamóribus effecit indulgentiarum caupo, ut literæ indulgentiales in tanto haberentur honore & precio, ut, si qvando Tezelius urbem aliqvam ingrederetur, Bulla Pontificia holoserico vel etiam linteolo aureo involuta præferretur, processione tam longa & pomposa, ut vix sit credibile, si Deus ipse alicubi visibili forma ingrediatur, tanto cum splendore

&

» & honorificentia eum exceptum iri. Nimirum Deus omnem poten-
» tiam Papæ tunc resignarat in cœlo & terra. Cum autem literæ in-
» dulgentiarum papalium annexam haberent appendicem: *Pauperibus*
» *dentur gratis propter Deum:* inter Myconium & Tecelium orta est dis-
» putatio. Didicerat domi puer Myconius Decalogum, Symbolum
» Apostolicum, Orationem Dominicam, & admonitus erat, ut frequen-
» ter oraret: quod a solo Deo nobis gratis omnia dentur, & ille nos gu-
» bernet, si serio oremus: & sanguinem Christi esse unicum precium pro
» peccatis totius mundi: & hanc fidem cuilibet Christiano esse necessa-
» riam, omninoque sibi persuasum, animoque suo infixum haberet ἀξί-
» ωμα Theologicum, si tantum tres homines essent salvandi per sangui-
» nem Christi, certo statueret, unum se esse ex tribus illis, & contumelia-
» am esse in sanguinem Christi, de hac re dubitare. Indulgentias Romanas
» esse retia, quibus venarentur pecuniam, & deciperent simpliciores:
» remissionem peccatorum & vitam æternam non posse emi pecunia.
» Hæc domi didicerat ex patre, quem apparet recte sensisse de justifica-
» tione; de vera ac non dubitante fide, qua omnia a Deo impetremus;
» de invocando solo Deo; & de indulgentiarum vanitate. Fuit haud du-
» bie aut Waldensium discipulus, aut alioqui Θεοδίδακτος, mirabilimodo
» a Deo veritatem edoctus, quales multi omnibus temporibus in densis-
» mis Papatus tenebris fuerunt: Et idem postea docuit Myconius mona-
» chus, sed tamen non sine fremitu & indignatione fratrum. Cum ergo
» in concionibus publicis nihil præter indulgentiarum laudes audiret,
» populo inculcari, & gratiæ Christi ac satisfactionis ejus pro peccatis
» mundi, nullam fieri mentionem, aut si fieret, ita exponi, eos fieri mor-
» tis Christi participes, qui vel bonis operibus meriti essent, vel emisset
» pecunia, ancipiti ac dubio in tenebris istis oberrabat animo, utri par-
» ti magis, parentibus ne an sacerdotibus, esset credendum; tamen hoc
» unum non admittebat, remissionem peccatorum impetrari sine pecu-
» nia non posse, maxime qui essent pauperes. Adeo mirifice ipsi place-
» bat clausula in fine literarum Papalium: *Pauperibus gratis propter De-*
» *um.* Quare spiritu Dei incensus, non tamen intelligens quid ageret,
» adiit commissarium Pontificium, petivitque exemplum diplomatis
» Papalis, addens, se peccatorem esse pauperem, & indigere gratuita re-
» missione & participatione meriti Christi. Audiebat Tecelius oratio-
» nem Myconii latinam, admirabatur hominis ingenium, cum in illa
barba-

barbarie nemo esset inter clericos, qvi unum aut alterum verbum Latine pronunciare posset; deliberabat hac de re cum collegis, qvi pro eo deprecabantur. Sed respondebatur post longam deliberationem: petitioni ejus locum dari non posse, literas enim Papales dispensationem non admittere, & eos solum capaces & participes fieri indulgentiarum & thesaurorum Ecclesiæ, adeoqve meritorum Christi, qvi manus porrigerent auxiliatrices, hoc est, qvi nummos darent. Instabat Myconius & objiciebat literas, publice valvis & parietibus templorum affixas, Sanctissimum patrem Papam mandasse, ut pauperibus gratis darentur propter Deum, & adscripta esse hæc verba, qvæ simpliciter & significanter hoc vellent; nimirum *ad mandatum Domini Papæ* proprium. Ita improbe urgente Myconio, collegæ denuo intercedebant pro illo apud Tecclium ut satisfaceret petitioni, daret literas, dimitteret, esse adolescentem ingeniosum & facundum, & omnino dignum, in qvem præ cæteris aliqvid beneficii collocaretur; ne injurius fieret in pauperem, qvem nec Deus nec Pontifex excluſum vellent a gratia, nec rejiceret propter pauculos nummos. Sed Monacho abnuente, insusurrabant Myconio in aurem, ut saltem aliqvid nummulorum daret? contra Myconius diserte negare, vel nummum se additurum. Hic alii metuentes ne vel subornatus ab aliis esset Myconius, vel turbæ ab agmine Scholasticorum aut pauperum orirentur: Svaserunt illi mangoni cucullato, non dimittendum Myconium sine literis, & ut eo facilius impetrarent, offert qvidam eorum Myconio sex nummos, pro redimendis illis literis, ne destructor ædis Petrinæ aut osor Papæ haberetur. Sed Myconius aperte respondet, nulle se emtas indulgentias, si vellet emtas, posse libro divendito emere, se gratuitas cupere indulgentias, propter solum Deum, qvas si non impetraret, redderent ipsi rationem Deo ob neglectam animæ salutem, propter solos sex nummos; Siqvidem & Deus & Papa remissionem peccatorum gratis dari velint petentibus, pro meritis qvidem singulorum, sed *pauperibus gratis*. Qværebatur tandem, a qvo esset missus? a qvo instructus hanc rem tam pertinaciter urgeret? Respondebat Myconius: se a nullo prorsus homine, ut & erat, subornatum, sed soli fiducia gratuitæ remissionis in literis promissæ fretum, rem illam egisse, nec sibi unqvam cum tantis viris fuisse colloqvium: naturæ se esse verecundum: sitiri gratiæ divinæ ac remissionis peccatorum exstimulatum. Et cum videret, se ex pumice polcere

„ aqvam, discessit: partim dolens se voti compotem non factum, partim vero gaudens, qvod adhuc esset Deus in cœlo, qvi peccata remitteret pœnitentibus sine pecunia & precio, propter solius Christi filii sui lytron, juxta consolationis plenissimam promissionem: *Vivo ego inqvit Dominus: nolo mortem peccatoris: sed ut convertatur & vivat.* Hæc ex Vitis Adami. Sacerdotio initiatus fuit Vinariæ præsentibus *Johanne* & filio ejus *Johanne Friderico* Ducibus Sax. (qvorum uterqve ad Electoratum postea pervenit) anno 1516. Editos paulo post a Luthero libellos clanculum legere cœpit, primusqve ausus est Vinariæ qvædam ad doctrinæ Evangelicæ ductum pro concione proponere, retentis tamen ex veteri errore plurimis. Progressu majori postmodum Gothæ qvo anno 1524. vocatus fuit concionatus est, & utilem operam exorto rusticorum tumultu præbuit, ita ut oppidum & pagi præfecturæ a rebellionis societate integri manerent: servavit etiam unica oratione ad agmen tumultuantium prope Ichtershusam (monasterium erat, nunc præfectura inter Arnstadium & Erfurtum) arces ibi sitas & Nobilium prædia, qvibus exitium minabantur. Plura de viro hoc, arctissimaqve, qva Lutherus eum complexus est, amicitia, Deo volente, in seqventibus Commentarii hujus libris dicenda occurrent.

Unum tamen bona cum gratia Lectorum, uti spero, anticipare mihi liceat, ex historia anni 1527. qvia non solum viri hujus modestiam & pietatem, sed & compendium qvoddam, ut ita dicam, Lutheranismi, & illustre atqve efficax confessionis publicæ exemplum exhibet. Sumsi ex relatione tunc typis vulgata, qvam Dominicanorum Lipsiensium diligentia custodivit, & ex bibliotheca Paulina Clarissimus ejus Præfectus Dn. *Joach. Fellerus* mecum communicavit. Profectus est illo anno ineunte *Johannes Fridericus* Dux Saxoniæ, Electoris Johannis, tunc viventis, primogenitus ad Socerum Cliviæ & Juliaci Ducem, & in comitatu suo sacrorum causa habuit *Fridericum Myconium.* Hic in conclavi Principis sui in arce Düsseldorffiana qvotidie concionabatur ex verbo Dei, Aderat in oppido *Johannes* qvidam *Corbachius*, Franciscanæ observantiæ, qvam vocant, monachus, qvi Colonia eo venerat. Is Dominica Septuagesima (d. 17. Febr.) publice in templo de pulpito declamans decem articulos proposuit, qvos credendos esse statuebat, acerbe in novos prædicatores, qvi absqve vocatione, ut ajebat, accurrerent, invectus; in fine tamen sermonis promisit, si qvis erro-

erroris se arguere vellet, se auditurum, & ex Scriptura informationem susceptum esse. Hujus oblationis occasione, inter proceres Saxonicos *Anaricus* (Anarg) Wildenfelsæ & Schonkirchæ Dominus ad Corbachium misit rogans, ut concionaturum eo die in arce Fridericum Myconium audire, illumqve si qvid minus recte & contra scripturam doceret, corrigere vellet, se vero colloqvium inter eos procuraturum esse offerebat. Renuit Monachus, bis licet illo die Baronis, & seqventi etiam Myconii nomine sollicitatus: tandem tamen promisit altero die Martis (29. Febr.) in hospitio qvod Baroni in oppido assignatum erat, ad colloqvium se venturum esse. Adfuere hora constituta ipse Saxoniæ Princeps, cum suis multisqve Clivensis Ducis consiliariis & nobilibus, multi præterea literati & alii ex civibus & plebe. Initium loqvendi Myconius fecit, utilitatem cognitionis verbi divini breviter commendans, & Monachum rogans, ut in indagandæ veritatis studium incumberet, auditores vero cohortatus est, ut diligenter attenderent, & si qvid verbo divino minus conveniens diceretur, monere id non negligerent. Hic Monachus statim excandescens inurbane & contemtim Myconium compellans (Hörstu Fritz) primum omnium improbare cœpit; qvod coram viris militaribus de Scriptura tractare vellet, in doctorum præsentia disputandum esse dictitans, non coram imperitis ejusmodi hominibus, Coloniam deinde ut iret, eum provocavit. Regerenti inter alia Myconio, ex *Joh. XII. 48.* qvod ex verbo Dei judicium ferendum sit, idqve dictum ex versione Lutheri legenti, objecit Monachus, Diabolum ejus versionis autorem esse, opposuit etiam dictum *Deut. XVII. 10.* ubi Sacerdoti judicium de controversiis sacris defertur, sed replicavit ex *versu II.* Myconius obligatum fuisse sacerdotem ad judicandum *secundum legem Dei.* Disseruit inde de decem illis Monachi articulis, qvorum præcipuis autoritas ecclesiæ & traditionis asserebatur, & Biblia Latina docto alicui ex auditoribus inspicienda tradidit, ut dicta qvæ Germanice allegaret, cum illis conferre & si qvid discrepans diceret, indicare posset. Tumultuari & convitiari ad omnia Monachus, ita ut nescio qvot diabolis obsessum Myconium vociferaretur, verberaetiam minatus, si alibi copiam ejus haberet. Objiciebat ei conjugium, & qvod non vocatus concionaretur. Cum vero is Principis autoritatem allegaret, qvo vocante, adesset & concionaretur, negavit Monachus ad Principum officium

ad pertinere, Episcoporum jus esse. Cum vero Myconio etiam imputaret qvod concionibus suis rusticorum tumultum nuperum excitasset, aut promovisset, Wildenfelsius interfatus, pro Myconio responsurum se esse testatus est, ne is seipsum laudare cum rubore cogeretur. Narravit ergo, qvæ supra memoravi, ut Myconius suis concionibus & piis officiis auditores suos ab omni seditione continuerit, addens, Munzerum aliosqve tumultuantium concionatores religioni qvam Myconius profiteretur, id est, divinæ & veræ, addictos non fuisse. De invocatione Sanctorum postea disputatum est; eam Monachus ex Scriptura probare volebat, sed volvens revolvensqve librum, cum nihil qvod ad rem faceret reperire posset, alio tempore se probationes allaturum esse dicebat. Confusus inde & post multas subsannationes & improperia, qvibus Myconium exagitaverat, interrogare tandem, omissa cæterarum qvæstionum discussione cœpit, qvid crederet? Ey/ was ist dann dein Glaube? Tum surgens Myconius, in hanc sententiam locutus est: Domini & amici mei, cum pro hæreticis undiqve diffamemur, rogo ut fundamenta fidei & spei nostræ ex me audiatis. Profitemur peccatores nos esse omnes, animo & affectibus ad malum semper propensos, & Dei voluntati repugnantes. Lex peccata nostra arguit, & qvantum ab imagine Dei, in præceptis ejus proposita, discrepemus, ostendit. Agnitionem peccati dolor & metus divini judicii sequitur. Hoc inevitabile est, nec ullum remedium, nulla etiam divinii consilii, an ignoscere nobis velit, notitia habetur, nisi qvam per filium suum, in carnem missum, nobis aperuit. Hic autem Dominus noster Jesus Christus gratiam patris sui prædicat, dicit se ad salvandos homines venisse, & medicinam afferre, & scriptura testatur, qvomodo peccata nostra Christus in se susceperit. Hoc credendum est, & inde unice expectari debet expiatio peccati. A Christo enim non solum tolluntur peccata & mala nostra, sed & ejus victoria, resurrectio, justificatio, sanctitas, liberatio, aliaqve bona nobis donantur. Hæc omnia fide acceptamus, & nos per Christum liberatos, sanctos, justos, beatos, & filios Dei esse confidimus, ista omnia fide adqvirimus, absqve fide nihil eorum tenemus. Hanc fidem seqvitur Spiritus Sanctus: is effundit in corda nostra charitatem, ut Deum tanqvam patrem amemus, eiqve lubenter obtemperemus, jubet autem ut nos invicem amemus, sicut ipse nos amavit.

Inde

Inde fructus Spiritus ex ſpontaneo proveniunt corde, qvos Paulus „
Gal. V. enumerat. Ubi arbor nondum bona eſt, fides non eſt ſincera, „
ſpiritus & fides non eſt in corde, ſi enim adeſſent, utiqve operarentur, „
ut calor & lumen ignem ſeqvitur. Hæc omnia efficit in nobis Evan- „
gelium & verbum Dei. Qvod ſanctos attinet, duplicem utilitatem „
ab iis habemus, primo ut fides noſtra illorum exemplo roboretur; „
ſicut enim illorum fidem reſpexit Deus, illisqve ignovit, & filios & hæ- „
redes ſuos fecit, ita & nobis faciet. Hoc fine proponitur a Paulo ex- „
emplum Abrahami, *Rom. IV.* & aliorum multorum *Hebr. XI.* ſalutem „
vero ſolummodo per Chriſtum unicum mediatorem adipiſcimur. Hoc „
omnia confirmant miracula: qvæ eo non tendunt, ficta ſunt aut falla- „
cia. Secundo etiam morum exemplum ex ſanctis capiendum eſt, ad „
normam tamen vitæ Chriſti, itaqve Paulus *1. Cor. IV. 16.* jubet ut imita- „
tores ejus ſimus, ut ipſe Chriſti. Ex vita itaqve Sanctorum patienti- „
am in ferenda cruce Chriſti, obedientiam, charitatem, miſericordi- „
am, in qvibus Chriſtum imitati ſunt ſancti, diſcimus, & ipſi nihil aliud „
a nobis deſiderant, qvam ut idem præſtemus. Imputatur nobis hære- „
ſis ratione ciborum; ſed percipite fundamentum noſtrum: Chriſtus „
omnes cibos nobis moderatos & ſobrios facit, (Chriſtus macht uns „
alle Speiſe zu Faſten-Speiſe/) dum *Luc. XXI.* vetat gravari corda „
noſtra crapulis & ebrietate, Paulus ſobrietatem exigit; hoc itaqve eſt „
Chriſtianum jejunium, ſi moderato cibo & potu utamur, & ſemper ſo- „
brii ſimus: repletio omnis, qva cor gravatur, etſi piſcibus aut viliori- „
bus fiat cibis, Chriſti præcepto repugnat: *Qvod intrat in os non coin-* „
qvinat hominem; eſca non commendat nos Deo; regnum Dei non eſt „
eſca & potus: ex piſcium aut panis eſu aut abſtinentia non fiunt Chri- „
ſtiani. Prohibitiones cibi Paulus *1. Tim. IV.* tribuit falſis doctoribus. „
Eos itaqve vitamus, neqve ſcandalum infirmorum amplius metuimus, „
cum jam ſeptem aut octo annis ſufficienter informati ſint omnes, qvid „
liceat aut non liceat. Hæc cum coram freqventi & ſplendido illo audi-
torio in domo qvæ foro adjacebat aperta, locutus, magnaq; cum atten-
tione & ſilentio auditus eſſet, ſurrexit Monachus, & jam mutatus & mi-
tis: *chare Friderice,* (Lieber Fritz/) inqvit, *profecto libenter hac audivi,*
nec ullo modo reprehendere poſſumus; placent & recta ſunt omnia, & veri-
tatis habent fundamentum; Si hac predicas verum Chriſtianorum predi-
cas fidem. Hæc intelligens Wildenfelſius, Monacho dixit: *Sed tu bone*

Vir, hic os tuum ipse verberas. Respondit ille: *Cur ita: Domine? Ideo,* replicat Baro, *qvia antea dicebas, hunc Fridericum esse hæreticum, & totam ejus doctrinam hæreticam esse & diabolicam, nunc autem fateris Christianam & sinceram esse.* Hic Monachus audivisse se de illo dixit, ac si non recte doceret, & matrem Domini ac Sanctos convitiaretur, alia vero nunc percepisse, iisqve lætari & qvocunqve venerit asserturum, injuriam illi factam fuisse. *Peto tamen* (ait) *ne mihi ignominiam inferatis, aut victum me esse jactetis, utqve hunc actum non pro disputatione, sed tantum pro colloqvio habeatis, judex enim nullus adfuit.* Myconius ad hæc: *Chare frater, tu modo veritatem, & qvæ justa & recta sunt, semper doceas; Christus te ab ignominia omni custodiet, nos neminem convitiabimur. Bene!* ait Monachus. Conversus inde ad auditores Myconius testes eos advocavit, qvomodo veritatem Evangelicam agnoverit Franciscanus, & ex Pauli dicto *Gal. I.* anathema dixit, etiam angelo, qvi aliter doceret. *Recte & hæc,* ait Monachus: porrectaqve Myconio dextra, deinde & Principi & Wildenfelsio, discessit. Hæc certe relatu dignissima esse judicabunt, qvotqvot seqvestratis affectibus veritatem ipsam simplicem & divinam amant. Mihi tanto jucundior fuit ista reperiisse, qvod ex illustri illo Wildenfelsio, cujus stirps mascula non multo post defecit, maternum genus per aviam suam *Comitissam Sclickiam* ducit uxor optima, qvam ex *Endiorum* nobilissima in Misnia familia, secundis nuptiis mihi junxi. Addit autor scripti, publicatione illius abstineri non potuisse, qvia idem Monachus ad calumnias & convitia postea relapsus, fingere ausus fuerit, Myconium a se convictum fuisse.

Henricus Saxoniæ Dux.) Historia ejus aliunde nota est, ex scriptoribus rerum Saxonicarum. Habetur Lipsiæ & alibi descriptio qvædam inedita, a qvodam qvi ei a secretis fuerat, composita, in qva mores ejus ita referuntur, ut virum appareat fuisse animi simplicioris, sorteqve sua contenti, itemqve militaris, popularis, & genio indulgentis. Religionem qvo tunc maxime usitatum erat modo colebat, institutis peregrinationibus ad loca qvæ sancta habebantur: adiit itaqve Palæstinam anno 1498. ut *Eqves S. sepulchri* fieret, dein D. Jacobi fanum qvod Compostellæ in Gallæcia celebre est. De hoc itinere ipse narrare solitus fuit, se in altari D. Jacobo centum florenos aureos obtulisse, & dixisse, *Ego qvidem Tibi, in cujus honorem hanc profectionem*

susce-

suscepi, hæc offero, sed si patiaris illa a nebulonibus istis (clericos templi intelligens) *tibi auferri excusatus ego ero.* Ich bin dir zu gefallen hereingezogen/ und schencke dir diß Geld/ läßt du dirs die Buben nehmen/ da kan ich nicht darwider. Sero & fere qvadragenarius anno 1512. cum *Catharina Meckelburgica* matrimonium iniit, ex qvo Serenissima linea Electoralis hodierna propagata est. Hæc Catharina Evangelicam doctrinam pronis accepit auribus, licet ab initio obscurius a duobus monachis Franciscano qvodam *Stephano*, & Dominicano, cui *Georgii Schumanni* nomen erat, Fribergæ prædicatam, & renitente Georgio, qvi fratrem subinde de veteri ritu servando admonebat. Obstabant & Consiliarii qvi sacri ordinis erant Canonici Fribergenses: inter eos maxime Cancellarius *Streblinus*. Fatendum itaqve est uxori Henrici post Deum maxime deberi studium purioris doctrinæ, marito tandem implantatum. Nec parum juvit amicitia qvam cum Electoribus Saxoniæ colebat, imprimis cum Johanne Friderico.

Oblitus sum in *Commentario* inter alios *Ezardi Frisiæ Orientalis Comitis*, qvi anno 1520. Evangelicæ doctrinæ ex Lutheri libris perceptæ favere eamqve promovere cœpit. Emdæ præsertim, ubi *Georgius Aportanus*, Ezardi filiorum studiis præpositus, publice docuit. Retulit ista celebris Frisicarum rerum scriptor *Ubbo Emmius*, & ex eo *Sciltetus p. 69 & seqq.* consulendus est. Idem autor in anno 1521. ubi primordia Evangelicæ doctrinæ in multis urbibo indicat, inter alias Halberstadii, ubi persecutionem gravem præcones purioris doctrinæ ejusqve fautores passi sunt, interqve eos celebriores *Everhardus Widense* Præpositus D. Johannis, & *Valentinus Musteus* Carmelita, qvi instinctu suffraganei & Canonicorum noctu captus & virilitate orbatus fuit.

Ad §. CX. *Erfurti.)* Præluserunt ibi qvasi doctrinæ Evangelicæ, bonarum literarum Professores celeberrimi; Latinarum qvidem & Poeseos imprimis *Eobanus Hessus*, Francobergæ in Marpurgensi districtu natus, tanto cum applausu legens, ut sæpe qvingentos haberet auditores. Græca docebat *Joachimus Camerarius* Bambergensis, uterqve Erasmo laudatus: ita ut Eobanum *Germaniæ præcipuum decus*, *Naſonem alterum, sed castum & pium* vocaret, magnisqve præmiis ob carmina dignum censeret, si *Principes*, ut loqvitur, *qvi laudari sciunt, etiam numerare scirent.* Vide epistolas anno 1519. & 1531. scriptas *Lib.*

VI. ep. 25. XXVII. 5. XXX. 6. Aperuerat etiam Erfurti ludum literarium *Euricius Cordus*, is qvoqveex Hasſia, & demum Profeſſor Marpurgenſis, hunc qvoqve collaudavit Eraſmus literis Cal. Maji 1519. datis, qvibus judicium de Scholarum Magiſtris pium & veriſſimum fert, dignumqve qvod non memoretur ſaltem, ſed & in effectum deducatur. *Secundum Principes* (ait) *& Epiſcopos nemo magnificentius meretur de Republica, qvam ludi literarii Magiſtri, ſi rudibus adhuc & in qvemvis habitum ſeqvacibus animis, mentem inſtillent Chriſto dignam, eas qve literas, qvæ ſemper optimo cuique placuerunt.* De iis qvi Evangelicam doctrinam primum publice Erfurti prædicarunt extant *annotationes qvædam MS.* Concionati ſunt nempe præter *Langum*, *D. Job. Culſamerus* qvi acerrimum adverſarium in Bartolomeo Liſingio habuit, amico olim tum vero hoſte Lutheri infenſiſſimo; *Egidius Mechlenus* & *Conradus Klingius* Franciſcani, *Petrus Geltnerus* Bambergenſis, *Antonius Muſa*, *Johannes Rotelſtein* Dominicanus, *Nicolaus Fabri* Auguſtinianus, *Chilianus* qvidam ex Regularibus Auguſtin. *Matthias Widemann* ad D. Andreæ, *Juſtus Menius* ad D. Thomæ, tum *Georgius Forchheimius*, qvem illito cathedræ in æde S. Michaelis veneno ſublatum fuiſſe perhibent 1522. De hoc Lutherus ad Langum d. 16. Julii dicti anni ſcribit: „Forchemio & faveo & invideo hunc receſſum, imo „vobis condoleo. Si veneficiis interemtus eſt, nec accuſatore nec explicatore opus eſt, ipſe Chriſtus pro Habele ſuo loqvetur & ſuo tempore prodet Caiin, juſtius & opportunius, qvam vos poſſitis, patiamur iſta!

Johannes Bugenhagius.) Merentur hujus viri in inſtauranda religione per Germaniam & in Dania geſta clariſſima, de qvibus dicendi locus ſæpe occurret, ut ex *Adami Collectionibus p. 311. & ſeqq.* ſubjungamus qvæ ad initia ſtudiorum ejus, & vitam antequam Wittenbergam veniſſet, actam pertinent, & gradus doctrinæ & profectus oſtendunt. Natus fuit Julini (Wolin) in Pomerania ad Viadri oſtia, anno 1485. patre Senatore. In puericia & domeſtica diſciplina & Scholæ informatione ad Catecheſin adſvefactus, cumqve Grammaticen ac Muſicen didiciſſet, in Academiam Gryphiswaldenſem miſſus: ibi & tyrocinium Latinæ lingvæ melius habuit, & Dialecticen cum elementis Phyſicæ cognovit. Erat in ipſo non ſolum ingenium doctrinæ capax, ſed etiam avidum: ac ſtimulos addiebant ſcripta *Hegii*, *Rudolphi Agricolæ*, *Hermanni Buſchii*; qvibus ſuperiorum temporum ſo-

loœca

loca corrigebantur, & juventus ad diligentiam rectius loqvendi revocabatur, Græcæ insuper lingvæ initia tradebantur, eratqve velut aurora doctrinarum. Cupide ergo legit tum recentiores illos, tum veteres Latinæ lingvæ auctores, seqve tam in soluta, qvam ligata oratione exercuit. Postea vigesimum ætatis ingressus annum, *Treptæ* oppido docere juventutem cœpit: ubi cum lingvæ Latinæ exercitia urgeret melius, qvam aliis in scholis tum fiebat, fama freqventiam scholæ ipsius auxit. Legit etiam assidue sacras literas, precesqve adjunxit, qvibus divinitus se regi ac doceri petivit. Accedebant Erasmi lucubrationes, qvæ monachorum taxant histrioniam, & statuarum adorationes, ethnicis similes. Regulam igitur hanc tenuit: *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies*; & intellexit, Deum nolle coli histrionia externorum gestuum, sed virtutibus & operibus, qvæ præcepit, sicut inqvit: *In præceptis meis ambulate*. Ut igitur alios etiam ad veram pietatem flecteret, enarravit in schola Matthæum, epistolam ad Timotheum utramqve & Psalmos, adjuncta Catechesi, in qva symboli & decem præceptorum erat explicatio, ac verus Dei cultus monstrabatur rejectis falsis. Hæc docendi ratio tam accidit grata illis temporibus, ut ad eum audiendum confluerent & cives, & sacrificuli, & monachi, qvi non erant ἄθεοι. Qvanqvam autem Scholæ tunc præerat nondum sacris initiatus, autores tamen ei amici fuerunt, ut in templo concionaretur, eoqve fine collegio presbyterorum fuit adjunctus. Placuerunt piis ejus conciones; & multum profuerunt: ac magis magisqve fama doctrinæ ipsius disseminabatur. Habebat inter auditores multos adolescentes, eqvestri natos ordine, & expetebatur a nobilibus, præsertim eruditis, ejus consvetudo; qvibuscum jam de ecclesia, jam de literis, jam de patriæ rebus fuit collocutus. Hi ergo hortati eum sunt, patriæ colligeret historiam. Hanc ad rem cum & sumtus & principis mandatum reqvireretur, aulici ad Bogislaum principem deferunt, qvi, audita eruditione & virtute viri, præsertim cum & Spalatinus, *Chronicon ducum Saxoniæ* colligere jussus, per Bogislai filium Barnimum, studiorum causa tum Wittembergæ agentem, genealogiam & res gestas ducum Pomeraniæ peteret, benigne annuit, mandavitqve ut monumenta vetera in aula conqvirerentur, ipsum autem Bugenhagium jussit in collegiis & monasteriis scrutari historias, inspicere literas, ac sumtibus instruxit. Hoc in labore cum

biennium consumsisset, seriem principum, bella, res gestas, ecclesiarum constitutiones, & alia ordine prudenterqve descripsit. Liber adhuc in aula dicitur adservari, & tum a principibus, tum a consiliariis frequenter legi: inqve eo non solum diligentia & fides ejus probata est, iis qvi legerunt; sed etiam operis forma atqve oratio. Cæterum purior evangelii veritas ei hac occasione illuxit. Anno millesimo qvingentesimo & vicesimo exeunte, *Orbo Sintovius*, patricia illius oppidi familia natus, Inspector Ecclesiæ Treptovienſis, cum Bugenhagium rectorem Scholæ, & collegas illius convictores aleret; Librum de *Captivitate Babylonica* recens ab amico Lipsia missum, ad mensam attulit, ac Bugenhagio, cujus præ cæteris ingenium & judicium, doctrinaqve in lectionibus & concionibus probabatur, perlegendum tradidit. Hic mox paginis aliqvot inter cœnandum perlustratis, præcipitata sententia, multos a passo Christo Salvatore hæreticos Ecclesiam infestasse, ac duriter exercuisse; sed nullum ejus libri autore pestilentiorem unqvam exstitisse pronuntiat: commemorans, qvæ adversus receptæ ecclesiæ dogmata ab eo adsererentur. Post aliqvot dies, libro attentius lecto ac relecto, singulisqve accuratius pensitatis, reversus ad collegii sodalos, & palinodiam canens: Qvid ego vobis, inqvit, multa dicam? Universus mundus cœcutit, & in Cimmeriis tenebris versatur: hic vir unus & solus verum videt. Ac singulis libri illius capitibus diligenter disputatis & defensis, plerosqve in suam adduxit sententiam; adeo ut collegæ pastoris *Johannes Kyrichius* & *Joan. Eorichius* (qvi ad extremam senectam Ecclesiæ illi deinceps servivit) cum diacono, qvi vicini cœnobii Belbugensis monachus erat, *Christiano Kettelbut*, nec non Abbas ipse *Johannes Bodelvvinus*, publice Papatus præstigias detegere, & a superstitionibus atqve abusibus traditionum humanarum, ad unicum Christi meritum auditores traducere magno zelo instituerent. Legit ergo attentius scripta Lutheri Bugenhagius, & vidit ibi perspicuum discrimen legis & Evangelii: vidit justitiam fidei melius exponi, qvam ab Origene vel a Thoma: vidit congruere Augustini & Lutheri sententias, ac enarrationem ejus probavit, hancqve consolationem populo copiosius declaravit, deliramentis monachorum liberius refutatis.

Ad §. CXIII. *Promiscuam literarum evulgationem.)* Responderi hæc in specie debent Varillasio, ubi in *apparatu Historiæ de Hæresibus*

sibus de literis Lutheri maligne judicat, ejusqve & Melanchthonis ingenium non optima fide comparat. Nam Lutherus pauciſſimas epiſtolas eo ſcripſit animo, aut prævisu, ut ederentur. Extemporaneus & negligens erat in ſtylo Latino Scholaſticis lectionibus depravato, ita tamen ut ſi diligentiam adhiberet, præter vulgarem monachorum conſvetudinem aſſurgeret. Qvod vero ea ſcripſerit qvæ ſalvo pudore verti & referri non potuerint, ultra modum & veritatem a cenſore jactantur. Duo aut tria forte loca ubi cum familiaribus liberius jocatur, omitti potuiſſent. Sed cogitare deberent Ariſtarchi, qvæ ſibi aut aliis imputari poſſint, ſi ſecretiora ſua dicta aut ſcripta incaute vulgarentur. Qvanta ſpurcitia etiam in illorum ſcriptis reperiatur, qvi Curios ſimulant, aut monaſtica ſanctimonia tument, qvanqvam exempla abunde ſuppetant, præſtat tamen tacere, & humanæ ſortis mores verba præcipitanter extruſa excuſare, qvam eorum acerba reprehenſione alias egregias autorum dotes & merita illuſtria in contemtum adducere. Reliqva in comparatione illa Varillaſii, Luthero per calumniam afficta breviter excerpenda eſſe duxi; id enim refutationis vice erit. Scribit, Lutherum, cum rationibus pro ſententia ſua ſtabilienda deſtitueretur confugiſſe ad verſum vulgatum: *ſic volo, ſic jubeo, ſtat pro ratione voluntas*; nullum diſcrimen ſervaſſe inter homines ad qvos ſcripſerit, nullum honorem Regibus aut Principibus exhibuiſſe, ad extrema illico provolaſſe, ferrum & ignem in eos expediri ſvaſiſſe, qvi doctrinam ſuam recuſarent, ſapientiorem omnibus ſe æſtimaſſe & præcepta in ſcientiis dediſſe auſum eſſe, ex qvibus fere nihil intellexerit; vaniſſimum ſui jactatorem fuiſſe, ſatyris viliſſimis & ſcurrilibus indulſiſſe, adverſariorum defectus publice redarguiſſe, in refutando, rationes Catholicorum, qvibus reſpondere non poſſit, omiſiſſe, errores ſuos, ſine ulla ambage aut inſinuatione propoſuiſſe. Inter hæc qvædam v.g. qvod ſine ratione ſibi credi voluerit, qvod diſſentientes ferro & igne cogi voluerit, qvod nullum diſcrimen inter homines cum qvibus egerit, aut ad qvos ſcripſerit, ſervare noverit, qvod ſcientiarum, qvas docere voluerit, imperitus fuerit, qvod objectiones adverſariorum ex propoſito diſſimularit, aut præterierit, & qvod per principum autoritatem doctrinam populis inculcare, neglecta hujus informatione voluerit, aperte falſa ſunt, ſive ea confinxerit autor, ut paralleliſmum ſuum Lutheri cum Melanchthone ſpecioſiorem faceret, ſi-

ve ab aliis calumniatoribus arrepta temere crediderit. Qvod tamen in specie versum illum *sic volo, sic jubeo &c.* attinet, usus eo aliqvando est veluti per jocum Lutherus, cum versionem suam Novi Testamenti & imprimis vexatum illud, *sola fides*, defenderet, in epistola qvadam ad amicum, Germanice adversus Emserum scripta *Tom. V. fol. 269.* Latine vero versa apud *Cœlestin. Tom. III. Hist. Aug. Conf. p. 70. b.* Cum enim rationes suas mera obstinatione & contradicendi libidine ab adversariis rejici videret, nec argumentis sed convitiis, aut contra principia vel ex ignorantia affectata, aut rustico fastu contra se pugnaris ipse nudæ eorum assertioni & perversæ ruditati suam etiam opposuit autoritatem: neqve id sine jure aut exemplo. Talibus enim contradictoribus ita responderi tandem secundum stultitiam eorum non prohibetur. Sed frustra hæc credo Varillasio opponi, qvem ista legisse minime credibile est, cum magis obvia & protrita neglexerit & corruperit. Cœteris imputationibus liberioris aut vehementioris oris & calami, sæpissime responsum est etiam ab ipso Luthero. Ultimum qvod de aperta & simplici dogmatum propositione affertur, in laude est, & pro argumento veritatis & fiduciæ bonæ causæ habendum. Interim acceptari debet character ingenii Melanchthoniani, qvem ita efformavit, ut integram ei eloqventiæ, vis persvasivæ, moderationis singularis, insinuationis commodissimæ in animos auditorum, humilitatis, mansvetudinis, modestiæ laudem tribueret, (nam qvæ de heterodoxia addit, tam facile rejiciuntur, qvam ab eo asseruntur.) Sic nemine excusatio aufertur illis, qvi cum Erasmo de Lutheri impetu querebantur, existimantes lenitate plus profici in Reformatione potuisse. Hac enim Philippus usus est plus forte satis, & major ei, cum Regibus & Principibus, qvam Luthero conversatio fuit, nec multo pauciora qvam Lutherus scripsit. Si qvem igitur Lutheri impetus a veritate absterruisset, illum Philippi humanitas allicere poterat.

Ad §. CXV. *centum impietatum reum*) Si qvis specimen summæ contumeliæ, qvæ verbis in Regem exerceri potest, videre velit, adeat Pallavicinum *Lib. IV. c. VII.* imprimis §. 2. ubi tantæ impietatis Henricum accusat, ut vel Ethnicis abominandus videatur, & nullius excusationis capax, qvia non æstu furoris, sed animo sedato (si qvid unqvam sedati in intestinis ejus furiis fuerit) sæviret. Non multo minus

tius tractat eundem Regem Angliæ ex recentissimis Reformatorum Gallorum insectatoribus non postremus *Ferrandus*, Advocatus Parisiensis in responsione Gallica a Sorbonistis magnopere laudata ad Apologiam pro Reformatis *D. Petri Jurieu. p. 322.* ubi scribit: Henricus VIII. Legem divinam restituere conatus, dum fundamenta jacere vult, in limine impegit, & vita ejus posthac nonnisi *continuatio criminum & crudelitatis fuit.* Hæc profecto etiam Lutheri vehementiam superant, non minus ac illa qvæ ex Maimburgio adscripsi. *D. Gilb. Burnetus* cujus historiam laudatissimam *de Reformatione Anglicana* habemus *Lib. I. Edit Lond. fol. 31.* de libro Regis hæc narrat: Rex ut nomen sibi faceret & Clerum suum utilitatis vinculo sibi constanter jungeret, non sufficere ratus est, autoritate sua illis assistere, sed & in arenam pro illis ut hiperaspistes descendere voluit. Scripsit ergo adversus Lutherum pro defensione septem Sacramentorum. Magni hunc librum Clerus fecit, tamqvam doctissimum qvod sub Sole esset opus. Comparabant Regem cum Salomone omnibusqve Imperatoribus Christianis, qvi unqvam fuerunt. Hæc erat adulandi materies multis annis. Pontifex ob hunc librum glorioſum illum *Defensoris fidei* titulum Regi concesserat. Fatendum sane est librum, considerato tempore, & qvod Rex esset, qvi scriberet, meruisse aliqvam commendationem, sed Lutherus eo minime territus, imo elatus potius, qvod tantus Rex secum certamen iniisset, respondit, non sine magna acrimoniæ mixtura: Improbatum id omnibus fuit, qvod nempe oblitus esset honoris, qvi summorum Principum personis debetur. Qvamvis vero Lutherus suspicatus fuerit alium sub Regis nomine scripsisse, Burnetus tamen nihil tale commemorat, minime taciturus, si qvid eo pertinens eruisset. Eruditionem autem Regis alibi laudat, licet neget eum Clericæ vitæ destinatum fuisse, aut ideo literis excultum; eandem enim cum fratre natu majore Arturo educationem habuisse, & post illius mortem, cum ipse ætatis annum undecimum ageret, & jam regni hæres esset, reliqvos adolescentiæ annos majori contentione & profectu literis impendisse, Rege patre id fortassis curante, ut animum ejus studiis istiusmodi occupatum teneret, qvo minus de regno, qvod materno jure sibi vindicare poterat, patri eripiendo cogitaret. Moderatum est, & Gallorum nimiæ in Henricum insultationi opponi potest ejusdem autoris judicium qvo Henrici historiam claudit:

dit. his fere verbis: Henricus inter magnos potius qvam bonos Principes referri potest: tantum sane rigorem contra utramqve persvasionem (in religione) exercuit, ut scriptores ambarum partium defectus ejus detexerint, & crudelitatem taxaverint. Ita qvia neminem fere beneficiis sibi devinxit, repertus non fuit, qvi ea cura virtutum ejus memoriam conservaret, qva vitia ab inimicis propalata fuerunt. Non nego inter malos principes eum collocari debere, nolim tamen illum inter corruptissimos censeri.

Inter amicos qvi vehementiam Lutheri adversus regem non multum probabant *Eugenhagius* etiam fuit sive *Pomeranus*; Sed mutavit sententiam, ut refert Selneccerus *p.144.* his verbis: Cum Lutherus ab aulicis potissimum, & aliis multis accusaretur nimiæ vehementiæ, excusat se, qvod non ex privato odio aut alio malo affectu, sed ex amore gloriæ & veritatis Dei opponat se iis, qvi alia ratione ad Dei timorem adduci & emendari nolunt, nisi detectione errorum & scelerum, qvibus indulgent, seqve exemplum Christi, Petri & Pauli imitari, qvi hostes induratos nominent *genimina viperarum, fures, latrones, fatuos, natos ex diabolo, proditores, canes, mendaces, bestias, fraudulentos, seductores.* Et memorabilis vox est Doctoris Pomerani qvi dixit: Opinabar Patrem nostrum Lutherum nimis vehementem esse in Henricum regem Angliæ; Sed jam video nimis lenem fuisse, & vaticinatum esse de horrendo lapsu Regis, ita, ut fateri cogar, Spiritum sanctum dictasse omnia verba Luthero, cujus Spiritus non est alius, nisi sanctus, verax, constans, & invictus.

Ad §. CXVII. *ad mores Leonis pertinentia*) Ex allegata Varillasii *Historia Florentina*, de moribus Leonis qvædam excerpere non abs re visum est. Cardinalitiam dignitatem adeptus est *Johannes Mediceus* (qvi postea *Leonis X.* nomen sumsit) contra legem, plus qvam qvinqvaginta Pontificum tempore stabilitam, ne qvis minorennis Cardinalis fieret; sed hanc Innocentius VIII. Papa violare non dubitavit, ut filio suo (ante sacerdotium enim plures liberos genuerat) nuptias cum *Laurentii Medicei*, qvi Florentinis imperabat filia, Johannis sorore, procuraret. *Lib. III. p. 141.* Hæc erat ad tantum munus vocatio, Romam deinde, evocatum ex Academia Pisana admodum juvenem misit Pater, plusqvam regio luxu ornatum & comitatum, libro etiam a se ipso (ut erat regnandi & hominum ingeniis dextre utendi pe-

di peritissimus; conscripto instruxit *p. 148.* inter Magistros ei dederat *Angelum Politianum* ab eruditione qvidem satis laudatum, sed & infandis vitiis famosum, qvæ tandem ei exitium attulerunt. *Vide Lib. III. p. 196.* Dejecto fratre suo Petro a Florentinorum dominatu & mutato Italiæ statu per Caroli VIII. Galliæ Regis expeditionem, cum juvenibus aliis duodecim peregrinantis eqvitis habitum sumsit, & Germaniam & Galliam percurrit, eo vitæ & morum genere, qvo tales uti solent. *Lib. V. p. 220.* Reversus Romam circa primum seculi XVI. annum, favorem Alexandri VI. tunc Pontificis ambire cœpit, variisqve tandem artibus Cardinalis qvem *Nepotem* vocant (juvenis corrupti) animum sibi adjunxit, magister omnium voluptatum & elegantiarum, qvæ in venatione, conviviis & Musica qværuntur. Utebatur autem solertissimo earum rerum ministro aulæ suæ præfecto, Bibiana *Lib. V. p. 225.* cujus industriam postea Galero Cardinalitio remuneratus est. Interim mortuo Cardinali illo nepote, ante patruum, spes hujus amicitia enitendi decollavit, magnoqve ære alieno ex luxu contracto in angustias incidisset Johannes, nisi illi successor Alexandri, Julius II. in odium Gallorum (qvi Florentinos, post ejectos Mediceos libertate utentes protegebant) patrocinium præstitisset. *d. l. p. 229.* Hinc per occasionem narrat Varillasius, objectum tunc non solum a Gallis Simoniæ crimen Julio fuisse, per qvod ad Papatum ascenderit, sed & hoc, qvod Cæsarem illum Borgiam, Ducis Valentini titulo ornatum sibi conciliasset, patrem ejus sese profitendo: genuisse enim se illum dicebat ex eadem concubina, qva Alexander utebatur, decepto hoc, ut se Cæsaris patrem esse crederet. *p. 230.* Exorto inde Schismate inter *Julium* & septem Cardinales, qvi Pisanum Concilium convocaverant, Johannes Julii partes non secutus saltem est, sed & valide juvit, collectis amicorum ope militibus, & excitatis factionibus qvibus effectum est, ut Pisani Gallorum præsidium oppresserint, Cardinales Papæ adversantes inde fugerint (*p. 234.*) & Florentia tandem sub Mediceorum dominatum redierit. Interim in celebri illa ad Ravennam pugna, Johannes, Legatus Julii captus est, sed ea fuit ejus industria ut adjutus a Julio patrueli illo suo notho tunc eqvite Rhodio (qvi in Mediceam familiam adsumtus, Cardinalis & postea Pontifex factus est Leonis successor) res Pontificis restabiliret. (*p. 235. 236.*) Absolutionem enim Gallicis militibus, a Julio II. excommunicatis, obtulit, ea con-

conditione, ne militare adversus Pontificem pergerent, & sic ad exercitus dissolutionem magnum momentum attulit. Tam felix etiam fuit, ut cum in Galliam transferendus esset, ubi perpetuam captivitatem instare sibi videbat, custodum manus magno licet cum periculo suo evaderet (*p. 239. & seqq.*) Inde Pontificis & Hispanorum ope expulsis adversæ partis proceribus ex diuturno exilio cum agnatis Florentiam rediit, pristinumqve familiæ suæ dominatum instauravit. (*p. 216.*) Inter prima Florentiæ acta fuit, ut famosum illum Nicolaum Machiavellum, qvia contrariæ factioni adhæserat, torturæ subjici fecerit, dein, cum nulla ab eo secreta explorare posset, in amicitiam receptum, ob ingeniosas, qvibus excellebat, facetias amaverit, & pensione larga conduxerit, ad historiam Florentinam scribendam (*p. 248.*) Eundem magistrum Theatricarum repræsentationum habuit, qvibus postea Romæ indulsit. (*d. Lib. V. p. 2.*) Mortuo Julio II. Johannes Romam, sed tardissimo itinere, profectus est, laborabat enim fœdissimo ulcere in inguine *Lib. VI. p. 253.*) A duobus Astrologis *Marsilio Ficino & Erasmo* qvodam Germano prædictum ei Pontificatum fuisse traditur *p. 254. & seqq.* ubi & Bibianæ artes ad suffragia Cardinalium hero suo acqvirenda, referuntur, & speciatim, ut pessimus rupti ulceris odor electionem maturaverit (*p. 259.*) *Leonis* nomen assumsisse perhibetur, qvia mater eum utero gerens, somniaverat, se Leonem ingentem sed plane mitem in altari Ecclesiæ parere (*p. 258.*). Julium inde agnatum mox natalibus restituit, & pileo Cardinalitio, qvem ipse gesserat, & paulo post Archiepiscopatu Florentino honoravit: *p. 260.* thesaurum a Julio II. collectum ad æs alienum suum dissolvendum impendit. *p. 259.* Juliano fratri sororem Ducis Sabaudiæ uxorem pactus est. Adscitis in ministerium viris literatissimis, qvos semper, ipse etiam eruditus, coluerat, interqve eos *Petro Bembo & Jacobo Sadoleto*, magnos applausus apud eum ordinem hominum meruit, apud populum etiam statuas, & arcus triumphales, qvia theatricis ludis omnes oblectabat. Inter primas repræsentationes fuit *Pœnulus Plauti*, per biduum actus, sumtu immenso & gestibus turpissimis, qvos tamen nemini scandalo fuisse narrat autor, *p. 261.* Tales enim mores erant seculi & Cleri, & hæc pax atqve felicitas Christianæ Reipublicæ, qvam extollit Maimburgius. Ambitionis haud vulgaris documentum est,

qvod

qvod de Ducatu Mediolanensi Juliano fratri suo acqvirendo consilia cepit, morte tamen hujus disturbata. *p. 264.* Cætera ejus cum Gallis & Hispanis varie gesta & ut Urbini Ducatum vi subactum fratris filio Laurentio Mediceo juniori tradiderit, aliunde nota sunt, qvanqvam qvædam minus cognita legi possunt *a p. 254. ad 275.* Horribilia sunt qvæ de conjuratione qvinqve Cardinalium contra Leonem narrantur *a p. 275. ad 286.* qvibusqve suppliciis & pœnis eos eorumqve complices affecerit; invento etiam tunc exemplo Romæ insveto, ut pecunia mulctarentur qvi delinqverent. Hæc ignorasse oportet Lutherum, qvi Leoni multum condoluit de periculo isto a Cardinalibus structo. Inter conjuratos erat *Adrianus* qvidam humili loco Corneti (qvod est Tusciæ ad mare oppidum) natus, unde cognomen sumsit, & per omnes gradus ad Cardinalitiam dignitatem ascenderat. Hic magum dissimulata persona consulens cum didicisset Leonem brevi moriturum & aliqvem ei, cui Adriano nomen esset, virum doctum sed plebeji generis (id qvod de *Adriano Ultrajectino* eventus probavit,) successurum esse, prædictionem de se summa cum verisimilitudine interpretatus est, eaqve spe cæteris Pontifici mortem per venenum machinantibus magno malo suo sese adjunxit. *p. 276.* De luxu & liberalitate Leonis, qva singulis diebus crumenam aureis plenam in donationes promiscuas evacuabat vide *p. 292.* de corruptis Cardinalium moribus ad Pontificiarum venationum aliarumqve voluptatum ingenium *p. 293.* de licentia & sumtu theatrorum. *ibid.* Impiæ delectationis qvam captabat, si qvos vanitate mentis imbecillæ elatos, ita posset corrumpere, ut pro fatuis exagitari se paterentur, duo exempla admodum ridicula de musico, & de Poeta qvodam referuntur *p. 294. 295.* de scurris & parasitis ejus inter qvos & monachus erat, vide *p. 297.* supplet autor (ut ait) neglectum Paulo, Veneto, qvod diplomata indulgentiarum in Germania miserit, qvibus pro uno aureo ingressus in cœlum vendebatur, *p. 294.* neglexit fabricam S. Petri, & porticum Vaticani palatii ædificare maluit, picturis celeberrimi Raphaelis urbinatis exornatam Aulæa in Belgio fieri curavit, qvorum qvantum ad unum conclave ornandum reqviritur pretium ad septuaginta aureorum millia ascendit, *p. 299.* Bibianæ illi Cardinali, de qvo dictum est, voluptatum ingenioso magistro qvod Legatus in Gallia ad pontificis secreta prodenda corrumpi se passus esset, ad mensam invitato offam venena-

tam porrexit, ex qva subito, cum domum rediisset, mortuus est, *p. 300.* Vitæ generi mors Leonis respondit. Narrat autor, immodico gaudio adeo elatum fuisse, cum in venatione nuntium acciperet, Gallos Mediolano pulsos esse, ut febri corriperetur; inde, ut solebat, pilulis aloeticis usum, & hausto vino, non sine suspicione veneni, decessisse. d. 13. Decembr. 1521. anno ætatis 47. vigente & robusto corpore. Cum cadaver ante sepulturam a domesticis negligenter custodiretur, mures odore ungventorum allecti, nasum ei arroderunt, ut velata facie inter exeqvias exponi debuerit. *p. 302. ad. 308.* Hæc de Leone etsi aliena a scopo videri possent, ideo tamen ex autore, cujus stylus contra Lutheranos conductus est, exhibeo, ut parallelismum ex iis facere possint, qvi omissis corvis columbarum censuram instituunt, & ex Lutheri moribus exsculpunt, per qvæ doctrinam ejus suspectam faciant. Invenient in Leone, qvæ si conciliare cum persona possunt, qvæ vicarium Christi in terris caput, & sponsum Ecclesiæ, veritatis oraculum, summumqve & divinum hæresium judicem repræsentare debebat, næ illos rhetorum artem perfectissime callere oportet. Certe si in qvo alio pontifice in hoc utiqve verendum est *ne fides Petri cessaverit.* Sed bene est, qvod neqve Capitis talis existentia ad Ecclesiæ statum reqviratur, neqve a Prælatorum moribus pendeat veritas Doctrinæ, ita ut sub Caipha etiam reperiri potuerit Nicodemus & Josephus Arimathiensis, aliiqve fideles Deo noti, donec corruptæ Synagogæ compages dissolveretur. Qvanto minus nocebunt, si qvi fuere Lutheri nævi, Reformationi Ecclesiarum, qvæ illum neqve pro capite aut Patriarcha, imo ne unius qvidem vel oppidi vel pagi parocho agnoverunt, sed ut vocem clamantis in deserto, & pœnitentiam, atqve Evangelium prædicantem susceperunt, catenus illi obsecuti, qvatenus dogmata ejus cum supremi pastoris JesuChristi voce concordare pro conscientia qvisqve sua iudicabant, deinde singulæ regiones aut civitates politiam Ecclesiæ talem sibi constitutum ibant, qvalem statui rerum suarum & temporum rationi convenientem & utilem judicarunt, agnita jam & vindicata libertate sua, a potentatu, per seculorum barbariem & infelicitatem in Ecclesiam invecto, & ad abusuum & corruptelarum apicem tunc perducto; qvod fatentem mox audiemus Leonis successorem. Hæc occasione historiæ de vita & morte Leonis hic dicenda occurrerunt. Qvæ de Erasmi erga eum adulatione notata sunt, pluribus ejus

dictis

dictis probari possunt, sed non nisi unum subjungam ex *dedicatione Epistolarum Hieronymi* anno 1515. scripta his verbis: Sensit illico mundus Leonem gubernaculis rerum admotum, repente seculum illud plus qvam ferreum in aureum versum: ac tanta tamqve fatalis subito rerum omnium commutatio, ut nemini non palam esset, hæc autore Deo geri. Compositæ bellorum undæ, cohibitæ Principum inter ipsos minæ, acerbis odiis dissidentes maximorum Regum animi in Christianam adacti concordiam, sublatum pernicioſissimum illud schisma, (Julii intelligit & Pisanorum) & ita sublatum tam ingens malum, ut ne cicatrix qvidem superſit. Qvam vana hæc fuerint sequentium annorum gesta ostendunt.

Ad §. CXIIX. *Interea novos prophetas*) Cum inter hodiernas Ecclesiæ afflictiones etiam fanaticorum nec numerus nec magna desit temeritas, divinas revelationes fingentium, haud abs re erit paulo accuratius annotare qvid *Melanchthoni* & *Luthero* negotii creaverint istiusmodi homines. Absens erat & in arce latitabat Lutherus, cum isti qvos in commentario nominavi, Zviccavia Wittebergam venirent. Accidit autem non Carolostadio solum sed & sagacioris ingenii & reconditioris doctrinæ viro Philippo Melanchthoni, renascente tunc veritatis Evangelicæ luce, post tot seculorum scholasticas tenebras, id fere, qvod iis solet qvi intempesta nocte iter faciunt, ut qvamcunqve nubeculam lucidiorem pro luna, fatuos etiam ignes pro lampadibus habeant, donec intentiori observatione verum ab apparenti discreverint. Qvid Philippus ad Lutherum scripserit, etsi epistola, qvod sciam, non extet, ex responso tamen Lutheri die Antonii seu 17. Jan. 1522. dato (ex qvo aliqva allegavi) facile conjicitur: juvat tamen plura ex eo adscribere: Venio ad Prophetas, ac primum non probo tuam timiditatem, cum & majori tam spiritu, qvam eruditione polleas qvam ego. Ac primum cum testimonium perhibeant de se ipsis, non statim audiendi sunt, sed juxta consilium Johannis, Spiritus probandi. Habetis consilium Gamalielis, *differendi*, nihil enim adhuc audio ab eis dici & fieri, qvod Sathanas non qveat præstare vel æmulari. Tu autem ex mea parte hoc explores, an vocationem suam possint probare. Neqve enim Deus unqvam aliqvem misit, nisi vel per hominem vocatum, vel per signa declaratum, ne ipsum qvidem Filium. Prophetæ

olim ex lege & ordine Prophetali jus habebant, sicut nos modo, per homines. Prorsus nolo eos recipi, si nuda revelatione sese vocatos adserant, cum nec Samuelem qvidem vellet loqvi Deus, nisi per autoritatem conscium Heli. Hoc primum ad publicam docendi functionem pertinet. Jam vero privatum spiritum explores etiam, qværas num experti sint spirituales illas angustias, & nativitates divinas, mortes, infernosqve; Si audieris blanda, tranqvilla, devota (ut vocant) & religiosa, etiamsi in tertium cœlum sese raptos dicant, non approbabis. Qvia signum filii hominis deest, qvi est βάσανος probator unicus Christianorum, & certus spirituum discretor. Vis scire locum, tempus, modum colloqviorum divinorum? Audi; *Sicut Leo contrivit omnia ossa mea.* Et, *projectus sum à facie oculorum tuorum.* Et, *repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinqvavit.* Non sic loqvitur majestas (ut vocant) immediate, ut homo videat, imo, *non videbit etiam homo & vivet.* Et, *stellam parvam sermonis ejus non fert natura.* Ideo enim per homines loqvitur, qvod loqventem ipsum ferre omnes non possumus. Nam & virginem turbavit angelus, sic & Danielem, sic & Jeremias qveritur, *corripe me in judicio, & non sis tu mihi formidini.* Et qvid plura? Qvasi Majestas possit cum vetere homine loqvi familiariter, & non prius occidere atqve exiccare, ne fœteant odores ejus pessimi, cum sit ignis consumens. Etiam somnia & visiones sanctorum sunt terribiles; saltem postqvam intelliguntur. Tenta ergo, & ne Jesum qvidem audias glorioſum, nisi videris prius crucifixum. Paulo ante Philippus ad ipsum Saxoniæ Electorem 1522. die Johannis Evangelistæ de adventu fanaticorum literas dederat, qvas qvoniam in Epistolarum libris non reperio, neqve ab aliis editas observavi, ex authentico, qvod Lipsiæ asservatur huc transcribemus: *Illustrissimæ Celsitudini vestræ gratiam ac pacem Christi opto. Boni consulat Celsitudo vestra, qvod ad eam scribere ausus sum: cogunt enim hoc tempore res summæ & periculosissimæ, qvæ sollicitudinem & curam Cels. V. maghopere desiderant. Est autem hæc causa, qvam proponere oportuit. Non ignorat Cels. V. qvam multæ, variæ & periculosæ dissensiones de verbo Dei in urbe Cels. V. Zviccavia excitatæ sint. Sunt & illic in vincula conjecti, qvi, nescio qvæ novarunt. Ex horum motuum auctoribus huc advolarunt tres viri, duo lanifices, literarum rudes; literatus tertius est. Audivi eos; mira sunt, qvæ de sese prædicant,*

cant, missos se clara voce Dei ad docendum, esse sibi cum Deo familiaria colloqvia, videre futura; breviter, viros esse Propheticos & Apostolicos: qvibus ego qvomodo commovear, non facile dixerim. Magnis rationibus adducor certe, ut contemnere eos nolim, nam esse in eis spiritus qvosdam, multis argumentis adparet, sed de qvibus judicare præter *Martinum* nemo facile possit. Proinde cum vertatur hic Evangelii periculum, Ecclesiæ gloria & pax, modis omnibus efficiendum est, ut his hominibus *Martini* copia fiat: ad hunc enim provocant. Non scriberem ad Cels. V. nisi rei magnitudo postularet, in tempore maturari consilium. Cavendum enim est simul ne occupemur a Satana. Dominus conservet Cels. V. longævam pro salute Ecclesiæ suæ, Illustrissimæ Cels. V. deditissimus *Philippus Melanchthon.* Inscriptio est: *Illustrissimo ac sapientissimo Principi D. Friderico Saxoniæ Duci Electori, Lucernæ Israel, Domino suo clementissimo.* Patet hinc inter maximas reditus causas Luthero fuisse, ut fanaticis his resisteret, qvanqvam Elector Philippi rationibus non moveretur, ut Lutherum accerseret. De trepidatione autem pariter & de lenitate Philippi erga eos homines multa narrat Camerarius in *vita ejus.* Vide *p. 44. & seqq. Marcum* sane *Stubnerum*, qvi literatus erat, hospitio excepit, pueros qvosdam informandos dedit, multasqve ejus ineptias tulit, nec dimisit eum nisi postqvam reversus Wittenbergam Lutherus *Marcum* illum & collegam *Martinum Cellarium* habito colloqvio repressisset, ut eodem die oppido excesserint. Hoc ita narrat Camerarius *p. 51.* Reversio Lutheri incidit in Nonarum Martii dies Anni Christi M. D. XXII. qvibus diebus conciones eo habente omnia conqvievscebant, & audientes, cum singularem facultatem explicandi susceptas res, tum dicendi vim, tum etiam virtutem atqve fortitudinem admirabantur & reverebantur autoritatem. Interrogatus tunc unus ex Marci familiaribus, ecqvid Doctorem esse Lutherum egregium judicaret? Imo, inqvit, angeli non hominis vocem mihi audiisse videor. Sed Marcus iis diebus aberat, cum nescio qvo qvarumve rerum causa discessisset. Mox tamen hic se Wittenbergam ad suum, qvem ibi habebat, gregem recepit. Qvi rursum ad ipsum confluere, & opiniones haustas inter se confirmare, & Marco ad retinendas & defendendas eas animos hortando addere. Inqve omnibus maxime & ardentissime M. Cellarius. Placuit igitur Martinum Lutherum accedi, & ei summam doctrinæ

» exponi. Ægre Lutherum hoc conceſſiſſe reſcivi. Sed tandem cer-
» to die & hora fecit poteſtatem Marco ad ſe veniendi, ſolo Philippo
» Melanchthone ſibi adhibito, cum Marcus Cellarium & alterum qven-
» dam ex ſuis adduxiſſet. Audivit Lutherus placide narrantem Mar-
» cum ſua. Cum dicendi finem feciſſet, nihil contra illa adeo abſurda
» & futilia differendum ratus Lutherus hoc modo monuit: Viderent qvid
» agerent: nihil eorum qvæ commemoraſſent ſacris literis niti, com-
» mentaqve eſſe cogitationum curioſarum, aut etiam fallacis & fraudu-
» lenti ſpiritus deliras & pernicioſas ſubjectiones. Ibi Cellarius & voce
» & geſtibus veſanis, cum & ſolum pedibus & propoſitam menſulam
» manibus feriret, exclamare & indignari, auſum eſſe Lutherum ſuſpica-
» ri tale aliqvid de divino homine. At Marcus paulo ſedatior,
» ut ſcias, inqvit, Luthere, me ſpiritu Dei præditum eſſe, ego, qvid in a-
» nimo tuo conceperis, ſum indicaturus, idqve eſt: Te incipere inclina-
» ri ad hæc ut meam doctrinam veram eſſe credas. Cum Lutherus, ut
» ipſe poſtea dixit, iſtam dedita opera ſententiam cogitando eſſet com-
» plexus: increpet te Deus Satana. Poſt hæc plus verborum faciendum
» Lutherus non putavit, & minantes gloriantesqve eos dimiſit, ac neſcio
» qvid pollicentes de mirabilibus effectionibus, qvibus probaturi ſua eſ-
» ſent, cum hoc modo dixiſſet: Is Deus qvem ego veneror & colo, facile
» veſtra numina, ne qvid tale efficiatur, coercebit. Eo die oppido illi
» exceſſerunt, & Chembergo diſtante paſſibus amplius milibus qvinqve,
» literas plenas maledictis & execrationibus ad Lutherum miſerunt, de
» qvibus longiorem eſſe narrationem hanc meam non decet. De Cico-
» nia autem & Marco ipſo qvid factum ſit, & qvid ipſi amplius conati,
» qviqve exitus vitæ eorum fuerint, non habeo compertum, deqve eis
» narrata atqve prodita ſcio neqve temporibus neqve perſonis conſenta-
» nea. *Hac Camerarius.* *Ciconiam* in monaſterio qvodam Bavariæ in-
teriiſſe qvidam memorarunt; de *Marco* nihil certi invenio. *Cellarius*
in Pruſſia errores propagans in carcerem incidit, elapſus inde, Baſilea-
am ſe contulit, ibiqve Latino cognomine in Græcum detorto Borrha-
us dictus, ſaniora docuit & ſcripſit, referente Sculteto in anno 1521.
Extat *Lib. II. pag. 92.* Lutheri Epiſtola, ſed ſine die ad Spalatinum, in
» qvo de Nicolao & aliis hæc habet: Fuit apud nos Princeps Prophetа-
» rum *Claus Storck* incedens more & habitu militum iſtorum qvos
» Lands-Knecht dicimus, adjuncto alio in longa tunica, & D. Gerardo
Colo-

Colonienſi. Et homo per omnia ferme diſſentit Marco & Thomæ, nihilqve tractavit, niſi de Baptiſmo parvulorum; Videturqve ſpiritu levitatis ferri, qvi nec ipſe magnifaciat, qvæ ſentit. Sic ludit Satan in hominibus. *Thom. Munzerus* eo tempore Alſtedii in Thuringia paſtor erat, eosdemqve errores, ſed tunc paulo rectius diſſeminabat. De hoc Lutherus ad Spalatinum anno ſeqventi 1523. hæc ſcribit: Alſtadii Qvæſtorem, cum apud me eſſet, monui, ut Thomæ Prophetæ ſpiritum ab ſe alienaret, ſi qvid interim actum eſt ignoro. Ego plane ſpiritum iſtum, qvisqvis ſit, non qveo ferre. Laudat mea (ut Thomas ipſe ſcribit,) & tamen contemnit, & alia majora qværit. Deinde ſic abſurdis & inuſitatis extra Scripturam verbis & orationibus loqvitur, ut phreneticum & ebrium credas. Nos fugit & congredi non vult, & tamen ſeſe mire jactat. Rogavi itaqve Qvæſtorem ut urgeret hominem ad conferendum nobiſcum ſuam doctrinam, neſcio an effeciet. Noſter ſpiritus talis non eſt, qvi metuat audiri & conferri cum omnibus etiam malis & bonis ſpiritibus. Omnium maxime memorabile eſt qvod de Friderico Electore occaſione horum fanaticorum narravit Spalatinus in *hiſtor. MS.* magnumqve inde pietatis, qvæ Princeps ille præditus fuit argumentum haud immerito ſumſit. Merentur Spalatini verba Germanica referri: Da auch die elenden Schwarm-Geiſter/Nickel Storck und Marx von Elſterburg/abweſens Doctor Martinus Luther/welcher noch in ſeinem Pathmos ſtecke/ ſich gen Wittenberg begeben / und ſchier all Unglück angerichtet / auch faſt die Gelehrteſten und Fürnehmſten betrübt hätten/derhalben auch S. Churfl. Gn. etliche Hochgelahrten gen Pretyn erforderten / der Sachen mit GOttes Hülffe zu rathen. Da es nun zum Rathſchlag kam/ und S. Churfl. Gn. ſeiner Räthe und Diener / ſo ſie bey denſelben Händeln leiden kunten/ Bedencken gehöret hatten/ ſagt S. Churfürſtl. Gn. unter andern dieſe harte Worte mit groſſem Ernſt: Das iſt ein groſſer wichtiger Handel / und den ich / als ein Leye/ nicht verſtehe. Nun hat mein lieber GOtt meinem Bruder und mir eine ziemliche Armuth gegeben / wenn ich nun die Sachen verſtünde / ehe ich wolte mit Wiſſen gegen GOtt handeln / ehe wolte ich einen Stab an meine Hand nehmen und davon gehen. Ob welchen Worten Seiner Churfürſtl.

fürstl. Gn. Räthe und Diener / so dazumal verhanden / sich mit gröſſer Verwunderung entsetzten / und gewißlich sein Hertz ist auch also
» gestanden biß an sein Ende. Sensus est: Cum fanatici illi *Nicolaus*
» *Ciconia* & *Marcus (Stubnerus)* Elsterbergensis (opitulum est Voigtlan-
» diæ) absente & in Pathmo suo latente Luthero Wittembergam venis-
» sent, multas turbas fecissent, & fere doctissimum & potissimum qvem-
» qve pervertissent; Elector qvibusdam ex doctioribus BRETINAM (op-
» pidum prope Liechtenbergam evocatis deliberavit, qvomodo Dei o-
» pe malo occurri possit. Intellectis igitur eorum qvos adhibuerat
consiliis inter alia (*cum scilicet res dubia videretur & metuendum forte aliqvi dicerent, ne temeraria istorum hominum condemnatione in spiri-*
» *tum Dei peccaretur*) in hæc verba summe notanda Princeps prorupit
» ut diceret: *Hac causa gravissima & difficilima est, qvam ego, ut Laicus,*
» *non intelligo. Dedit fratri meo & mihi Deus mediocres opes, sed si rem*
» *recte intelligerem, nollem sane sciens Deo adversari, imo prius qvam id fa-*
» *cerem, arrepto baculo abire*, id est, omnia deserere. Mirati hæc sunt
» cum stupore consiliarii & ministri, qvi aderant: & profecto ista mens Principi ad extremum usqve vitæ terminum fuit. *Hac Spalatinus*, qvi deliberationi interfuit. Unde profecto colligi potest, qvam seria fuerit Principis hujus de salute animæ sollicitudo, & qvam non præcipitanter aut utilitatis respectu, ut malevoli arguunt, in religionis negotio processerit.

Cum bona, uti spero, lectoris venia, addam hic judicium Theologi aulæ Electoralis primarii, ob pietatem & doctrinam merito æstimatissimi *D. Philippi Jacobi Speneri*, in explicatione Germanica *Evangelii Dominica post Circumcis. Matth. II. 15.* cui junxit dictum *Hebr. I. 2. 3.* Ibi cum de apparitionibus & inspirationibus ante & post Moysis tempora, & circa initia Ecclesiæ Novi Testamenti dixisset, de nostris tandem temporibus hæc docet: Qvod vero ad tempus Novi Testamenti post Christum & ad nos usqve attinet; notandum (1.) immediatas apparitiones & immediata & revelantia somnia neqve promissa admodum nobis, nec necessaria esse. Ab initio qvidem tempore Christi & primæ Ecclesiæ ex iisdem causis, qvæ in Veteri Testamento apparitiones freqventiores exigebant, Deus etiam nonnunqvam extraordinario illo medio usus est, sed cessare id una cum miraculis cœpit, post-

qvam

qvam additis, Novi Testamenti Libris totus Canon & qvantum Deus in verbo suo manifestare voluit impletus, & finis revelationibus immediatis datus fuit. Qvia ergo singularem promissionem, qvod Deus isto modo nobiscum acturus sit, non habemus, neqve adeo causæ, propter qvas Deus in Veteri Testamento sæpius illo usus est, supersunt, recte ex his omnibus concludimus, non esse voluntatem Dei, ea ratione sæpe nobiscum agendi: contenti itaqve simus luculenta revelatione verbi sui irrefragabilis, & ex illo provenientis operationis S. Spiritus in cordibus fidelium, qvi veritatem Scripturæ, & necessariorum ex ea mysteriorum in illis sigillat. Ita & Christus ipse animabus se manifestat, ut dicit *Joh. XIV. 21. Qvi habet mandata mea & servat ea, ille est qvi diligit me; qvi autem diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*: Fit hoc interna ipsius & Spiritus sui operatione, per qvam sentimus & agnoscimus, qvæ in verbo audivimus. (λ.) Si qvis apparitiones & revelationes jactat, ad probandos articulos fidei extra Scripturas, novosqve qvos Christus non docuit, in medium proferendos, & credendi necessitatem urget, qvia id ipse dicit, & se pro immediate illuminato venditat, neqve obligatum se agnoscit, ad conscientias hominum, per externum verbum Dei convincendas; de eo absqve dubio & confidenter dicendum, qvod falsa jactet. Verum enim est de qvo Paulus gloriari suo tempore potuit *Act. XX. 27. annunciavi vobis omne consilium Dei.* Itaqve aliud consilium, de via nempe salutis expectari non debet. Paulus enim (unus tamen eorum per qvos Christus locutus est) non qvædam saltem sed *omnia consilia Dei* annnuntiavit. Ideo tempus Novi Testamenti *novissimum* dicitur, qvod modus colendi Deum & adipiscendi salutem, nec mutari, nec aliqvid novi, iis qvæ ab initio revelata fuerunt, accedere debeat, etsi prioribus temporibus non unus semper cultus divini ordo fuit. Sic concludit Spiritus Sanctus *Apoc. XX. 18. Si qvis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.* Hoc veluti sigillum est Scripturæ a Spiritu S. appositum. Qvicunqve ergo novum in Scriptura non contentum fundatumqve articulum fidei tradit, ex somnio suo & apparitione, sive se Christum, vel angelum, vel animam defuncti nominet, (qvi apparet) is a diabolo deceptus esse confidenter dicatur; hæc est Pauli sententia *Gal I. 18. Licet nos aut angelus de cælo evangelizet vobis præterqvam qvod evangelizavimus vobis,*

anathema sit. Repetit id, ut accurate observemus, & a periculo nobis caveamus, si salutem nostram novis ejusmodi revelationibus confidere, aliamqve viam ad cœlum discere vellemus, qvam cujus veritatem Christus nobis semel demonstravit. His acqviescimus: *habemus enim firmiorem sermonem propheticum. 2. Petr. I. 19.* Ad hunc non vero ad novas apparitiones remittimur, nisi in fraudem incidere velimus. (3.) Si vero non articuli fidei, sed alia sunt, qvæ vel nos vel alios, aut Ecclesiam in universum attinent, ad implementum veterum vaticiniorum in circumstantiis qvibusdam spectantia, vel per qvæ ad bona, alias cognita fit adhortatio, & si qvæ sunt ejusmodi; nolumus Deo manus qvasi ligare, ne tale aliqvid ex sanctis nobisqve ignotis causis etiam nunc extra ordinem facere possit, (licet ordinarie per immediatas visiones nobiscum agere jam non velit.) Exempla forte etiam reperiuntur, ubi Deus adhuc veluti radios prophetici luminis seqventibus etiam temporibus effulgere fecit, ostenditqve eadem se potentia & sapientia esse extraordinarii aliqvid agendi. Ita & somnia magni momenti in suis vel aliorum negotiis, piis mentibus aliqvando obtigerunt, qvorum exitus & implementum aliqvid non vulgare demonstravit; qvæ omnia rejicere & condemnare temerarium foret. Nihilominus pro dubiis & periculosis æstimamus, qvæ sic jactantur, ideoqve ad vitandam illusionem, accurate examinari merentur. Qvapropter & ii qvi talia sibi putant contigisse, conscientiam suam diligentissime explorare, & qvi narrari ista audiunt, observare debent, ne in periculum incidant, arripiendi apparitionum loco propriæ phantasiæ aut diaboli, qvi se in angelum lucis transformare novit, figmenta. Major est phantasiæ vis, qvam putatur, neqve diaboli astus unqvam satis perspici potuit. Nemo certe errabit, qvi illa non æstimat, sed usqve ad majorem evidentiam pro tentatione habet, nisi divina majestas indubitate in convincenda conscientia eluceat. Sic enim veritati agnitæ contradici non potest, neqve contra Deum pugnandum, sed qvicqvid ille manifeste revelat, cum humili veneratione accipiendum est. Maturum piorum & divinitus sapientium virorum judicium & examen ad illa requiritur. Si qvid deniqve invenitur de qvo indubitate judicare, aut qvod statim rejicere neqveamus, id non tollit regulam. Relinqvendum tunc est in medio, qvod non intelligimus, ne gravius, qvam putamus, peccemus, condemnando in qvibus nobis insciis aliqvid divini

latere

latere poſſet. Nihil qvidem recipiamus, de qvo non convincamur, qvod divinum ſit: Qvæ vero ipſi dijudicare non valemus, aliorum relinqvamus judicio, expectantes donec Deus ipſo eventu vel alio modo faciliorem judicandi facultatem dederit, vel ipſe potius rem decideret. Qvi ſic ſubſiſtunt, dum lumen divinum in ejuſmodi rebus & vaticiniis non percipiunt, neqve tamen culpant qvæ non intelligunt, ſed ſi aliqva ſuſpicio rei divinæ appareat, Deo rem commendant, illi non peccant, etſi divinum fuiſſet, qvod pro tali nondum potuerunt agnoſcere. Notanda hæc ſunt, qvia in communi vita aliqvando de talibus rebus diſſeritur, & Chriſtianos ſcire decet, qvid judicare de iis debeant. Sic ſtantibus rebus apparitiones neqve expectemus neqve optemus; Optaremus enim aliqvid præter ordinem Dei, ipſumqve cum maximo damno noſtro tentaremus. Sunt tamen homines qvi ante omnia deſiderarent angeli alicujus apparitionem, ſed neſciunt in qvantum diſcrimen incidere poſſent. Adde qvæ infra ex ipſo Luthero §. *176.* annotavi.

Ad §. CXIX. *Caroloſtadii exceſſus.*) Inter maximos erat ſtultus zelus adverſus literarum ſtudia, & nimia infimæ plebis prenſatio. Curſitabat enim per cerdonum tabernas & de intellectu Sacræ Scripturæ eos conſulebat, ſimplicitatem vero ſuam opponentibus objiciebat dictum Chriſti *Matth. XI. 25.* de abſcondita a ſapientibus myſteriorum cognitione & revelata parvulis. Conceſſit etiam in pagum oppido vicinum *Segrenam*, & ruſticis laboribus ſeſe occupavit, neqve doctoris aut alio honoris vocabulo compellari amplius volebat, ſed vocari more plebejo *vicinus*, & ſuo nomine Nachtbar Andreas. Studioſis nihil opus eſſe literatura dicebat, & opificia præferenda eſſe; qvo facto magna juventutis pars dilapſa eſt, & ſolitudo Wittembergæ facta: ſchola etiam puerorum deſerta & in officinam piſtoriam converſa. In judiciis, neglectis legibus humanis, ſecundum Moſaicas pronunciandum eſſe urgebat. Hæc & alia noſtri tradunt autores, inter alios *Frimelius* Diaconus Wittemberg. edita anno 1646. *hiſtoria oppidana*, de motibus Caroloſtadii & Sacramentariorum *pag. 6.* Cætera qvæ Maimburgius §. *bbb.* & §. *ccc.* de Melanchthone imprimis ex apoſtata Staphylo, & Ræmondo hauſit, carent fundamento: illud præſertim qvod ſcribit Melanchthonem Caroloſtadii dogmate commotum neglectis ſtudiis in officina piſtoris laboraſſe: ſpecies calumniæ

inde orta, qvod alius qvidam *Philippus* Rhetoricam Wittenbergæ docens eo vesaniæ venerit. Vide Selneccer. *d. l. pag. 116.* Sufficerunt interim Carolostadii fanatici motus ad pessimam famam Evangelicæ doctrinæ conciendam, cum Lutheri & Enthusiastarum dogmata & actiones non distingverentur ab adversariis, aut a malignis censoribus, qvalis erat Erasmus; qvi ut ex Epistolis eo tempore, aut non multo post scriptis patet, (& alibi jam monitum est) non solum in mores tumultuantium invectus est, sed & vane metuit aut id meruere videri voluit, Lutheri doctrina futurum, ut bonæ literæ penitus interirent. Idem tamen magis serio (ut opinor) loqvens impntavit. Pseudomonachis, de qvibus ad Doctorem Sorbonicum *Lib. XIII. ep. 71.* qveritur, eosqve id agere dicit, ut cum Luthero lingvas ac bonas literas obruant. Sed nescio an de progressu literaturæ gratulari magis Christiano orbi, an de nimio ejus amore & abusu veræ & simplici pietati Christianæ noxio, conqveri debeamus. Adeo difficile est auream mediocritatem tueri, & vitare extrema, Inter alios intempestivi zeli impetus Carolostadii etiam hic fuit, qvod titulos doctorum & magistrorum penitus improbaret. Cum enim gradum Doctorum Westermanno & Godscalco (ut alibi notabo) ut promotor, qvem vocant, contulisset, palam testatus est, se nullum posthac in qvemcunqve gradum subvecturum esse, id ex Actis Facultatis adversus *Joh. Hornbeccium*, qvi Lutheri id narrantis fidem in dubium vocat, confirmavit nuper *D. Majerus* in *notis ad tractatum Selneccери*, & Lutheri verba Actis illis inscripta adduxit, *pag. 136.* Lapsum Carolostadii ex nimia de se opinione ortum esse Selneccerus affirmat, ex ore Philippi audivisse se referens *pag. 205.* erupisse Carolostadium aliqvando præ arrogantia in hæc verba: *Non minus cupio magnus esse & magni fieri ac Lutherus est.* Addebat Philippus: *hæc vox æmulationis, invidentiæ & superbiæ fuit.* Cæterum a Munzeriano spiritu etsi excusatum in colloqvio Jenensi Carolostadium se habuisse fateatur Lutherus, absolvere tamen illum postea non est ausus, ut patet ex literis ad Argentinenses, & qvas ad Amstorfium anno 1525. scripsit, *Lib. II. p. 251. & 280. b.* Obiter noto, tribui a Surio, qvem & Gallici scriptores sequuntur, Carolostadio qvod primus omnium ex sacerdotum ordine uxorem duxerit, sed falli illos certum est, & in commentario nominavi, qvi primus fuerit. Cæterum prævidisse Lutherum multa qvæ moliebatur Carolostadius, ex literis ejus,

in

in arce, in qva custodiebatur, scriptis, colligi potest, sed remedium, qvia absens erat, & ob violentiam ingenii ejus, invenire non poterat, itaqve ad Spalatinum mense Augusto 1521. scribit *Lib. I. epist. 241. sinendum esse, qvia cursum suum remorari nolit.* Neqve reversus sincere corrigere hominem potuit, licet supplicibus precibus etiam, non solum minis, eum adoriretur. Vide *Lib. II. Ep. p. 60. b.*

Ad §. *ddd. Qvi Lutherum antea.*) Scriptores rerum Helveticarum ex Reformatis, & inter recentissimos *Hottingerus* minime concedunt Zvinglium Lutheranum fuisse; multa potius argumenta afferunt, qvod is Evangelicam puritatem perceperit & docuerit, anteqvam de Luthero qvidqvam inaudivisset. Excitatum tamen cum in Saxonia adversus indulgentias disputari intelligeret, ut majori constantia proposito suo insisteret, non videntur negare, & colligitur id ex actis disputationis cum Vicario Constantiensi aliisqve Tiguri habitæ. Anteqvam Lutheri nomen in Helvetia auditum fuisset, Evangelium se prædicasse ipse Zvinglius commemorat: sed id cum illis commune habuit, qvi ante Lutherum sacras literas ad Wesseli itemqve Erasmi ductum Scholasticis tricis præferebant. De publica vero oppugnatione abusuum & errorum qværitur, qvam Zvinglio pro Luthero tribui non posse, ex Lutheranis non pauci demonstrarunt.

Ad §. CXXVII. *In Additionibus dicam.*) Notas edidit *Emserus* Lipsiæ exeusas d. 21. Sept. 1523. lingva Germanica, sed horrida dialecto, præmissis pro more insignibus suis caprigeris, insulsisqve rhythmis: Fahr hin mein Bock in GOttes Geleit) / *Vade capermi, in conductu Dei &c.* præfationem adornat convitiorum & scommatum plenissimam, qvalibus etiam per omnes pene notarum lineas usus est. Numerum errorum hæreticorum & mendaciosum in versione Novi Testamenti a Luthero commissorum ad mille & qvadringentos competat, Cochleus paulo mitior in anno 1523. ab aliis supra mille, ab aliis pauciores annotari refert. Hieronymi inde versionem ex constitutione Damasi, ante annos plus mille Ecclesiæ propositam, tanti habitam esse prædicat Emserus, ut nemo tam temerarius fuerit, qvi vel literam, nedum vocem in ea mutaverit, nisi id scribarum errore contigisset, qvoties ergo Lutherus ab hac vel unica discessit vocula, toties hæresis aut erroris reus est. Sed hujus culpæ complices non multo post habuit ipsos Pontifices & Theologos Romanenses, qvi Latinam

illam versionem non mille sed innumeris locis ipsi correxerunt. Sed neqve sic effecerunt, ut emendatione ulteriori abstinere potuerint. Prologum deinde Lutheri acerrime aggreditur, fugillat ejus dictum, qvo concordiam qvatuor Evangelistarum stabiliens, non nisi unum Evangelium esse scripserat, item qvod Novum Testamentum non habere velit pro libro legis: affingit ei, qvasi sentiat fidem nudam Evangelio adhibitam reqviri, nullis operibus efficacem, tum qvod omnem elenchum & pœnitentiam auferat, tanqvam a Christi Evangelio alienam: qvod etiam necessitatem bonorum operum urgeat, qvæ tamen nihil mereri statuat, ne cum gratiæ qvidem cooperatione adeoqve sibi ipsi contradicat. Hæc perpetua hominis hujus sycophantia est, qva sciens prudensqve de verbis pugnat, & cum Lutherus de fide viva, assensus & fiduciæ plena, tum per charitatem efficaci loqvitur, ipse de historica contendit; & ad actum justificationis coram Deo opera reqvirit. Tolerabiliora sunt qvæ ad dubitationes Lutheri de epistola ad Hebræos, itemqve Jacobi & Judæ, & de Apocalypsi Johannis regessit: illam enim opinionem nec ipse pertinaciter tenuit Lutherus, nec aliis ut necessario seqvendam obtrusit. Deniqve (ut alia omittam) suspicatur, nulla ratione Lutherum exemplari Bibliorum Wiclefitico aut Hussitico usum, idqve spreta & Hieronymi & Erasmi translatione secutum esse, Interim verum est, ex diversis Bibliorum exemplaribus diversitati versionis aliqvam multis locis causam extitisse, & Lutherum in editionibus posterioribus, cum codices plures & correctiores nactus esset, ipsum non pauca, de qvibus in notis suis litigat Emserus, mutasse, omissa suppleviſſe, aut qvæ per errorem irrepserant, sustulisse: Qvæ tamen omnia capitibus fidei substantialibus & necessariis nullum artulere detrimentum. Si qvis bonas horas scripto Emseri legendo perdere velit, deprehendet uti spero, nihil eum egisse toto illo labore suo, qvam qvod minutias sectando cornicum ut dici solet, oculos confixerit, aut ex diversitate principiorum inutiliter disputaverit, aut manifeste calumniatus sit. Speciminis loco pauca qvædam afferam. Ad Matthæi Cap. I. reprehendit qvod Lutherus ita verterit versiculum primum, ut Christus dicatur *filius Davidis, qvi erat filius Abrahami*, ubi Emserus verti vult: *Christus filius Davidis & filius Abrahami*. Cap. V. 13. verba *in qvo salietur?* Lutherus ita vertit: Womit soll man salzen/ id est, qvid esset (corrupto sale) qvo cum salire possimus; sed Emserus

ferus id reprehendens vertit, womit solls gesaltzen werden / scilicet ut sal saliatur. Cap. VI. 9. vapulat Lutherus, qvod vertit, Unser Vater / & non Vater unser / & qvod vers. 11. verterit *panem qvotidianum*, omissa voce qvæ verti commode non potest, *supersubstantialem* seu ἐπιούσιον. Emserus ergo pro sua sapientia vertit überselbstständig. At in Luca XI. 3. ubi in Græco idem vocabulum ἐπιούσιον est, Emserus ipse (täglich) vertit, qvia Vulgatus interpres idem sibi sumsit, & *qvotidianum* posuit. Et hæc exempla inter sexcenta ad vitilitigationes demonstrandas sufficiant. Ad ignorationem elenchi pertinent pleraqve qvæ ad glossas, qvas vocant, Lutheri respondet, v.g. ad Matth. VII. 24. annotatiunculam fecerat Lutherus. *Hic Christus etiam exigit fidem; ubi enim non est fides, lex Dei non recte observatur. Rom. III. 31.* (non destruimus sed statuimus legem per fidem) *omnia bona opera, qvæ in speciem, absqve fide fiunt, peccata sunt; sed e contrario ubi fides est, vere bona opera necessario sequuntur, hoc Christus vocat facere, qvod fit ex puro corde: fide autem purificatur cor, Actor. XV. 9. hæc pietas firma est adversus omnes ventos & potentiam inferni: bona opera absqve fide sunt lampades fatuarum virginum sine oleo.* Hæc ita refutat Emserus: In hac glossa qvatuor mendacia coacervat Lutherus: primo qvod dicit a Christo hic etiam fidem exigi; Christus enim his verbis: *Non omnis qvi dicit mihi: Domine Domine, sed qvi facit voluntatem patris mei*, non fidem, sed opera injungit, apparet enim satis clare, loqvi eum de iis qvi credunt, Dominum qvippe vocant, sed mandata ejus non faciunt; itaqve Dominus opera ab iis exigit qvi credunt. Secundum mendacium est, cum dicit, opera bona absqve fide esse peccata. Nemo enim dicet Trajanum peccasse cum juste egit, vel Aristotelem aut poetas paganos cum utilia docuerunt, aut scripserunt, neqve enim Paulus eorum dicta allegasset, si peccata fuissent. Nec Jethro peccavit, cum Moysi, nec Achior cum Holoferni bonum consilium dedit, verum tamen est opera illa, extra fidem non mereri salutem æternam, ut dicam in notis ad epistolam ad Rom. Tertium mendacium est qvod dicit, necesse esse ut fidem sequantur opera, demonstravi enim & Paulus id confirmat 1. Cor. XIII. fidem esse posse sine charitate aut operibus. Qvartum mendacium infarcit Lutherus cum scribit, per lampades fatuarum virginum absqve oleo significari opera sine fide, oleum enim non fidem sed succum charitatis & devotionis, qvi in operibus nostris

» ſtris reqviritur, ſignificant, ſicuti in præfatione dixi. Qvod autem etiam
» fatuæ virgines fidem habuerint & in Chriſtum crediderint, inde patet,
» qvia una cum qvinqve prudentibus comparantur regno cœlorum id
» eſt Eccleſiæ, ſicut Gregorius aliiqve ſancti Patres unanimiter hanc pa-
» rabolam explicarunt. Cuilibet, credo, hæc absqve præjudicio legen-
ti, appariturum eſſe, cum larvis pugnare Emſerum, & pro qvatuor men-
daciis, qvæ Luthero impingit, ipſum bis qvater aut plures nugari & er-
rare. Lutherus non negat opera reqviri, ſed vult ut præter eorum
nudum actum, fides adſit, ex qva procedant, & qvidem fides ſalvifica;
qvæ corda purificet, & ex gratia datur, adeoqve non eſt ſine amore;
Emſerus vero de nuda notitia, aut de dono fidei miraculoſæ agit, qvæ
utraqve absqve charitate eſſe poteſt; dein non electos & fideles, pro ve-
ris & propriis Eccleſiæ membris, ſed & virgines fatuas habet, id eſt,
hypocritas, fide ſalvifica & efficaci carentes, & nomine ſaltem Chri-
ſtianos. Qvoniam vero ad ea qvæ in epiſtolam ad Romanos adver-
ſus Lutherum commentatus eſt, provocat, & inter præcipua contro-
verſiæ capita merito refertur qvæſtio de juſtificatione, audiamus
utrumqve de ea docentem. Et Lutherus qvidem vix alibi clarius &
efficacius ſententiam ſuam, populariter licet, expreſſit, qvam in præ-
fatione ad dictam epiſtolam: Liceat mihi (cum Latine qvod ſciam
non extet) qvædam ex illa (alia occaſione a me verſa) huc transferre;
» & primo qvidem deſcriptionem fidei talem exhibet: Fides eſt viva &
» determinata fiducia de gratia Dei, tam certa, ut millies mortem pro
» hac oppetere parata ſit. Et hæc fiducia & cognitio divinæ gratiæ
» lætos, confidentes, & alacres nos facit, erga Deum & homines; hoc
» præſtat Spiritus Sanctus per fidem. Inde homo lætus & alacer fit
» ad benefaciendum & ſerviendum omnibus, & ad omnia patienda, pro
» amore & gloria Dei, a qvo tantam gratiam accepit: ita ut tam impoſ-
» ſibile ſit opera a fide divellere, qvam impoſſibile eſt flammam & lucem
» ab igne ſeparare. Caveas ergo tibi a falſa opinione & nugatoribus
» qvi ſibi ſapiunt, & de fide & operibus judicare volunt, ſtultiſſimi cum
» ſint. Roga Deum ut fidem in te operetur, alias, qvicqvid agas, in
» æternum non habebis fidem. Deinde certamine carnis & de neceſſi-
» tate bonorum operum ita loqvitur: Docet Apoſtolus, non ita nos libe-
» ratos eſſe per fidem a peccatis, ut otioſi, ignavi & ſecuri eſſe poſſimus,
» ac ſi nullum ſupereſſet peccatum. Adeſt omnino, ſed non imputatur

ad

ad damnationem, qvia fides adest, qvæ cum illo pugnat. Itaqve tota vita laborandum nobis est, ut corpus edomemus, concupiscentias ejus mortificemus, membra ejus subjugemus, ut spiritui non vero cupiditatibus obseqvantur, utqve morti & resurrectioni Domini assimilemur, & baptismum nostrum perficiamus, qvi mortem peccati & novam vitam significat, donec a peccatis plane purgati, etiam corporaliter cum Christo resurgamus, & æternum vivamus. Et hoc, teste Apostolo, facere possumus. Hoc ipse Paulus interpretatur: qvando enim dicit, non esse nos sub lege, non id vult, ut legem non habeamus, aut ut faciamus qvæ lubet, sed ut nemo absqve gratia in operibus legis versetur, tunc enim regnaret peccatum per legem, qvia nemo per naturam favet legi, & hoc ipso vehementer peccat. Gratia vero legem nobis acceptam facit, & abest hoc modo peccatum, qvia lex nobis non adversatur, sed nobiscum se conjungit. Hæc itaqve est vera libertas a peccato & lege, de qva Apostolus in capite hoc VI. ad finem usqve tractat, nempe qvod sit *libertas ad bene agendum, cum alacritate & voluptate, absqve coactione legis.* Libertas hæc spiritualis est, qvæ legem non tollit, sed præbet & porrigit ea, qvæ lex exigit, nempe lubentiam & promtitudinem, qva lex contenta est: veluti si creditori cuidam obstrictus esses, nec haberes unde satisfaceres, ab hoc duplici modo liberari potes, uno, si is chirographum tuum & rationes suas dilaceraret, ut nihil præstare deberes: altero si tibi daret, qvo debitum solveres & rationes expungeres. His modis Christus nos a lege liberavit. Non est itaqve libertas fera & carnalis, qvæ nihil præstet, sed qvæ multa & varia præstat, a postulatione & obligatione tamen legis libera est. Qvid ad hæc Emserus? vidit utiqve de qva fide tractet Lutherus, sed obstinatus in conceptas opiniones, & odio cœcus, ita in suo ad Epistolam prologo respondet, ac si non nisi de nuda notitia & confessione articulorum fidei, qvam & impii imo diaboli habent, qvæstio esset. Ait enim: Hic Lutherus (ubi de Spiritus S. gratia ad implendam legem necessaria docet) non nisi fucum facit & catenam qvasi nectit, ut falsum dogma de justificatione per solam fidem adstruat. Hæc catena ut rumpatur, tertium membrum observandum est, ubi dicit, Spiritum charitatis nempe & promtitudinis ad impletionem legis non dari nisi per fidem, qvod ita intelligit, ut fides secum afferat charitatem & promtitudinem illam, & ubi fides est, ibi etiam seqvi charitatem & opera.

opera. Hoc falſiſſimum & mendax eſt (Es iſt falſch und erlogen / ita enim pro urbanitate ſua hic & alibi freqventiſſime ludit) qvod enim fides non ſemper ſecum ferat charitatem, ſed qvod fides & charitas ſeparari poſſint, probatur ex Paulo 1. Cor. XIII. Hæc ille, ſibi ſemper ſimilis. Sed jam mónui & apertum eſt, Apoſtolum ibi non tractare de fide qvæ ſalvat, ſed de dono miraculoſæ fidei, & cum charitatem a fide diſtingvit, & duraturam poſt fidem eſſe aſſerit, de ſtatu beatitudinis agere, ubi fides & ſpes ceſſabunt, qvia præſentibus bonis, qvæ credidimus & qvæ ſperavimus, æterno cum amore & gaudio fruemur. Hæc latere utiqve non potuerunt Emſerum: nihilominus paulo poſt in eadem præfatione pari petulantia mentiri dicit & inepta comparatione uti Lutherum, cum ſtatuit flammam vel vim urendi non magis ab igne ſeparari poſſe qvam opera a fide. Nec ad rem facit cum Jacobum citat, de fide qvæ operibus careat conqverentem: illam enim fidem qvam Jacobus taxat veram & ſufficientem, qvalem Paulus deſcribit, non eſſe ſed vane jactari, clariſſimum eſt. Ad tertium genus, calumnias nempe manifeſtas, (qvanqvam & eodem ſpectant qvæ jam retulimus, & alia ejuscemodi) plurima ab Emſero in notis illis Luthero imputata pertinent. v. g. Matth. VII. 1. Lutherus non reperiit in exemplari Græco nec Latino (hæc enim etiam variant) verba: *nolite condemnare ne condemnemini*, ideoqve nec in Germaniam verſionem retulit; hoc Emſerus ei exprobrat, adjiciens: *Fortaſſis ideo omiſit, ut omnes condemnare poſſet, ipſe vero a nemine condemnaretur.* Qvæ frigidiſſima eſt cavillatio, eadem enim verba Lucæ VI 34. ubi in Græco & Latino textu habentur, Lutherus verſioni ſuæ inſeruit. Hæc de notis Emſeri, qvas Adolfi Mersburgenſis Epiſcopi juſſu conſcripſiſſe ſe dicit, & anno 1523. edidit. Poſtea verſionem ipſe aggreſſus eſt, eamqve anno 1527. perfecit; allegans Georgii Saxoniæ ducis adhortamenta, tum Johannis Miſnenſis & Vincentii Mersburgenſis (uterqve ex gente Schleunizia erat & poſterior Adolfo Anhaltino anno 1526. defuncto ſucceſſerat) juſſa & ſvaſiones. Georgius vero Dux diploma Cal. Aug. 1527. libro præmiſit, in Lutherum omnesqve qvi eum ſectabantur contumelioſiſſimum. Qvicqvid enim non ſolum ex dogmatibus aut actis ejus reprehendi poſſe putabat, ſed & plebis ruſticæ & Anabaptiſtarum exceſſus omnes, ei objecit, maxime damna, qvæ verſo & publicato Novo Teſtamento rei Chriſtianæ dediſſet, exaggerat: Se vero

ab

ab imputata tyrannide omnibus modis excusat', nec verbum Dei ejusqve lectionem sed hæresin & depravationes sacrarum literarum, prout deceat Principem, & ut Edicto Comitiorum Norimbergensium obediret, opprimere voluisse testatur, vetito Lutheranæ versionis usu. Ut autem id ipso facto demonstraret, utqve nemo conqveri posset, de subtracta lectione & prædicatione Scripturæ, egisse cum Hieronymo Emsero, Licentiato & sacerdote, ut non saltem Lutheri errores annotaret, & refelleret, sed & ex probatis veteris textus exemplaribus novam & emendatam versionem componeret, gratissimum sibi fore profitens & ad animarum emolumentum multum profecturum esse, si Novum hoc Testamentum ex Emseri versione pro vero & legitimo verbo Dei agnoscerent, legerent, eiqve obseqverentur. Indulget inde Privilegium Emsero ad biennium, sub ducentorum florenorum mulcta edicens, ne qvis absqve ejus permissu id typis vulgaret, aut alibi excusum in suis ditionibus venderet. Præstitit hoc modo Georgius plus qvam Principibus tum concedebant Pontifices, & Luthero ejusqve institutis magis profuit qvam nocuit. Emserus enim versionem Lutheri pene totam exscripserat, nec id plane dissimulavit, cum in epilogo operis (supra citato) fateatur, se veterem & novam (per qvam non aliam qvam Lutheri intelligere potuit) translationem Germanicam contulisse, & ex textibus in Ecclesia probatis emendasse: Latinum pro norma secutum esse, sed ubi Græca differrent id in margine notasse: Lutheri falsas glossas refutasse, iisqve suas opposuisse, secundum sensum Ecclesiæ. Agnoscit tamen errare se potuisse, nec censuram recusat, rem enim esse difficillimam, ad qvam Argi oculi & Geryonis manus reqvirantur. Hortatur Episcopos Germanicos ut ad Ptolomæi Regis exemplum interpretationem irreprehensibilem procurent, dato v. g. decem ex doctissimis viris negotio, & præstituto salario, qvi laborem illum junctis viribus susciperent, addit tamen in fine hanc cautelam, se nondum certum esse, expediatne lectionem Scripturæ, plebi indoctæ committere, nec ne? Scripturam enim abyssum esse, in qva etiam doctissimi mergantur, & profunde sese demittere debere, qvi per hanc portam intrare velit, ne caput allidat. Studeat itaqve (ait) Laicus unusqvisqve, si me audire vult, vitæ sanctitati magis qvam Scripturæ, hæc enim solis doctis demandata est. Hæc qvo fundamento & fine di-

dicantur, satis patent : Qvis enim illi credat sanctitatem vitæ aliunde rectius qvam ex lectione Sacræ Scripturæ disci aut parari posse? & unde probabit, non nisi doctis Scripturæ lectionem mandatam esse? Lutherus etsi iniqvissime se perstrictum ab Emsero & ejus Patronis cerneret, solatium cum Paulo habuit Phil. I, 15. qvod veritas ex Novo Testamento etiam ab adversario per invidiam & contentionem publicato promoveretur. Mens ista ejus, & judicium de Emseri versione, ex scripto anni 1530. intelligi potest, qvod *Tom. V. Altenb. f. 269.* Germanice legitur, Latine vero *Tomo III. Epist. & a Georgio Cœlestino in histor. Comit. August. 1530. Tom. III. p. 70.* relatum invenitur. Ex illo
» seqventia excerpere utile visum est : Juxta viam ædificantem varia
» hominum judicia & censuras audire & experiri, verum est; id qvod &
» mihi accidit. Qvi enim nunqvam loqvi, multo minus interpretari &
» vertere aliqvid potuerunt, nunc mei sunt magistri, egoqve ipsorum co-
» gor esse discipulus. Si enim ex ipsis, qva Germanica formula duo illa
» vocabula *Liber generationis*, in fronte statim Novi Testamenti expres-
» sa, reddi deberent? qvæsivissem, nemo qvi vel γρὺ respondere potuis-
» set, repertus esset, & crassi illi asini nunc de toto opere judicare non e-
» rubescunt. Idem qvoqve S. Hieronymo sacra Biblia transferenti ac-
» cidebat. Totus enim mundus de labore illo judicabat, ac Hierony-
» mus solus is erat, qvi nihil sciebat: ac optimi illius viri laborem sæpe
» ii judicabant, qvi purgandis calceis ejus indigni fuissent. Igitur ma-
» gna patientia opus est illi, qvi publicis rebus commodare & prodesse
» studet. Mundus enim omnium rerum ignarus, judicium tamen sibi
» de omnibus sumere & præponere ingredi non desinet. Hæc est natu-
» ra ipsius, qvam mutare non potest. Eqvidem illum Pontificium vi-
» dere percuperem, qvi unam tantum S. Pauli epistolam, vel unum ex
» Propheris transferre auderet, nisi Lutheri versione uteretur. Pulchra
» scilicet & laudabilis translatio futura esset, cujus rei exemplum in Fal-
» sario Dresdensi habemus, qvi Testamentum meum correxit. Nomen
» ipsius libris meis non amplius inseram: judicem enim jam habet, &
» alias nimis est notus. Ille Germanicam versionem meam dulcem &
» bonam esse fatetur, qvam cum emendare non posset, corrumpere ta-
» men conabatur, ac Testamenti mei versionem, ut erat de verbo ad
» verbum a me composita, nomine & præfatione mea omissa, & nomine
» ac præfatione sua addita, vendebat. Illud vero pergrave & molestum

mihi

mihi accidebat, qvod Princeps ipſius horrenda præfatione novum Lutheri Teſtamentum condemnabat, illudqve legere prohibebat, ſed Falſarii illius Teſtamentum legere præcipiebat, qvod unum idemqve cum meo erat. Et ne me mentiri aut falſa dicere exiſtimes, utrumqve, Lutheri ſcilicet & Falſarii, Teſtamentum inter ſe confer, &, qvis ſit interpres, facile videbis. Qvæ enim paucis in locis conſarcinavit & mutavit, licet non omnia mihi probentur, tamen facile illud ferre poſſum, neqve qvoad textum qvicqvam mihi officit. Igitur contra verſionem illam nihil ſcribere volui, ſed ſapientiam iſtorum admiratus ſum & riſi, qva Teſtamentum meum tam atrociter convitiati ſunt, condemnarunt, & prohibuerunt, tantum eam ob cauſam, qvod meo adſcripto nomine in publicum prodiit: qvanqvam, qvæ virtutes illæ ſint, aliorum ſcripta falſificare & furari, ac proprio nomine adſcripto in vulgus emittere, atqve ita alieno labore laudem qværere & nomen extendere, in præſentiarum non diſputo, vindictam juſtiſſimo Judici permittens. Interim mihi ſufficit, meum laborem, ut & S. Paulus de ſe prædicat, etiam per inimicos & hoſtes meos promoveri, & Lutheri librum, ſuppreſſo ejus nomine, ſub inimicorum nomine legi. Melius enim eos ulciſci non poſſem. In eadem epiſtola lectu digniſſima, plurima ſunt qvibus adverſus verſionis ſuæ cenſores ſe defendit, maxime de vexato illo vocabulo, *Sola*, qva locum Pauli *Rom. III. 28.* interpolavit: ſatis ſciens (ut ait) vocabulum illud neqve in Latino neqve Græco textu extare. Si enim pure & perſpicue & qvidem Germanice loqvi aliqvis velit, particulam illam addere debere, ſiqvidem hæc ſit natura & proprietas Germanici idiomatis ut de duabus rebus, qvarum alteram veram alteram falſam eſſe affirmat, verba faciens adverbium *ſolum* cum particulis *non* vel *nullum* uſurpet, idqve exemplis firmat, & alia qvædam affert de natura lingvæ cujusqve in translationibus retinenda. (Qvæ de particula *Sola* ex uſu lingvæ affert, veriſſima eſſe conſtat ex verſionibus Bibliorum antiqvioribus, ante Lutherum editis, qvas ex noſtratibus multi allegarunt.) Paulo qvidem acerbius tractat adverſarios, Fabrum & Cochleum maxime innuens, & ſua ſtudia animoſe defendit, non poſſum tamen qvin qvædam adhuc apponam, qvibus fidem & laborem in verſione ſua propugnat: Me ſummam fidem (ait) & diligentiam adhibuiſſe, nec qvicqvam falſi immiſcere voluiſſe, bona conſcientia dicere poſſum. Nam ne teruncium labo-

labore illo meo qvæsivi, nec qvicqvam pro eo accepi. Deus etiam mihi testis est, me gloriæ acqvirendæ gratia id non feciſſe, ſed in gratiam omnium Christianorum & gloriam altiſſimi feci, qvicqvid horum feci, qvi ſingulis horis tanta in me confert bona ac beneficia, ut, etiamſi multo plures & difficiliores transferendi labores ſubirem atqve ſuſciperem; tamen indignus eſſem vel unam horam ſpiritum ducere, vel oculi ſani beneficio frui. Qvicqvid ſum & poſſideo, divinæ gratiæ eſt & miſericordiæ. Imo omnia illa mihi ſuo ſangvine pretioſo & ſudore maximo acqviſivit; igitur, Deo volente, viciſſim in gloriam ipſius cedere debent. Si me Falſarii & aſini Pontificii convitiantur & calumniantur, Chriſtiani & fideles cum Chriſto e diverſo me prædicant, & laudibus extollunt. Nam abunde mihi meisqve laboribus ſatisfactum eſſe arbitror, dum fidelis Miniſtri laus ab uno Chriſtiano tribuatur. Aſinos Pontificios non curo. Indigni enim ſunt, qvi de laboribus meis judicent; ac me ab iis laudari ex animo dolerem. Convitia ipſorum in ſummum meum honorem & gloriam cedunt. Nihilominus nomen & titulum Doctoris & qvidem ſummi defendam & retinebo, qvibus me ad extremi judicii diem, qvod certo ſcio, non privabunt. Nec tamen literarum curam omnem abjeci. Sed cum collegis & συμφωνίαις meis diligenter eas perpendi, & neceſſitate poſtulante, ſecundum literam verba reddidi, neqve tamen liber & vacuus ab omnibus curis fui. Ita cum Johannis ſexto, Chriſtus inqvit: Dieſen hat GOtt der Vater verſiegelt / commodius & purius reddi potuiſſet, Dieſen hat GOtt der Vater gezeiget / vel, dieſen meynet GOtt der Vater. Sed Germanico idiomati aliqvid detrahere, qvam a verbo diſcedere malui. Transferre certe non eſt cujusvis, ut amentes iſti exiſtimant. Nam pium, rectum, fidele, timidum, Chriſtianum, eruditum, multarum rerum uſu inſtructum & exercitatum cor ad eam rem reqviritur. Igitur hypocritam & fanaticum hominem fideliter aliqvid transferre poſſe non credo: ut ex Prophetis Wormatiæ Germanico ſermone donatis apparet, in qvibus certe magna adhibita fuit diligentia, meamqve verſionem ſibi imitandam propoſuerunt. Sed Judæi irreconciliabiles Chriſti hoſtes interpretibus illis conjuncti fuerunt, absqve qvo ſi fuiſſet, induſtria & diligentia nulla certe deſiderari poſſit. Satisfacere hæc Lutheri apologia etiam poteſt ſcriptori recenti,

centi, Gallo, *Richardo Simoni*, qvi in *Critica Sacra Veteris Teſtamenti, Lib. II. Cap. XXIII.* verſionem ejus exagitat, eiqve ſcientiam Hebraicæ lingvæ mediocrem tribuit, feſtinationem culpat, Helvetiorum & Belgarum cenſuras qvodammodo approbat. Qvæ omnia vel imperite vel invidioſe dicta eſſe apparet Sed qvæ pro verſione Lutheri dici poſſunt, a plurimis, & dudum allata ſunt. Sed ad Emſeri verſionem redeo. Recuſa illa fuit poſt ejus mortem anno 1529. Coloniæ Agrippinæ, inſertis omnibus Emſeri annotationibus, qvæ anno 1528. ſeparatim editæ nec in Dreſdenſi editione repetitæ erant. Procuravit Colonienſem publicationem *Joh. Dietenbergerus* qvi poſtea etiam Vetus Teſtamentum, & ſic integra Biblia, eadem Emſeri methodo, in exſcribenda, corrumpenda & proterve exagitanda Lutheri verſione tenuit. Eodem anno prodiit Lipſiæ alia editio in Octavo (ut vocant) prioribus elegantior; præfixum ei eſt Epitaphium Emſeri cum ejus effigie addito epigrammate, & ſubjuncta inſcriptione, in qva zelus ejus contra Lutherum mire laudatur. Obiiſſe notatur anno ætatis qvinqvageſimo 8. Nov. 1527. Huic editioni Syllabus additur locorum, qvos Lutherus in ſecunda ſuæ verſionis editione 1527. mutaverat, ſubſtitutis commodioribus vocabulis, idqve ei vitio vertitur, cum laudari debuiſſet. Sub finem admonitio ſubjungitur & excuſatio Emſeri, qvod ætate, labore & morbis confectus qvædam in Lutheri verſione reliqverit, qvæ nunc *in gratiam* (ſic nugantur) *virginearum & pudicarum mentium* corrigi debuerint; ita aperte confitentur Emſerum exſcriptorem verſionis Lutheranæ fuiſſe, aliaqve addunt, qvæ jactatam ab ipſo verſionis ſuæ puritatem minuunt.

De ſeculari poteſtate.) Negari non poteſt vehementi ſtylo ſcriptum eſſe libellum iſtum aut epiſtolam, ex qva acriora, omiſſis optimis, maligne excerpſit Cochleus in principio hiſtoriæ hujus anni. Neqve tamen refutare veritatem ſententiarum æqve illi facile fuit, aut cuicunqve alii erit, qvi id tentaverit. Varillaſſus licet libellum ipſum, qvia Latine non extat, legere, ut puto, neqviverit, cenſuram tamen ejus cum ſupercilio ſibi ſumit *Lib. VI. hæreſ. pag. 5.* & pro acumine ſuo magnum inde periculum Saxoniæ Principibus impendiſſe autumat. Georgium enim Principem nova plane & ab eo tempore qvo imperium a Gallis ad Germanos translatum ſit, (qvomodo hæc epocha huc per-

pertineat, aut qvam verus sit imperii a Gallis ad Germanos transitus, hic non disputo) in audita contumelia tractatum esse a Luthero scribit, idqve hac ratione, qvia eum læsæ divinæ majestatis reum pronuntiaverit: unde colligit, in Misniam Georgii hæreditariam provinciam Cæsari jus nasci potuisse, pro arbitrio suo & in damnum masculorum ex stirpe Saxonica de illa disponendi, imo si Fridericus Elector cum fratre Lutheranismum deserere voluissent, jam Lutheri præjudicio rem decisam fuisse. Qvam frivole, qvamqve contorte & imperite hæc dicantur, tædet pluribus exponere. Si de crimine læsæ divinæ majestatis indeqve merita provinciæ jactura ea scripsisset Lutherus, ex qvibus argumentum suum construit Varillasius, non tacuisset id Cochleus. Talis sane formula in Lutheri libello non extat, fingi itaqve debuit, ut subtiles illæ conjecturæ locum invenirent. Lutherus statuit, peccare in Deum & pervertere ordinem divinum Principes, qvi neglecto qvod in corpora & bona habent officio politico, in conscientias dominari volunt, & (qvæ summa tunc Lutheri querelarum fuit) lectione verbi divini subditis interdicunt; id qvi faciunt, aut aliis sese vitiis contaminant, aut fatuorum aut neqvam hominum loco habet. Aliæ causæ, in Germania certe, sunt, neqve pro lubitu aut arbitrio absoluto Imperatorum, sed legitima cognitione deciduntur, propter qvas ducatus & ditiones Dominis suis auferantur. Nam si ob qvæcunqve morum vitia, illa imprimis, qvorum ultio Deo curæ est, facultatibus suis privari debeant summi aut infimi, pauciſſimi forent, qvi sua retinerent. Qvid autem sibi velit autor, dum *in præjudicium masculorum ex gente Saxonica de Misnia statui ab Imperatore potuisse* scribit, non capio. Si enim Georgio auferri ex Lutheri delatione aut censura Misnia potuit, & Friderico & fratri dari, hi utiqve non minus mares erant, qvam Georgius & filii ejus: idemqve fuisset, si illis ademta qvæ habebant, ad Georgium translata fuissent. Qvis autem putet ex Lutheri opinione pependisse, qvis Principum ita delinqveret, ut privandus esset, avitis ditionibus; Pontificum illa legislatio est; hi illis qvi non parent regna & principatus abjudicant; nihil tale docuit, sed ut Antichristianum damnavit Lutherus. De defertione Lutheranismi, qva nescio qvid mereri potuerint Saxones, præpropere nimis hic fabulatur hæreticæ historiæ architectus, cum nondum Lutheranismum amplexi essent. Alia etiam, qvæ paucis istis lineis errantur Germanicarum

carum rerum ignorantiam produnt. v. gr. cum dicit Misniam ad Georgium hæreditario jure spectasse: pars enim tantum dimidia ad eum spectabat; altera ad Electorem & fratrem ex paterna divisione; sicut & Thuringiam post patrui Wilhelmi mortem æqvis portionibus diviserant. Nolo cætera persequi, qvæ autor hoc ipso libro contra alia Lutheri scripta non lecta credo nec expensa eodem modo convitiatur. Talibus interim calumniis & nugis, novitate styli & inventionum incrustatis, per istiusmodi scriptorum artificia, Rex maximus & tot præclari viri in florentissimo Galliæ regno imbuuntur, & adversus immeritos odiis implentur, præclusa apologia. Qva fide, qvaqve pietate & conscientia id fiat, non definiam, Deus judex erit, sicut Emseri fuit, ut Lutherus in allegata epistola innuit.

Non possum præterire Selnecceri de morte Emseri, qvanqvam ad annos seqventes pertinens narrationem, *pag. 143.* Emserus, qvem *Caprum* nominant, Novum Testamentum Lutheri taxare conatus est, & autoritate Georgii Ducis, versionem certe non aliam, sed ex Luthero propemodum de verbo ad verbum transcriptam, & interdum vocula una atqve altera, qvod fieri facillime potest, mutatam, ceu plagiarius priori genuino Testamento opponere voluit, sed plane infelici progressu, cum & conciderint & evanuerint ista ipsius exemplaria, & ipso eo die, qvo M. Alexium Crosnerum Choldicensem, puram Evangelii doctrinam Dresdæ publice & fideliter docentem, mandato Ducis Georgii urbe excedere, & importunis imprecationibus cum familia in exilium ire compulisset, subitanea morte, miserandis & tristibus gestibus extinctus sit. Subjungit terribilem relationem de obitu alterius adversarii Lutheri, nempe *Jacobi Latomi.*

Non possum, qvin sicut ex aliis Lutheri libris feci, etiam ex hoc *de seculari potestate* qvædam speciminis loco adferam. Cum ab initio jus Magistratuum ex S. Scripturæ dictis confirmasset, differentiam inter statum Christianismi & politicum ostendit, & qvod Christianis, qva talibus magistratu non sit opus inter alia his verbis qvoad sensum latine versis, deducit: *Tom. II. Alt. f. 260.* Si omnes & singuli toto orbe veri essent Christiani, sive vere fideles, neqve Regibus & Principibus, nec gladio aut legibus opus esset. Ad qvid enim ista? haberent nimirum in corde doctorem Spiritum S. a qvo instruuntur, ne cuiqvam malefaciant, omnes ament, injurias & mortem ipsam patienter

» ferant. Ubi autem iniqva patienter feruntur, aut non nisi æqva fiunt,
» ibi nulla est lis aut rixa, nullus judex, nulla pœna, judicium, aut gladi-
» us. Itaqve inter vere Christianos locus judicio & gladio temporali
» esse non potest, plus enim præstant qvam omnes leges aut doctrinæ ab
» iis exigunt. Hinc Paulus docet *1. Tim. I. 9. Lex justo non est posita, sed injustis &c.* Explicat ista pulcherrime, allata inter alia similitu-
dine, de arbore frugifera, cui non opus est legem dari qvomodo aut
qvæ poma ferre debeat, cum id faciat ex sua natura, ita vere (ait) Chri-
stiani ut arbores bonæ sponte & injussi bonos ferunt fructus. Sed ita
» pergit *fol. 261.* cum ingens malorum sit numerus & inter mille vix u-
» nus vere Christianus, ordinavit Deus statum Magistratus & regiminis
politici, qvod si non fecisset, homines sese mutuo consumerent. Du-
» plex itaqve regimen est, spirituale, qvod Christianos & pios facit per
» Spiritum S. sub Christo, & temporale, qvod impiis & non Christianis
» resistit, ut vel inviti pacem colant. Hoc itaqve teste Paulo, *non est ti-*
» *mori boni operis sed mali. Rom. XIII. 3.* Et postea: Christus gladio in
» suo regno non habet opus, regit absqve lege forensi, solum per Spiri-
» tum suum sanctum confirmavit jus gladii, sed non utitur eo in suo re-
» gimine: interim omnes etiam Christiani gladio seculari ex charitatis
» & spiritus directione lubentissime obsequuntur, ut ordinationi divinæ
» etiam hac in parte satisfiat, & proximo serviatur; ita etiam, ut ipsi, si
» opus sit, magistratum gerere, ejusqve mandata exeqvi, militare etiam
» possint & debeant, idqve non solum in Veteri Testamento, sed in No-
vo etiam licuisse & licere: (*fol. 263.*) Spiritum enim eundem, eandem
petram spiritualem Christum in utroqve testamento esse. *1. Cor. X. 4.*
Respondet ad objectiones ex factis & dictis qvibusdam Christi *fol. 264.*
Hæc fere *prima* tractatus parte habentur. In *altera* disputat adversus
leges politicas de religione, cum ex sola autoritate Ecclesiæ aut Pa-
trum & Conciliorum, extra verbum Dei hoc vel illud credere juben-
tur subditi. Solius Dei esse viam salutis & credendi leges animabus
præscribere, qvas etiam ille solus novit & introspicit, fidem itaqve im-
perari non posse, & qvi id faciant, enormiter peccare, & omnium pec-
catorum reos fieri, qvos committunt, qvi coguntur. (*fol. 266. 267.*)
Ad casum inde de qvo tunc qværebatur accedens, ita loqvitur (*p. 268.*)
» Si tibi Princeps injungat, ut Papæ obedias, utqve hoc vel illud credas,
» libros tradas &c. ita respondeas: parebo ratione corporis & bonorum,

in-

impera pro jure qvod habes in terris, obseqvar: Sed non parebo si credere aut libros tradere jubes, sic enim Tyrannice imperas qvæ jure imperare non potes. Si vero tibi sic respondenti bona tua auferat, aut pœna te afficiat ob inobedientiam, beatus es: gratias age Deo, qvod dignum te fecerit ad patiendum pro verbo ejus: perfer insani illius sævitiam, habebit judicem suum. Si ergo non contradicis sed fidem prohibenti, aut libros exigenti sponte obseqveris, Deum negasti. Incolas inde Misniæ, Bavariæ, & Marchiæ, qvi jussi erant Novum Testamentum præfectis tradere, exhortatur ne id faciant, idem enim fore, ac si Christum Herodi tradant. Ferre tamen jubet, ut lictores domos percurrant & libros vel alia auferant; hanc violentiam repelli non posse, sed patiendam esse, nihil autem qvo obseqvium aut consensus demonstretur, agendum. Mirandum vero non esse (ait) qvod Principes adversus Deum & Evangelium sæviant, id enim iis consvetum ab initio mundi fuisse, nihilqve rarius qvam pium Principem, imo pro miraculo habendum esse. Interim & malis, qvibus Deus veluti pro lictoribus & carnificibus utatur, vi non esse resistendum, sed debitum iis cultum & obseqvium, salva conscientia, præstari debere. Deinde ad Episcoporum officium pertinere asserit, non ad potestatem secularem, ut hæresibus resistatur, sed non ferro & igne Principum, verum verbo Dei. Si hoc non tollat hæreses, frustra id vi principum fieri: sangvine repleri mundum posse, hæresin vero utpote rem internam nec igne comburi nec aqva suffocari: imo nihil magis hæreses fovere, qvam violentam illarum aggressionem absqve demonstratione ex verbo Dei. Ab omnibus enim pro mera vi & injustitia haberi, qvod sine ratione & convictione agitur. Lingvas domari & ad mentiendum & fingendum adigi homines posse, sed hæresin in mente residuam hærere, hanc solo Dei verbo expelli, corda illuminante: ita Christi officium describi ab *Esa. XI. 4. percutiet terram virga oris sui & spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Perversum inde orbis statum deplorat. Episcopi (ait) negligunt verbum Dei, non regunt animas, mandant principibus, ut gladio illas regant. Principes, usuras, rapinas, adulteria, homicidia & alia mala impunita dimittunt, ipsi qvoqve committunt: Episcopos sinunt excommunicationum & censurarum decretis papyraceis grassari, ita cothurnum invertunt, animas ferro, corpora papyro gubernant, ex principibus secularibus ecclesiastici, ex

Ecclesiasticis seculares fiunt. Minatur inde serio, ni cessent, futurū esse, ut secundum *Ps. CVII. effundatur contemtus super Principes*: idq; pluribus & vehementer inculcat. De Episcopis vero & presbyteris ita statuit: Regimen eorum non esse imperium aut potestatem, sed ministerium & officium, per se illos non esse majores aut meliores aliis Christianis, nec jus habere cæteris leges ferendi, absq; eorum voluntate & consensu, sed uti debere verbo Dei, ad Christianos regendos & convincendos hæreticos. Christianos fide, non externo gubernari imperio. *Fides est ex auditu, auditus per verbum Dei, Rom. X. 17.* qvi non credunt, non sunt Christiani, nec in regno sunt Christi, sed sub regno seculi aut potestate externa & gladio regendi. Christiani sponte omnia bona faciunt, sufficit illis verbum Dei. Parte *tertia* monita dat (*fol. 270.*) Principibus, qvæ observare debeant, si & ipsi Christiani, & aliqvando beati esse velint; non sufficere *ut dominentur & benefici vocentur Luc. XXII. 25.* deponere, ait, debent opinionem ac si omnia vi & potentia agere possint: *Maledicta* (scribit) *est omnis vita & damnabilis, qvæ suum saltem commodum qværit, maledicta omnia opera, qvæ non ex charitate fiunt, fiunt autem ex charitate si non qværuntur propria voluptas, utilitas, gloria, commoditas, salus; sed aliorum utilitas, honor & salus, toto & sincero pectore.* Exigit postea a Principe ut non solum scriptis legibus inhæreat, sed prudentia & æqvitate ipse utatur pro diversitate casuum & personarum; a Deo autem illam petendam esse assiduis precibus, dein respici a Principe subditos debere, ita ut omni studio nitatur, ut illis prosit: non cogitet (ait) mea est hæc regio, mei sunt homines, faciam qvæ lubet; sed ita dicat, ego sum regionis & hominum; teneor ita agere, non ut ego extollar & dominer, sed ut iis bene sit, & ut in pace vivant & defendantur. Christum sibi typum sumat. Venit is in mundum, nobis serviit, non qvæsivit, ut ipse potens, dives, honoratus esset; omnia fecit; ut nostræ succurreretur necessitati, ut in eo & per eum omnia haberemus. Dices, qvis hoc modo Princeps esse velit, qvi tantas molestias suscipiet, qvis tali Principe miserior esset? delectamentane nulla licebit habere, omittendane est saltatio, venatio, eqvorum decursio, alea, ludi, & ejuscemodi plura? Respondeo; me de Principe loqvi qvi Christianus esse & cœlum intrare velit, qvanqvam id raro fiat (Ein Fürst ist Wildpret im Himmel) neqve

qve sperare possum doctrinæ meæ locum daturos esse Principes, sed si qvis obseqvi velit, ad verbi divini normam conformare se debet, hæc enim non flectitur ad ejus placita. Itaqve pene impossibile, certe rarissimum est, ut Principes sint Christiani. Neqve tamen Deus tam rigidus erit ut illorum recreationes non ferat, si eas instituant absqve damno subditorum, & si officium suum erga nos in charitate exerceant. Hoc si præstent, multæ saltationes, venationes & decursiones per se cessarent. Secundo suos consiliarios & proceres ita tractet, ut neminem contemnat, nemini etiam nimium fidat. Deus aliqvando per asinum loqvutus est, & e contrario nemo tam sapiens est, qvi non erret &c. Principes certe maximo cum damno suo omnia credunt proceribus & adulatoribus. Interim si per eos deceptus Princeps erret, damnum in totam redundat regionem. Ipse itaqve habenas teneat, non sit somnolentus & negligens, visitet omnia, Josaphati exemplo, neminem eadem fide aliena credat curaturum esse, qvam ipse propria, nisi minister ille sit verus Christianus, qvem Spiritus Dei regat; at tales cum sint rarissimi, nec certum an semper mansuri, indubitate & sine omni præcautione nemini fidi debet. Qvi id ex ministris sibi arrogat, cum credat Princeps dominari velle, & ex Principe statuam facere. Si vere bonus est minister ille, lubenter feret, ut omnia qvæ agit sciente & inspiciente fiant principe. *Davidis* & *Ahitophelis* exemplum adducit, proverbia etiam, *oculus Domini saginat eqvum* & alia &c. Tertio, circa delinqventes cautum esse dicit Principem oportere, ne pœnas cum damno innocentium exerceat. Davidis iterum exemplum, Joabo parcentis, proponit. In vindicandis etiam injuriis circumspectionem reqvirit, ne Princeps aureo piscetur hamo, & ob unum caput totam regionem impleat viduis & orphanis. Non sunt auscultandi (ait) ferrei & glorioſi illi (die Eiſenfreſſer/) qvi ad bella semper incitant, dicuntqve hoccine ferendum est? Sed qvi nescit dissimulare, nescit regnare, regula esto: ubi injuria sine majori injuria puniri non potest, omittenda est ultio, utcunqve justa. De jure belli ita differit, ut rebellionem in superiores, Imperatorem puta aut regem plane damnet, necessariam autem defensionem adversus pares non improbet & subditis ut pro principibus bona fide arma capiant, autor est. In tali bello etiam cædes & rapinas Christianissimi & charitatis opera esse scribit, dummodo criminibus abstineatur adversus

sexum infirmum & deditos & subjectos. Ante omnia monet Principes, ut ad Deum sese convertant, dein ut dictum est, erga subditos, charitate & cura; erga consiliarios, prudentia & discretione, erga malos moderata severitate utantur. Subjungit, corollarii loco, qvædam de restitutione ablatorum. Hæc & alia ejus, credo, ponderis ejusqve pietatis & masculæ veritatis esse, deprehendent æqvi lectores, ut Cochlei & aliorum qvi eum cœco affectu seqvuntur calumniis fidem demant. Offendere autem neminem debet qvod Lutherus in hac diatriba, de officio Principum circa sacra, sive de tutela & suprema cura in externis ad promovendam religionem, & adversus hæreses & scandala, nihil tractaverit, id enim alio tempore & loco præstitit: tunc qvæstioni propositæ inhæsit: idqve ut ex dedicatione apparet jussus a Principibus suis, nec verum est, qvod Varillasio persvasum fuit, hunc libellum illis displicuisse.

Ad §. CXXIIX. *Altenburgum*) Urbs hæc, qvæ Ducatui, in qvo habito, nomen dat, & arce antiqva & splendida Principum, & regimine atqve Consistorio illustris est. Evangelii lucem circa annum 1519. respicere cœpit, cum Lutherus ibi in ædibus Spalatini, Canonici Ecclesiæ D. Georgii Collegiatæ, cum Carolo Miltitio colloqvium habuisset, dein Wormatiam proficiscens ibi hospitatus, & in templo Franciscanorum concionatus esset. Is post reditum ex Pathmo Senatu oppidano de mittendo prædicatore rogante ablegavit eo, qvem nominavi, *Gabrielem Didymum*, ut apparet ex literis die Viridium 1522. ad Senatum datis, qvæ *Tomo II. Alt. f. 253.* habentur, ut & alteris, qvæ paulo post die Martis post Misericord. Dom. scripsit, in qvibus lætatur, qvod Didymus placeat, & simul hortatur, ne se absterreri patiantur renitentia cleri, & imprimis Canonicorum Regularium qvibus jus erat oppidanis prædicatores dandi. Literas etiam ad ipsum Electorem d. 6. Maji scripserat (*Tom. II. f. 153.*) in qvibus disputat adversus Canonicos, illisqve potestatem contra Evangelium competere negat. Fatetur qvidem, Didymum aliqvid peccasse (particeps enim fuerat tumultus Carolstadiani) sed & resipuisse & promisisse, qvod ab omni innovatione abstinere, & non nisi de fide & charitate in concionibus tractare vellet. Censet ergo Electorem patrocinari non posse Canonicis, sed ut membrum Ecclesiæ, & Principem Christianum teneri, ut lupis illis resistat. Nihil autem profectum est, ut dixi, vel Senatus

studio

ſtudio vel Lutheri commendatione; ſed Didymus Altenburgo Torgaviam abiit ibiqve per multos annos Paſtoris officio functus eſt. Cum adhuc Altenburgi eſſet, literas ad eum dedit Lutherus fer. 5. poſt Miſericord. Dom. & poſtqvam illum ob præſumtionem qvandam ſpiritualem commonuiſſet, & ad conſtantiam hortatus eſſet, hæc notatu digniſſima ſubjicit: Ambula ergo in timore & contemptu tui ipſius, & ora Dominum ut ipſe tua omnia faciat, & tu nihil facias, ſed ſis ſabbathum Chriſto. Cæterum ſicut exhortatus ſum te, ut a facto abſtineres invocandi, ſed ſolo verbo conſcientias liberes, puram fidem & charitatem tractando, urgendo: ita adhuc rogo & hortor, ut ſic facias. Nam ita facturum te Principi promiſi, qvantum promittere potui, vide ergo ne & me & te, ſimul & Evangelion confundas, aliter faciendo. Vides vulgum irruere ad externa, ad ſacramenta, ad ritus, huic occurrendum eſt, & unice curandum, ut retrahatur, & primo ad fidem & charitatem formandum, ut fructibus probent, ſeſe palmites eſſe vitis noſtræ. Venit paulo poſt Altenburgum *Wenceslaus Linccius*, de qvo multa retuli, Vicarius tunc Auguſtinianorum per Saxoniam, antea Norimbergenſis cœnobii, ejusdem ordinis, ſocius & prædicator. Hic primum, qvia Canonici reſiſtebant, ſub tilia, qvæ ante hoſpitale magnum erat, dein in domo civis cujusdam in foro, inde in Franciſcanorum, & tandem in templo parochiali D. Bartholomæi conciones habuit, & anno 1523. in Qvadrageſima Sacramentum Euchariſticum ſub utraqve ſpecie paucis aliqvibus id petentibus exhibere cœpit. Anno ſeqventi formulam baptiſmi Germanica uſus eſt, qvalem Lutherus præſcripſerat, uxorem etiam duxit & ſic, ut Lutherus ſcribit, vicariatu Auguſtinianorum liberatus eſt, *Lib. II. Ep. p. 113. b.* præſente, & ut Altenburgenſes referunt, conſecrationem peragente Luthero, ita tamen ut ſponſum qvi a Canonicis ſibi metuebat, cives qvidam armati ex templo domum deduxerint. Sed Linccius anno 1525. Norimbergam eſt revocatus. Interim Altenburgum Eberhardus Brisgerus Auguſtinianorum Wittenbergenſium Prior, Valendariæ in Treveris natus conceſſerat, privatim victurus, ſive ut Lutherus ſcribit, *Lib. II. p. 296. b* futurus Laicus; idem nempe qvem jam non Priorem ſed magiſtrum vocat & *d. l. p. 197.* & cujus cauſa apud Electorem interceſſerat, ut notavi §. *178.* Hunc Eberhardum Senatus commendante Linccio ad paſtoratus munus ſed & *Georgium Spalatinum* ab Electore Johanne impetravit, ſuffragante Luthe-

Luthero, cujus literæ mense Julio 1525. datæ ex archivo Altenburgensi, *Tomo IX. f. 588.* adjunctæ sunt. Sed Spalatinus primum locum & Superintendentis munus obtinuit.

» Ad §. CXXXIII. *Wesselus Phrisius Groningensis*) Merentur ipsius
» *Altingii* verba adscribi: Primam hic (Heidelbergæ) facem prætulit
» inclytæ Reipublicæ Groninganæ civis, *Wesselus Gaesevoit* (sive Ganse-
» voit) (alii scribunt Gansfort) Græcis Basilius appellatus, natus Gro-
» ningæ in platea Dominica, e regione viæ Carolinæ anno 1400. dena-
» tus ibidem 1489. ætatis suæ octogesimo nono, ac in ædevirginum spi-
» ritualium, ubi monumentum ejus hodieque visitur, tumulatus. Hic eo
» seculo præ aliis floruit ingenii doctrinæque gloria, & totum scientia-
» rum orbem tam feliciter complexus est, ut summis in artibus, disci-
» plinis ac facultatibus & Magistris & Doctoribus æquipararetur, adeoque
» *Lux Mundi* vulgo diceretur. Præcipuam tamen operam trium lin-
» guarum cardinalium, Latinæ, Græcæ, & Hebraeæ cognitioni impen-
» dit, & ex omnibus sectis Philosophorum Platonicam unice amplexus
» est, ceu propiorem doctrinæ Christianæ & ejus genio magis conveni-
» rem. Quum vero sacrarum literarum studio se dedisset, scripturasque
» diurna nocturnaque manu versaret, facile deprehendit, quantum erro-
» ris in doctrinam, quantum superstitionis in cultum, quantum denique
» tyrannidis in gubernationem vitio temporis invectum esset. Quod
» cum non dissimularet, graves ipsi cum Monachis atque aliis sacri ordi-
» nis viris de his capitibus concertationes intercessere, qui non ferentes
» receptis dogmatibus contradici, sævas in ipsum persecutiones conci-
» tarunt, ut non semel domicilium mutare, & alias atque alias subinde
» sedes quærere coactus fuerit. Dogmata ejus eadem ferme fuerunt,
» quæ Lutheri, ubi ea cum aliunde, tum imprimis ex epistolis Goswini,
» viri docti & senis, peti possunt. Iste enim Goswinus sive Josquinus na-
» tus in pago Halen ad Mosam, unde Halensis cognomen tulit, Pater
» Monachorum in colloquio Fratrum Groningæ, de Wesseli doctrina,
» biennio ante suum obitum, id est, 1528. ad Melanchthonem perscripsit.
» Sunt autem hæc potissimum: Damnabat justitiam operum, & quicquid
» ex iis meriti ac satisfactionis propriæ comminiscebantur Monachi;
» contra solam justitiam Christi nobis imputari & donari per fidem
» absque operibus nostris asserebat. Rejiciebat traditiones humanas
» & constitutiones ecclesiasticas quibus omnem necessitatis cultus par-

tem

tem negabat, unicum contra agnoscebat fidei & religionis canonem, verbum Dei, scriptis Propheticis & Apostolicis comprehensum, hujusqve autoritatem non ab ecclesiæ autoritate sed ex ipsiusmet verbi dignitate arcessebat. Exsecrabatur horrendam profanationem Cœnæ Domini in Missa, ubi credulis hominibus persvadebatur, transsubstantiatio panis in corpus Christi ejusqve religiosa adoratio: Spiritualem contra præsentiam & manducationem qvæ fit per fidem Jesu Christi adstruebat; deniqve cœlibatum sacerdotum, tanqvam omnis impuritatis fontem, toto pectore detestabatur. Adeoqve omnia qvæ seculo seqventi a Luthero in disceptationem sunt adducta, ea ipse veluti præsultor tunc movit & redarguit. Factum autem anno 1477. ut Philippus Elector Palatinus, de restauranda Academia Heidelbergensi sollicitus, qvæ inde a prima fundatione viris doctissimis & clarissimis fuerat nobilitata, hunc Wesselum ad professionem Theologicam Heidelbergam vocaret; qvo qvidem ipse animo obseqvendi qvoqve profectus est. Cæterum hoc ipsi a proceribus suis Scholæ permissum non fuit, qvod titulum Theologi non haberet; neqve is qvoqve petenti collatus est, qvod id per canones non liceret nisi prius ordinem aliqvem sacrum suscepisset. Hoc autem cum averseretur, ac ne primam qvidem tonsuram admitteret, relicta cathedra Theologica ad Philosophos se contulit, & aliqvandiu literas Græcas, Hebræas, Latinas & Philosophiam docuit: eaqve in professione primam qvasi sementem jecit purioris doctrinæ, non dissimulans, qvid in recepta formula confessionis & cultus desideraret. *Hac Altingius.*

Sed jam ex ipso Wesselo, cum liber ejus in paucorum, ut puto, manibus sit, qvædam apponenda sunt, ut Lutheri dictis fides adstruatur. Editioni anni 1522. qvam ex Bibliotheca Paulina Lipsi. utendam accepi, præmissa est præfatio *Joh. Arnoldi Bergellani*, in qva inter alia memorat, multa Wesseli scripta propter impias sophistarum impostoras intercepta esse, hanc vero *farraginem rerum Theologicarum* maximopere commendat, utpote rectum ad Christum iter monstrantem. Continet autem magnum dictorum Christi & Apostolorum de aliqvibus fidei articulis acervum, absqve allegatione locorum unde sumta sunt, & commentationes qvasdam Wesseli. v.g. *p. 25. b.* lemma habet, *qvod fide justificamur tanqvam argumento, non tanqvam causa*, illi inter alia hæc subjungit: *Jam vos mundi æstu, propter verbum qvod locutus*

„ *sum vobis*, non propter verbum fidei vestræ, aut propter verbum con-
„ fessionis vestræ, tametsi mundi sitis, habentes verbum fidei in corde,
„ & verbum confessionis in ore, qvoniam fide mundificat corda fidelium:
„ sed non propter fidem, sed propter sermonem & verbum Dei vivificans
„ hominem. Sic neqve in baptismo propter verbum credulitatis &
„ confessionis, neqve propter verbum sacramenti baptismatis, sed pro-
„ pter verbum loqventis Dei justificatur, vivificatur impius, in fide & ex
„ fide vivens. Fide dico tanqvàm argumento, sed non tanqvam causa.
„ Omnia enim hæc sunt per verbum, de qvo dictum: *Jam vos mundi*
„ *estis, propter verbum qvod locutus sum vobis*, ut in sermone concludit.
„ Apostolus ad *Hebr. III.* vocat fidem & confessionem *principium sub-*
„ *stantiæ Christi*, qvia per eam participes sumus in Christo cum sit vita,
„ *Justus per fidem vivit.* Et hoc magis expresse in *III. Cap.* ubi dicit:
„ *Qvibus juravit non introire in requiem suam:* id est, incredulis; incre-
„ dulitas separat a vita. Et *qvi credit in eum habet vitam æternam*.
„ Nostra igitur bona opera fidem alunt & confortant, non autem vivi-
„ ficant, sed vitæ vinculum confortant, fidem scilicet nostram. Solus e-
„ nim Christus & Spiritus vivificat nos, & sacrificium Christi sanctificat
„ nos, & fortiori vinculo fidei, fortius huic vitæ cohæremus. Sed nihil
„ hoc vinculum firmat magis dilectione, *fortis enim ut mors dilectio.* Per
„ hanc enim cum operatur fides firma est, & principium substantiæ no-
„ stræ firmum est. Firmissimum igitur principium substantiæ Christi
„ in qvibus dilectio sola operatur. Sed & in aliis operibus ex charitate
„ susceptis, etiam firmum est vitæ vinculum. Non enim aditus est ad
„ Deum nisi per Christum; & qvemadmodum infirmus, licet ad mortem
„ declinet, & crescente infirmitate magis declinat, qvamdiu operatur a-
„ liqvod opus vitæ, vivere dicitur, licet exiliter, vivit tamen. Ita & in
„ spiritu, qvicunqve vel tantum credit in Christum, ut non faciat contra
„ Christum, licet langveat, vivit: Et si ita hinc tollatur, salvus erit. *Et*
„ *paulo post pag. 26. b.* Utrobiqve ergo fides justificat, non circum-
„ cisio, non lex, sed fides prior utroqve justificat. Non ex merito
„ credentis, sed propositio & acceptatione Dei in qvem credidit: qvoni-
„ am Patrem multarum gentium constitui te ante Dominum, in qvem
„ credidisti, qvi vocat ea qvæ non sunt, tanqvam ea qvæ sunt. *Rom. V.*
„ Per *Dominum Jesum accessum habemus per fidem in gratiam istam justi-*
„ *ficationis, & in hac gratia stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.*
Neqve ergo fides nostra, qva vel in Christum, vel in Deum tradentem

Chri-

Christum, neqve sacrificium Christi sed propositum Dei acceptantis sacrificium Christi, & per Christum acceptantis sacrificium Christianorum, justitia nostra est. Addit dicta Scripturæ plurima. Dein *pag. 27. b.* lemma aliud, *qvod subditi non obligentur credere Papæ nisi recte credenti*, ita probat: Papa tenetur credere, & obligatur cum omnibus obligatis fidelibus. Et qvoniam credit sicut obligatur, tunc fideles obligantur credere qvod ipse credit. Non qvia ipse credit, sed qvia credit, qvod credere debet. Et si alius melius eo crediderit, qvod credere debet, ipse Papa debet cum illo credere qvocunqve etiam laico & muliere. Non qvia laicus est, aut qvia mulier ita credit, sed qvia ad veritatem Evangelii recto calle incedit. Unde concluditur, qvod licet verisimiliter præsumendum sit, summum Pontificem & prælatos tanto rectius ad veritatem Evangelii incedere, qvanto cæteris aliis altius in sublime dignitatis evecti sunt, & ita cæteris paribus potius illi qvam alicui subditorum credendum: non tamen simpliciter subditos obligatos ad credendum illis. Hoc enim adeo irrationabile est, & blasphemiæ plenum, ut etiam qvacunqve hæresi pestilentius inveniatur. Potest enim Prælatus & summus Prælatus errare; ut primus illorum a Domino Jesu proprio oraculo electus, & Spiritu sancto plenus erravit. Sed hoc factum Domino permittente, ut sciremus, non homini, sed Spiritui sancto nostram fidem obligatam. Et recte: Fides enim cum sit virtus theologica, soli Deo obnoxia, in solum Deum credit, in qvo solo justus vivit per fidem. Valde periclitaretur vita justi, si penderet ex vita Papæ. Summorum enim Pontificum pleriqve pestilenter erraverunt: ut novissimis diebus nostris, in Constantia, celebri concilio claruit Benedictus, Bonifacius & Johannes XXIII. qvam graviter fidem lacerarint. Et nostris postremis diebus, Pius II. & Sixtus IV. Qvorum alter patentibus Bullis regna terrarum sibi vendicavit; alter turpissimas dispensationes, non solum de præstito incausa civili juramento, sed etiã de præstando, de plenitudine potestatis plumbatas bullas emisit, in abusu potestatis Apostolicæ. Qvicqvid *frater Petrus* vel *Hieronymus*, insolenter aut avare gesserunt, ipse postea cum resciret, ratificavit etiam Bullis plumbatis. [Per *fratrem Petrum* & *comitem Hieronymum* intelligit *Petrum* & *Hieronymum Riarios*, plebeji in Liguria generis, Sixti IV. Sorore natos, qvorum ille *monachus Franciscanus*, *dein Episcopus Tarvisinus & Cardinalis*, hic *Imolæ Dominus* avunculi beneficio factus fuit. Utriusqve immania scelera nuperrime deseri-

pſit Varillaſius *in Anecdot. Florentin. Lib. II. p. 69.* & *Wolfius*, (qvi tamen eos cum *Roboreis* fratre pontificis genitis confudit) *Vol. I. Memor. in anno 1455. fol. 836.* eorum & Sixti horrendam turpitudinem qvandam narrat, qvam libro huic inſerere me puduit: qvanqvam Weſſelum teſtem alleget, in cujus tamen *farragine* non potui locum, qvem citat, invenire.] De opibus Eccleſiæ ita ratiocinatur *pag. 29.* Bonum eſt qvod Eccleſia habet multas divitias & temporalem poteſtatem; & melius eſſet ſi plures haberet: bonum enim eſt, multa bona poſſe, & melius plura poſſe. Malum eſt, qvod Eccleſia habet multas divitias & temporalem poteſtatem, non ſolum qvia malum exinde poteſt, ſed etiam qvia multa mala exinde facit. Male adverterunt priſci Patres, qvoniam Principes ſeculares ſuos volunt ex opibus Eccleſiæ provideri, qvi fere omnes corrupti ſunt; & ſi qvi incorrupti accedunt, occupatione & ſollicitudine corrumpuntur. De voto cœlibatus, utrum obliget irremediabiliter, ut non liceat redire ad conſilium Apoſtoli: propter incontinentiam habeat unusqvisqve uxorem ſuam, breviter *pag. 29. b.* reſpondet: Stultam promiſſionem diſplicere Deo, ſicut impia juramenta. De mandatis Prælatorum & qvatenus obligent, utqve Dei præcepta ſemper prævaleant multa docet *p. 31. & ſeqq.* & indignos prælatos ſuſtinendos eſſe dicit *p. 36.* ob majorum incommodorum timorem, ſicut meretrices in civitatibus. De ſapientum vero ſententia Papalibus decretis præferenda ita philoſophatur: *p. 36. b.* In caſu ſimultatis & contradictionis inter Papam & ſapientem non ſolum Papa tenetur audire & ſeqvi ſapientem, & ſapiens in his qvibus vere ſapiens, hoc eſt, in qvibus creditur ſermo veræ ſapientiæ, ſecundum immaculatam legem Domini, nullatenus debet a ſua ſententia diſcedere & ſeqvi Papalem autoritatem, ſed etiam omnis eccleſia fidelium, qvi cognoſcit rectum ſermonem ſapientiæ, debet ſimiliter adhærere ſapienti. Factum hoc nuper in concilio Conſtant. qvoniam Johanni XXIII. diſſenſerunt fideles, & Joanni Gerſon conſenſerunt. Qvis enim hodie contradicentibus ac diſſentientibus Eugenio ac Bernhardo Clarævallenſi; nō Bernhardo magis qvam Eugenio cohæreret? Docet hoc exemplo ſuo Eugenius, qvi ſeveras illas monitiones & correptiones de conſideratione plurimas tam deſideranter acceptavit. Pontificū igitur mandata, qvantum obligent, ad Theologum definire ſpectat, ſi tamen vere theologiſet. *Qvis eſt hic & laudabimus eum?* Plus igitur conſenſu ſapien-

sapientum Ecclesia in unitate qvam prælatorum regimine continetur: qvia sapientum consensus efficaciter a Deo dirigitur; Prælatorum regimen sæpe non ita, ut qvoniam cœci cœcos ducunt, vel deserunt, vel errare sinunt. Graviter de corruptione cleri & abusu potestatis Ecclesiast. conqveritur *p. 37.* taxat negligentiam, lasciviã, incuriam, pompam, præeminentiam, censuram in rigorem, securitatem mandatorum, tutelam conservandæ prælationis. Has ego (*ait*) non puto claves regni cœlorum, imo puto clavem esse Pharisæorum, qva nec ipsi ingrediuntur, cum per ista non ingrediantur & alios ingredi non sinant, malo exemplo corruptos & impeditos. Qvantumcunqve certent pro clave potestatis, & vere certent, qvia revera clavis est, magis clavis est & verior clavis pietatis, sine qva nihil facit clavis potestatis: & ubicunqve fuerit, semper invenit sibi conjunctam clavem potestatis. Nunqvam per has artes Petrus & Paulus januam regni cœlorum gentibus aperuissent. Nunqvam suo consilio, suo studio, suo exemplo duxissent, liberassent a jugo servituris & corruptionis. Liqvet hoc ex familiaribus eorum, qvi qvanto magis illorum conscii, tanto sunt morum socii. In omnibus enim Cathedralibus ecclesiis collegiatis, uti sunt crassiora beneficia, semper qvi claves ferreas habent, primi sunt ex domo Papæ & Cardinalium, qvi qvales in ædificatione sunt, nisi qvaliter ibidem, unde venerint instituti sunt. Nunqvam hoc factum Cardinalium cum Apostolis & discipulis, vel in Hierosolymis præside Romano ac pontificibus, nunqvam Antiochiæ, nunqvam Romæ, nisi majoribus armis, invito Nerone, invito Senatu januam regni aperuisset: De potestate & usu clavium & de indulgentiis disputat in qvadam epistola *pag. 38. b. & seq.* inter alia his verbis: Ego autem sic accipio, qvod minister Christi, si secundum traditionem Christi & Evangelii ministraret, sive fidei verbum, sive fidei sacramentum sive charitatis exemplum, & subditi sive auditores fideliter accipiant, qvod revera fidei & pietatis ministerio solvat & liget in terra ligata & solura in cœlis; Et qvacunqve alia via vel solvere vel ligare tentet, nihil esse qvod facit. Nihil enim nisi salutare pietatis ministerium Petro puto, & successoribus ejus promissum. Et hoc interim, donec aperte aut alios fuero sanius informatus. Neqve parum horrori mihi est verbum illud tuum, qvo mones, qvod magis mihi pro ratione esse debet autoritas papæ. Nunqvam Parisiensi Facultati Theologicæ non dico ratione

„ major fuit, immo nunqvam fuit pro ratione. Clementis Papæ auctoritas, qvando temeritatem illius angelis præcipientem reprehenderunt „ & correxerunt. Qvando cruce signatis ad eorum vota tres vel qvatuor animas ex purgatorio qvas vellent elargiebatur: Item qvoniam „ indulgentias a pœna & culpa publicabant. Horum tamen eorum hodie plumbatæ bullæ reperiuntur. Tu tamen mones autoritatem Papæ, non solum pro ratione, sed super rationem mihi esse debere. Qvæ qvæso in his ratio mea? nonne Scriptura sacra? Nunqvid vis Papæ autoritatem supra sacram Scripturam ferre? Papæ voluntas, & Scripturæ autoritas, non æqve constituta sunt. Ut voluntas Papæ secundum „ Scripturæ veritatem, non veritas sacræ Scripturæ a papæ voluntate regulanda sit. Paulo infra breviter pronunciat *p. 44. b.* indulgentiæ „ sunt remissiones de his pœnis, qvas Prælatus injunxit aut injungere „ potuit. De sacerdotio loqvitur *p. 41. b.* Duplex est sacerdotium: unum ordinis & sacramentale; alterum naturæ rationalis & commune „ omnibus. Secundum sine primo satis est; primum sine secundo rectum habet. Secundum gratiam affert, secundo Antonius (Eremita ille) supra multos episcopos, & coriarius supra Antonium. Apostoli „ consecrabantur, & ungebantur in Spiritu Sancto, qvoniam Spiritus „ sanctus ipse est ungventum, qvod nobis Christus sua morte promeruit. „ Ideoqve omnes baptisati sumus & inuncti in morte Christi, & in Spiritu Sancto. Invenimus namqve Christum consecrasse apostolos & discipulos; receperunt enim omnes ungventum Spiritus sancti. Nullo qvidem alio oleo seu chrismate usus est Christus in episcoporum ac sacerdotum suorum consecratione. Sed propter reverentiam ac dignitatem sancta Ecclesia, plurima ordinavit, qvibus cultus Sacramentorum redimitus est, qvæ in primitiva Ecclesia fieri non solebant. Apostolus *ad Hebr. IV. Impossibile & sanguine hircorum aut taurorum auferri peccata.* Non ignorabat Apostolus legalia ceremonialia divinitus fuisse instituta, & eodem autore qvo novæ legis sacramenta, unde ut qvæcunqve sacramenta essent, necesse erat, ut filius veniret, ut singulari sacrificio placens, faceret Dei sui voluntatem: Eadem etiam „ ratione de sacramentis novæ legis. Adeo enim impossibile est, „ aqva vel oleo peccata auferri, qvatenus hircorum sanguine, & eodem authore instituta sunt. Ne tamen confessionem videatur improbare, ita scribit: Non tamen hic volo qvin debeant confiteri, „ ubi

ubi commode possunt, ut qvi vivifice vident magis videant, & qvi vere vivunt perfectius vivant. Semper enim cum pietate subeuntibus efficacia sunt ad majorem gratiam sacramenta. Nisi qvoniam majoris pietatis fiunt impedimenta. Ut in qvibusdam vocalem confessionem ita sectantibus, ut majora legis, charitatem, cordis pacem, interiorem psalmodiam impediant. His non tam sacramenta qvam impedimenta sunt, qvare in qvibusdam ad horam intermittenda. Hoc nisi Paulus, Antonius, Macarius, Arsenius sensissent, magno spiritualium damno latuissent in solitudinibus, vacantes ab Ecclesiasticis. De Philosophis paganis censuram fert *p. 46. b.* Omnis Philosophorum curiositas qvæ non pietate sata germinavit, animalis fuit. Unde evanuerunt in cogitationibus suis, ut bestiales fierent & terreni, & traderet eos Deus in reprobum sensum, adeo, ut corpora sua qvæ templa esse debebant per pietatem inhabitantis Dei, passionibus ignominiæ afficerent, neqve illo ruinam sistentes ex terrenis diabolici facti sunt, occulte dæmoniorum svasu seducti, ut statuas, aras, thura, templa, diesqve festos, ritum sacrum, titulos & nominum inscriptiones sibi fieri, procurarent. Hæc Pythagoras, hæc Socrates, hæc Plato, sed maxime Aristoteles. Propterea in Ægyptum & Persidem profecti, ut inde sibi nomen & suis diabolicam curiositatem, dæmonum colloqvio & familiaritate disseminarent. De universitatibus seu academiis *p. 48.* qvæ subjungit eo pertinent ut Doctores Scribis & Pharisæis Judæorum comparet, qvibus publicanos pœnitentes Christus prætulit. De contritione docet. *p. 49.* Infusæ jam gratiæ opus est contritio, detestatio videlicet peccati, opus meræ justitiæ: non ergo pars sacramenti pœnitentiæ, qvia sacramentum pœnitentiæ præcedit & operatur justificationem. Et est contritio nihil aliud, qvam justa peccatorum æstimatio, qvalem de se Magdalena habere potuit in medio gaudio suo diei Paschæ. Et Petrus qvoniam apparuit ei Dominus Jesus, sensibilem habuerunt cordis dolorem. Multum ergo derogant liberalitati donatoris, & multum aggravant humeros peccatoris, qvi ante Sacramentum gratiæ, justitiam præexigunt in antecedente. Justitiam dico contritionem, qvi enim conteritur jam justus est, neqve Sacramento vivificatur sed a debito confitendi duntaxat in facie ecclesiæ solvitur. Præterea valde circa hunc locum notandum qvod neqve dolor, neqve tristitia, neqve contritio in oculis Dei accepta sunt magis,

„ magis, qvam amor ex qvo procedunt. Omnium enim passionum
„ primus est amor. Judas enim doluit, & ideo tristis fuit, qvod abiens
„ laqveo se suspendit. Sed non acceptus dolor ejus, qvi ex amore sui non
„ Dei processit, ut ex ejus origine, videlicet pravo judicio & stultitia du-
„ centibus eum ac dirigentibus in finem stultum aperte liqvet. Qvam
„ omnis timor, mœror, spes, dolor, ex amore velut radice nascitur. Ideo
„ confiteri oportet in pœnitente mœrorem de peccato non acceptiorem
„ esse in conspectu Dei, qvam sit amor unde procedit. Unde dolor Ju-
„ dæ pœnitentia ducti, qvod justum sangvinem tradidisset, non plus Deo
„ placuit qvam amor ille unde processit. Addit alia plurima in eundem
„ sensum & de veris pœnitentiæ fructibus. Iterum vero de potestate
„ ministerii *p. 50. b.* In sacramento confessionis non est sacerdos judex
„ aut absolutor magis qvam mundator in baptismo. Sicut enim sacer-
„ dos tingit aqva foris, & Christus tamen baptisat in Spiritu sancto, sic
„ in reliqvis etiam sacramentis. Sensibile qvidem ministerium sacer-
„ dos exhibet, sed nullius potestatis jura exercet. Spiritualis enim vi-
„ ta qvæ per gratiam Spiritus sancti a nullo nisi a Christo donatur. Sa-
„ cramentalis ergo absolutionis beneficium in confessione, non ex judi-
„ ciaria potestate confessoris pendet, ut nulla sit absolutio, tanqvam a
„ non suo judice qvam ab alio sacerdote &c. Qvia non sacerdos absol-
„ vit vincula peccatorum, sed Christus. Sicut non presbyter baptisat
„ in Spiritu sancto, sed Christus: Christi enim baptisma est, non Johan-
„ nis aut Petri, aut Pauli, aut Apollo. Contra satisfactionem disputat
„ *p. 51. b.* Valde irrationabiliter de sacramento confessionis loqvun-
„ tur, qvia adjunctam satisfactionem asserunt essentialem partem pœni-
„ tentiæ. *Primo* qvia detrectant sacramentali sufficientiæ, qvi non pu-
„ tant principis donationem sufficere ad remissionem. *Secundo* falsifi-
„ cant verbum absolutionis: qvia cum dicunt *absolvo*, postea ligant &
„ innodatum dimittunt. Sed qvod omnium gravius est, universum sa-
„ cramentum periclitant, qvia protrahunt usqve in peractam totaliter
„ pœnitentiam injunctam: Unde si fragilis ille iterum tempore medio
„ labatur, durante sacramento propter obicem positum in parte essen-
„ tiali sacramenti, totum sacramentum facit nullum fuisse. Qvæ enim
„ essentialiter unum constituunt, unius nullitate, omnia fiunt nulla. Vi-
„ deant igitur qvantum laqveum fidelibus injiciant, qvi tanto tempore
„ dicunt essentialiter trahi sacramentum. De non injungendis aut im-
„ ponen-

ponendis satisfactionibus grande argumentum in patre recipiente filium suum ex perditione & morte revertentem ad se. Non increpavit, non castigavit, non flagellavit, non incarceravit, sed accurrens osculatus, amplexatus, præ gaudio lachrymans, jussit proferri calceamenta in pedibus, stolam puram indui, annulum dignitatis in digitum, occidi vitulum saginatum, instrui convivium, epulari, lætari & cantare. Qvales huic revertenti papales indulgentiæ necessariæ? Plena igitur ad Deum reversio, dignus fructus pœnitentiæ solus. Sola igitur conversio, satisfactio est. Seqvuntur plurima ad confirmandam illam sententiam, & qvod Papa non possit relaxare pœnas purgatorii; Tandem *p. 54.* ita statuit: Verbum satisfactionis qvod a decretis & prædicantibus in sacramento pœnitentiæ tertia pars statuitur, si ad rigorem accipiatur, errorem non solum habet, sed & blasphemiam continet ac desperationem nutrit. Si enim Christus jurejurato constitutus sacerdos in æternum super domum Dei, neqve vacue, neqve vane constitutus est, sed a Deo gratiæ plenus & veritatis, qvia veræ gratiæ plenus, & de plenitudine ejus accipiant universi. Oportebat confiteri pleno illum sacerdotio sacerdotem esse, plenam igitur & perfectam hostiam, victimam, perfectas primitias, perfectas decimas, perfectam pacificam, perfectum sacrificium, perfectum holocaustum, perfectum incensum obtulerit. Igitur in hostia sua pro peccato perfecte repropitiavit populum, perfecte reconciliavit, perfecte mundavit, perfecte restituit, perfecte justificavit, perfecte sublimavit, perfecte univit in plenitudine gratiæ & veritatis. Nihil de veræ gratiæ plenitudine detrahere licebit: & qvisqvis detraxerit, blasphemiæ reus in donatorem, calumniæ reus in donatarium. Detrahit autem qvi non integram gratiam dicit, aut qvi non gratuitum donum, gratuitam propitiationem, gratuitam remissionem confitetur. Gratuita vero qvando erit ei, qvem oportet, pro sui remissione, pro relaxatione, pro redemptione æqvum aut tantum refundere, donec satisfaciat? Ad rigorem enim nisi æqvum aut ultra refundat, non satisfacit. Addit refutationem objectionum, & *p. 55. b.* immunes ad implendam qvam Sacerdos injungit pœnitentia satisfactoria pronuntiat fideles. Perfectam (ait) debere injungi pœnitentiam, scilicet *noli amplius peccare.* Thesauri meritorum distributionem Papæ abjudicat. *p. 56. b.* Sanctæ ecclesiæ fidelium corpus unum, Sancti Spiritus operatione vivi-

„ ficatur, in nobilioribus membris portiora charismata suscipiens.
„ Sed horum membrorum collatio vel adunatio in corpore, & spiritua-
„ lis vivificatio, Dei duntaxat opus est, qvæ licet sit meritum hominis
„ Christi, opus tamen est Christi Dei. Qvod si Papa pro arbitrio æsti-
„ mare posset, & taxare valores operum pietatis, subverteretur funda-
„ mentum pietatis antiqvorum Patrum, qvi serviendum Deo putabant
„ in sanctitate & justitia omnibus diebus vitæ suæ; magis enim servien-
„ dum domino papæ, vel exigua pecunia obtemperandum, ut post ve-
„ ram confessionem & contritionem momentaneo labore liberati de-
„ manu inimicorum nostrorum sine labore evolarent. Pœna enim est,
„ in manu inimicorum nostrorum servitus: Qvod si papa arbitrarius
„ arbiter, non jam ipse Christi, sed Christus ejus esset Vicarius. Nam ex
„ voluntate ejus penderet judicium Christi. idem prolixius deducit *p.*
„ *52. b. 59. & seq.* De communione sanctorum notabiliter loqvitur *p. 59.*
„ Vera essentiali unitate communicant sancti omnes, qvotqvot una-
„ fide, una spe, una charitate Christo cohærent, sub qvibuscunqve præla-
„ tis, qvantumlibet ambitiose contendentibus aut dissentientibus aut
„ errantibus etiam hæreticis prælatis degant. Qvantumlibet locorum
„ spatiis, qvantislibet annorum intervallis disjungantur. Et hæc est
„ illa sanctorum communio de qva in symbolo, *Credo sanctorum commu-*
„ *nionem.* Unde nobiscum communicaverunt patres nostri omnes, qvi
„ eodem nobiscum baptismo baptisati, & eadem esca spiritali refecti,
„ eadem spiritali petra nobiscum refocillati. Nihil hanc sanctorum-
„ unitatem & unionem præsidentium diversitas distrahit, nihil identitas
„ promovet. Qvia piis nihil nocet præsidentium impietas etiam hæ-
„ reticæ pravitatis. Constat autem qvod valde possibile sit græcum ve-
„ ra pietate affectum omnia credere in Constantinopoli sub suo Patriar-
„ cha schismatico, qvæ Latinus Romæ credit. Qvid illi nocet suorum
„ hæretica pravitas? Unitas ergo Ecclesiæ sub uno Papa tantum acci-
„ dentalis est, adeo ut non sit necessaria, licet conferens multum in san-
„ ctorum communione. Stat enim sub eodem præsidente subjectis (et-
„ iam inter) eos qvi præsidenti non communicant. Talibus enim-
„ qvisqve communicat, qvalis ipse est, pius piis, fidelis fidelibus: qvem-
„ admodum impius impiis, fur furibus, adulter adulteris &c. it, *p. 60. 61.*
„ *62.* ubi fraternitatum & participationum literas a monasteriis datas
„ rejicit. De Missis agit *p. 63. b.* earumqve fructum frustra ex opere o-

pera-

perato aut ex fundationibus & recitationibus pro aliis expectari dicit, cum sine dispositione & fide suscipientis nihil conferant. Sacramenta ait (*p. 63.*) sunt fidei instrumenta, tanto semper efficacia, qvanto est fides negotiosa; qvemadmodum ubi ars torpet & dormit, instrumenta effœta sunt, sic sopitæ fidei otiosa sunt sacramenta. Non igitur data pecunia, non sacerdos, non missa, non sacrificium, sed participatio & communicatio est qvæ abolitionem facit, sicut redemptionem & remissionem impetrat & obtinet. Qvoniam Dominus Jesus eucharistiam tradidit in redemptionem, sicut in remissionem, vere abolitionem in pietate constituit, absqve omni pœnali supplicio; qvia manducatio fructum passionis affert digne manducanti. Juxta illud: *Qvotiescunqve* &c. qvia communicatio est corporis & sangvinis ejus in remissionem & redemptionem. De virginitate commentatur *p. 63.* ejusqve aureolas seu coronas ex charitatis puritate, non ex corporali cœlibum continentia æstimari debere tradit, eodemqve præmio & honore dignos esse statuit, qvi in conjugio, sed cum fide & charitate vivunt, qvam cœlibes. Videmus, scribit, Petrum in conjugio vocatum ad Apostolatum & Timotheum in virginitate ad discipulatum longe Petro inferiorem in fructu verbi Dei. Ait tamen se non intrepidum hæc definire, propter communem scholam contradicentem. De potestate Papæ propositiones plurimas habet, qvæ ministerii ejus veram & salutarem conditionem explicant, sed excessum potentiæ refrenant. *p. 66. b. & seqq.* De purgatorio igne, qvid sit hæsitat, purgationem non torturam esse statuit, locumqve Pauli 1. Cor. III, 12. manifeste tropicum esse ostendit *p. 69. & seqq.* & post multa qvæ affert *p. 71.* scribit, hæc mihi videntur convenire, purgatorium spirituale potius esse qvam suppliciale, ideoqve p. 72. indulgentiariis dicam scribit, & frustra eos de remissione purgationis gloriari ostendit, ignem enim purgatorium non esse satisfactorium adeoqve indulgentias non recipere. Eo tandem collimat, ut putet in paradiso fieri purgationem animæ, ut in amore Dei perfecta fiat, eumqve statum ejus felicem esse, qvem plena beatitudo in vita æterna excipiat. Paradisus scribit *p. 83.* est locus medius inter debitores & comprehensores, ideoqve in eum purgationis causa latronem ex cruce translatum esse existimat *p. 84. b.* & sic compleri Scripturam, omnesqve apparentes contradictiones tolli. Hanc ejus opinionem Lutherus qvidem secutus non est, interim hac

stante tota nundinatio indulgentiarum corruit, ut & orationes & missæ pro defunctis. Qvid enim opus esset pro pœnarum mitigatione orare, cum nullas patiuntur, itaqve pro se mortuo ita vult orari, ut magis magisqve purgatus & illuminatus tanto citius, ex Paradiso ad intuitionem Dei transferatur *p. 81.* Lutherum Wesseli scripta ab initio cæptæ de indulgentiis disputationis ignorasse inde patet, qvod multis locis fatetur qvæstionum illorum se ignarum fuisse, & discendi magis qvam definiendi animo disputasse: maxime vero in allegata *præfatione* in farraginem hanc Wesseli asseverat, visum sibi esse ac si solus adversus monstra indulgentiarum & legum Pontificiarum pugnaret. Merito itaqve lætatus est producto illhoc tanti viri, qvem etiam Capnio præceptorem habuit, libro. Neqve parvo solatio est omnibus repurgatæ religioni addictis, cum vident qvomodo luctuosis illis Ecclesiæ tenebris servati tamen semper fuerint veritatis & purioris doctrinæ professores. Hic sane Wesselus (*Johanni* prænomen fuisse Wolfius *Vol. I. in anno 1455.* memorat, & qvædam ex ejus libris excerpta refert) etsi non omnia eadem phrasi, qvædam fortean etiam incommodius, eloqvatur, principia tamen eadem, qvæ Lutherus post annos plurimos secutus est, in summa rei tenuit. Vidit excessus Romanæ Hierarchiæ, morumqve & doctrinæ corruptionem, recte judicavit de S. Scripturæ autoritate, de via salutis, de pœnitentia & fide, de usu sacramentorum, de officio ministrorum Ecclesiæ. Hæc & alia qvi pro hæreticis ex ignorantia traducunt, commiseratione; qvi scientes, gravissima censura digni sunt; sed talia testimonia plurima alii dudum congesserunt, qvæ huc transcribi non possunt. Interim aureis, ut ita dicam, literis, denuo edi mererentur scripta Wesseli, in qvibus Spiritus veritatis manifeste deprehenditur, neqve dubito, per collationem exemplarium loca qvædam manca aut obscura, qvorum sensum assequi me non potuisse fateor, lucem & emendationem accipere posse.

Ad §. CXXXVI. *Georgius Cassander*) Simplicitatem veteris ritus anteqvam tot ceremoniis augeretur, adductis veterum autorum ejus tamen temporis, qvo superadditi ritus invaluerant testimoniis, confirmavit Cassander *d. Cap. II.* qvod qvia breve est ex editione Operum Parisiensi 1616. *fol. II.* totum apponam, lemma est: *Missas sive sacri convivii mysteria qvomodo Christus celebravit, & post eum Apostoli.*

Raba-

Rabanus *Instit. Cler. Lib. I. c. 32.* Hunc morem sacrificii primum Dominus noster Jesus Christus & magister instituit, qvando commendavit Apostolis suis corpus & sangvinem suum priusqvam traderetur, sicut legitur in Evangelio: *Accepit panem Jesus & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, hoc est corpus meum: & accepto calice, gratias agens dedit eis; & biberunt ex illo omnes:* & reliqva. Cum benedictione enim & gratiarum actione primum Dominus corporis & sangvinis sui sacramenta dedicavit, & Apostolis tradidit, qvod exinde Apostoli imitati fecere, & successores suos facere docuerunt, qvod & nunc per totum orbem terrarum generaliter tota custodit Ecclesia. Honorius *in gem. anima lib. I. cap. 86.* Missam inprimis D. Jesus sacerdos secundum ordinem Melchisedec instituit, qvando ex pane & vino corpus & sangvinem suum fecit, & memoriam sui suis celebrare hic præcepit. Hanc Apostoli auxerunt, dum super panem & vinum verba qvæ Dominus dixit, & Dominicam orationem dixerunt. Gul. Durandus *in rationali divinorum lib. 4. cap. I.* Hoc officium ipse Christus instituit, cum novum condidit testamentum, disponens hæredibus suis regnum, sicut pater suus sibi disposuit, ut super mensam ejus edant & bibant in regno qvod Ecclesia consecravit. Cœnantibus enim illis accepit Jesus panem & gratias agens benedixit ac fregit, deditqve discipulis suis dicens: *Accipite & comedite, hoc est corpus meum, qvod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem.* Hac igitur institutione formati, cœperunt Apostoli sacrosanctum frequentare mysterium, propter causam qvam Christus expresserat, & formam servantes in verbis, & materiam tenentes in rebus, sicut Apostolus Corinthiis protestatur dicens: *Ego accepi a Domino qvod & tradidi vobis, qvoniam Dominus Jesus in qva nocte*, &c. *Item*, Apostoli hanc Missam Christi adauxerunt, dicentes in ea non solum verba præmissa, verum etiam Dominicam orationem superaddentes. *Idem lib. 6. de parasceve.* Qvo facto incipit mox: *Oremus*, præceptis salutaribus, perficiens Dominicam orationem, & illam: *Libera nos qvæsumus* &c. In qvo repræsentatur antiqva Apostolorum celebrandi Missam consvetudo. Prius enim lectione præmissa, dicebantur solummodo verba illa: *Hoc est corpus*, &c. *Hic est sangvis*, &c. Sed ipsi postmodum Dominicam orationem addiderunt. Amalharius *lib. 3.*

» *de divin. offic. in præfat.* Satis esset sine cantoribus & lectoribus & cæteris qvæ ibi aguntur, sola benedictio Episcoporum aut presbyterorum ad benedicendum panem & vinum, qvo reficeretur populus ad animarum salutem, sicut primævis temporibus fiebat apud Apostolos. *Capitis III. fol.12.* titulus est: *Ritus communionis sacræ expositus a B. Justino Martyre Apolog.2. ex versione Perionii collata cum Græco exempl.* » Sub finem precum nos inter nos osculo salutamus. Deinde ei qvi præpositus est fratribus, panis offertur, & poculum aqva & vino temperatum, qvæ cum accepit, laudem Deo tribuit, & gratias diu agit. Qvibus perfectis, populus omnis qvi adest, benedicit, dicens, Amen. Postea ii, qvi apud nos Diaconi dicuntur, dant unicuiqve eorum qvi adsunt, percipiendum panem, vinum & aqvam, qvæ cum gratiarum actione consecrata sunt, & ad eos qvi absunt perferunt. *Ex eod. Justino, paulo post* Die qvi Solis dicitur, omnes qvi in oppidis vel agris morantur, unum in locum conveniunt, commentariaq; Apostolorum, vel Prophetarum scripta leguntur, qvandiu hora patitur. Deinde ubi is qvi legit, destitit, is qvi præest admonet & hortatur, ut ea qvæ lecta sunt bona imitemur. Tum surgimus omnes & comprecamur. Conclusis precibus, panis, vinum & aqva offeruntur. Tum is qvi primum locum tenet, preces gratiarumqve actionem pro virili mittit. Populus benedicit, dicens: Amen. Iis qvæ cum gratiarum actione consecrata sunt, unusqvisqve participat. Eademqve ad eos qvi absunt Diaconis dantur perferenda. *Cap. IV.* ex Tertulliano agapas describit. Seqventibus dein Capitibus Liturgias Dionysii, Joh. Chrysostomi, Basilii, Æthiopum, Russorum, Armeniorum, & deniqve Latinorum subjungit, adductisqve testimoniis ostendit, qvam simplex ab initio celebrandi sacram cœnam, sive Missam, ritus fuerit, & qvantum postea accesserit. Insignis qvem citat locus *fol.37.* est *Walafridi Strabonis* Abbatis Fuld. » qvi sæculo nono vixit *de rebus Eccles. cap.22.* Qvod nunc agimus multiplici orationum, lectionum, cantilenarum, & consecrationum officio, totum hoc Apostoli, & post ipsos proximi (ut creditur) orationibus & commemoratione passionis Dominicæ, sicut ipse præcepit, agebant simpliciter. Unde circa domos, secundum superius commemorata testimonia, frangebant panem. Qvod etiam alia sententia Lucas declarat, dicens: Una autem Sabbati, cum convenissemus ad frangendum panem & reliqva. Et relatio majorum est, ita primis tempori-

poribus Missas fieri solitas, sicut modo in Parasceve Paschæ (in qvo die apud Rom. Missæ non aguntur) communicationem facere solemus, id est, præmissa oratione Dominica & sicut ipse Dominus noster præcepit, commemoratione passionis ejus adhibita, eos corpori Dominico communicasse & sangvini, qvos ratio permittebat. Item ex *Petro Cirvelo Complutensi Theologo fol. 38.* Urgentibus Ecclesiam persecutionibus infidelium Evchariſtiæ sacrificium, qvod in Missa conficitur, agebatur a fidelibus valde simpliciter, & sine pompa alicujus solennitatis, qvia offerebatur a sacerdotibus Christi occulte in domibus privatis. Ideo tunc Missæ officium erat satis breve. Nam Apostoli super verba consecrationis panis & vini a Christo accepta, solam orationem Dominicam, id est, *Pater noster* apposuerunt, & statim communicabant, id est, Evchariſtiam assumebant, & aliis ministrabant. Deinde Romani Pontifices, Petri successores, paulatim successu temporis addentes etiam devotas orationes, totius Missæ Canonem secretum in trecentis fere primis annis Ecclesiæ perfecerunt. Qvæ qvidem postrema verba si de omnibus aut plerisqve ritibus, aut de dogmatibus ipsis & usu Missæ intelligantur, fundamento carent. Sufficit ex his, vel aliis pluribus qvæ Cassander consignavit, & Lutherus ante eum, cum inducta per abusum tolleret, expendit, demonstratum esse, totam illam Missaticæ pompæ machinam seculorum decursu, variis ex causis, qvæ alibi examinatæ sunt, extructam, ab invention & autoritate Sacerdotum & Pontificum pendere, neqve præter verba institutionis Christi & orationem Dominicam, precumqve piarum formulas qvicqvam produci posse, qvod Ecclesiæ necessario & tanta violentia injungendum sit, circa sacramenti hujus administrationem: multo minus qvod veritas & substantia Sacramenti, qvale in nostris Ecclesiis celebratur, alicujus defectus aut nullitatis accusari possit, etsi ritibus illis abstineatur, nec alius Sacramenti usus qvam in sancta communione & participatione qværatur.

Qvod axioma.) Notius hoc est juris Ecclesiastici peritis, qvam ut probatione egeat. Dixi aliqvid in libro Germanice ante biennium edito, *de Christianismo. Lib. III. cap. 12. § 2. in addit.* qvod hic paucis repeto. Allegavi ex jure Pontificio *C. in istis dist. IV.* ubi doctores nominatissimi theorema illud asserunt; Covarruvias maxime & Navar-

varrus: citavi etiam famigeratum illum problematum moralium promumcondum Anton. de Escobar *Tom. I. Theol. Mor. Lib. V. Sect. I, c. III. n. 23.* tum Petrum de Marca Archiepisc. Tolosanum & demum Parisiensem, qvem Samuel Sorberius in *epistola ad Baluzium*, patriæ suæ decus, regni totius oraculum, Ecclesiæ sidus, literatorum Apollinem vocat. *Lib. II. de Concordia Sac. & Imp. c. 16.* Hic Augustini dictum adducit, qvod in compilationem suam retulit Gratianus: *Leges instituuntur cum promulgantur, firmantur cum moribus utentium approbantur.* itemqve Paulinum *2. Cor. XIII. 10. potestas* (Apostolica) *in ædificationem non in destructionem data est.* Chrysost. *hom. XXV. in prior. ad Cor. Hæc est Christianismi regula, hæc illius exacta definitio, hic est vertex super omnia eminens, publicæ utilitati consulere.* Bernardum ex *consideratione* ad *Eugenium Lib. II. c. 6.* & tandem concludit: Ex qvo sequitur leges Ecclesiasticas qvæ de rebus jure naturali & divino non venitis ad *ἐυταξίαν* & ordinem Ecclesiæ externum tantummodo componendum feruntur, non necessitate sed voluntate, non timore corporali sed dilectione subjectorum nti debere. Gregorii Nazianzeni sententiam adscribit: *Lex nostra & Legislator id vel maxime sanxit, ut grex non coacte sed sponte & libenti animo pascatur.* Hæc Marca. Peccant itaqve qvi vi & armis obtrudunt, qvæ naturali & divino jure non sunt liqvide definita; qvale ne unum qvidem hactenus probari legitime potuit, propter qvod in Lutherum & Lutheranos vel olim sævitum fuit vel adhuc sævitur.

Ad §. CXXXVII. *Sed & ab adversæ partis doctoribus.)* Qvia cum scriptore Gallo res mihi est, ex recenti ejusdem gentis autore, docto sane & ingenuo, qvi nomen *Hieronymi a Costa* sumsit, dicta firmabo. Extat libellus Gallicus anno 1684. editus, qvi *Historia de origine & progressu rituum Ecclesiasticorum* titulum habet: Ejus compendium in *Act. Erud. Lipsi. illius anni p. 497.* repetitur, nec a meid compositum esse dissimulo: Aliqvas enim horas, pomeridianas maxime, animi causa, & ut labores non tam otio & corpore qvam vicissitudinis amœnitate sublevem, ad excerpendos libros qvosdam ab eximiis mihiqve amicissimis viris Lipsiensibus, qvi Actorum edendorum curam gerunt, missos, destinare solco. Autor vero ille qvisqvis est, de natura reditvum ecclesiasticorum commentans incipit a consideratione communionis

nionis bonorum in Ecclesia Hierosolymitana, cujus ortum aut ansam a Judæis deducit, qvibus lege divina incumbebat, ut pauperes suæ gentis & Synagogæ alerent, eamqve ob causam, qvoties Sabbathis aliisqve festis congregabantur, stipem conferebant. Hoc, utpote ex lege charitatis, & morali obligatione debitum, Christianos Apostolorum autoritate inductos, ab initio qvidem, pro temporis necessitate, largiori contributione & venditis fundis exercuisse docet, sed non eodem modo in alias provincias propagasse. Nec enim diu duravit contributio illa & dispensatio Hierosolymitana, sed alibi satis visum est, more Synagogico in cœtibus publicis stipem exigere & conferre, qvanta ad usum pauperum reqvirebatur. Inter hos autem sine dubio connumeratos fuisse scribit Ecclesiarum ministros, qvi populo docendo aliisqve sacris officiis occupati, & ab alia victus qværendi ratione abstinentes, alimenta jure maximo a fidelibus sumebant. Tunc itaqve, ut statuit, extra eleemosynas nullum erat Ecclesiarum peculium. Decimæ enim a Levitis & Sacerdotibus perceptæ, postmodum cum ipsa Judæorum Republica interciderunt, nec aliis populis imperari poterant. Qvemadmodum igitur Judæi sub aliena ditione viventes, Archisynagogos, Presbyteros, & Diaconos in cœtibus suis habebant, & collata stipe alebant, *(qvod & hodie faciunt)* ita etiam Christianorum ministeria ab Apostolis, Judaicæ gentis morisqve viris, ad eandem formam constituta esse asserit, & hac occasione notat, Episcopos Christianorum, ad exemplum Archisynagogorum, inter Presbyteros non potestate aut jurisdictione, sed ordine & honore primi loci eminuisse, nec ad illos, sed ad consessum sive collegium omnium Presbyterorum, distributionem collatæ pecuniæ pertinuisse. Hoc satis qviete observari potuisse qvamdiu unus Episcopus & unum Presbyterium in singulis urbibus, unusqve ad cœtum & sacra locus esset. Sed cum aucta Christianorum multitudine, plures ædes sive templa separatis titulis (ut postea vocabantur) insignienda reqvirerentur, qvibus singuli pastores præponendi erant, crevisse Episcoporum potentiam, ex usu & necessitate rerum & temporum, sive ut Hieronymus *Comm. in Ep. ad Titum* censet, *Episcopos magis consvetudine qvam dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris majores factos esse.* Notat porro ex politia Græcorum qvædam ad externum Ecclesiæ regimen translata fuisse: inde

diœceses, ipsumqve Ecclesiæ nomen, duplici tamen modo intellectum, ut aliqvando conventum seniorum & primorum populi, aliqvando omnium coitionem significaret, qvam *Agoram* jam vocaverint. Græcorum etiam in fingendis novis vocabulis genio deberi nomina Metropolitarum, Archiepiscoporum, Patriarcharum seqventibus temporibus inventa, ad majores honoris & exterioris jurisdictionis titulum significandum. Antea enim ignota ista fuisse, & eundem Episcopi, & Presbyteri sive senioris ordinem ex impositione manuum dependisse, & hunc qvoqve ritum ab Apostolis ex Synagoga retentum. Addit Rabinos tradere, impositionem hanc non a Præside solum, sed omnibus Presbyteris simul peragi solitam fuisse, & ex Hieronymo refert, Presbyteros Alexandrinos Episcopo ex suo collegio electo manus simul imposuisse. Ex his constare ait, frustra de fundationibus redituum Ecclesiasticorum, istorum seculorum tempore qværi, & ante Constantinum M. nullos fundos in Ecclesiarum dominio fuisse; illumqve Imperatorem primum omnium permisisse, ut qvemadmodum Paganorum templa, ita & Christianorum, legata & donationes capere possent. Sed memorabile esse Hieronymi judicium, scribentis in vita Malchi: *Ab eo tempore Ecclesia potentia & divitiis qvidem major, sed virtutibus minor facta est*: Et Chrysostomum (hom. 86. in Matth.) valde qveri de Episcopis & Clericis, villarum suarum & litium cura distractis, & tempus consumentibus. Observatus non multo post fuit abusus, cum Episcopi fructuum maximam partem, cum damno pauperum, suis & numerosæ familiæ alimentis & commodis impenderent. Huic malo varie provisum, constitutis in oriente Oeconomis, qvi Episcoporum expensis moderarentur. In occidenti cautum fuit, ut qvarta tantum redituum pars Episcopo, tres reliqvæ Clero, pauperibus, & Fabricæ Ecclesiarum ex æqvo assignarentur, ut constat inter alia ex constitutione Gelasii Papæ Can. *Vobis enim 23. C. 12. Q. 2.* Putat tamen ex hac partitione tantum lites natas fuisse, nec præcaveri potuisse, qvo minus Episcopi & Prælati bona Ecclesiastica ad privatæ possessionis titulos & modos redigerent, sub dominatu præsertim barbarorum Regum, qvi occidentalis Imperii regionibus potiti erant. Nec tamen negat, etiam in oriente divitiarum cupiditatem, captationes hæreditatum aliaqve vitia, de qvibus Hieronymus & alii qveruntur, apud Clerum invaluisse. Refert postea, ut non saltem Episcopi Cano-

Canonici & Parochi, ſed & monachi qvi affectata paupertate diſtingvi a clericis per opes corruptis voluerint, jam dudum populi favore ad corradendas divitias abuſi fuerint, & ex donationibus pro remedio animæ & ad Miſſas privatim celebrandas, poſſeſſiones ampliſſimas & invidioſas acqviſiverint. Monſtrat nullam ab initio Pontificum Romanorum curam aut poteſtatem in bona iſta temporalia Clero & Monachis poſſeſſa ullo legitimo titulo prætendi potuiſſe, ſed temporum injuria, & Gregorii VII. potiſſimum artibus arreptam fuiſſe; ita qvidem ut Papæ plerunqve Monachis præ Epiſcopis faverent, horumqve jura per iſtos non una ratione diminuerent. Dein cum Monachi qvoqve conceſſis abuterentur, Pontificum officium tanto magis invaluiſſe, ita ut tandem omnem ſibi in bona Eccleſiaſtica poteſtatem arrogaverint, nec parum ex illis in ſua lucra verterint, licet maximam partem ex Principum & nobilitatis liberalitate profecta eſſet. Fruſtra autem jus divinum S. Primatus Petri a Pontificibus huc applicari, qvanqvam id maxime fecerit Innocentius III. qvi tamen ignorare non potuerit, omne jus antiqvum aſſertioni illi ſuæ reſiſtere; certum enim eſſe antea cauſas omnes de ordine & bonis Eccleſiæ vel ab Epiſcopis deciſas, vel orta cum his controverſia a Synodis provincialibus ſub autoritate regum expeditas fuiſſe, ita ut ne cogitare qvidem Papæ de tali poteſtate potuerint niſi litigantes partes ad Judicium primæ ſedis provocare cœpiſſent, eaqve occaſione per negligentiam Principum & ipſorum Prælatorum culpa dominatio illa Pontificia inducta fuiſſet. Prætereo alia. Judicari ex his poteſt, qvanta probatio reqviratur, ut ſupremum arbitrium de bonis Eccleſiaſticis qvibus primoribus Eccleſiæ ſeculis clerus plane caruit, & qvæ ex liberalitate Principum & populi ad Clerum pervenerunt, Principibus & Rebuspublicis ablatum peregrino dominatui tribuatur, & qvam difficile ſit ut adductis vel ab hoc autore Gallo, vel a Paulo Sarpio Veneto, aliisqve qvi Romana ſacra retinuerunt & ſpiritualem qvendam primatum Papæ non denegant, rationibus & argumentis nedum illis qvæ Proteſtantes allegant ſolide reſponderi poſſit.

Ad §. CXXXIIX. *Leiſnici ad Muldam.*) Hæc narraturus Varillaſius ita ſcribit *Lib. VI. hiſt. hæreſ. p. 9.* Cives Lipſienſes, omnes fere Lutherani bona Eccleſiaſtica occupaverant, ſub prætextu, qvod plus reditvum ex iis proveniat qvam opus eſſet ad ſuſtentandos miniſtros Ec-

„ clesiæ. Ut tamen ostenderent, se non diteſcendi causa ea invasisse, con-
„ stitutionem fecerant, per qvam qvæ supererant, in pauperum susten-
„ tationem, & ad informationem juventutis adhiberentur. Statutum
„ illud ab homine idoneo sed incognito conscriptum erat, & Lutherus id
„ examinans ita probavit, ut ex eo correcto suum opus faceret, & præfa-
„ tionem adderet. Magna autem Lipsienſi magistratui elogia dedit,
„ qvod ecclesiam eo modo, qvi post tot seculorum corruptionem possi-
„ bilis fuisset, ad puritatem Apostolicæ œconomiæ restituissent, qvo
„ tempore omnibus pro indigentia succurrebatur, & tanto magis mi-
„ randa erat charitas, qvod in commune exerceretur. Addit, qvasi Pro-
„ phetam agere vellet, exemplum Lipsienſium brevi imitaturos qvi-
„ cunqve sinceræ reformationis stimulum sentirent, & fore ut tot bene-
„ ficiorum reditus, qvi in Germania pingviores essent, qvam in toto re-
„ liqvo orbe Christiano, otiosis & vitiosis hominibus ademti, ad pios &
„ castos usus impendantur, nec qvisqvam superfuturus esset, qvi in de-
„ cem Imperii circulis miseriæ & mendicitati succumberet. Condo-
„ nari potest homini peregrino, si in nominibus locorum aliqvando labi-
tur: Qvanqvam qvi ad historias scribendas animum appellit secum
prius habitare viresqve suas metiri debet, idqve operæ dare ne ignota
& falsa memorando alios decipiat, & se ipsum ludibrio exponat. Hic
certe Autoris error crassissimus est, qvi de rebus Germanicis illo tem-
pore gestis tanta cum confidentia loqvitur, ac si omnibus consiliis &
actionibus præsens interfuisset, neqve tamen celeberrimam urbem
Lipsiensem, ab oppido abscuro *Leisnicensi* aliqvot inde milliaribus &
sub alio tunc Principe sito, ob aliqvarum literarum similitudinem di-
stingveret; sciebat præterea, ut ex his ipsis libris ejus constat, Lipsienses
illo tempore Principem Georgium habuisse, Lutheranismi acerrimum
persecutorem, ita ut non nisi cum manifesto capitis sui periculo, de in-
vadendis aut mutandis Ecclesiasticis reditibus decernere potuissent, &
sangvine enim aut exilio luebant, (ad obitum usqve Georgii, qvi non
nisi post sedecim annis secutus est) qvotqvot ex illis Lutheri doctrinæ &
reformationi qvocunqve modo faverent; qvid autem non passi essent,
si vel tantillam reditvum sacrorum particulam attigissent. Ineptum
etiam est, qvod de ministris Ecclesiæ Lipsiensibus, eo tempore sic lo-
qvitur, ac si a senatu aut civibus constituti & sustentati fuissent, cum in
urbe essent non solum duæ magnæ Parochiæ, sed & Benedictinorum,

Augu-

Augustinianorum regularium, Dominicanorum & Franciscanorum monasteria, monialium etiam unum in suburbio, qvinqve præterea Academica collegia, qvorum omnium maximam curam Georgius Princeps gerebat, & ab omni vi & mutatione tuta præstabat. Falsum qvoqve est qvod Lutherus *Leisnicensium* statutum interpolaverit, aut suum ex illo opus fecerit; publicavit id, uti erat, nec nisi præfationem addidit. Hanc ipsam tamen ita refert autor, ut veritati studere, aut eam legisse credi non possit. Itaqve historiæ loco fabulam narrat & calumnias veteres ad genium seculi, suumqve propositum, arreptis ex probabilitatum qvisqviliis centonibus refarcit, sed ea imperitia qvam nec patronis suis excusare possit. Cæterum *Leisnicum* arx est & oppidum ad Muldam, unde illustris familia Burggraviorum nomen habuit, qvæ paulo ante Georgii Ducis moram extincta est, ex qva genus suum celeberrima & opulenta Ranzoviorum gens in Holsatia deducit. Præfectura hodie *Leisnici* est Electoralis, & Pastor oppidi in vicinas Ecclesias ephoriam habet. Exemplum qvod illi tunc instituerat collatæ stipis ad alios propagatum non est, sed aliæ leges per constitutiones Ecclesiasticas harum provinciarum inductæ sunt, qvos Leisnicenses nunc non minus ac cæteri seqvuntur.

Principes Saxonici illo tempore opulentiores sunt) Hoc ex rationum libris aliisqve documentis non spernendis demonstrari posset, ut & eorum liberalitas & beneficentia in Ecclesiasticos & alios. De *Friderico* Electore speciatim narrat *Spalatinus in Vita* MS non solum qvantum impenderit in Wittenbergensem *Ecclesiam collegiatam*, qvod jam retuli, sed & qvod redux ex Palæstina ædiculas s. *Capellas* titulo *S. crucis* & *B. virginis* cum altaribus, *Torgavia*, itemqve Decanatum & vicarios in arce fundaverit, dein collegiatis Ecclesiis *Gotha*, *Isennaci* & *Altenburgi* omnibusqve monasteriis multa donaverit, neqve qvidqvam toto regiminis sui tempore iis auferri passus sit, etiam post cœptam Evangelii a Luthero prædicationem, ita ut non nisi summa cum circumspectione magnaqve cum cunctatione de mutationibus cogitaret, & qvidem sine dispendio reditvum Ecclesiæ multoqve minus cum suo emolumento. Multum vero in ædificia expendisse idem autor narrat, nominatim in arces *Eulenburgi*, *Lochavia*, *Liebenverda*, *Coburgi*, *Vinaria*, *Colditii*, *Altenburgi*, idqve fecisse, non tam delectamenti aut famæ causa, qvam qvod pecunia abundaret, eaqve opifices alere vellet;

Adeo deniqve ab avaritia alienus, ut ad tributa, licet tunc modica, populo imponenda ægerrime moveretur. Huic tamen tam bono & generoso principi ejusqve successoribus pariæ probitatis mordacissimi & mendacissimi homunciones *Cochleus* & alii terræ filii, ex suo ingenio sacrilegii crimen & mutatam eo intuitu religionem nulla ne specie qvidem veri proterve impingunt, eademqve petulantia Lutherum criminantur, cujus mores tota vita a sordibus alienissimi fuerunt, neqve erat, qvi illo vehementius in rapinas detonaret. De *Georgio* Duce dicere nihil attinet, cujus divitiæ celebratissimæ fuerunt, is enim etsi suspicionem qvandam cupiditatis ut alibi notavi, incurrit, Cleri tamen opes vel in Lutheri odium fovit potius aut auxit, qvam minuit, sed mortuus minorem qvam pro opinione pecuniæ summam reliqvit, & mutatio in monasteriis post decessum demum ejus, a fratre Henrico ejusqve filiis procurata fuit.

Ad §. CXXXIX. *In Germania, doctrina*) Particularia pleraqve, de reformatione in provinciis & urbibus Germaniæ diligentiæ *D. Davidis Chytræi* debemus, qvem Princeps Gallicorum historicorum *Thuanus* magni fecit, multaqve ex eo mutuatus est, & nuper etiam collaudavit Varillasius, in *prælôqvio historiæ hæresium*, ubi nec industriam, nec veritatem in eo desiderat, qvamvis dubitari possit an illum legerit, qvia tantam ei styli barbariem objicit, ut sine tædio legi non possit, valde autem delicatum esse oportet, cui Chytræi dictio, Melanchthonem non infeliciter imitantis sordeat, nec magis accurate judicat, cum dicit eum mediocris ingenii fuisse. Suppeditata Chytræo fuerunt Regum & principum jussu, ut in præfatione Saxoniæ suæ memorat, narrationes ex Archivis & actis publicis depromtæ, optimo sane & utilissimo exemplo, itaqve post Sleidanum, vix reperitur, cui majori securitate in historiis hisce credi possit. Meretur vir optimus, qvi tot rerum qvæ absqve illo æterna oblivione fuissent sepultæ, memoriam conservavit, ut de vita ejus aliqvid annotetur. Natus fuit Anno 1530. *Brackenhemii* in Wurtembergico Ducatu patre Matthæo ejus loci Pastore Evangelico, Germanicum cognomen Kechhase (cacabum significans) in Græcum convertit, ut a χύτρα Chytræus sive Testaceus diceretur. *Tubingæ* Academica studia inchoavit, ibiqve anno ætatis XV. magisterii gradu ob ingenii præcocis dotes raro exemplo honoratus fuit; Wittembergam venit Anno 1545. Melanchthoni a fratre

Præ-

Prætore Brettano commendatus. Hic Chytræum ob eruditionem in ea ætate, valde amavit & qvasi filii loco habuit, Lutherum ad qvem a *Joh. Brentio* commendatitias attulerat, ultra annum audivit in Geneseos explicatione, qvi ultimus ejus labor fuit. Turbato Caroli V. victoria Wittembergensi statu, Heidelbergam & Tubingam digressus, restituta tamen Wittembergensi Academia, & Melanchthone in eam revocato, ipse qvoqve ad hunc rediit, dein parto ex informatione studiosorum aliqvo ære in Italiam profectus est Anno 1550. Anno leqventi post reditum commendatus a Melanchthone ad munus docendi in *Academiam Rostochiensem* vocatus fuit, ubi Anno 1561. Doctoris Theologiæ titulum cum duobus aliis assumsit. Extant, & juveni mihi lectæ sunt theses in justi tractatus modum (*forma octava* qvam vocant) conscriptæ, in qvibus totius religionis summa pie & solide proponitur, qvas defendendas cum duobus sodalibus, in totidem partes divisas, sumsit; Erant ii *Simon Pauli* & *Joh. Kittelius*, promotor vero *Joh. Rungius* Theologus clarissimus. Cæterum Chytræus a plurimis Academiis, urbibus, provinciis, amplissimis stipendiis licet invitatus, recusatis omnibus in vocatione semel adepta perstitit, lucri cupiditate omnino vacuus, gravissimis tamen negotiis apud alios, indulgentibus id Principibus Academiæ patronis, adhibitus est, inter qvæ commemoratione dignum est, qvod a laudatissimo Imperatore *Maximiliano* II. cum *Ordinibus Austriæ* libertatem religionis Evangelicæ permisisset. Anno 1569. accersitus, & sæpe ad colloqvium admissus, in Ecclesiis illis constituendis præclaram operam præstiterit, ut ex libris, qvi typis vulgati sunt constat, & (Deo volente) in loco dicetur; Idem ad formationem Academiæ Helmstadiensis *Julii Ducis Brunsvic.* auspiciis, multum contulit: In Saxoniam missus consultationibus de *Formula concordiæ* interfuit. Obiit septuagenarius Anno 1600. insigniter laudatus carmine celeberrimi viri *Jani Gruteri*, qvod cum reliqva Chytræi historia & librorum qvos scripsit recensitione conservavit *Melch. Adami in vit. Theol. p. 992.* morum summa fuit bonitate, & in ore crebro habuit hæc vota: Utinam ambitio & avaritia ex animis hominum funditus tolleretur. Utinam publicæ tranqvillitatis causa magni viri remitterent invicem simultates! utinam reges ac potentes rerum Domini, majorem Ecclesiæ ac Scholarum curam susciperent, certe pul-

pulchrum & stabilem Apostolicæ & orthodoxæ religionis consensum & florentem reip. Christianæ statum haberemus. Hæc de Chytræo.

Norimbergæ Andreas Osiander) *Melchior Adami* & qvos ille secutus est, in Bavaria natum tradunt, sed errant. *Gunzenbusa* enim (ubi Ao. 1498. natus fuit,) Franconiæ oppidum est, ad Alemannum seu Altmulam amnem, qvod *Burggravii Norimbergenses*, nunc *Brandenburgici Marchiones*, a *Seckendorffiis* ante annos paulo plus qvam trecentos coemerunt, Limnæo referente. Pater Osiandri faber fuit ferrarius; hujus cognomentum *Hosemann*, cum juventus oppidana, ut solet, commixtum cum baptismali *Andreæ* nomine, & deminutum in Hosen-Endrle corrupisset, ipse, literarum studiis deditus, & ut tunc moris erat, in *Osiandri* transformavit. Præcoci & fervido fuit ingenio, grandiloqventia & mysticorum imitatione tumidus & singularis: disputator etiam haud impromtus, ita ut coram Episcopo Bambergensi diœcesano suo cum aliis auditus, admirationem sui excitaverit, plura in progressu operis de illo dicenda erunt, maxime de jis qvæ in Borussia gessit, non sine turbatione Ecclesiæ: concionabatur eodem tempore in templo Sebaldino *Dominicus Sleupnerus*, uterqve a Præpositis Parochiarum ad prædicationes constitutus, ut infra §. 173. referetur.

Johannes Brentius) *Wila* qvod parvum est sed imperiale in Svevia oppidum natus fuit, patre prætore Anno 1499. Tyrocinia Academica Heidelbergæ habuit, eo progressu ut anno ætatis decimo octavo magisterii titulum assumeret, & contubernii qvod *realium* vocabant, Rector creatus, non Philosophiam saltem, sed & Theologiam doceret, ringentibus sacri ordinis viris. Invidiæ itaqve leniendæ causa sacerdotium suscepit, & inter *canonicos Ecclesiæ S. Spiritus* receptus fuit; audivit disputantem Heidelbergæ Lutherum Anno 1518. eumqve admiratus est, ac scripta ejus postmodum avide legit. *Halam Svevorum*, commendante qvodam qvi literis Heidelbergæ operam dabat, *Isenmanno* Halensi, vocatus fuit ad Pastoris munus Anno 1522. & in festo Natalitio B. Virginis concionem primam habuit: Evangelicam doctrinam modeste profiteri cœpit, non tamen sine contradictione monachorum ex *Franciscanis* maxime. Effecit nihilominus doctrinæ præstantia, qvam applausus Populi seqvebatur, ut pleriqve ex adversariis alio secederent. Missæ celebrationem aliqvandiu continuavit, ita tamen ut ab illis, qvæ pro defunctis habentur, abstineret. Invalescente

lescente interim plurimis locis Evangelii prædicatione; cum & *Isenmannus* ille Heidelberga in patriam revocatus operam jungeret, abrogatio Missæ anno 1523. secuta fuit, excusante se Brentio hunc in modum: Optimi auditores, audio qvosdam vestrum nostris actionibus offendi; & qvidem verum est, ego qvoqve aliqvoties Missam hic apud vos celebravi; sed non per omnia sacrificulorum more, sed impietate horrenda, sacrificii scilicet oblatione pro vivis & defunctis, omissa: idqve propter vos a me factum est. Nam cum primum huc a vobis essem vocatus, in profundum idololatriæ vos immersos reperi, ideo aliqvid erat faciendum, & ad vos in lacum descendi, ut vos educerem, & in libertate paulatim erudiendo & nonnihil etiam, exemplo Apostoli, ad tempus cedendo & simulando. Jam vero rectius ex verbo Dei a me estis instituti, & horrendam Missæ abominationem & cœnæ Dominicæ profanationem intelligitis. Ideo ea & fugienda est, & legitime abroganda. Hæc de *Brentio*, qvæ ad hoc tempus pertinent, sufficiant, ex Melch. Adam. & MS. Altingii excerpta. add. Scultet. pag. 122. 160. Alia seqventibus annis de illo commemoranda occurrent.

Ulmæ.) Editæ ibi sunt anno 1617. conciones a ministerio Evangelico in Festo jubilæo habitæ; qvarum prima est *D. Conradi Dieterici*, Superintendentis, Theologi meritissimi. In hac initia reformationis egregie referuntur, qvæ in compendium redacta exhibebo: Qvam primum Lutheri theses anno 1517. prodierunt, excitatus illorum lectione *Johannes Eberlinus Guntzburgensis, monachus Franciscanus*, prædicare in monasterii sui templo Evangelicam cœpit veritatem magno cum populi applausu, sed pulsus est, frustra intercedente plebe & Senatu, a fratribus, multasqve persecutiones passus, Wittenbergam se contulit: inde edito Anno 1523. libello, Ulmenses dehortatus est, ne ab Evangelio desicerent monuitqve ut a monachorum fraudibus sibi caverent, eorum vero immania crimina in omnibus monasteriis Ulmæ perpetrata ita descripsit & execratus est, ut dixerit, intra annos qvadraginta tanta admissa esse in illis scelera, ut mirum non sit, si sol radios urbi subtrahat, nullaqve herba aut planta crescat. Alia plurima ejus scripta anno 1521. Basileæ & alibi edita enumerantur. Abeuntis *Eberlini* exemplo *Henricus Kettenbachius*, ex eodem monasterio, magno animo

nimo adversus abusus concionatus est, cujus opuscula typis anno 1522. mandata itidem allegantur. Contradixit huic publice ex *Dominicanis Ulmensibus Petrus Nestlerus*, ejusqve clamoribus effectus est, ut & *Kettenbachius* pulsus fuerit. Eodem tamen tempore *Johannes Diepholtus* qvem vulgo loripedem cognominabant, in templo suburbano docere cœpit, adversus *cultum Deipara, & de Missa Evangelica*, ejusqve homiliæ typis excusæ fuerunt. Cum vero alius nomine *Johannes Hoslichius* in loco suburbano, sub dio concionari cœpisset, eiqve populus immoderatius adhæreret, Senatus illum ex improviso capi jussit, & Episc. Constantiensi vinctum transmisit, qvi eum in carcere totum annum tenuit, torqveri etiam fecit, ab Evangelii tamen professione dimovere non potuit, sed tandem dimisit, Ulmam postea reversum, & alicui functioni Ecclesiastico præfectum. Seqventi anno 1524. Pastor *Leipensis*, in ditione Ulmensi evangelium docere & Sacram cœnam *sub utraqve* celebrare ausus est, magno ad eum ex urbe concursu. Ausus etiam est Pastor Xenodochii Missas intermittere, & eo nomine in censuram vocatus libello supplici, conscientiæ suæ verbo Dei aperte constrictæ rationem haberi petiit, a qva animæ suæ salus penderet, eaqve submissione decretum a Senatu obtinuit, ut in statione sua conservaretur. Instantibus autem indesinenter civibus, vocatus fuit eodem anno ad Conciones Evangelicas *Conradus Samius*, Brackenheima ex Wurtembergico ducatu, ob doctrinam Evangelii pulsus (extat ad eum Consolatoria Lutheri 1. Octobr. 1520. data Lib. I. Ep. n. 195.) qvi primo in æde Franciscanorum dein & in templo maximo (qvod *Monasterium* vulgo Münster nominant) conciones habuit, ita tamen ut & Pontificii in eodem templo docerent. Crescente vero Evangelicorum numero, Samio *Johannes Diepholtus* & tres alii coadjutores dati sunt. Ex Monachis qvosdam immodestiores, & vitæ probrosæ reos senatus urbe ejecit, interqve eos qvendam, qvi cum a Samio ex scripturis in colloqvio coram senatu urgeretur, dixerat, si omnia in scripturis continerentur, monstrari debere, num in iis extet, qvod Ulma sit urbs. Eo anno Senatus pastoribus injunxit, ut concubinas dimitterent, aut matrimonio legitimo sibi jungerent, qvod & aliqvi fecerunt: mandavit item ut baptismus, & consecrationes nuptiales Germanica lingva administrarentur anno 1527. *officium* B. Virginis, & cantus ille *Salve regina* ante annos ducentos institutus, itemqve *festum corporis Christi*

Christi & expositio hostiæ in Altari abrogata sunt, idem factum anno 1528. de lectisterniis die passionis Christi, de candelis perpetuis, & aliis ejusmodi ritibus. Sed plenior reformatio anno demum 1531. secuta est, qvæ cum aliis qvæ postea acciderunt luculenter ab autore recensentur.

Erhardus Snepfius.) Celebrem ad Nicrum urbem imperii *Hailbrunnam* patriam habuit, qvatuor annis Brentio major, studiis a matre, pia matrona sacratus, Erfordiæ *Justum Jonam*, *Eobanum Hessum* & *Joachimum Camerarium* audivit, Heidelbergæ jurisprudentiæ se applicuit, ægre a matre ad Theologica revocatus, cum interim luce Evangelica ex Lutheri dogmate tenebras veteres dispulisset. *Weinsbergæ* primum, qvod ad Nicrum oppidum est, Wurtembergicæ ditionis, docere Evangelium cœpit, inde pulsus, sub patrocinio *Gemmingiorum*, qvorum splendidissima inter liberos Eqvites Sveviæ in Craichgoa familia est, & nunc qvoqve floret, *Guttenbergæ*: paulo post circa annum 1523. *Wimpinam* translatus est, oppidum imperialis libertatis; exorto anno 1525. rusticorum tumultu, non nisi matrimonio inito a maleferiatis illis, qvi eum sibi concionatorem castrensem expetebant, extricare se potuit: Reliqva ex ejus vita etsi in seqventes annos protenduntur, paucis addo. *Weilburgi* in Comitatu Nassovico pastor & reformator fuit, inde Professor *Marpurgensis*; postea Stutgardiæ docuit & Tubingæ Theologiam professus est, ubi *doctoris* titulo ornatus fuit, tandem ob *Interimistica* doctrinæ recusationem ejectus *Jenæ* eodem Theologicæ professionis munere per annos decem functus, obiit anno 1558. In conventibus & colloqviis religionis causa habitis utilem navavit operam; facundia tanta fuit, ut cum summa admiratione & attentione audiretur; scriptis etiam Ecclesiæ commoda procuravit.

Hamburgenses.) Urbis toto orbe celeberrimæ historia ad reformationem spectans, specialius tradi meretur, sed cum præter vulgatos autores nulla mihi nunc adsint documenta, ex qvibus reconditiora promam, præstat id ad aliud tempus differre, aut illarum rerum peritioribus relinqvere. *Joh. Bugenhagium* formulam reformationis jam anno 1522. Hamburgensibus descripsisse in vita ejus, ut & *Joh. Æpini* apud *Melch. Adamum* refertur. Hic Æpinus pastor illo tempore in urbe patria ad D. Petrum & post biennium cæterarum parochiarum

Superintendens conſtitutus eſſe perhibetur: Idem cum *Bugenhagio* & *Caſpare Crucigero* Doctoris titulum *Wittenbergæ* anno 1530. præſente Electore adſumſit, qvi primus actus fuit promotionis Evangelicorum Theologorum: Sed hoc ad ſeqventem hiſtoriæ partem pertinet. *Chytræus* & ex eo *Scultetus* primos Hamburgenſium præcones Evangelicos nominant *Ottonem Stifelium*, *Stephanum Kempium*, Franciſcanum, *Joh. Zechenhagium*, *Joh. Frizium*.

Caſpar Guttelius.) Edidit hoc ipſo anno 1522. ineunte, dialogum, eumqve *Comitibus Manſfeldicis* inſcripſit, *ſtrenæ* titulo. (Ein ſelig Neu Jahr.) Erfurti excuſum: Stylo & dialecto lingvæ Germanicæ Luthero inferiorem fuiſſe ſatis patet, ſed dogmata eorumqve uſum tam pie & orthodoxe tractat, & Eccleſiaſticæ antiqvitatis eam oſtentat peritiam, ut dolendum ſit hæc Viri ſcripta in oblivionem veniſſe. Ex illis ſane apparet veriſſimum eſſe qvod alibi monui, doctiſſimum & cordatiſſimum qvemqve conſcientiæ ex Scripturis convictæ impulſu, non cœco impetu Lutherum tunc ſecutum eſſe, neqve ſola ejus autoritate moveri potuiſſe, qvi eruditione, ætate & dignitate vel æqvabant eum vel præcedebant, inter hos certe Guttelium hunc, qvem vulgo *Doctorem Caſparum* vocabant, qvantum ex ſcriptis (cætera enim mihi ignota ſunt) conjicio, referri debere exiſtimo. Meminit dum iſta ederet ſe jam a viginti annis monachum fuiſſe, & ſic tribus annis prius qvam Lutherus Doctoris Theologiæ titulum an. 1517. Lipſiæ adeptus eſt. Scholaſticam doctrinam perfecte callebat, ſed eam contemnere cœpit, ut ſcripturarum lectioni ſe totum addiceret, unde vix ulla ejus diſciplinæ veſtigia in ſcriptis ſuis reliqvit. Eraſmi admirator ſectatorqve fuit, & per concilium vel univerſale vel Nationale defectibus Eccleſiæ remedia inveniri poſſe arbitratus eſt. Ex dialogo ſive colloqvio iſto inter Magiſtrum & diſcipulum qvædam adſcribam. Laudat alium dialogum antea vulgatum inter Franciſcum Sickingium & ruſticum qvendam foſſorem (vulgo Karſthanßen) & ſecundum ejus contenta ſcripturæ lectionem omnibus modis commendat; gratiasqve eo nomine Deo agit, qvod tandem poſt diuturnam famem ab *Amoſo* propheta Cap. VIII. prædictam unicus ille & pretioſiſſimus animæ cibus, verum verbum Dei hoc tempore clarius qvam per aliqvot ſecula innoteſcere cœperit, & Theologia pura & incontaminata ex pulvere & cœno

cœno repurgata,& producta ex latebris fuerit; id oſtenſum eſſe ait in *libello populari de fide antiqva & nova*, provocat etiam ad exemplum fœminæ in vicinia, qvæ ex ſcripturis duos valde tumidos ardeliones convicerit. Tria inde tempora Eccleſiæ refert, *primum* optimum, ubi in plantanda Eccleſia Chriſtus ſolus cum verbo ſuo ſanctiſſimo, pro ſcopo habitus fuerit,uno tamen oculo ad Chriſtianos etiam fratres directo, & paſcendo oves, ex præcepto Chriſti, Petro dato : illa ſecula aurea (ait) fuiſſe, & martyrum coronis ornata. *Alterum* periodum negligentem vocat cum Paſtoribus prioribus, qvi pleriqve mortem pro Chriſto ſubierant,ſuccederent trepidi & inertes,qvi jactum a Satana hamum avaritiæ & ſuperbiæ incauti deglutiverint, alia præter Chriſtum qværentes: Tunc plures hæreſes contra Chriſti perſonam & officium obortas, qvibus tamen Hieronymus,Auguſtinus, aliiqve maſcule reſtiterint. At Tertium tempus luctuoſiſſimum, a Paulo 2. Tim. III. & a Petro 2. Epiſt. Cap. II. prædictum eſſe. Paſtores enim extitiſſe, qvi pro lubitu legibus novis eccleſiam oneraverint, & cœlum clauſerint,qvod tamen nec ipſi intraverint. Spretam fuiſſe ſcripturam; *Humaniſtis*, *Summiſtis*, *Sophiſtis* omnia repleta, regnaſſe ſuperbum illum paganum Ariſtotelem; ita veteres frigidosqve præceptores ſuos nil niſi *ſecundam* ſecundæ, *diſtinctiones*, *qvæſtiones*, *ſummas crepaſſe*. Ita Theologos Phariſæis ſimiles factos eſſe,qvi meriti fuerint qvod Chriſtus comminatus eſt Matth. XXI. 43. *auferetur a vobis regnum* Dei,& *dabitur genti facienti fructum* ejus.Se vero dicit, nullo alio fundamento qvam verbo Dei uti velle. Nolo,*inqvit*,Lutheri nomen & litem mihi imponere,abſit a me ut Martini aut Petri aut Pauli ſim; a ſolo Chriſto nomen, gratiam & ſalutem ut decet baptizatum Chriſtianum ſumo. Mihi nec Cephas, nec Apollo, nec Paulus,multo minus Martinus,aut ullus alius homo,dare illam poteſt,itaqve *Martinianorum* & *Eccianorum* nomina, ſi ſapimus,omitti debent,unicum habemus Chriſtum, alterius non egemus. Tria inde tractat capita (1.) miſerum Eccleſiæ ſtatum deſcribit. (2.) examinat qvalis ſit verus Chriſtianus,& qvæ vera bona opera (3.) oſtendit qvomodo ex miſero illo ſtatu ad veritatem perveniri poſſit. In *primo* comparat Paſtores prioris temporis illis, qvi Zachar. X. deſcribuntur, qvi neglecta prædicatione verbi divini,qvam Chriſtus unice injunxit,& Petrus exercuit, nil fecerint, qvam *excommunicare*, *pompas agere*,*nummos colligere*, *imo*

sangvinem Christianum profundere, & miseros opprimere. Debebant, ait, Christum prædicare, & proximi salutem etiam cum vitæ suæ periculo qværere, sed ubi sunt tales? nil nisi nomen spiritualium (der Geistligkeit) reliqvum mansit, opera sunt minime spiritualia imo nec Christiana (Ungeistlichste/ja aufs allerunchristlichste) speciatim refert multis annis in Italia se versatum, templa, monasteria, *commendas*, in desolatione & penuria, aliqvando in qvibusdam unum alterumqve monachum lacera veste inveniisse, neqve unqvam audisse, qvi concionarentur, illos omnium minime, qvibus id ex officio Apostolico incumberet. In Germania etiam concionandi munus non primoribus aut doctioribus, sed plerumqve inferioribus, indoctis & jejunis vicariis seu Capellanis, & inter Monachos iis, qvos *terminarios* vocabant concreditum fuisse. Hi juvenes, ait, erant Scripturæ ignari, & qvi sermones sibi præscriptos fabulis repletos seqverentur, eum in finem ut plebem caseo & butyro aliisqve emungerent reculis, & sic regnum ciconiarum in ranas exercerent. Si qvi excellentiores in magnis urbibus ingenti salario ad concionandum conducti essent illi Christum, ut debuissent, solum Regem eumqve mitem, & humilem, qvalis ad filiam Sion venit, minime prædicabant, sed doctrinis hominum horumqve meritis, & libero arbitrio referti, satellitio profani Aristotelis tum *Summistarum* & *Partistarum* obruebant & dedecorabant: Charitas vera in pauperes in desvetudinem abiit, neqve fuere qvi eam commendarent, hæ saltem voces strepebant, gib/bring/kauff/löse/ mach dich theilhafftig/stiffte/baue/stecke Licht auff/faste/lauff dahin/lauff dorthin/da vergibt man Pein und Schuld/ i. e. da, affer, eme, redime, participem te fac, (meritorum monasticorum) funda, ædifica, cereos accende, jejuna, curre huc, curre illuc, ubi culpa & pœna remittitur. Sic, ait, non ut Christus modeste & placide, sed superbe & eqvis vecti incesserunt. Tales erant *Stationarii*, qvos vocant, qvi se legatos *Spiritus Sancti* dicebant *S. Antonii*, *S. Valentini*, *S. Mariæ de Roma*, *S. Joh. Baptistæ*, *S. Bonifacii*, *S. Bernhardi*, *S. Wendelini*, *S. Huperti*, pluresqve alii, cum iisdem mercibus, *vexillorum*, *campanarum*, *cereorum*, *bistoriarum de Sanctis*, *magnus appanatus*, magnus numerus erat, de Salvatore nostro J. C. ejusqve gratia & solatio, ne verbum qvidem: Exempla Sanctorum in moribus nulla, nec informatio, qvomodo gratiam a Deo sanctis exhibitam venerari, eorumqve fidem & opera imitari deberemus.

Mi-

Mirum adeo fuisse dicit, qvod Petri navicula non plane submersa fuerit, itaqve ejus conservationem solius Christi promissioni & gratiæ adscribendam esse. Jam parte altera fidei naturam & efficaciam, & liberi arbitrii corruptionem, qvæ etiam optima opera nostra Deo ingrata & imperfecta faciat, & qvod veræ pietatis exercitium ex fide necessario seqvatur, egregie deducit, allatis & nervosæ applicatis clarissimis sacrarum literarum testimoniis, hanc autem doctrinam plane neglectam fuisse qveritur, dum profani & lucripetæ ex clero (die Welt-Knaben uñ Geld-Priester uñ Münche/) opera solum sanctorum ebuccinarent, de fide vero eorum, ex qva operati sunt, ne mutirent qvidem: ita vulgus cum sanctos audiret orasse, jejunasse, peregrinatos esse, eadem ait, tentavit stolido impetu, ad novas, a Diabolo potius qvam Deo institutas peregrinationes prorumpens, domi uxores & liberos egenos reliqverunt, tempus & operam perdiderunt, cibum animæ, verbum Domini, qvod domi habere potueruut, neglexerunt, contra manifestam Dei voluntatem, qvi nulla probat opera qvam ex vera fide profecta. Monstrat inde, qvam exiguo aut nullo fructu a confessionibus remedium qvæsitum sit, & ut conscientiæ hominum, post frequentissimas confessiones, magis magisqve in securitatem inciderint; impossibilem etiam esse docet enumerationem omnium peccatorum, Deo ante omnia confitendum esse, inter Deum & hominem, solum esse mediatorem Christum, ad hunc fide confugiendum; citat Erasmum ad hæc confirmanda, qvi doceat, qvomodo Christus in verbo Evangelii inveniatur; monet graviter, verbo ob cœlestem vim veritatis, non ob prædicantium autoritatem credi debere; qvi hanc solam seqvatur, nihil agere: qvi verbo *credit*, (ait) *non respicit personam prædicantis, nec verbum ob personam honorat, sed hanc honorat ob verbum*, & pereunte *licet & ermnte persona*, aut *aliter docente omissa illa & valere jussa, verbo adhæret: Hæc est fidei divina & humana differentia, illa Verbo & Deo, qvi est verbum, innititur, hæc hominum autoritati*: allegat exemplum Joh. IV. de Samaritanis. Illud vero axioma, qvod fides nunqvam sit absqve spe & charitate, prolixe & clare inculcat. Respondet etiam pie & docte tentationibus de æterna prædestinatione. Has dicit inter alia ideo pro Diabolicis habendas esse, qvia eo hominem ducant, ut aut a pietatis exercitiis cesset, cogitando scilicet, nihil ea prodesse, si ex absoluta prædestinatione salus contingat; aut

opi-

opinione electionis tumidus fiat. Oppone (ait) ex Psalmo I. *Beatus qvi meditatur in lege Dei die & nocte: non dicit, Beatus qvi meditatur & scrutatur an electus* sit nec ne; addit alia in eum sensum, & tela diaboli vitanda esse monet, qvibus eo tendit, ut neglecta via mandatorum Dei, arcana ejus decreta rimemur: optimum & tutissimum esse media salutis strenue seqvi, armaturam sacram a D. Paulo præscriptam arripere, gratiam Dei pro fundamento habere, absqve illa enim nullum fieri posse bonum opus, sed omnium hominum actiones peccato contaminatas esse. Apparuit enim (scribit) *gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus* Tit. II. *Apparuit;* ergo ante illam nil fuit nisi ira & damnatio: apparuit gratia Salvatoris sive salutaris (ut est in Græco) ut constet salute carere, qvicqvid careat gratia: ubi hic est liberum arbitrium? ubi virtus, ratio, bona intentio hominis? omnia extra salutem, omnia damnata extra gratiam, omnia peccata & pudenda coram Deo, utcunqve coram hominibus splendeant. Dicitur etiam significantissime, *omnibus hominibus*, nemo enim excipitur, omnes sumus *natura filii iræ. Apparuit autem ut abnegemus impietatem & seculares desideria*, qvid hinc colligitur, nisi talia esse omnia nostra, ante gratiam & sine ea? Hic succumbere debent omnes hypocritæ, etsi jejuniis, orationibus, vigiliis, laboribus sese ad mortem usqve macerent, nisi cor gratia purificatum habeant. Non dicit Apostolus *apparuit festum*, aut *peregrinatio*, aut *ordo hic vel ille* monachorum, aut hoc illudve opus; neqvaqvam; sed *gratia salutaris* apparuit, hæc sola & unica id præstat. Stulti hinc omnes monachi & monachæ, qvi opera sua jactant præterito fidei fundamento; Ipsa glorioßissima mater Domini, nulla prædicavit opera, sed simpliciter dixit, *ecce ancilla* Domini & Elisabetha eam celebrans exclamavit; *beata qvæ credidisti.* Si tamen unqvam homo fuit, qvi de bono opere gloriari potuisset, facere id B. Virgo potuisset: opus enim ejus cum fide & obedientia corpus suum virgineum filio Dei, qvem cœlum & terra non comprehendunt, inhabitandum tradidit, præcellit omnia hominum opera: Qvid enim sunt ædificia, fundationes, campanæ, puppæ, qvibus nos superbimus? Respondet inde ad objectiones ex dictis, *si vis ad vitam ingredi* serva mandata, & ad alia, qvibus libertas arbitrii & obseqvii statui videtur, Scripturam enim ex Scripturis explicari debere docet, utitur similitudine, qva & Lutherus usus est, qvod ubi solem nubes qvædam abduxit, sol tamen post nubem

bem splendeat, & qværendus sit: intelligi itaqve ex clarioribus dictis debere, qvicqvid de operum nostrorum bonitate aut libertate dicitur, ut prævia gratia Dei fieri censentur, ex fide scilicet qvæ nunqvam otiosa est, si vera est: sibi qvidem (ait) fides ad salutem sufficit, sola eam assequitur, operibus ad id non habet opus, sed opus est ei operibus, ad salutem proximi; fides recipit bona, charitas distribuit, qvæ fides accepit, neqve aliud vult Jacobus Apostolus cum opera urget, qvam ut fidei veræ argumenta sint. qvanqvam ejus verba insulse ad operum merita trahant Sophistæ: Taxat inde opera illa conficta, nugatoria & hypocritica, Missas, vigilias, erogationes, cujusdam eleemosynæ, anniversaria &c. qvibus mire, (ait) sibi placent Clerici & Prælati, iisqve obtegi & compensari posse putant summam avaritiam & duritiem qva census & servitia a subditis extorqvent. Egregia inde, ad majorem fidei fructum ex sacris meditationibus, incarnationis, passionis totiusqve vitæ Christi, & ex communione corporis & sangvinis ejus in Sacramento, capiendum commentatur, ut & de mysterio desponsationis inter Christum & animam piam itemqve regenerationis. *Tertia* parte tractatus de mediis inqvirit, qvomodo ex captivitate hac, qva populus Christianus premitur, ut non nisi nudum nomen Christi retinuerit, eluctandum sit: describit iterum extremam Ecclesiæ miseriam, vitia immania in moribus, Superstitionem in cultu, multitudinem & abusum festorum, tum qvod mala ista multi non sentiant aut agnoscant. Exigit itaqve agnitionem & confessionem morbi, dein ut arca Domini in humeros recipiatur, id est verbum Dei; Ut abusus qvibus pecuniæ renditur, & qvi in cultu sanctorum in Missis mercenariis, in Vigiliis, & Exeqviis committuntur, tollantur, ex his enim omnibus apparere, qvod ventrem pro Deo habeamus. Exclamat inde: *O concilium concilium qvam summe es necessarium.* Nondum (ait) plane despero, multa regna, provincias, ditiones peragravi, Germaniam pro corde Christiani corporis habendam judico. Habemus *Carolum Cæsarem* Principem valde pium & Christianum: habemus intet tot alios proceres *Albertum Cardinalem Archiepiscopum &c.* hunc & alios supplices adeamus, ut si totius orbis Christiani concilium fieri neqveat, saltem ut in Germanica natione qvantocyus convocetur, in qvo de tantis rebus tot animarum, qvas Christus sangvine suo redemit salutem spectantibus ex verbo Dei libere & publice tractetur, & qvid se-

qvendum sit, definiatur, qvod si neqve hoc obtineri potest, nullum auxilium, ita me Deus amet, neqve consilium scio, qvam ut qvi in Christum credimus, verbo ejus irrefragabili adhæreamus, & simus sicut Loth in Sodomis, Israelitæ sub superstitiosis gentibus, & hodie multi ex Christianis inter Turcos & paganos. Ostendit inde, qvid præstare Episcopi & Principes possint & debeant; detestatur Christianorum bella & immania peccata, imprimis militum mores diabolicos, ita ut Turcis longe pejores sint. Turcos in nobis ipsis ante omnia qværendos & vincendos esse svadet, nempe, vitia nostra, hoc facto facilimum Deo esse vel uno ictu ut olim Assyrias copias, Turcorum myriades sternere. Prolixitatem excerptorum istorum confido lectoribus piis non fore tædiosam, & demonstratum esse specimine hoc, qvæ tunc fuerit Ecclesiæ illius temporis miseria, a viro experto & modesto, summa cum adseveratione descripta, tum qvæ sit veritatis divinæ vis, qva factum, ut ex iisdem principiis & rationibus, & ex uno spiritu saluberrima remedia proposita fuerint. Neqve dubito talibus libellis multa hominum millia a superstitionibus & abusibus retracta & de vera fide in Christum ejusqve fructibus optime instructa fuisse. Mirandum potius est, accensa hac face cœlestis luminis supersesse potuisse, qvibus tenebræ magis placerent, nisi ex ipso Dei verbo disceremus id mundo familiare & svetum esse, & paucis contingere, ut salutis viam inveniunt. Vere nempe & divine ipse Christus docet: *Contendite intrare per angustam portam qvia multi, dico vobis, qvarent intrare & non potuerunt.*

Publicavit hoc ipso anno *Guttelius* alium Dialogum itidem Erfurti excusum, cujus præfatio scripta est *vigilia S. Bartholomæi.* In hoc tertius collocutor accedit, qvem jocose *flagellatorem* vocat, i.e. monachum *terminantem*, & cum sacco mendicantem. In hoc qvoqve tractatu vitia insectatur & Antichristum apparuisse dicit ex doctrina Johannis 1. Ep. c. IV. 3. reprehendit eos qvi ut moram nectant, dicunt se deliberaturos esse de Evangelio recipiendo, magis vero illos, qvi ejus prædicationem vi impediunt, Pharisæorum exemplo, Gamalielis etiam consilio spreto. Intra triennium ait, Deus oculos aperuit pauperibus in multis Christianorum orbis partibus, & tamen sunt qvi sanctitatem adhuc qværunt in vestibus & ritibus: in Kleidern / Platten/ Kappen/ Singen/ Eyern/ Fischen/ Butter/ Oel/ Essen/ Läuten/ Räuchern/

chern/ in köſtlichen Chor-Mänteln prangen/& in jactatione & fiducia cultus interdiu & noctu Deo præſtiti. S. Paulus plebi jam cognitus eſt (ait). Detracta eſt pellis Leonina aſino, nil niſi aſinus cum auribus & voce ſua ſupereſt, jam hypocritæ, ſeductores, mendaces & impoſtores iſti vocantur, qvi ſe mediatores inter Chriſtum & populum ferebant, unus eſt Deus, unus mediator &c. unus Sacerdos ſummus; per hunc ſolum ſalvamur; hæc eſt fides Chriſtiana: Jam Biblia hucusqve ſpreta, die noctuqve circumferuntur, prædicantur ex pulpitis & famem verbi divini excitant. Indicat pluribus verbis monachorum mendicantium turpitudinem & inſcitiam, nec parcit opulentis collegiis & monaſteriis, ſed & horum avaritiam, durum in pauperes dominatum & hypocriſin, graviter taxat. Indignatur, *Carthuſianos* etiam tantas opes conqvirere, neqve tamen hos aut alios charitatem pro tanta affluentia erga pauperes digne & pie exercere. A trecentis annis degeneraſſe omnem monaſteriorum diſciplinam; qveſtum de hac corruptione *Gerſonem* qvem virum vocat excellentem, einen theuren Mann/ & nunc tamen vendi ſuperabundantia opera, ex fœtidis monachorum operibus: In illorum manibus rarius Pſalterium, freqventiſſime cenſuales libros conſpici, primum nec aliud qværi, an afferantur cenſus, an præſtentur ſervitia, ut ager ſe habeat, bringſt du Zins/ bringſtu Geld/ fröhnen auch heute die Bauren/ wie ſtehts im Feld? Chriſtum cum theſauris ſuis nullius eſſe conſiderationis, ceremoniis omnia tribui, auff Neigen/ auff Ducken/ auff lang Beten/ auff Eyer/ Oel/ Kappen/ Schleyer/ qvæ omnia nihil valeant apud Deum, niſi adſit fundamentum a Deo præceptum, fides vera & efficax. Ad pecuniam tandem omnia referri: Geitz iſt der Vater zum Kind/ Geld iſt die Loſung. Ita monaſteria in infernum, monachos in diabolos transformari, dura ſunt iſta, ait, ſed dudum ab Hieronymo notata. Epiſcoporum inde & Prælatorum mores aperte depingit, ut armati incedant & bella gerant, & ſangvinem Chriſtianum effundant, ut delitioſum otium qværant, ut aleæ indulgeant, im Schacht ziehen/ im Bret ſpielen/ rümpffen/ flüſſen/ ſcherwenzeln/ karnöffeln/ bockmänteln. Addit ſe hæc non dicere ut motus excitentur, id enim non eſſe Evangelii ſcopum aut doctrinam. Reſpondet ad excuſationes, qvod Evangelium ſemper fuerit prædicatum in Eccleſia: negat enim debito modo prædicatum eſſe, putant (ait) prædicari Evangelium, cum die-

bus Dominicis particula qvædam prælegitur, si surgant, dein sedeant auditores, & ex hominum doctrina, ex Summistis & Partistis audiant, qvæ ad lucra cleri diriguntur. Si totum Evangelium non vero particulas qvæ omnes simul vix sex folia majora impleant, explicarent, si omnes qvatuor Evangelistas, sic omnium Apostolorum scripta, sic Prophetas etiam utpote de Christo vaticinantes non neglexissent, nunqvam in hanc corruptionem præcipitata fuisset Ecclesia. Horum omnium loco *librum exemplorum* successisse, succum & nucleum Evangelii omissum Christum etiam ut exemplum saltem aut legislatorem & consultorem propositum fuisse dicit. Utilia inde multa subjungit ad probandam scripturæ veritatem & præstantiam & adversus Atheorum blasphemias & cavillos ut & contra clamores de hæresi. Interim non sufficere ait, si qvis dicat, se Evangelicum esse. Qvam facile didicerunt (scribit) aulæ, nobiles, & rustici, ut sacerdotes & monachos criminari, avaritiam & pravos mores illis exprobare, negligere preces, jejunia, parum offerre noverint, qvidam etiam monachi promtissime cucullos abjecerunt, alii lignea simulacra combusserunt, carnes comederunt, & alia in conspectu simplicium Christianorum egerunt, qvæ putant & jactant, Evangelica esse, Diabolica illa potius sunt, ex his fructibus fœtidis & impiis arbor bona & Christiana non cognoscitur, nemo Evangelicus esse potest, qvi veram fidem non habet, eamqve per charitatem assidue exercet, crucem patienter gestat, & spem servat. Ista omnia ex Pauli, & qvia hunc fere pro hæretico haberi dicit, ex Petri etiam epistolis deducit; & Principes proceresqve serio commonefacit, ut officium suum faciant, & subditos benigne tractent. Cum vero tam pauci sint, qvi ad gregem illum parvum Christi referri possint (esse enim qvosdam non negat, sed (ait) *qvid sunt inter tantos?* Joh. VI. 9.) impedimento esse notat [1.] Diaboli astum & sævitiam, auctam hoc tempore, cum videat detegi fraudes [2.] respectum temporalis commodi & charitatis defectum: [3.] *Sophistarum, Partistarum, Summistarum* clamores hæresin meliora ostendentibus imputantium: esse etiam qvi absolutionem principibus denegent, ni exeqvi velint sua decreta. Accedere adulatores & religionem Dominorum facile probari servilibus & parasiticis ministrorum & subditorum ingeniis. [4.] antiqvitatem & veterem morem obtendi, retinenda esse dici qvæ parentes majoresqve probaverint, qvasi

non

non & illi diaboli fraude & hominum malitia decipi potuerint; si hoc argumentum validum esset, paganismum restituendum fore. Patres & majores illos sequendos esse, quales nominat B. Virgo & Zacharias, pios nempe, *Abrahamum & semen ejus*, Isaacum & Jacobum. De vita monastica tandem censet, nisi pro judaica illa fide, quæ fere huc usque invecta sit, Christiana restituatur, abjici debere cucullos, tonsuras & omnia illa, & in legitimum statum reduci. Profitetur autor se primis studiorum annis per frigidos Præceptores male instructum, jam pro veteramentario (etiam Altreissen) habendum, juniores & egregios nunc magistros esse, qui reformationem rectius pleniusque indicare & promovere possint. Monacho vero isti collocutori, ad cuculli objectionem auditis tot censuris inclinanti svadet, ne id faciat, corrigi mores debere, & verum fidei fundamentum teneri, sic nociturum non esse cucullum; denique adversus persecutiones & afflictiones solatiorum fontes aperit, & Ecclesiam sub cruce optime semper floruisse, nec cœli viam nisi per tribulationes patere ostendit. Anno 1523. Guttelius Islebiæ per totam quadragesimam singulis diebus a Dominica Invocavit usque ad festum Paschale & in hoc quoque conciunculas doctas piasque habuit, quæ Zviccaviæ mense Septembri typis vulgatæ sunt, & Alberto Cardinali Brandenburgico *d. Veneris post Fest. Ascens.* dedicatæ. Hunc laudat, quod librorum piorum editionem non prohibuerit in sua diœcesi, eumque hortatur ad pascua pura populo procuranda, & ad concilium promovendum, quod liberum & Christianum sit, in Spiritu S. congregatum, in quo post tot gemitus, preces, & desideria ovium Christi tandem hominum dogmata removeantur, & Christi fides ex verbo Evangelico restituatur. In epilogo ad eundem petit, si generale concilium a Romana sede impetrari non possit, ut de nationali pro officio suo ut *Primas Germaniæ* cogitet, neque enim coram Deo nisi id faciat, culpa carituram esse; svadet etiam reformationem Missarum & festorum, & ut precibus populi indulgeatur S. calicis usus secundum institutionem Christi, atque alia ordinentur, quæ erroribus & oppressionibus Ecclesiæ remedia afferant. Hæc suo & aliorum nomine demisse & humilime imo per Deum rogat, & innumerarum animarum miserias & angustias quantocyus sublevandas impense commendat. Sed ad annum 1522. redeo. In

illo enim Zviccaviam vocatus fuit Guttelius, literis Senatus & Pastoris, ut dissidentem in urbe clerum & populum concionibus suis ad concordiam reduceret, ut ita arbitri loco habitus esse videatur, ab iis qvi de doctrina Lutheri discrepabant. Offensos enim ab illo ex plebe non paucos fuisse verisimile est, sive Cleri instinctu, sive qvod Storchium aliosqve ejus sectæ damnasset. Erant & in Senatu & ex vicina nobilitate, qvi reformationi resistebant. Extat autem non saltem Guttelii concio, *Dominica post Petri & Pauli Festum* Zviccaviæ habita & excusa, sed & literæ MS. habentur in doctissimi viri *Christiani Daumii* Scholæ Zviccavienſis Rectoris emeriti bibliotheca, qvarum exempla mecum communicata fuerunt, ex qvibus ista aperte probantur. Versabatur tunc Wittenbergæ M. Stephanus Rothius Zviccavienſis, vir doctus & civitatis postea Syndicus, qvi cum Luthero amicitiam inierat ab uxore novella ut Schmidius refert, a simultate & odio, qvo ei adversabatur retractus. Ad eum qvidam ex prædicatoribus Zviccavienſibus Wolffg. Zeunerus hæc scripsit d. 28. Maji 1522. Ignaviam & torporem nostrum haud inepte notasti, probeqve admodum dicis. Cum igitur populus duræ cervicis, multisqve mirum in modum ambagibus in superstitiones traditiunculasqve nescio qvas deflexus ut majore avocetur ab hisce ineptiis auctoritate *Doctorem Caspar Guttel* & Senatus ipsius & nostri pastoris literis vocavimus, qvi sic reqvisitus brevi temporis spatio se venturum pollicetur, pro sacro pulpito declamaturus, sperantes, Deo præbente, eum id suis revocationibus effecturum, qvod forte nobis, plerisqve assertionibus ac pugnationibus eriam a scriptura desumptis, vix credituri essent. Dein successum concionum Guttelii narravit: Adfuit nobis paucis diebus *Doct. Caspar* vocatus. Mirum qva gratia primum Scholasticorum, præsertim Thomistarum dogmatibus adeo exutus, ut jam eorundem extremus contemptor existat, dein verbum Dei per scripturam solidam mire tractare consvevit, ut an fuerit Thomista penitus ignoretur, dubiteturqve utrum magis didicerit aut dedidicerit. Nec absqve fructu discessit, multos sermones nostros approbando, ita ut qvidam *operariorum* satis grandævus diceret ipsum cum nobis in unum conspirare cornu. Est & insuper qvidam inveteratus homo, plusqvam sexaginta annorum presbyter & pastor, idem canus & dives. Is freqventissimus suis concionibus aderat, nec Cygneam relinqvere volebat, donec ipse Doctor Caspar abisset.

Is

Is (ut cognati sui ajunt) plerumqve coram, inter concionandum, miseriam suam flentibus oculis deplorabat, talia usqve in hæc ipsa tempora nunqvam audita protestabatur. Asserens nunc pastoris munere relicto ac renunciato ad Cygneam (ad qvam unice suspirat) reversurum, perpetuoqve mansurum, faxit Deus eum constanter id exeqvi. Est & alias populus ut nosti ad conciones freqventissimus. Qvò fit, ut & pastor noster opera Senatus & consensu populi plures institui sermones curet. Addit alia de mutationibus circa Missam & ritus inutiles, qvæ tamen nonnisi rudimenta perfectioris reformationis fuerunt, post annos qvosdam sub Johanne Electore secutæ. Nullam mentionem Guttelii fecit in Chronico suo Schmidius, qvi tamen pleraqve illius temporis ex commentario diurno æditui cujusdam Zviccavienſis descripsit. At hic Guttelii conciones in an. 1523. refert habitas ante & post meridiem *Dominica post corporis Christi* ideoqve de aliis agit, priorum oblitus, nisi in anni numero error est. Ex hoc ipso MS. hausit Schmidius, qvæ de Lutheri adventu & concionibus narrat Part. I. pag. 385. verba æditui MS. ex Germanico versa hæc sunt. Anno 1522. die Lunæ post Misericord. Dom. (*incidit eo anno in diem 27. April.*) Zviccaviam venit D. Martinus Lutherus, & hospitium apud consulem Hermannum Muhlpfortium habuit. Die Mercurii concionatus est in templo Franciscanorum, de fide, & a meridie de bonis operibus; Disputavit etiam acriter in articulo de prædestinatione & de matrimonio. Die Philippi Jacobi (*huic qvi est 1. Maji per errorem adscribit diem 29. April.*) ex curia (*ad populum scil. in foro spatioso collectum.*) sermonem habuit, hunc audivit (*additur in margine ex alia manu*) pater meus, & diabolus tumultum excitavit, cum vetula inter cœmenta, qvæ ad ædificium publicum destinata in foro jacebant, sedere videretur; Die *inventionis crucis* circa vesperam in arce concionem habuit: Concurrerat ex agris magna multitudo virorum, qvi videre & audire eum volebant, multi etiam milites in urbe erant, ita ut qvidam numerum advenarum ad 14000. computaverint. Debuissem hoc Lutheri iter referre ad an. 1522. cum de gestis ejus post reditum ex arce Wartburgensi agerem: sed cum MS. nondum vidissem, nec præter Schmidium reperirem qvi ista traderet, incredibile mihi videbatur Lutherum eo tempore, cum ob proscriptionem Cæsaream vix Wittembergæ tutus, nec de Electoris tutela certus esset, ausum fuisse tridui itinere Zviccaviam

caviam excurrere, & interjecta plurima loca sub ditione Georgii Ducis sibi infensissimi, aut eo transire aut difficulter vitare. Dubium etiam faciebat, qvod Schmidius diem, qvo Lutherus ad populum de curia locutus est 9. April. computat, in qvo manifeste erravit; ille enim dies anno 1522. non in hebdomadem post *Qvasimodogeniti* sed post *Judica* incidit, in qvo Lutherus Wittembergæ fuit, eoqve tempore cum Anabaptistis disputavit, ut constat ex epistola *vigilia Palmarum* ad Spalatinum data Libro secundo pag. 58. Sed cùm postea copia Manuscr. Zviccavienſis mihi fieret, in qvo diem 29. Aprilis qvanqvam nec hunc sine errore, sed levi inveniebam, & epistolam aliam Lutheri ad eundem Spalatinum *fer. 2. post Misericord. Dom.* ex arce *Eulenburgensi* scriptam Lib. II. p. 61. b. attentius considerassem, relationi MS. fidem denegare nonp otui; qvamvis celerrimum iter Lutherum habuisse oportet, qvi *d. Invenit. Crucis, Luna*, sive *feria prima post Misericord. Dom.* (3. Maji) circa serum, Zviccaviæ concionatus, seqventi die, i. e. feria 2. *Eulenburgi* esse potuerit. Innuit autem „ aliqvid qvod ad ea qvæ retuli trahi potest, cum scribit: „ Qvid hac profectione egerim, ex aliis cognosces, vel cognovisti. *& paulo post*: „ Cygneæ *modo tribus egregiis viris Evangelistis bene provisum est*: ipso *pastore optimo viro, & aliis duobus Magistris sacerdotibus*; ut adeo verisimile sit iter hoc non sine voluntate & ope qvamvis occulta Electoris susceptum fuisse ad componendos motus in urbe tunc populosa & potenti. Pastor erat, de qvo alibi egi, Hausmannus. De hoc in MS. legitur An. 1521. vocatum esse a Senatu, & primum Pastorem post annos novendecim fuisse, qvi præsens in urbe esset. Solebant enim parochiæ pingviores artibus Romanæ curiæ & Episcoporum iis conferri, qvi reditibus frui, functionem vero aliis tenui salario conductis locare possent. Addit Schmidius post conciones Lutheri Monachos in convitia & tumultus prorupisse, & a Senatu invito Papa & Episcopo Naumburgensi diœcesano, urbe ejectos esse, sed in MS. id saltem refertur, qvod uni monacho qvi in *festo Francisci* 1522. i. e. d. 4. Octobr. petulantius concionatus erat, abitus injunctus fuerit, & certum est, ut dixi, pleniorem reformationem post aliqvot demum annos secutam fuisse. Hæc occasione mentionis de Guttelio, de qvo in seqventium annorum historia aliqva adhuc dicenda venient.

Ad §. CXLVII. *viasqve & modos proponeret.*) Erasmus edita pau-

paulo post hoc ipso anno *Spongia sua* sive *expurgatione* adversus *Ulricum Huttenum*, more suo recte & caute ostendit, qvid consilii fuisset capiendum, & qvid optari potuerit pro bono Ecclesiæ. Cum enim indicasset qvid in Lutheri ut vocat *paradoxis & vehementia* desideret, & Lutheranos, qvi sibi spiritualem cognitionem vindicabant, commonuisset, ut cogitarent se qvoqve homines esse, iisdem malis obnoxios, qvibus Pontifices & Principes; utqve publicam non spernerent autoritatem: hac paræneſi ad Principes, Ecclesiasticos nempe & Politicos, utitur, Rursum principes qvamlibet potentes ac magni, ne aversentur veritatem Christi, a qvamlibet humili propositam: Humiles erant & apostoli: Pharmacum corpori profuturum accipimus ab obscurissimo idiota, aut a muliercula, & animi medicinam respuimus ab humilioribus oblatam? Submoveantur utrinqve privatæ cupiditates, & communibus votis imploretur spiritus ille pacificus, ne mutuis dissidiis Christiana res jam nunc in arctum contracta, penitus concidat, ne ferarum ac piscium ritu mutuis morsibus nos invicem lacerantes jucundum spectaculum præbeamus, & Satanæ, & Christiani nominis hostibus. *In omnibus articulis a priscis prodita fidei consensus est.* Cur ob paradoxa, nescio qvæ, qvorum aliqvot ejusmodi sunt, ut ad plenum non possint intelligi, qvædam ejus generis, ut in utramqve partem disputari qveant, nonnulla talia, ut non ita multum momenti adferant ad mores emendandos, sic tumultuetur orbis? Tota vita Christianorum undiqve differta est bellis insanissimis, tumultibus, latrociniis, jurgiis, odiis, obtrectationibus, fraudibus, dolis, luxu, libidinibus, nihil usqvam sanum est, & omissis omnibus digladiamur, *an principatus Romani pontificis sit profectus ab autore Christo.* Utraqve pars alteri sese attemperet. Obsequium parabit amicitiam, pervicacia tumultum gignet. Qvis autem finis erit, si altera pars nihil habeat nisi tumultus, rixas & convicia, altera nihil nisi censuras, bullas, articulos & incendia? Qvid magni est homunculum alioqvi moriturum ignem conjicere? Docere ac persvadere magnum est. Ne palinodiæ qvidem illæ magnopere movent qvenqvam. Qvis enim non sic interpretatur, maluit pudefieri qvam exuri? Qvam vero non plausibile, qvum Episcopus qvi debebat docere Philosophiam Evangelicam, in his qvæ sunt hujus mundi, plusqvam satrapes est: in his qvæ sunt si-

» dei; nihil habet nisi articulos, carceres, carnifices & incendium? Non
» pudeat Episcopos servire charitati Christianæ, qvod facere non pu-
» duit apostolos; non pigeat eruditos, episcopis suum honorem reddere.
» Hoc interim consilium dederim utriqve parti, ut neutri addictus, ita
» utriqve bene cupiens. Ne veto hæc solius Erasmi consilia fuisse exi-
stimentur, testatur ipse in Epistola ad *Job. Bozemum* Canon. Constan-
tiensem tertio Cal. Febr. d. an. 1523. scripta qvæ in volumine editarum
non habetur, sed seorsim mense Aprili illius anni cum alia ad Mar-
cum Laurinum Decanum Brugensem & ad Theologos Lovanienses a
Frobenio excusa fuit, se *Marini Caraccioli Hieronymi* Aleandri (qvem
trilingvis eruditionis hoc tempore principem vocat) *& Job. Glapio-
nis*, Concionatoris Cæsarei consilio, imo & *Georgii* Saxoniæ Ducis &
Montisii ex Angliæ proceribus hortatu, *disputationem* sive *collationem*,
tribus dialogis, de negotio Lutheri, sed suppressis sive mutatis nomini-
bus scribere cœpisse. In his (ait) Thrasymachus Lutheri partes agit,
» Eubulus diversas. Primus dialogus inqvirit, an expedierit hac via rem
» tractari, etiam si Lutherus omnia vera scripsisset. Secundus excutit
» aliqvot illius dogmata. Tertius ostendit viam, qva tumultus hic ita
» possit sopiri, ut in posterum non facile repullulescat. Res peragitur
» inter duos, absqve convitiis, nulla contentione, nullo fuco, tantum nu-
» de simplex & rusticana veritas propomitur; tanta æqvitate, tantaqve
» moderatione, ut majus periculum videatur ne mihi succenseat pars
» diversa, videlicet lenitatem meam, interpretans collusionem, qvam Lu-
» therus ipse, si modo micam ullam habet ejus mentis, qvam multi de illo
» prædicant: & ego certe gratulor, si habet: opto, si non habet. Video
» qvibusdam magis placere sævitiam, ac per me qvidem licebit, ut suum
» cuiqve judicium blandiatur. Sævire facilius est, sed hoc mihi visum
» est conducibilius. Si corporis affectio in uno qvopiam membro ver-
» setur, fortasse profuerit cauterium, aut sectio. Cæterum ubi malum
» per omne corpus fusum est, ubi per intimas venas, ac fibras sparsum
» est, fortassis aliqvo Mercurio sit opus: qvi qvemadmodum lethalem
» soporem exemit ex omnibus membris Psyches, ita paulatim ex intimis
» educat id qvod est noxium. *addit postea:* Multa tamen intercurrerunt,
» qvæ me non patiebantur longius in opere cœpto progredi, qvam ad
» unam aut alteram pagellam, ut opus conceptum sit magis qvam cœ-
» ptum: qvanqvam & alias ab hoc scripti genere natura satis abhorreo.
» Odi cruenta dissidia, lusibus innoxiis magis capior, velut huc natus.

Tum

Tum probe mihi conscius sum qvantum Herculem hæc res postulet, & qvantulus ego sim pygmæus. Ac prorsus nondum mihi satis decretum est, an velim qvod institutum est absolvere. Qvicqvit fiet, non fiet temere: nec exibit omnino, nisi privatim lectum ac probatum ab his, qvos maxime decet favere gloriæ Christi; nam in hoc certe cudetur, si tamen cudetur unqvam. Siqvidem video partem utramqve sic esse accensam, ut tota velit vincere, aut tota perire. Porro altera devicta magnam Evangelicæ veritatis ac libertatis ruinam secum trahet: altera non opprimetur, nisi perniciosissimo orbis tumultu, qvi multos etiam innoxios involvet. Ego malim rem ita componi, ut utraqve pars victoriam concederet veritati & gloriæ Christi. Hac de re obtuli secretum consilium meum Monarchis, si jubeant exhiberi. An perfecerit & ediderit qvæ cœpisse se dicit, fateor me nescire. Si extaret, luculentius forte qvam ex omnibus aliis ejus scriptis judicium ejus haberemus. Qvanqvam vero hodie diversa plane sit rerum facies in Germania maxime nostra in qva publicis legibus sancita est pax & concordia inter dissentientes, ad moderanda tamen mutua odia & ad firmandam qvietem, imo & ad emendationem multorum defectuum ejusmodi considerationes non sine fructu legerentur.

Ad §. CXLIIX. *in fine.*) Circumspicere cœpisse ad defensionem suam Principes Saxones, post secessum illum Ratisponensem & coeunte Pontificis artibus factione adversus reformationem, ad defensionem suam ex *Hortledero* disci poterit. Nactus enim is est autographum Latinum Lutheri, Melanchthonis & Bugenhagii in qvo singuli *hoc anno 1523.* de qvæstione, *An liceat Principi subditos suos si a Cæsare vel aliis Principibus religionis causa vim paterentur, armis defendere*, sententiam suam aperiunt. Dissvadent id, ea maxime ex causa, qvia Principes in conscientia sua nondum convictos esse intelligebant de veritate Evangelica, nec a subditis ad defensionem imploratos, nec de bello cum ordinibus provinciæ deliberasse: Certos autem ante omnia justitiæ causa esse debere statuunt, qvi arma pro defendenda ea arripiunt. Sed de hac disceptatione & in universum de jure belli pro religione gerendi plura in progressu operis dicenda venient. Ex his interim constat de reformatione manu regia promovenda qvæsitum qvidem hoc tempore, sed nihil definitum esse, & Principes trepidos adhuc & sui juris incertos fuisse. Vid. *Hortled. Tom. I. Lib. II. cap. 1. edit.*

An. 1645. fol. 161. Eorum trepidationi igitur etiam Lutherus multum & fortasse plusqvam vellet indulsit: Patet id inter alia, insigni exemplo Anno 1523. ineunte, cum Augustiniani duo ex inferiori Saxonia *Johannes* nempe *Westermannus* & *Godscalcus Croppius* Herfordiensis Wittembergæ doctoratum veteri more acciperent, *Papistico* nempe, ut expresse ad Spalatinum scribit Lutherus, Lib. II. p. 111. addens: probe illos rem scire, sed majoribus suis cedere, Principem vero hypocrisin suam continuaturum & suspicionem priorem purgaturum esse, si ad convivium solenne ferinam mitteret. Paulo post tamen Godscalcus ille in monasterio Augustiniano Eimbeccensi cum Ernesto Burmestero aliisqve Evangelium docere cœpit, *vide Chytr. Lib. XI.* p. 326. donec urbe ejiceretur, sed revocatus postea fuit, & interim Zellæ docuit, cum enim ibi esset Lutherus ad eum scripsit An. 1524. & 1525. Lib. II. p. 236. & 298.

Ad §. CXLIX. *Dicam tamen aliqvid in additionibus.)* Ab amico veteri, & studiorum, cum adolescentes essemus, sodali *Hiobo Ludolfo*, Viro ob eruditionem omnigenam, lingvarum plurimarum cognitionem, gestaqve in aulis insignia munera Illustri, missa mihi est *Joh. Baazi* Historia Eccles. Svecorum Lincopiæ Anno 1642. excusa, qvæ paucis, ut videtur, in Germania innotuit. Ex ea excerpere qvædam non indignum labore aut a scopo alienum putavi, testimonio etiam Illustrissimi olim, mihiqve benevoli Regni Sveciæ Senatoris *Stenonis Bielkii* motus, qvi ut in libro Baazii annotavit Ludolfus, contulisse se retulit scripta autoris cum Actis publicis, & fidelissime cuncta, sine odio & studio tradita reperiisse. Et primo qvidem prætereundum esse non duxi, mala illa a Christierno II. Daniæ Rege Svecis illata, de qvibus declamat Maimburgius Clero & Pontifici non immerito imputanda esse, factioni nempe *Gustavi Trollii* Archiepiscopi Upsalensis. Hic enim Christiernum per proditionem in Sveciam introducere molitus est, convictusqve licet, accusante *Stenone Sturio*, Regni gubernatore, coram *Arcimboldo* Pontificis Legato criminis, & hujus opera Stenoni reconciliatus ad prava consilia redit, tuente illa Leone X. qvi Anno 1520 Stenonem & Proceres, imo totum regnum interdicto subjecit, renitente tamen populo & Christiernum demum expellente, qvam libertatem ipse Joh. Magnus Lib. XXIV. hist. cap. 3. non potuit non laudare, ut refert Baazius Lib. I. c. X. Itaqve Christiernus immanem

nem illam lanienam supplicio tot procerum & civium anno 1520. exercitam, eo prætextu excusavit, qvod excommunicatos omnes a Pontifice esse diceret, Vid. Chytræ. Lib. VIII. fol. 263. Dein notari meretur, qvod Baazius cap. XII. allegatis documentis probat, Clerum, populumqve Svecicum, omnimodam illam & absolutam Romanæ sedis potentiam ne illis qvidem seculis agnovisse, cum immanem in modum aliis in regnis invaluisset. Qveruntur enim in diplomatibus sive Bullis Pontifices Anno 1160. 1210. 1250. qvod Episcopi neqve Capitulorum electione, neqve consultis Pontificibus, sed Procerum & plebis consensu constituerentur; Et aliunde constat, qvod ipsæ diœceses non a Pontifice aut ejus Legatis, sed a Rege & ordinibus regni fines suos acceperint. Testis ejus rei citatur antiqvus Scriptor *Adamus Bremensis*. Alia prætereo. Post hæc Lib. II. c. I. tradit, *Gustavum Erici*, postea Regem, cum regnante Christierno Anno 1519. apud Lubecenses exularet, primum de Lutheri doctrina, qvæ ad Ecclesiæ Reformationem tendebat, rumorem accepisse, informatum autem postea fuisse a duobus illis Lutheri discipulis, *Laurentio & Olao Petri*; maximam vero aversionis a Romano pontificatu causam habuisse, factiosam illam Cleri potentiam, & injustam de qvo diximus excommunicationem qva Tyrannidi Christierni Pontifex velificabatur. Fabulam igitur suo ingenio & vulgarem qvidem ac protritam pro historia nobis obtrudit *Maimburgius*, cum Gustavum ad Lutheranissimum perductum esse tradit, monstrata ex bonis Ecclesiasticis, præda. Qvomodo vero ad reformationem processerit Gustavus, qvæ obstacula passus sit, qva prudentia populi a Clericis in seditionem concitati impetum superaverit, qvomodo furori Anabaptistico a Rinckio & Knipperdollingio, in Sveviam irrepentibus, excitato, pulsis fanaticis restiterit, a Baazio d. L. II. c. 2. 3. explicatur. Disputatum est publice Upsaliæ inter Olaum Petri qvi Lutheri, & *Petrum Galle* Professorem Theologum, qvi Pontificia dogmata propugnabat, & utriusqve argumenta postmodum scriptis mandata & publicata fuerunt. Qvorum compendium lectu dignissimum cap. V. reperitur. Jussu vero Regis a *Laurentio Andreæ* Presbytero Stregnesensi, Cancellario suo, (Secretarium Maimburgius vocat) ad exemplum Lutheri Biblia Sacra in Svecicam lingvam translata fuerunt, initio a N. T. facto, publicata etiam ritualia sive *Agenda*

eadem lingva, & Psalmi Davidis Rythmici. De bonis vero Ecclesiæ & speciatim de Decimis Anno 1526. in comitiis Holmiensibus agi cœptum est, non ob mutationem religionis, sed necessitatis publicæ causa; nam bello cum Christierno ingens æs alienum apud Lubecenses contractum solvi non potuit, nisi subsidia ex opibus Ecclesiæ peterentur, qvod paribus aut minus gravibus ex causis in regnis Pontificatum etiam nunc agnoscentibus sæpiuscule fieri videmus: Decretum itaqve tunc est ordinum consensu, ut decimæ parochiales duplæ corrogarentur, earumqve triens ad Pastorum Ecclesiæ sustentationes, reliqva cum tertia parte argenti & æris ex aliis bonis Ecclesiasticis, ad expungenda nomina impenderentur, Vid. c. VI. Fuga Archiepiscopi Upsaliensis, utqve simulata legatione & naufragio Pastores diœcesis convocatos pecunia emunxerit, eamqve cum multis patriæ documentis secum abstulerit, refertur c. VII. Diploma Regium, qvo calumnias a profugo sparsas diluit, Anno 1627. editum extat c. VIII. cujus hæc inter alia verba sunt: Religionis veræ curam nos habere juxta Dei verbum *non* diffitemur: Veriorem nullam habemus religionem, qvam a Christo & Apostolis traditam, de hac non controvertitur; Sed de Ritibus qvibusdam ab hominibus inventis, præsertim immunitate Prælatorum Ecclesiæ. Ritus inutiles cupiunt docti abrogatos; novam vel aliam qvam vere Christianam religionem introducere minime insimulari possumus: Nam pietati veroqve Dei cultui recte studentes, de gaudio vitæ æternæ participare cum omnibus Christi fidelibus unice laboramus. Qvare jubemus clementer dilectos nostros subditos, ne calumniæ de Nobis sparsæ locum dent, qvin potius religiosa pie judicantes, cogitent nos tractare illa, qvæ Dei gloriam & nostram, nostrorumqve subditorum æternam & temporalem felicitatem concernunt. Sumus experti haud ita pridem, qva usus sit fraude Papa Rom. in colligendis nostris bonis, dum per Missas atqve indulgentias corrasit magnam vim pecuniæ, prætendens connumerandam esse conducto militi, contra Turcam merenti stipendium, sicut emissarius Papæ divulgabat factum, hac pecunia utitur Papa Rom. ad stabiliendum Regnum suum contra Imperium Cæsaris Rom. Qvas Episcopi & Prælati Eccles. noverint alias fallacias, qvibus decipiant simpliciores, tum gravando conscientias miserorum ut lucrum reportent, si relaxent impositam satisfactionem, tum multiplicando hypocrisin Religionis, ut nomen

men Sanctitatis (ementitæ) obtineant. Hoc totum docti viri in aliis Regionibus ad oculum demonstrant. Dum Prælati Eccl. suo ventri indulgentes, observant doctos piosqve viros hæc mala detegere, veritati summo nisu resistunt, accusantes illos novæ Religionis, mutatæqve Catholicæ fidei. Hic cum nullius sit veritatis sermo, ne huic calumniæ locum detis, serio hortamur. Abusum inde, post discessum Archiepiscopi, ingruentem, dum plebs reditus clero præberi solitos lucrifacere conabatur, Rex correxit, emissis edictis qvibus sustentationi pastorum consultum est. In comitiis postea Upsalien sibus, tumultuante in *Dalecarlia* præcipue ob mutatum cleri statum plebe, publice allegavit Rex non nisi unum Cœnobium Carthusianorum *Gryphisholmense*, qvod in prædio suo hæreditario, non plena sua voluntate erectum fuisset, in commodiorem usum esse conversum, & *Lutbemnismi* nomen recusans, non defendere se aliam religionem dixit, qvam vere Christianam & Apostolicam. Cap. XIII. extat historia comitiorum Arosiensium Anno 1527. celebratorum, in qvibus statim in limine offensi sunt Episcopi, qvod Rex Senatoribus Regni primam sedem ante Episcopos dedisset, Pastores deinde & Clericos infra Nobiles collocasset. Obstitit Reformationem serio urgenti Regi, magno conatu, *Johannes Bmsebe*, Episcopus Lincopiensis, sed cum Clero metu ordinum Regni obsequium simulavit, ita tamen ut protestationem scriptis clam consignatam, sub lapide sepulchrali in templo occultaret, unde post annos XV. protracta Regi de illorum calliditate fidem fecit. Post disputationem *Olai* & *Galli* publice & qvidem postulantibus, qvi aderant, ordinibus, Svecica lingva habitam, decreta condita sunt qvæ c. XIII. recensentur, qvorum secundum caput est, ut *Episcopi Regi specificationem Expensarum de bonis Eccl. annuatim collectarum exhiberent, ut Rex cum consensu senatorum disponat, qvantum sufficiat sustentandis Ecclesiis & qvid superfit corona, sive regio fisco numerandum.* Monachis etiam leges præscriptæ, mendicantibus qvidem, ut *bis saltem anno ad stipes corrogandas exirent*; cæteris, qvibus præbendæ, qvos vocant, erant, mendicatione interdictum fuit. Pastoribus & Scholarum Magistris injunctum, ut purum Dei verbum docerent; adversus excommunicationum abusus, Regia & Senatus cognitio stabilita. His decretis Episcopi *Lincopiensis*, *Arosiensis*, *Scarensis*, *Stregnensis*, & Canonici *Upsalienses* & *Wexonienses* (vacantibus sedibus) parituros se esse syngrapha

pha polliciti sunt, sed cum clandestina, ut dictum est, cautela. Arces Episcoporum, qvibus bellorum tempore sæpe abusi erant in Regis potestatem concesserunt. *Johannes* ille Lincopiensis ut fraudem tegeret, Regem convivio excepit, paulo post visitationis obtentu in Gothlandiam insulam discessit, & convasatis qvæ poterat ex Ecclesiarum & monasteriorum bonis, Dantiscum profugit, ubi & *Johannes Magnus* Archiepiscopus Upsaliensis substitit, donec hic desperato in patriam reditu Romam, Lincopiensis in Poloniam secessisset, ubi in monasterio vitam finiit. Anno seqvenri comitiis Stregnesiæ celebratis, ordinari Rex per Arosiensem Episcopum, tres alios fecit, non reqvisito consensu aut investitura Pontificis. Eodem anno *coronatio Regia* Upsaliæ peracta est, præmissa pia de officio Regis & civium admonitione, qvæ legitur C.XV. De bonis ecclesiasticis qvæ nobilium fundatorum hæredibus exposita esse narrat Maimburgius, edictum anno 1528. d. 26. Maji promulgatum fuit, in qvo allegata veteri qvadam ordinatione anno 1454. facta, nobilitati mandatur, ne suo ausu invadant illa bona, sed jus qvo niti velint, prius doceant, & auditis Episcopis & capitularibus Regiæ cognitioni submittant, additur: *Qvicunqve borum controversantium meliores habuerit rationes, obtinebit causam.* Unde patet non per spolia, sed justis causis & titulis ad vindicationem male qvæsitorum processum esse. Anno 1529. *Dominica Qvinqvagesima* habitis *Orebrogiæ* comitiis, Clerus Regni de reformatione Ecclesiæ, constitutionem edidit. Primus nominatur *Laurentius Andreæ* Archidiaconus Upsaliensis, Præses sedis Archiepiscopalis, Regisqve Nuncius; dein *Scarensis*, *Stregnensis*, *Arosiensis* Episcopi; inde Pastores, Diaconi, Canonici, Monachi. Præcipuum, qvod edicunt, est, prædicatio verbi divini, & correctio qvædam externi cultus, in qvo tamen plurima servarunt, ex veteri ritu. Edidit etiam hoc ipso anno *Olaus Petri*, tum Holmiæ Pastor factus, *Manuale* sacrum lingva Patria, *Missæ* præsertim sive *cœnæ dominicæ* celebrationem præscribens, & articulum de Justificatione explicans. Secutus est spontaneus monachorum ex claustris egressus, ex qvibus qvi idonei erant ecclesiæ ministerio præfecti fuerunt. Versum etiam N. Test. in lingvam Finnonicam, & sic successu temporis sub Gustavo Rege, non tamen sine motibus qvibusdam Reformatio plenarie peracta fuit. Hæc ex autorç, qvem nominavimus, publica actorum fide probata,

bata, cavillis scriptorum exterorum præponderare debent, multis modis digna, quæ memorentur, imprimis ut appareat efficacia veritatis Evangelicæ, in ultimas Septentrionis Provincias duorum saltem qui Lutherum audierant mediocris conditionis hominum ministerio delatæ, nulloque sanguine aut aliis quas in contrarium exerceri cernimus violentiis, sed pie & feliciter propagatæ. Scripseram hæc cum mihi visa est Relatio *V.C. Samuelis Pufendorfii* Germanice edita, de rebus Sveciæ, lectu sane dignissima, ex qua hæc, quæ ex Baazio excerpsi confirmari possunt, pauca enim quæ discrepare videntur, rei veritati in summa non officient.

De rebus Danicis illius temporis plures notioresque scriptores habemus. *Meursium*, *Chytræum*, alios, ad quos recurrendum est iis, qui veriora, quam a Gallis noviter relata & partim excogitata sunt, desiderant. De *Christierno* (quanquam quæ is sæva & injusta fecit, defendenda minime sumam) legisse tamen me memini; illum nobilitati licet infensum pariter & exosum, plebi tamen acceptissimum fuisse. *Friderici* Electoris Saxoniæ avunculi sui favore non caruit. De hoc & de propensione ejus ad D. Lutherum Spalatinus in vita Friderici hæc habet: Anno 1523. Christianus Daniæ Rex cum sorore sua ejusque marito Electore, Joachimo Brandeburgico apud Electorem Fridericum biduo fuerunt Schweinitii; eo tempore Lochaviam etiam venit, eamque arcem omnibus, quæ in Anglia & Hispania vidisset, præferre se dixit. Eodem autumno Rex Lutherum Wittemberga in arcem Electoris Sveinitiam accersivit, & concionantem audivit, tanta cum voluptate, ut dixerit, se tota vita Evangelium ita explicari non audivisse, nec dum viveret concionis hujus obliturum, imo jam omnia quæ sibi acciderent, Deo juvante, patientius esse toleraturum. Sane Lutherus miseriam Christierno ideo immissam a Deo judicat, ut jam soli Christo viveret Lib. II. ep. 313. b. Forte Deus aliquando ferinam (*proverbio Germanico res rara & insolita significatur*) id est, regem & reginam ad cœlum vocabit, atque eum Regem de quo minime speraret sensus humanus, ut sit mirabilis (Deus) ad ludendum nostrum judicium. Et paulo ante mense Febr. 1525. ad *Joh. Agricolam* Islebium scripserat: Regia illa mulier & vere Regina Elisabeth Danorum Regis uxor excessit e vivis (*Maximiliani* Imp. *filia erat Caroli V.* amita) ut ipse mihi

hi scripsit Christiernus Rex, sed magna fide excessit, accepta cœna Domini legitimo ritu Christi, nec persvaderi potuit fortiter tentata per proceres, ut in Papæ fidem rediret. Unum adhuc ad Maimburgii relationem noto: incredibilem esse *decies centenorum millium florenorum* summam, qvam ab Accimboldo corrasam fuisse in Svecia refert; Extat Satyra titulo *Philalethis* in contumeliam Accimboldi circa illud tempus Basileæ edita, in qva omnia ejus vitia exaggerantur, sed nonnisi ad *viginti millium ducatorum pretium* æstimantur, qvam Svecia & Dania collecta Rex Arcimboldo abstulerit. Ut vero ratio ne Summæ plus dixit Maimburgius, ita minus dicit, cum scribit regem repetiisse saltem istam pecuniam a pontifice, nam revera abstulerat, prætextibus non carens, memorat id *Varillasius* Lib. IV. p. 321. & pluribus refertur dialogo illo Satyrico, qvi Hutteni stylum sapit.

Ad §. CLI. *Uratislavia)* Mortuus erat paulo ante Episcopus urbis, Johannes Thurzo, Illustri in Pannonia familia natus renascenti Evangelii doctrinæ admodum favens. Ad hunc jam lethaliter decumbentem, Epistolam Lutheri 3. Kal. Aug. anno 1520. scriptam refert *Scultetus* in illo anno p. 60. his inter alia verbis: Ego sane fateor, & me nonnihil, imo multum cum Reverenda Paternitate Tua ægresceere, qvod Ecclesiæ Dei compatior, cui proh dolor, rari dantur, qvalem R. P. T. dedit Episcopi, cum nunqvam magis eguerit talibus. Cæterum confido, qvod manus ejus percutiet & sanabit: atqve qvi R. P. T. tam insignibus ornavit dotibus, non deerit, ut det virtutem fortitudinemqve omnia constanti Christiano, Episcopaliqve animo ferendi, & standi in omnes sanctas voluntates ejus. Si vita negabitur Ecclesiæ, prosit mors. Potens autem est, tam ex vita qvam ex morte R. P. T. Ecclesiam suam juvare, pro divitiis bonæ voluntatis suæ. Non hoc scribo, qvod necessarium arbitrer, animum tuum confortari in Domino, (qvanqvam qvis est tam fortis, qvi non egeat vel minimi fratris solatio?) Sed qvod communia nobis omnia factus jussit, ut alter alterius onera portaret; ne ullus fidelis suus solus viveret, aut solus moreretur, sed in communione sanctorum securus per omnia ageret & pateretur. Itaqve qvantum nos contristat communis T. P. ægritudo, aut, si Dominus velit, etiam futura mors: tantum nos rursus lætificat, qvod nec sola patitur, nec sola vivit anima tua, sed vivimus & patimur

timur cum illa, & cum omnibus Jesus Christus medium cordis nostri, in qvo sancte valeat R.P.T. & meæ temeritati ignoscat. Adducit & aliam Scultetus biduo post a Melanchthone scriptam p.61. in qvo hæc leguntur: Victus hominis amici consilio, hoc, qvicqvid est, literarum scribo: ac Rever.P. tuæ simul mea studia, & hunc animum laudibus tuis impense faventem addico. Qvis enim ei non faveat? qvi unus nobis, qvod sciam eqvidem, in Germania Episcopi παράδειγμα absolvisti, autoritate, literis ac pietate. Qvi, si haberet Christiana Respublica, ut ille Rex Homericus ait, decem tui similes συμβεβάρους, non dubitarem, renasci aliqvando Christum. Sed neutra epistola Episcopo reddita fuit, decesserat enim postridie Cal. Aug. id Lutherus postea 3. post Martini 1520. ad *Linccium* scribens, his verbis memorat: Eadem fide (in Christum) Episcopus Uratislaviensis obiit, omnium Episcoporum hujus seculi optimus. Extant duæ ad eum Erasmi epistolæ anno 1519. & 1520. scriptæ Lib.V.34. & XV. 2. una itidem Episcopi ad Erasmum, elegantis styli, qva munera qvædam ei insinuat. dict. Lib. XV. 1.

Cæterum de *Joh. Hesso* qvi Canonicus prius, dein pastor Uratislaviensium fuit, paucis notandum, Norimbergensem fuisse, Theologiæ doctorem. Primam concionem habuit d.25. Octobr. 1523. collega ei datus est *D. Ambrosius Meibanus* Uratislaviensis, cujus libellum qvendam anno 1537. editum præfatione ornavit Lutherus Tom VI. Altenb. fol.1109. Hessus anno seqventi 1524. de fiducia in solum Deum & contra sacrificium missaticum, tum pro matrimonio Cleri, publice per Octiduum disputavit, adjutus a Valentino Trocedorfio. Felicem successum hujus disputationis memorat Lutherus in epistola ad Spalatinum, *frustra*, ut ait, *resistentibus tot legatis regum & technis Episcopi*: Ipsum vero Hessum jam anno 1522. m. *Mart. Evangelistam factum esse, & principem ejus* (nescio an Episcopum an ex Silesiis alium,) ob zelum pro Evangelio commendat. In eadem epistola monet, fidem prius & charitatem urgendam esse apud auditores, nec ad communionem sub utraqve solum (qvod vulgo fiebat) festinari debere, cum fides non utraqve species faciat Christianum. Damnandus est Papa, ait, qvi lege posita sustulit alteram speciem adversus Evangelium, sed nec nos laudandi sumus, si charitatem & fidem omiserimus, qvantumlibet juxta Evangelium utraqve specie potiti fuerimus. Postea an. 1524.

eundem jam Pastorem ad constantiam adversus persecutiones eodem anno hortatus erat, scribens: Ascendisti in navem cum Christo, qvid
» expectas? Serenum? imo ventum, & procellas & fluctum navem oprientes ut mergi incipiat, sed hoc baptismo baptisandus prius es, tum
» seqvetur serenum excitato & implorato Christo &c. Hesso filius fuit
» Paulus Medicus & Professor Wittembergensis, sed ex filiabus una in-
» feliciter elocata est *Fridrico Staphylo*, qvi a religione Evangelica de-
» fecit & immanibus calumniis in eam grassatus est. Defuncto Hesso
» Anno 1547. Melanchthon Græcum scripsit Epitaphium. vid. Adam in
» vitis Theolog. p. 183. & seqq. Luth. II. Ep. p. 57. 205. 240.

Ad §. CLII. *Canticum de Justificatione*) Duæ historiolæ de effectu hujus cantici non displicebunt lectoribus, qvas ex MSS. annoto. Cum id *Speratus* in Prussia composuisset, & vulgo ut solet, innotuisset; mendicus qvidam ex illis partibus Wittenbergam veniens sub fenestra Domus Lutheri illud cantavit. Lutherus auscultans & novum esse observans, cum non satis intelligeret, repeti jussit, rectius itaqve percipiens & de autore ejus edoctus non sine lacrymis gratias Deo egit, ob veritatem etiam per cantica istiusmodi tam late longeqve propapatam. (2.) cum Fridericus II. post mortem fratris Ludovici An. 1544. in Electoratu Palatino successisset, & Evangelii qvidem doctrinam ex Bucero (qvi ei a concionibus olim fuerat) satis didicisset, verum motu Imperatoris, & fratris defuncti exemplo, innovare aliqvid publice in cultu nondum auderet, subditi tamen eo inclinarent, factum est An. 1546. *Heidelbergæ*, in primaria æde *S. Spiritus*, dum Missa pro veteri more celebraretur, ut populus sua sponte clara voce hymnum illum Speratı, Es ist das Heil uns kommen her / canere inciperet. Veritus ergo perspecta populi mente tumultum, & ne agnatus *Otto Henricus*, qvi tum domicilium Heidelbergæ habebat, Evangelio favebat, & postea in Electoratu succesisit, gratiam illam in se derivaret, indulgere cœpit, ut Missæ non Latine sed Germanice dicerentur, & S. Cœna *sub utraqve* distribueretur. Hoc *teste Altingio*, principium publicæ mutationis in Palatinatu fuit, de cujus progressu in seqventibus dicendum veniet. Ex cantico ipso qvod ut alia rhythmo Latino utcunqve expressit ante annos plus centum *Wolffgangus Ammonius* Dunckelspühlensis Ecclesiastes, qvædam apponam.

Veni

Venit salus ex gratia
Dei mero favore
Nil facta conferunt pia
Nec qvem valent beare.
Christum fides sed aspicit
Hic omnibus nobis luit
Factus sequester ultro &c.
Coram Deo mox justus est
Hanc qvi fidem prehendit,
Per facta qvæ tamen fides
Ex corde tum resplendet,
Fides qviescit in Deo
Dat charitas se proximo
Si sis Deo renatus &c.
Ceu fonte prosluunt fide
Qvæ facta sunt probanda,
Abest fides si pectore
Nec facta sunt probanda.
At sola nos salvat fides
Sunt facta proximi comes
Qvibus fidem probamus.

Isennacum) *Aqvila* iste postea *Superintendens* Salfeldensis factus est, cujus alibi forte mentio fiet. Duos Monachos, Franciscanum unum, Carthusianum alterum abusus & errores Pontificios publice An. 1522. Isennaci perstrinxisse, ex MS. refert Scultetus d. an. p. 132. Anno sequente *D. Jacobus Stmus* vehementius concionatus est, a Decano & Capitulo ob id apud Johannem Ducem Electoris fratrem accusatus. Scult. p. 163. ubi *archivum Isennacensis Ecclesiæ* allegat.

Ad §. CLIII. *ex Niemitschensi cœnobio*) Confunditur hoc Cistertiensium monialium claustrum cum *Niemeccensi*, haud procul Wittenberga, qvod erat *Canonicorum regularium S. Augustini*, sed incorporatum *Petersbergensi* cœnobio. Varillasius Lib. VI. p. 6. pro sua in rebus germanicis imperitia *Vimigve* vocat, & duobus a Wittenberga milliaribus collocat, cum id, ex qvo novem virgines exierunt ad *Muldam* jaceat, prope *Grimmam*, bidui a Wittenberga itinere; sed leve hoc est ejus erratum, si cum aliis conferatur, qvæ ibidem committit. Fingit enim nullo idoneo autore qvæ de relaxata monialium disciplina memorat; & *Coppenium Præpositum* (Prevost) *Scholarium Wittembergensium* vocat, qvale munus aut nomen in Academiis Germaniæ insolens & inauditum est, neqve Coppenius Wittenbergensis erat, sed Torgensis civis & Senator. Qvicqvid porro de conspiratione inter Lutherum & liberatores virginum, & de pompa triumphali, qva Wittenbergam ductæ fuerint, refert, aut ipsius mera commenta sunt, aut ex frivolis aliorum figmentis hausta. Falsissimum qvod *Catharina Boria* pulcherrima inter eas, & ad Lutheri conjugium destinata fuerit, nihil minus enim tunc qvam nuptias cogitabat Lutherus, ut probatur ex iis

qvæ §. CLXXXII. adduxi. Adscribo relationem Lutheri de adventu virginum ex epistola ad Spalatinum *die Vener. post Paschа 1523. data:*
» Lib. II. p. 131. Ad me venerunt novem istæ apostatæ Moniales, Vulgus miserabile, sed per honestos cives Torgavienses advectæ, nempe
» per *Leonhardum Coppe & fratruelem suum, & Wolffium Tomitsch*, ut
» nihil ibi sit suspicionis iniqvæ. Miseret me illarum valde, maxime autem & aliarum, qvæ ubiqve in tanto numero pereunt maledicta & in-
» cesta illa castitate. Sexus iste per sese longe infirmissimus, & ad virum natura imo divinitus conjunctus tanta crudelitate separatus per-
» ditur. O Tyrannos, o crudeles parentes & cognatos in Germania!
» Sed te Papa, & vos Episcopi qvis digne maledicat? Qvis vestram cœ-
» citatem & furorem talia docentem & exigentem satis execretur? Sed
» hic non est locus. Qværis qvid cum illis agam? Primum cognatis
» significabo, ut eas suscipiant, qvi si nolint, curabo eas alibi suscipi. Nam
» est mihi promissio facta ab aliqvibus, aliqvas etiam matrimonio jun-
» gam, ubi potero. Sunt autem hæc earum nomina, *Magdalena Staupitz, Elsa de Canitz, Ave Grossin, Ave Schonfeld, & soror ejus Margaris*
» *Schonfeld, Lanem de Golis, Margaris Zeschau, & Soror ejus Catharina*
» *Zeschau, & Catharina de Bora.* Tales sunt qvibus opus est misericor-
» dia vere, in qvibus Christo servitur, satis autem mirabiliter evaserunt.
» Te autem oro, ut & tu opus charitatis facias, & pro me mendices apud
» aulicos tuos divites aliqvid pecuniæ, qva eas ad octiduum, vel qvinde-
» nam aliqvam alam, donec eas commode suis cognatis aut meis pro-
» missoribus tradam. Qvam parum vero constet sibi *historicus hic bar-*
sium, & qvam plane nihil nisi ficti & falsi de *Catharina* illa cognitum habuerit, non possum non ex ipsius verbis (Libr. VII. p. 86.) referre, ubi de nuptiis Lutheri, (alieno qvidem tempore, nempe Anno 1526. cum ad an. 1525. pertineant) inter alia non minus putida hæc narrat:
» *Catharina de Bora* Abbatissa Misniæ, illustri genere nata fuit, sed tam
» inops, ut eam pater, non habens unde dotem daret, in Monasterium
» Misniæ abdiderit, ipsa non sponte sed ex desperatione consentiente.
» Assveta tamen monasticæ vitæ progressu temporis fuit, & solatium ha-
» buit tum ex sodalitio paris conditionis virginum (qvia fundatio mo-
» nasterii alias non admittebat) tum qvod parentes ambitioni illius sa-
» tisfacturi Abbatissæ munus illi procuraverant. Sed occultatur po-
» tius qvam extingvitur affectus prædominans. Qvamprimum enim

Abba-

Abbatiſſa comperiſſet Lutherum librum edidiſſe *de nullitate verborum*, legendi ejus deſiderio capta eſt, lecto vero libro etiam autorem videre cupiit. Apparet ex prioribus Lutheri epiſtolis, qvæ publicatæ ſunt, illum ſtatim ab initio ſeparationis ſuæ ab Eccleſia, de matrimonio cogitaſſe. Cum vero pauperem ſe eſſe, nihilqve unde viveret, habere ſciret, qvam ſtipendium Electorale, pro impoſſibili habuit, opulentam uxorem invenire. Contentus itaqve erat pulchritudine & genere, qvod in aula potens eſſet, ſi Elector moreretur, nec frater ejus ſucceſſor eodem favore illum proſeqveretur. Hoc fine freqventer Catharinam viſitavit, qvæ ſero nimis animadvertit, laborem ſeſe informandi, qvem Lutherus ſuſceperat, non eſſe purum. Certe Lutherus ut tempus eundi Wittenberga Miſniam lucraretur, conſultius putavit ut amicam Miſnia Wittenbergam transferret. Neqve plus fecit vivente Electore, ſed inter primas conditiones qvas, cum *Johanne Friderico* fratre & ſucceſſore hujus Principis iniit, hæc fuit, ut nuptias cum Abbatiſſa impetraret. Qvid ineptius & falſius cogitari aut referri potuiſſet, eqvidem ignoro: Fieri tamen divina benignitate credo, ut ſcriptores iſti, qvi nullum aliud qvam calumniandi ſtudium, qvo veritati religionis noceant, habent, ne in indifferentibus qvidem rebus ab inſulſiſſimis mendaciis abſtinere poſſint: Horum ſane enorme & monſtroſum ſpecimen hic exhibuit autor. Dixerat, ut notavi ſupra, Boriam ex *Vimiguenſi* (ita ipſe nominat, & ſitum indicat, qvanqvam nullum tale unqvam fuerit) raptam, & ob pulchritudinem Luthero deſtinatam eſſe anno 1523. oblitus iſtius relationis, poſt pagellas 80. jam ex Catharina, qvæ modico & fere obſcuro, eqveſtri licet, genere nata fuit, illuſtrem & Abbatiſſam fecit, & propinqvis ſubnixam, qvæ in aula potentes eſſent. Monaſterium in qvod conceſſerat *Miſniam* vocat, qvod Provinciæ non urbis nomen eſt, hanc enim omnes non *Miſniam* ſed *Miſnam* appellant, niſi tam ineptus eſt, ut Moniales in Miſnia provincia unicum ſaltem cœnobium habuiſſe exiſtimaverit, in qva ad triginta fuerunt. Eſto tamen ut oppidum inteſlexerit; qvia eo Wittemberga commeaſſe fabulatur Lutherum, ſed nihil etiam hoc imperitius dici potuit; Miſna enim ſuberat partim Epiſcopo, partim Georgio Duci Saxoniæ: Luthero autem nihil magis tunc cavendum fuit, qvam ne vel ſemel, nedum freqventer in ditione Georgii (a qvo vix Wittembergæ tutum ſe

eſſe

esse non semel qvestus est) conspiceretur, multoqve magis ne ad corrumpendas sub informationis specie moniales evagaretur. Qvod vero ex Lutheri Epistolis prioribus & ab initio secessionis publicatis scilicet usqve ad annum 1525. propensionem ejus ad nuptias apparere statuit, falsissimum magnoqve indicio est autorem epistolas Lutheri, qvas tam confidenter allegat non legisse: qvomodo enim fugere eum potuissent, qvæ prorsus in contrarium scripsisse Lutherum omnes deprehendent ut paulo ante allegavi: aut qvæ major posset esse malitia, si legit, ut contraria tam impudenter ex illis eliciat. Qvam improviso vero consilio ad nuptias cum Boria qvas pro alio sollicitabat, progressus sit Lutherus, ex *Camerario*, gravi autore & minime suspecto, retulit in Lutheri vita *Melch. Adamus p. 130.* item *Abrahamus Scultetus:* & a me, si Deus continuationi laboris mei faverit, in tempore recensebitur. Una est epistola ejus ad Spalatinum Lib. II. p. 280. duobus ante nuptias mensibus nempe *fer. 2. post Palmarum* 1525. data, ex qva qvædam ad matrimonium propensio colligi posset, ait enim *cur non procedis ad conjugium*, (agitabat id tunc, sed non sine magna trepidatione & tentatione Spalatinus) *cum tot ego argumentis alios urgeam ut ipse penè moveor, cum non cessent hostes hoc genus vitæ damnare, & nostri sapientuli qvotidie idem ridere*, sed per hæc non nisi accommodare se Spalatini afflictioni, illiqve animum addere voluit. Ad Varillasium redeo. Summæ insciliæ est, qvod de impetrata ducendi fictitiam hanc Abbatissam licentia a *Joh. Friderico* subjungit, qvem fratrem Electoris Saxoniæ, Friderici nempe, & successorem facit, cum fratris filius fuerit, nec nisi octavum post annum, mortuo patre Johanne (is enim Friderico fratri successit) ad Electoratum pervenit. Qvis insciam hanc fingendi proterviam hominis non detestetur, tot falsa & se invicem destruentia orbi literato obtrudentis, idqve sub *Regii historici titulo & Magni Ecclesiæ Prælati* patrocinio, accepta etiam scriptionis mercede. Hujus si credas, duæ fuerunt *Catharinæ Boriæ*, altera *Vimiguensis (ex Utopia scilicet)* monialis eqvestri; altera *Abbatissa Misnensis* ex illustri & potenti genere nata. Lutherus utramqve amavit, illam sibi destinavit, & raptum ejus per *Coppenium* procuravit, hanc aulico more (qvasi id monacho & Abbatissæ liceret) frequenter visitavit inter Wittenbergam & Misnam, bidui scilicet itinere ex Electorali, ubi titulus erat, in ducalem ditionem inimicissimam, sæpe commeans, spretoqve

peri

periculo, qvod ei a Principibus Missæ Ecclesiastico & Politico imminebat: Audaces enim ad usqve miraculum esse solent heroes illi Venerei, qvorum fabulæ in Gallia effabricantur. Deniqve hoc autore *Joh. Fridericus*, jam Anno 1526. Elector fuit, qvem totus orbis non nisi post annos octo, mortuo patre, pro tali agnoscit. Crebro qvidem errant homines, etiam qvi bona fide scribunt & qvam possunt adhibent diligentiam, neqve a me ipso, utcunqve veritati ex animo studeam, alienos esse puto lapsus, in tempore præsertim & nominibus; an vero simile exemplum tot errorum in paucas paginas coacervatorum hoc seculo nostro, aurito profecto & oculato, & in re qvæ ex tot scriptorum utriusqve partis relatione aperta & notissima est, inveniri possit, considerandum lectoribus permitto: Reliqva ad annum 1525. differenda sunt.

Ad §. CLVII. *Joh. Dmco)* An idem sit cujus vitam enarrat Melch. Adami p. 405. fateor me nescire, & doceri velim: Concordat nomen & patria. Hic Erfurti ubi circa hæc tempora Eobanus Hessus, Joachimus Camerarius & alii Evangelio faventes docebant, magisterii gradum assumsit, Erasmum etiam & Paulum Fagium invisit, & ab hoc in Hebræa lingva institutus fuit, ita ut in Targum Chaldaicum commentarios scriberet. *Wittembergæ* Doctoris Theologi titulum adeptus, Marpurgum inde vocatus fuit ad Theologiæ professionem. Augustæ cum aliis Theologis adfuit, cum anno 1530. confessio fidei ederetur. *Rostochii* postea Theologiam docuit & inde ab Alberto Borussiæ Principe Episcopatui Sambiensi præpositus fuit, sed isti dignitati & commodo studia sacra ante habuit, & Wittembergam regressus Bibliorum qvinqve lingvarum editionem molitus eiqve labori immortuus est anno 1560. septuagenario major. Laudatus fuit Carminibus *Pauli Melissi*, *Georgii Fabricii*, *Petri* item *Ægidii*, celebrium in Poesi & literatura virorum, qvæ ab *Adamo* recensentur. Excusa vero est Anno 1523. cum relatione de Miltenbergensium persecutione epistola ad Albertum Cardinalem, Norimberga die *Jovis post Martini* 1523. data, cum subscriptione E. C. G. armer unterthäniger/ Doctor Johann Carlstadt/ verjagter Pfarrherr zu Miltenberg/ i.e. *miser subditus Doctor Johannes Carolostadius Pastor Miltenbergensis exul.* In hac vehementer de injusta excommunicatione & sæva ejus executione, inscio, ut putat, Cardinali facta, lamentatur, & captivos cives suumqve Diaconum ex

vinculis liberari petit, testatur se nihil docuisse, qvod non coram divino tribunali confiteri audeat, & Evangelio Christi congruat: negat vim a se aut civibus alicui factam, sed fraude officialium ad fugam inductos, qvos vocant *Altaristas*, finxisse se a pastore ejectos esse. Sollicitat Cardinalem ut ipse Miltenbergam adeat, & omnia exploret, se enim culpam suam si qva deprehendatur, sangvine luere velle.

Ad §. CLIX. *hymno etiam germanico)* Hunc seqventi elegia aliqvando reddidimus Latinum:

Pandimus ecce novus miracula cœlica rhythmis.
Bruxellis Domini fortiter acta manu.
Henricum canimus lati, sociumqve Johannem
Mentum qvos juvenes, mens notat alta viros.
Christum sincere confessos magna coronat
Laurea victores, martyriique decus.
Vincula non meritis rabies antiqva Draconis
Decernit, sæva personuere minæ.
Qvotqvot habet cautos Lovania clara Sophistas
Mittit, & in juvenes promere tela jubet.
Irrita cuncta cadunt, nihil efficit im nec astus.
Exsibilat pietas mascula inane sophos.
Vafritiem blandam furor excipit, ultima stiscunt
Sacrifici: crimen morte piare jubent.
Crimen erat soli Christo debere salutem,
Præqve hominum placitis jussa tenere Dei.
Ordine privantur sacro, rituqve operoso
Demitur haud mœstis, unctio, vitta, stola.
Instruiturqve rogus, qvi vivos devoret igne,
Atqve uno absumat dogma virosqve foco.
Ast rogus est illis thalamus roseumqve cubile
Ludibrio judex, mors, pyra, lictor erant.
Qvæ credunt, jussi subscribunt, sangvine firmant.
Inqve hymnis animas sacrificare Deo.
Obstupuere hostes, facinus patrasseqve nollent,
Conscia nam mordax pectora culpa coqvit.

Occul-

Occultant frustra, loqvitur qvod Spiritus: illum
Fraternum prodit sangvis Abele, tuus!
Sparguntur late cineres, volitantqve per orbem
Undiqve, non illos terra nec unda tegit,
Sic qvorum dira cupiebant claudere morte
Ora, sonant passim carmina laus Deo.
Qvæ nunc post mortem fingit Schola subdola risu
Rejicimus, constat laus sua certa viris.
Laus major Domino, qvi testibus hisce renatæ
Tempora doctrina & germina sancta probat.

Sanctos hos virospro maledicentia sua martyres diaboli facit Surius, qvia non fuerint in Ecclesia. Sed qvis dubitet pretiosam mortem eorum fuisse in oculis Domini, qva ea doctrinæ capita confessi sunt, qvæ æternæ sunt veritatis, & qvæ veram constituunt Ecclesiam, qvocunqve illa loco, nomine aut ordine externo contineatur?

Ad §. CLX. *Gvilielmus Brissonetus)* Scripseram ista, cum Varillasii historiam Hæresium vidi; in illa Libr. V. p. 373. & seqq. hæc habet: Lutheranismus ex Metensi regione, in qvam eum Franciscus Sickingius bellum Trevirensi Electori inferens, introduxerat, per Campaniam & Briam in Meldorum provinciam penetravit, Episcopus urbis erat vir excellentissimus *Gvilielmus Brissonetus*, filius aut ut alii tradunt nepos Cardinalis ejus nominis, qvi Carolo VIII. a ministerio status fuit, longe charissimus. Tanta flagrabat literarum cupiditate ut omnes qvas curæ diœcesanæ subtrahere poterat horas, iis impenderet, & cum non reperiret Meldis, qvos studiorum adjutores habere posset, qvatuor literatos aliunde accersivit, nescius suspectos hæreseos esse. *Jacobum* nempe *Fabrum Stapulensem*, *Gvilielmum Farellum*, *Martialem* & *Gerardum Rufos*. *Faber* ut magis se insinuaret, novam Bibliorum versionem adornabat, prætexens veteres & imprimis vulgatam non satis congruere cum textu Hebræo & Græco. *Farellus* Zvinglii errorem docebat discipulos, qvos putabat secretum custodituros esse. *Rufi* duo licentiam sibi sumserant, Librum *de captivitate Babylonica* defendendi, qvo Lutherus acerrime in curiam Romanam invectus erat. Hi novæ doctrinæ Missionarii, qvamvis secreto docerent, a Franciscanis tamen Meldensibus non multo post detecti

» & Cancellario Galliæ (Antonio) Pratensi denuntiati fuerunt. Hic,
» ut in Historia Francisci I. prolixe relatum est, Politicorum suæ dioece-
» seos (nescio an dicere voluerit, seculi, aut regni illius) maximus fuit.
» Perfecte noverat ingenium Gallorum, & prævidebat majora in regno
» illo, qvam in reliqvo Christiano orbe toto, damna daturam esse hære-
» sin, si reciperetur. Regem herum suum indies ardentiorem depre-
» hendebat ad recuperandum Ducatum Mediolanensem, ab Imperiali-
» bus sibi ablatum. Hanc pulcherrimam Christiani orbis regionem non
» alia de causa Galli perdiderant, qvam qvod Papam sociare sibi negle-
» xissent, opus itaqve ante omnia esse videbatur, ut cum S. sede recon-
» ciliarentur. Tutissimum autem medium ad id erat, si novis hæresi-
» bus aditus in Galliam præcluderetur. Statum itaqve ac Francisca-
» norum Meldensium *Gvardianus* Cancellario per literas denuntiasset, ur-
» bem hæresi infici, & contagium ex palatio Episcopali propagari, Epi-
» scopus ad regem citatus, & ab eo, qvi in talibus occasionibus mire fa-
» cundus erat, acerbe reprehensus est, qvod tribus aut qvatuor homini-
» bus receptum apud se daret, qvi diœcesin ejus brevi essent perversuri,
» nisi prohiberentur; promisit igitur Episcopus se eos statim esse dimis-
» surum, ut & fecit. Sic Lutheranissimus in cunis oppressus fuit in Gal-
» lia. *Martialis Rufus* publice recantavit tantaqve pœnitentiæ signa
» dedit, ut tandem Canonicus & Pœnitentiarius Parisiis factus sit. Fra-
» ter ejus & *Faber*, asylum *Nemci* invenerunt, ubi Soror Francisci I. eos
» protexit, sive qvod ejusdem cum illis esset sententiæ, sive simplici erga
» literatos cujuscunqve religionis affectu: Duo illi Lutheranismum con-
» stanter tenuerunt, sed Farellus, qvi ad Helvetios fugerat, Zvinglii
» dogmata statim professus est, & Calvinum postea Genevæ adjuvit, ubi
» centrum sectæ suæ habuit. Discipuli eorum, pleriqve lanifices, obsti-
» natiores erant. *Johannes Clericus* qvi scriptum qvoddam adversus
» indulgentias publice in valvis templi Cathedralis affixerat, virgis cæ-
» sus & stigmate notatus fuit. Cum vero illa animadversione spreta in
» Metensem civitatem profectus esset, & cum interdiu lanas carmina-
» ret, noctu Lutheranismum doceret, seqventi anno detectus & ultimo
» supplicio affectus fuit. Sunt in his non pauca qvæ censuram admit-
terent, sed notare jam solummodo volo confessionem autoris qvam
originem *Pratensis* & Regis ipsius severitas in Lutheranos habuerit,

qvan-

qvanqvam alibi Lib. VII. p. 118. magnifice zelum illius, postqvam ad Archiepiscopatum Senonensem pervenit, extollat.

Ad finem §. CLX. Ad scripta Lutheri hujus anni 1523. pertinet brevis illa *in Joh. Cochleum* invectiva, qvam *Gvilielmo Nesseno* dedicavit. Habetur Latine Tom. II. Jen. fol. 599 & Germanice Tom. II. Alt. fol 905. inscribitur. *Adversus armatum virum Cochleum.* Præmittuntur versus ex Virgilio inflexi: *Arma virumqve cano &c.* Cochleus (paucis notare liceat) cum alias *Dobneck* cognominaretur, maluit nomen sumere a vico patrio, in agro Norimbergensi, qvi dicitur *Wendelstein*, cæmentis majoribus celebris; Cochleæ enim sive cochlides a formæ similitudine nominari solent scalæ tortiles; unde & Germani Schnecken/ id est testudines vel cochleas vocant, aut Wendelstein vel Wendelsteig/ a scalis versis seu tortis. Cochleus inter Sacellanos Georgii Ducis fuerat, dein Francofurti *collegiatæ Ecclesiæ ad B. virginem Decanus*; In Lutherum perpetuo odio inflammatus, plurimis libellis grassabatur, spernebat eum Lutherus & dicteriis variis a cochlea & cochlearibus petitis irridere solebat: Id vel ex hoc scripto patet, (qvod alterum esse dicit Luherus adversus eum a se editum) defensioni Bullæ Leoninæ qvam Cochleus ediderat, oppositum: *qvid*, ait, *cochlea hoc popinarium aut qvid testudo hac possit, si comparetur cum Eccio, qvi incomparabilis in erroribus Scholasticis, tum Bullis & viribus Pontificiis instructus, nihil tamen nisi ignominiam a me retulit.* Gloriantem vero Cochleum qvod Lutherum Wormatiæ sermone suo ad lacrymas adegerit, his verbis reprimit: Qvantum est dementiæ argu- »
mentum, qvod gloriatur, sese Wormatiæ sic mihi locutum, ut ad la- »
crymas cogeret, non imputabo hoc neqvitiæ, sicut dixi, sed dementiæ; »
malo eum insanum & misericordia dignum, qvam malum & odio di- »
gnum haberi; alioqvi si compos sui sic impudenter mentiretur, qvis »
non Cochleum insignem nebulonem judicaret? Scilicet iste Pericles »
Lutherum ad lachrymas moveret qvi sic pueriliter loqvebatur & age- »
bat omnia Wormatiæ, ut ab omnibus, qvi aderant, etiam me invito »
& prohibente, tanqvam fatuus rideretur. Testem appello suam ipsi- »
us conscientiam, si sanus meminit, qvantum vel ab uno *D. Hieronymo* »
Schurff salis & nasi passus est, tum maxime, cum vellet sapientissimus »
& prorsus armatus ille Cochleus videri; sensit enim, & indigne etiam »
tulit. *Pertinet etiam ad historiam Wormatiensium comitiorum qvæ se-*

" *qvuntur:* Sic & hoc mendacium morbo tribuerim, non malitiæ, qvod
" jactat triumphum, nempe qvod oblatum duellum recusarim. Teste
" etiam Cochleo sic res habet. Cochleus sive propria stultitia, sive alie-
" nis verbis subornatus postulabat a me, ut fidem publicam Cæsaris re-
" signarem, tum sese velle mecum disputare palam. Hic anteqvam
" ego responderem, communi cachinno excepta hominis absurditas
" est. Pars eum insanire putabat, ut qvi disputare nollet nisi fide pu-
" blica postposita. Pars vero proditorem malignum arguebat, qvi non
" disputationem qværeret, sed ut exutum fide Papistis proderet. Pessi-
" mo nomine sese tum Cochleus & omnium odio per hoc verbum one-
" ravit, qvo se in perpetuum non exonerabit. Et nunc gloriatur pul-
" chra ista Testudo, sese mihi recusanti duellum obtulisse, & cantat vi-
" ctorias, cum ego nec disputationem recusarim, nec fidem publicam of-
" ferre (id est, *diplomati renunciare*) detrectarim. Ad rem postea ac-
cedens Lutherus propositionem suam *sola fides justificat*, strenue de-
fendit, & inepcias adversarii exagitat, cum ita argumentaretur, *sola
fides* non salvat, *qvia Spiritus S. etiam & baptismus* salvat. Con-
cedit id Lutherus & plura addit qvibus salvatio adscribitur, nam &
minister salvare dicitur; *aliud nempe* ut ex Cochlei stylo loqvitur, sal-
vat *autoritative*, aliud *mediative*, aliud *subjective*, aliud *active*, aliud
ministrative &c. sed ut aliis qui vehementer voce illa *Sola* offendeban-
tur, satisfaciat, nil aliud per eam significare se voluisse contendit, qvam
ut voce illa *Sola*, removeatur concursus operum, qvia Paulus vehe-
mentissime urgeat, excludenda esse opera omnia a justificatione, ita ut
ne circumcisio qvidem, qvæ tamen opus divinitus mandatum erat, ju-
stificaverit, cum Abrahamus ante illam fide justificatus apertissime *di-
catur* ab Apostolo: Ieaqve plus non dici hac propositione *sola fides* ju-
stificat, qvam qvod Paulus dicit: *sine operibus legis justificatur homo.*
Loqvi autem Paulum (ait) de *justificatione spirituali*, (qvæ scilicet in-
ter Deum & hominem intus in mente peragitur) ut Sophistæ loqvun-
tur, *formali & subjectiva. Contendit enim (Paulus) contra opera &
justitiam legis, & prorsus in re conscientiarum versatur, ubi sola fides to-
tum est, opera nihil sunt, imo opera fructus sunt jam justificatæ per fidem
arboris, ut etiam juxta communem sensum impossibile sit operibus justifica-
ri.* Deinde rationem adsertionis suæ ita exponit. Ego certe meis

Adser-

Adsertionibus hoc egi, dum soli fidei justificationem tribui, ut impia „
studia Sophistarum & Monachorum refutarem, qvi totum orbem se- „
duxerunt in fiduciam operum. Sciebam eos non negare, saltem ver- „
bo, justificationem per Christum, per Baptismum, per Spiritum con- „
tingere. Sed videbam eos negare, *solius fidei* esse justificare, operibus „
vero totam fere gloriam justificationis tribuere. *Qvod nisi fecissent,* „
non essent tanta examina Monasteriorum, Collegiorum, Scholarum & in- „
finitorum studiorum per opera justitiam qvarentium. Omnia enim „
hæc super opera nituntur, non super solam fidem. Et fingunt fidem, „
nescio qvid in anima latentis formæ, qvæ sit veluti pars, non summa „
omnium virtutum. Qvare non est ut verbum meum extra argumen- „
tum seu materiam subjectam trahas. Et ubi de fide & operibus dispu- „
to, pro conscientiæ judicio instituendo, tu de potestate Dei fidem cre- „
antis cogites. Ad Patrum dicta a Cochleo coacervata respondet, illos „
qvoqve homines fuisse, & aliqvando humano sensu extra scripturas „
docuisse: seqvor (scribit) Augustinum ubi cum Scriptura sentit, & re- „
linqvo, si citra vel contra Scripturam loqvitur, in re conscientiarum „
nullius hominis sed solius Dei verbum amplector, qvia soli Deo nulli „
vero homini convenit conscientias regere & docere. Tractat hac oc-
casione de fide infantum, eamqve fide & precibus Ecclesiæ illis impe-
trari statuit in baptismo, hoc nisi credatur, satius fore parvulos non
baptizari. Deinde gratiam a fide non separat, justificat enim nos, „
scribit Deus, dum gratuito donat fidem, qva sola justificamur, & in to- „
ta scriptura non legitur charitati tribui justificationem; sed est *fructus* „
fidei justificantis Gal. V. Petri dictum, *charitas operit multitudinem pec-* „
catorum, de alienis peccatis intelligit, idemq; vult ac Paulus, cum dicit „
charitas non irritatur, non offenditur, omnia sustinet &c. Cum vero Co- „
chleus inter alia scribat, *etsi Paulus ita dixerit* (qvod tamen non fecerit) „
solam fidem justificare, non tamen contra omnem Ecclesiam per verba Pauli „
protervum esse oportet, major est sensus Ecclesiæ, qvam sonus Scriptura, „
non oportet utiqve sonum seqvi Scriptura: id Lutherus pro blasphe-
mia habet, & qvamvis scripturam alicubi figuratam esse, & ex simpli-
cioribus locis explicari debere non neget, sceleratos tamen & impios „
esse Sophistas dicit, qvi scripturam non per scripturam, sed per suos „
blasphemiæ sensus tradant, & id autoritate ecclesiæ fieri jactent, addit: „
Nihil unqvam dictum est simplicius, purius, clarius, facilius, qvam „
verbum

verbum Dei, id qvomodo scirent istæ testudines, limaces, talpæ, lacertæ, erucæ, locustæ, bruci, vespæ, imo viperæ & stelliones, qvi totis vitæ diebus in terrenis suis volutabris reptant, & pereunt in immundiciis suis Sophisticis? Qvid mirum, si sonum Græcæ lingvæ non intelligas, qvi nihil græce didiceris? Lux enim est verbum Dei omnium hominum, ad qvod & venit in hunc mundum. Non autem homines lux verbi Dei sunt, ut Cochleus hic sacrilegus cum suis insanit. Concludit tandem: Finis hic esto cum larvis nugandi, sicut enim recte dicitur: Solus Deus creavit cœlum & terram, licet Scriptura tantum dicat: Deus creavit cœlum & terram, cum non sit alius creator. Ita nostra loqvendi ratio exigit dicere: *Sola fides justificat*, licet Scriptura tantum dicat: *Fides justificat*, cum nihil nisi fidem justificare, ipsa clarissime probet. Huic Lutheri tractatui asperrimum opposuit Cochleus titulo *adversus cucullatum minotaurum*, præscriptis itidem versibus: *monstra bovemqve cano &c.* gloriatur tamen nihil respondisse ad hunc Lutherum, aut ejus nomine alios. Sed victoriæ argumentum id non æqve est ac contemtus, qvo Lutherus ut professus erat, & alia habens qvæ ageret, innumeros ejusmodi latratus despexit. Edidit etiam hoc anno 1523. animadversiones in concionem qvandam Provincialis ordinis Prædicatorum habitam in velatione virginis, monasterium ingredientis, *d. Tom. II. fol. 594.* ex qvo, cum cætera adversus vota monastica & cœlibatum ex aliis ejus scriptis satis nota sint, hoc saltem nunc refero, qvomodo jactationem illam, qvod mundum spernant, qvi monasteria ingrediuntur, elidat. Dementarunt his præstigiis (ait) omnes homines; cum tamen non spernant sed possideant potius mundum, cum omni gloria & opulentia: Scilicet pannosus mendicus spernit in domo paterna furfures & siliqvas, nuditatem & summam omnium rerum penuriam, fugit vero in monasterium, & fit alienis opibus Doctor aut Abbas, etiam Principibus adorandus; Et Puella in mundo futura focari (aut dicitur) ancilla, aut famelica materfamilias, fit in Monasterio Abbatissa & glorioſa Domina, etiam Reginis mundi venerabilis. Qvod si simplices & inferioris gradus Nonni & Nonnæ manserint, tamen victum & vestitum, domum & omnia necessaria sic habent opulenter, in summo ocio & securitate, cum summa laude & gloria, deniqve cum spe vitæ æternæ (ut somniant) ut totus mundus ab eis tam religiose spretus, non possit nec Regum filiis, tantam mundi se-

di securitatem & saturitatem cum tanta gloria & laude præstare. Habes itaqve mundi contemptores, nomine & fuco, sed mundi Dominos, re ipsa & veritate.

Addo qvædam de aliis Lutheri scriptis hoc anno, qvæ in tomos relata sunt. Consuluerat eum *Wolffgangus Salhausius* Tetschenæ in Bohemia Dynasta, de discrepantibus, circa prædicationem & usum legis & Evangelii opinionibus; & speciatim de *Dominici Beieri* concionatoris *Tetschenensis* sententia, qvi bona opera ad propitiationem gratiæ meritoria; post adeptam gratiam legem fidelibus amplius non esse proponendam docuisse ferebatur. Respondit Lutherus & solus & cum collegis *Bugenhagio* & *Melanchthone*, excusato Beiero, qvod male intellecta essent ejus dogmata, docetqve bona opera facienda esse, & legem prædicari debere, qvæ malos corrigat, pios in disciplina conservet, & licet in operibus non sit meritum, neqve eo fine fieri debeant, fieri tamen omnino debere, & a peccatis cavendum manifestorum vero criminum reos a magistratu etiam puniendos esse. *Tom. II. Alt. f. 787. & seqq.* De *usu legis & Evangelii salutari*, ex Apostolica doctrina prolixius egit in explicatione homiletica 1. Tim. I. 3. & seqq. d. Tom. II. f. 827. & seqq. ibi circa finem fol. 836. & seq. recapitulatione qvadam dictorum instituta hæc habet: secundum spiritum fidelis plane justus est & absqve peccato, sed secundum carnem habet adhuc peccata. Si itaqve Christianum, qvi (secundum summam illam legis a Paulo d. Cap. I. v. 5. propositam) *charitatem habet de corde puro, & conscientia bona & fide non ficta*, examines, ille sic dicet: Etsi ista hæc habeo, pura tamen non est caro, lingva, manus, Adamus vetus, qvem gero, non est purus. Fides qvidem cœlum versus, & ad Deum me trahit, & lege non eget; cor habet promptitudinem ad bene agendum, humilitatem, mansvetudinem, sinceritatem, sed caro non seqvitur ut deberet. Gravatur multis sordibus, concupiscentia, curis vitæ, metu mortis, invidia, odio. Hoc cœnum semper adhæret etiam fidelibus & cum eo luctatur fides. Hoc cum ita sit, Scriptura etiam fideles peccatoribus in hoc æqviparat, ut legem iis inculcet, qva carnis cupiditas refrenetur. Fit tamen hoc in fidelibus ex spiritibus promtitudine absqve fastidio & recalcitratione. Hoc enim inter fideles sive renatos & non renatos discrimen est, licet lex utrosqve coerceat, ut illi alacres & promti sint spiritu, hi vero eo careant, illis itaqve non imputa-

tur, qvod reliqvum est peccati, hi ob peccata condemnantur. Justi ergo habent omnia qvæ habere debent, non coguntur ad opera, ideo ut justi fiant, sed sufficit ad pietatem ut Evangelium accipiant, & Christi subeant patrocinium, hoc facto opera bona faciunt &c. Prætereo sermones alios in 1. Tim. II. 4. in Evang. Dom. Invoc. & Dom. XI. & XXII. Trinit. Tractatum de mercatura egregiis monitis refertum, deniqve glossas acerrimas in duas Clementis VII. bullas qvibus Jubilæum Anno 1525. publicaverat, & alia qvædam. Non possum tamen non aliqvid ex animadversione in censuras Ingolstadienses ad qvas *Arsacium Seehoferum* (de qvo supra §. CXXVI. & CCII. mentio facta est) ad revocationem adegerant referre ex Tom. II. Alt. f. 771. & seqq. Examinaverunt XVII. Arsacii articulos, *Rector, Senatus & Ordinarii Academiæ Ingolstadiensis* exemplo non admodum consveto, ex omnibus facultatibus ad hoc judicium coadunati. *Nicolaus Appellas, Leonhardus Marstallerus*, Theologi, *Franciscus Burckardus*, & *Georgius Hauer*, Jurisconsulti, *Wolffgangus Peysser, Petrus Burckardus, Panthaleon Brunner*, Medici, *Antonius Braun & Johannes Schrotlinger*, artium Magistri, omissis autem cæteris hæc tantum noto. Articulus I. Arsacii erat: *Sola fides ad justificationem hominis* sufficit. De hoc censores ita definiunt, verum esse articulum secundum verba, & ita enuntiari a Paulo Rom. III. & V. rationes addunt, qvia homo justificandus nondum est justus, si injustus & in peccatis est, non habet gratiam Dei, si hanc non habet, opera ejus grata non sunt Deo, nec ad salutem sunt meritoria. Opera enim hominis non placent Deo, nisi prius homo placeat. Ita Gen. IV. *Deus respexit ad Abel, & ad munera ejus*, ad Abelem nempe primo, deinde ad munera; si igitur hominis actio Deo placere debet, placere prius oportet hominem Deo, opera enim non faciunt, ut homo bonus fiat, sed homo bonus facit & præstat bona opera. Porro si homo lapsus & injustus justificatur, fit id ex gratia & misericordia Dei. Hæc dicitur gratia, post eam seqvuntur bona opera. Qvanqvam vero (pergunt) Articulus hoc modo verus sit, non tamen ita simpliciter proponi debet, rudibus, levibus, pigris & impiis hominibus, tales enim putarent, se fidem habere & ideo nihil opus esse, ut mandata Dei servent, jejunent, orent, eleemosynas dent, aut alia bona opera faciant, qvia Paulus & Habacuc dicunt: *justus ex fide vivit &c.*

ideo

ideo revocatus est hic articulus. Ad hæc Lutherus: Cum hunc articulum pro vero habeant, & probent ipsi ex Paulo & Habacuc, qvæ immanis cæcitas est, ut ideo pro hæretico illum damnent, qvia impii per eum scandalizantur? Annon & ex aliis articulis v. g. qvod Christus sit Deus & homo scandalum sumunt gentiles & Judæi; dein cur simpliciter non proponeretur hic articulus, qvem tamen Christus & Paulus simpliciter proposuerunt. Possuntne duo uno dici halitu & cur hæreticum esset, si prius dicatur, *fides sola justificat*, & postea addatur, *fides facit bona opera?* utrumqve dicendum est, sed unum post aliud. Artic. III. damnant Ingolstadienses propositionem, qvod per nulla bona opera aut merita homo justificetur, dicunt enim repugnari scripturæ, qvia Cornelius Paganus *Act. X.* per opera impetravit fidei annuntiationem a D. Petro, & qvia Deus opera bona hominis mortaliter peccantis, ex misericordia pro melioribus habet, qvam sunt, & propter ea operanti benefecit. Lutherus Cornelium proselytum fuisse asserit & ex fide bene operatum, absqve qva bona ejus opera non placuissent Deo, & contradictionem implicare monet, qvod jam dicant peccatoris opera Deo placere, qvod antea negaverant. *Articulum III. Fiduciam habere non debemus in bona opera nostra*, verum videri ajunt ex Luc. XVIII. sed terrere infirmos. A Deo enim opera bona exigi, & ex gratia præmium habere. Hic eos male excipit Lutherus, qvod capere non velint, aliud esse bona opera facere, aliud fiduciam in iis habere, illud debitum & utile esse; hoc prohibitum & malum. *Articulum IV. Fides non potest esse sine operibus* negant Academici, adductis locis. *Luc. XII. & Matth. VII.* ubi agitur de servo sciente voluntatem Domini, sed non exeqvente, & de iis qvi dicunt *Domine Domine*, & miracula allegant &c. Lutherus dicit, talem esse horum fidem, qvalis Theologia censorum. *Arsacium* de fide vera & efficaci docuisse, & censores per Sycophantiam de historica loqvi. *Articulum XVI.* (*Lex Moysis plus exigit ab homine qvam præstare potest*) durum esse dicunt censores, agnoscunt tamen inveniri Act. XV. 10. ubi lex dicitur jugum insupportabile, sed addunt portari posse per gratiam Christi. *Joh. I. 17.* Ita ait Lutherus se ipsos refutant, Articulus agit de implemento legis, extra gratiam, qvod est impossibile: at cum gratia est possibile, qvod Arsacius non negasset. Notari hæc possunt de iis qvi alia Lutheri dicta eo torqvent, qvasi omni ratione & modo impossibilem statuerit

Legis impletionem; Apparet enim eum illam pro impossibili habere qvæ justitiæ Dei exacte conveniat, non illam qvam Deus non solum ex gratia in nobis operatur, sed & imperfectiones ejus condonat, & pro perfecta reputat ex eadem gratiosa ἐπιεικείᾳ & æstimatione.

Ad §. CLXIII. *in fine)* Acta comitiorum & legatorum Pontificiorum tum *Cheregati*, tum *Campegii* non prorsus male retulit Varillasius Lib. IV. & V. de hæres. ita tamen ut haud pauca de suo inferere videatur, aut ex aliorum actis dictisve elicere qvæ fundamento carent. Ut alia omittam *Lib. V. p. 388.* ex ingenua illa Adriani VI. confessione de necessitate reformationis abusuum, *Lutherum*, *Carolostadium* & *Zvinglium* argumentatos esse narrat, absolute reqviri, ut forma Gubernationis Ecclesiasticæ & politicæ immutaretur. Impertinenter hic conjungit tres istos, cum constet neqve Zvinglium cum Luthero neqve Helvetios cum Saxonibus in consiliis aut actionibus de religione societatem habuisse. Carolostadius vero tumultuariis suis ausibus & doctrinæ novitate sub initium anni 1522. jam omni se ipsum autoritate, ut & amicitia cum Luthero privaverat. Et cum Adriani mandata post aliqvot menses in Comitiis Norimbergæ Principibus innotescerent, contemtus & miser Wittenbergæ vivebat, & post biennium demum ad Helvetios pervenit. Dein pro calumnia inconsideratissima habendum est, qvod Lutherus politicæ gubernationis mutationem desideraverit, qvi nihil omnibus scriptis suis dictisqve apertius inculcabat, qvam separatos esse utriusqve muneris fines & Magistratui politico obsequium præstandum esse. Deniqve falsum & contumelioſum est, qvod postulaverit, Episcopos suis sedibus ejici, capitula & jurisdictionem Ecclesiasticam aboleri, templa profanari. Magno hoc hiatu nil nisi mendacia efflantur, & licet probatio ab autoribus exigi deberet, eaqve illis impossibilis sit, contrarium tamen ex indubitato documento *in præloqvio* adducto, ultro demonstravi, & historiæ continuatio evidentissimum faciet. Sed nec adeo stupidus fuit Lutherus, ut Adriani oblata de reformatione ad illa traheret capita, qvæ ipse primario tractabat, nempe ut libertas prædicandi Evangelium, semotis qvæ invecta erant falsis & inutilibus & integer Sacramentorum usus Ecclesiæ restitueretur; Sciebat enim Adrianum Scholasticis nugis obstinatissime deditum esse, & emendationem illam cujus spem faciebat

ciebat illam non esse, qvam ipse desiderabat, vidit eam in speciem offerri & longis procrastinationibus in nihilum reduci. Eo vero ipse animo erat ut obtentis doctrinæ & cultus correctionibus, circa reliqva nihil movere cuperet, qvicqvid ei affingant & cavillentur ejus adversarii, qvæ enim aliqvando acrius locutus est, qvalia fere isti sola & lacera maligne ex ejus libris excerpunt, si integra & junctis qvæ alibi scripsit, sincere considerentur, non alium, qvam qvem dixi sensum aut explicationem pati apparebit.

Ad finem §. CLXIX. Edidit *Philippus Landgravius Luna* post *Margaretha* i. e. Mense Junio 1524. edictum typis vulgatum, ad præfectos & proceres Provinciæ, in qvo compotationes aliaqve prohibet, in bonos mores & publicam utilitatem peccantia, de cultu vero divino mandat, qvæ Edicto Norimbergensi conveniebant, nempe ut Pastoribus qvibus concionandi munus incumbit, injungeretur, ut populum in Evangelio & doctrina Christi Servatoris nostri pure & liqvido instruant, ad amorem Dei & proximi, ad concordiam & pacem mutuam, & ad reverentiam & obsequium erga magistratum legitimum, utqve seditiones & turbas ac rixas cum omnibus hominibus evitent, secundum doctrinam Christi omniumqve ejus Apostolorum. Deinde cum de non ferendis in provincia mendicis & vagantibus qvædam statuisset, *stationarios* qvi reliqvias sanctorum circumferebant ad stationem qvam vocabant sive mendicationem admitti prohibet, exceptis *Antonianis*, qvi in ditione Hassiaca *Grünberga* erant. Ulterius hoc anno progressum esse Principem non invenio, laudatum potius ab altera parte speciatim a Cochleo, qvod nihil innovaverit. Constat id ex epistola initio sequentis anni d. 9. Januar. ad Principem data, a *Nicolao Ferbero, Minoritarum Marpurgensium* Gvardiano, in qva collaudata prius ejus pietate, objicit tamen qvod Lutheri & Melanchthonis scripta legat, in qvibus (ut ait) sint, qvæ Christo repugnent. Excusa est hæc epistola, cum notis marginalibus & responso Principis eodem mense, die *Mercurii post Felicis Immenhusæ* dato. Miserat ei Nicolaus tractatum Latinum approbatum, ut dicebat a superioribus, & de servanda religione majorum, *S. Elisabetha* imprimis eum cohortatus, exemplo aliorum Regum & Principum in Italia, Gallia, Hispania, & alibi, gladio animadvertere in Lutheranos jubet. Regerit ad hæc Prin-

ceps: legisse se librum sed parum in illo reperiisse, qvod Christianæ charitati congrueret. A veteribus qvidem institutis qvæ in S. Scriptura fundamentum haberent se non discessurum, neqve tamen meris hominum traditionibus inhæsurum esse, sed regulam verbi divini servaturum: contradicit deinde Monacho, qvod negaverit, fide sola justificari homines, & dicta sacrarum literarum opponit; improbat etiam qvod virginem Deiparam pro mediatrice inter Deum & homines venditet, & Evangelium plebi rusticæ prædicari inconsultum ducat, utrumqve testimoniis scripturæ breviter refellit, differt reliqva ad colloqvium, qvod Nicolaus petierat. Sed de iis qvæ in religionis negotio in Hassia illo anno & seqventibus gesta sunt, alio loco & tempore dicendum est.

Ad §. ppp. Dorotheam Daniæ Regis filiam) Egregiam de nuptiis his fabulam amatoriam contexuit *Varillasius* Lib. VII. sub anno 1526. p. 89. qvam etsi non admodum lubens, tamen ad ingenium novorum historicorum demonstrandum, adscribam, & in honorem maximorum Principum, qvi ex isto conjugio descendunt, improbas nugas hominis demonstrabo. Cum prius pactionem Alberti cum Polonis & alia ejus gesta non sine bile & exaggerationibus iniqvis descripsisset, addit seqventia: „Ultra mensem dissimulare (Albertus) non potuit „veram mutationis suæ causam. Natus jam erat annos sexaginta novem completos; nec gravis hæc senecta eum a cogitatione conjugii avertebat. Amabat *Dorotheam* Holsatiæ Principissam, cujus saltem effigiem viderat, eamqve solenniter in matrimonium popposcit. Desponsata ei fuit, qvia Dux Holsatiæ auxilio Alberti sibi opus esse credebat, ad conscendendum thronum Danicum, & Princeps virgo tanto minus repugnabat, qvia sibi imaginabatur, brevi se viduam fore, & inde eo in statu, ut novo & juveni marito alicui paratam pecuniam, & opulentum doralitium, qvod ob extremam ætatis inæqvalitatem impetratura erat, afferret; sed falsa est: Prægnans enim facta peperit filium, cujus nativitas partem potissimam commodorum, qvæ pacta erat, corrupit, & qvod pessimum erat, tam infelix fuit, ut senex maritus triginta fere annos adhuc vixerit, & ipsa totam adolescentiam suam cum ipso consumere coacta fuerit. Qva diligentia in evolvendis autoribus, ex qvibus historias suas compilat, versetur, aut qva fide

eos exſcribat, tum qvam feliciter inſtitutum ſuum de rimandis conſiliis & rationibus in actionibus hominum, eorum maximè qvi in religione aliqvid mutant, executus ſit, ex iſta narratione liqvide appareret. *Primo*, enormem errorem committit, cui tamen tota fabula innititur, qvod Alberto ſexaginta novem annos & qvidem completos, plena bucca & præfidentisſime aſſignat, cum tamen is natus eſſet anno 1490. atqve ſic tempore nuptiarum anno 1525. non niſi triginta qvinqve annos numeraret: amores itaqve ridiculi Principi, & regiæ virgini fœdæ ſpes & viles cogitationes petulantiſſime affinguntur, nec niſi meræ calumniæ & ſubſannationes ſunt, qvæ per ſatyram hanc evomuntur. Non magis reverenter tractatur Fridericus Rex, qvem Ducem adhuc Holſatiæ facit, qvi anno, ut ipſe computat, 1526. nondum thronum conſcenderit: Illi easdem qvas filiæ ſordes impingit, ac ſi ſolius utilitatis reſpectus has nuptias filiæ cum ſilicernio conciliaſſet. Fridericus enim d. 7. Auguſti anno 1524. (jam toto regno & regia ipſa Hafnia potitus) Rex electus & coronatus fuit, qvod in *Chytræo* Lib. X. legere potuit Varillaſius, niſi idem ipſi eſſet, non inſpectos autores ex Bibliothecarum indicibus vel relatu neſcio qvorum, utcunqve noſcere, ac debita cum attentione legiſſe. Qvapropter Fridericus auxilio Alberti non egebat ad conſcendendum thronum, neqve hujus res ferebant, ut ex Pruſſia Danos juvaret. Qvam vera itaqve hæc ſunt, aut potius qvam falſum & abſurdum, qvod Albertus ſeptuageſimo anno ætatis ſuæ Dorotheam duxerit, tam falſum etiam eſt *ſecundo*, qvod illa adoleſcentiæ annos in ſenis decrepiti conſortio per annos adhuc triginta cum tædio conſumſerit. *Chytræum* qvem laudat Varillaſius rejicere non poteſt: Qvid autem teſtimonio ejus Lib. XXIX. fol. 882. illuſtrius, cum ſcribit: Dorothea cum marito viginti duos annos in conjugio pleno pietatis, concordiæ & ſvavitatis vixit, ac ut Placilla Theodoſii conjunx, marito ad Chriſtianæ pietatis doctrinam ſincéram in toto Boruſſiæ ducatu plantandam & Academiam veluti ſalutarem & perennem fontem, ex qvo veræ de Deo doctrinæ & religionis ſinceræ omniumqve honeſtarum artium vitæ neceſſariarium rivuli, in totius Ducatus eccleſias, templa, ſcholas, curias & privatorum familias derivarentur Regiomonte condendam, aſſidua hortatrix fuit, & propter beneficentiam & liberalitatem erga inopes φιλόπλωχος nuncupata eſt. Falſum *tertio* qvod primo partu filium enixa fuerit:

nam

nam post biennium a nuptiis i. e. anno 1527. filiam peperit, *Annam Sophiam*, qvam pater post annos viginti tres *Johanni Adolfo Duci Meckelburgensi* desponsavit. Postea duorum filiorum & qvatuor adhuc filiarum mater facta est, qvi liberi omnes in tenera ætate decesserunt, ipsa anno 1547. obiit. Anno abhinc tertio 1550. Albertus tunc Sexagenarius, sed vivida senecta, alteram uxorem duxit *Annam Mariam, Erici Ducis Brunsvicensis* filiam, & ex ea Albertum Fridericum Borussiæ Principem progenuit, ex qvo *Serenissimi* qvi nunc vivunt *Electores, Saxo & Brandenburgicus* multiqve alii ex Principibus, maternum genus ducunt. Albertus ipse decessit anno 1568. cum vixisset annos septuaginta octo, qvibus viginti & unum ex suo calculo liberaliter addit Varillasius, & nonaginta novem annorum Principem raro exemplo effingit, saltem ut fabulæ satyricæ occasionem haberet.

Ad finem §. CLXXII. Elegans Carmen *Georgii Polentii Sambiensis Episcopi* epitaphio inscriptum, qvanqvam longe post decessit, per anticipationem referri hic meretur, cum incertum sit an Episcopi hujus mentionem faciendi occasio sit reditura; exhibet id Hartknochius Lib. II. cap. I. p. 308.

Saxum hoc Præsulis ossa Sambiani
Claudit; Nomen ei fuit Georgi
Qvi de stirpe satus Polentiana
Monstrans stemmata Misnia vetusta
Illustrem peperit sibi & perennem
Virtutum studio artiumqve famam.
Has propter Latias adivit urbes
Præstans eloqvio & fidelitate!
Romæ præsule Julio Secundo
Scribæ munere functus, inqve causis
Legatis gravibus subinde missus
Ate Maximiliane Prime Cæsar,
Sub qvo militiam diu secutum,
Alberti Duce Prussiæ Magistro,
Elegit Marianus ordo fratrem.
Post hæc præditus Insula, Pedoqve
Christi pavit oves salubris herba
Monstrans pascua lationi, Pastor

Ductu

Ductu atqve auspiciis tuis Luthere.
Factus deinde maritus est, Paterqve
Vitæ curriculo suo peracto,
Cœlestem in patriam receptus, annos
Cum septem decies duosqve haberet,
Felix in gremio Dei qviescit.

Joh. Brismanni qvi primarius Evangelicæ doctrinæ autor Borussis fuit, & anno 1549. obiit, epitaphium apud eundem autorem habetur pag. 307.

Incidit in hæc tempora mutatio insignis in Livonia, ejusqve metropoli Riga. Nam etsi superioribus annis Evangelii doctrina jam recipi cœperat, *Andreæ* potissimum *Cnophio* (cui etiam sacra qvædam cantica debemus) præcone: obsistebat tamen Archiepiscopus Rigensis, *Casparus Lindius* Westphalus cum Capitulo suo, cujus politico etiam imperio dimidia urbis pars suberat, sed curis impar, coadjutorem adscivit *Johannem Blanckenfeldium* Berolinensem, qvi jus Canonic. Francofurti ad Viadrum docuerat, inde ad Episcopatum Revaliensem & Dorpatensem in Livoniam promotus. Huic vero imploratus a civibus hoc anno 1524. graviter restitit, & Evangelii prædicandi libertatem juvit *Walterus Plettenbergius ordinis eqvitum Magister*, nec parum nocuit Archiepiscopo qvod Moscorum patrocinia sollicitasset: In comitiis enim Provinciæ eo adactus est, ut cum toto clero suo *Magistro ordinis* sese subjiceret; id cum seqventibus annis revocaret & causam contra Magistrum apud Cæsarem prosecuturus esset, in itinere decessit. Inde anno 1527. necqvicqvam annitente Cæsare, ut *Georgius* ex Brunsvicensium ducibus Præpositus Colonienſis in Archiepiscopum eligeretur, Plettenbergii autoritate & favore civium Thomas Schoningius Consulis Rigensis filius dignitatem eam adeptus est, & cum Georgio amice transegit. Hæc & plura Chytræo debentur Libr. X. & XI.

Ad §. CLXXIII. *Norimbergæ Præpositi magnorum templorum*) Titulus scripti est; *Fundamentum & ratio ex S. Scriptura, cur & qvomodo Reverendi duarum parochiarum S. Sebaldi & S. Laurentii Norimbergæ Præpositi, abusus circa sacrum Missam, ut & circa anniversaria*,

sal & aqvam benedictam, cum aliis qvibusdam ceremoniis abrogaverint, omiserint & mutaverint. Grund und Ursache aus der Heil. Schrifft / wie und warumb die Ehrwürdigen Herren beyder Pfarr-Kirchen S. Sebalds und S. Laurenzen Pröbste zu Nürnberg/die Mißbräuche bey der Heil. Meß / Jahr-Tag / geweyhet Saltz und Wasser/ sammt etlichen andern Ceremonien abgestellet/ unterlassen und geändert haben. Subscriptum est titulo *dictum Pauli 2. Cor. X. 4. Arma militiæ nostræ non carnalia sunt. &c.* Exordiuntur gratias Deo agendo, de magno beneficio ejus, qvo ultimis his temporibus multis locis & speciatim civitati Norimbergensi salutaris doctrinæ lucem restituerit, & veritatem suam sangvine martyrum jam denuo confirmet. Se qvidem dicunt partem abusuum antea deprehendisse, & ex S. Scriptura arguisse, sed infirmorum gratia toleravisse, & ante omnia per prædicatores suos qvi Evangelium diligenter doeuerint, de fundamento recte collocando sollicitos fuisse, non sine damno commodorum temporalium, multarumqve calumniarum & persecutionum periculo. Postea urgentibus cognita jam veritate auditoribus, abusuum correctionem differre amplius non potuisse; & Senatui rationes mutationis ase exposcenti, ex sacris literis ita reddidisse, ut acqvieverit & negotium totum ad Ecclesiæ ministros & doctores rejecerit. Auctis inde impiorum contradictionibus citatos se ab Episcopo Bambergensi (ordinario suo) causam dixisse, & meliora si errasse viderentur ex S. Scriptura doceri petiisse. Inde procuratorem episcopalis Fisci, impia & blasphema actione, decretum ab Episcopo impetrasse, qvo verbum Dei & ipsi, qvi id seqvuti sint, condemnati fuerint. Ab hac sententia appellatione typis vulgata sese provocasse. Jam ut Episcopo, decujus Christiana & pia mente bene sperent, innotescant, qvas jam Senatui exposuerint rationes, in lucem nunc emittere constituisse ea fini, ut vel respondeatur, meliorqve ex S. Scriptura informatio detur, vel sine fundamento adversantes tandem pudefiant & taceant. Monent postea omnes, qvi ista lecturi sint & imitari velint, ut nihil prius habeant, qvam simplicem populum, suo exemplo, qvi integrum biennium prædicatione contenti nihil mutaverint, in veritate ex verbo Dei, recte instruere, antequam destruere & mutare abusus aggrediantur; Sic enim auditores agnituros esse, qvo jure & fundamento id fiat, & certa ac tranqvilla con-

conscientia in emendationem consensuros. Adscriptus præloqvio huic est dies 21. Octobr. 1524. Tractant deinde ante omnia de Missa, & qvoniam ex effato Christi *Matth. XV. 8. 9.* & testimonio *Esaiæ Prophetæ XXIX. 13.* frustra colatur Deus mandatis hominum, Missæ seu Sacræ Cœnæ scopum & fructum ex verbis Evangelistarum & D. Pauli ostendunt, qvibus convicti, calicis etiam sacri usum populo restituisse se profitentur. Posthæc ad naturam Novi Testamenti, & sacrificii a Christo semel & plane præstiti explicandam progressi, defendunt abrogationem canonum qvos vocant Missæ, majoris & minoris, eorum idololatricas formulas vehementer improbant, & qvæ pro sacrificio Missatico ex historia Melchisedeci, aliaqve regeruntur, examinant & refutant. Utuntur autem inter alia hoc argumento; *Si actio Domini in cœna sua ultima, in qva Missam instituisse dicitur ab illius assertoribus, est illud sacrificium aut officium per qvod Christus factus est sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedeci, sequitur, sacrificium istud a Christo isthac cœna, non vero patiendo mortem peractum fuisse. Cum vero hoc absurdum & impium dictu, & e contrario certissimæ & divinæ veritatis sit, altero demum post sacram cœnam die, per subsecutam mortem æternum Christi sacerdotium constitutum fuisse, hinc ajunt manifestum esse, in cœna nullum fuisse factum aut institutum sacrificium.* Prophetiam *Malachiæ Cap. I. v. 11.* explicant de sacerdotio & sacrificio omnium Christianorum, qvod patiendo pro nomine Christi afflictiones, & pie moriendo præstant, ideo propheram dicere, *in omni loco sacrificatum iri*, qvod de Missa intelligi non possit. Subjungunt postea formulam qvam accedentibus ad S. cœnam prælegi fecerint, qvalem fere multæ nostratium Ecclesiæ adhuc retinent, & per qvam verus & salutaris usus Sacramenti breviter indicatur. Significant etiam, qvæ ex Missæ veteris precibus & cantibus libere, & sine necessitatis opinione, retinuerint, nempe *introitum* sive versum alicujus Psalmi, (pro qvo tamen integrum Psalmum decantari melius putaverint) *Kyrie eleyson & Gloria in excelsis &c.* ex *collectis* unam, in qva a Deo qvæ toti cœtui profutura sunt, petuntur. *Evangelia integra* (prisco, ut notant, more) prælegenda ordinasse, & qvidem Germanico sermone, sicut & lectiones *Epistolicas*, ut populus qvæ leguntur, cum fructu intelligat: Seqvi *symbolum fidei*, & ipsa postmodum *institutionis verba*, tum con-

secrationem, orationem dominicam, atqve distributionem Sacramenti, omnia juxta præceptum Christi, & concludi apta *precatione*, & pronunciatæ *benedictionis formula*, verbis scripturæ: innuunt etiam, omnes formulas precum & hymnorum in patrium sermonem translatum iri ad populi instructionem. *Altero* capite docent, cur Missas pro defunctis & anniversaria atqve vigilias abrogassent, tum qvia pecuniæ causa inventæ sint, tum qvod nihil proficiant mortuis, & impium sit aliqvid pro cultu Dei aut salutis medio venditare, qvod is non præscripserit, etsi bona intentione id fiat, & prætenso nomine Christi. Ostendunt etiam profanationem Psalmorum & Hiobi, qvæ in *vigiliarum* recitatione fiat, in qvibus nullum verbum sit, qvod ad mortuos pertineat. Sic ipsum qvoqve *purgatorium* & precationes pro mortuis ex eodem principio rejiciunt, qvod mandato divino exemplis piorum, Ecclesiæ Judaicæ & Apostolicæ, careant, & vivi mortuiqve omnes in duas saltem classes a Christo distribuantur, credentium qvi salventur, non credentium qvi damnentur, addunt & argumenta alia. *Tertio* rationem reddunt cur cultum beatæ virginis, cantu *Salve regina*, qvotidie peragi solitum abrogaverint; scilicet, ut nec necessarium, nec universalem, & vix ante qvatuor secula in Ecclesiam invectum, adeoqve novum, & deniqve blasphemum cum Maria in eo dicatur, *vita, dulcedo*, & *spes nostra*, qvæ elogia soli Christo debeantur; neqve sufficere sibi visum esse, si verba ista saltem, qvod alicubi factum esse dicunt, expungerentur, populo enim opinionem cultus illius duraturam fuisse, & satius esse mala inventa penitus abolere: Sic etiam *Qvarto*, sal & aqvam benedictam, etsi libera videri potuerit eorum conservatio, prorsus removisse, ob opinionem impiam, qvæ illorum usum in contumeliam Dei afficta fuerit, & propter abusum superstitiosum: *Qvinto* deniqve *matutinas* & *completorium* omisisse ut nec præcepta, nec utilia sed mera hominum commenta. In epilogo dehortantur omnes ab sublatorum abusuum violenta defensione, inde enim constare, non esse tot clericis & doctoribus argumenta ex sacris literis, qvibus eos tueantur, ideoqve ad carceres, ad exilia, ad ignem & gladium provolare: Mirum itaqve non esse, si populus veritatis jam cupidissimus clerum qvi opibus solum inhiet, nec ratione uti, sed vi agere & verbi divini notitiam impedire velit, summo odio persequatur: urgent dictum frontispicio libri allegatum, *arma doctorum non esse carnalia*

nalio, sed spiritualia, neqve ullo modo licere populum a verbo divino abstrahere: & præceptis humanis opprimere: Exaggerant, qvam graviter, & contra Spiritum sanctum peccant, qvi veritati verbi divini scienter sese opponunt: Applicant iis ex Deuteron. c. XXVIII. maledictiones, obedientibus vero benedictiones impertiuntur. In fine maximis minimisqve, qvi meliora ex verbo Dei ostensuri sint, omne deferunt obsequium: Lutheri toto hoc scripto nullam faciunt mentionem, sed argumentationes suas allegatis scripturæ dictis firmant. Debeo hujus scripti ut multorum aliorum notitiam Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensi. Ex ea etiam legenda accepi qvæ hoc ipso anno 1524. aut initio sequentis in religionis negotio acta sunt. Scio qvidem Marcellini monitum qvod *historicum deceat per negotiorum celsitudines discurrere, non humilium causarum minutias indagare*, sed præterqvam qvod historici leges omnes mihi non præscripserim, sed & apologiæ studeam, minuta mihi non sunt visa, qvæ in magnis urbibus, qvalis est Norimberga, in religionis causa acta fuerunt, vellem modo ut plura vel typis olim edita, & postea neglecta, vel in archivis recondita mihi innotuissent. Incitamento forte hæc qvaliscumqve diligentia mea erit illis, qvi singulis in locis accessum ad magistratus eorumqve scrinia & ad Bibliothecas habent, ne perire sinant, qvorum memoria non sine fructu & voluptate legentium conservari & renovari cum utilitate potest.

Excusum est Anno 1525. Norimbergæ consilium anno præcedente Senatui exhibitum a prædicatoribus tribus (qvorum duos ad §. CXXXIX. nominavi) Dominico Sleupnero, Andrea Osiandro, & Thoma Venatorio, qvi in Novo Hospitali concionabatur. Titulum habet: Ein gut Unterricht und getreuer Rathschlag aus Heil. Göttlicher Schrifft / weß man sich in diesen Zwietrachten unsern heiligen Glauben und Christliche Lehr betreffende / halten soll ꝛc. i. e. *Informatio bona & fidum consilium ex S. Scriptura, qvid agendum sit in his dissidiis circa sanctam fidem & doctrinam Christianam.* Divisum est in partes tres, qvarum tamen ultima de controversiis uberius tractatura, omissa est. Agitur *Parte I, de verbo Dei tam substantiali qvam orali; de Spiritu S. de doctrina Christiana; de concionibus; de S. Scriptura, Lege & Evangelio, & utriusqve usu; de Sacramentis; de fide vera & efficaci,*

qvæ sola *justificet*, *item de spe. Parte II. de damno doctrina hominum*, & de *AntiChristo*, ubi Danielis & Johannis vaticinia omnia ad Romanam sedem applicantur; etiam numerus ille 666. cabbalistice ex nomine Sylvestri Papæ eruitur. Autorem hujus scripti *Andream Osiandrum* fuisse Phraseologia ostendit, jam tum enim dogmatum illorum qvæ postea in Prussia asserere voluit, semina in iis animadvertas, qvæ tamen nemo illo tempore, qvod sciam, observavit, aut reprehendit, qvia obscurius proponebantur, aut ex aliis verbis commodas recipiebant interpretationes.

Prodiere etiam Norimbergæ eodem anno (qvanqvam non adscriptus est) circa finem duæ pagellæ in qvibus brevius sed liqvidius & modestius a concionatoribus Senatui proponuntur duodecim puncta, qvæ examinari & tractari deberent a prædicatoribus: nempe (1) ut indicent qvid sint peccata. (2.) cur lex data sit, & cui usui. (3.) qvæ sit justitia coram Deo. (4) qvid sit Evangelium. (5.) qvid baptismus. (6.) qvid mortificatio veteris hominis, in baptismo significata. (7.) qvid sacramentum corporis & sangvinis Christi, & qvis ejus usus salutaris. (8.) an per opera ad justificationem, an per hanc ad bona opera perveniatur. (9.) qvid sit doctrina hominum & qvatenus locum habeat. (10.) qvid debeatur Magistratui. (11.) qvomodo vitanda sint scandala vitæ & morum. (12.) an liceat clericis S. Ecclesiæ ministris conjuges ducere. Anno seqventi Mense Martio in senatum vocati sunt concionatores omnes, & ad eos per D. Scheurlinum (Christophorus ut non dubito, intelligitur Luthero memoratus Lib. I. Ep. 52.) adhortatio egregia (eine schöne Rede) facta est, ut ex sacra scriptura sepositis paparum, conciliorum, patrumqve decretis, Jure Canonico & veteri observantia, ad duodecim illa puncta placide & absqve disputatione responderent, & amice conferrent, eo nempe fine, ut concordia iniretur, & motus plebis præcaverentur ex dissidiis eorum metuendi. Initium respondendi fecit *Dominicus Sleupnerus ad S. Sebaldi* concionator, assensit ei, & dein fere solus locutus est *Andreas Osiander*, ad D. *Laurentii* prædicator, eorum partes tenebant qvi in *Hospitali*, tum ad *D. Ægidii* & in æde *Augustinianorum* concionabantur, Prior istorum maxime. Contradixerunt *Priores & concionatores Dominicanorum, Franciscanorum, Carmelitarum*, & qvi in duobus virginum

num monasteriis prædicabant, tamen ut mallent omne colloqvium evitare, Cæsarea edicta causantes, & conciliorum & Pontificum decreta; provocabant deniqve ad Academias, *Ingolstadiensem*, *Tubingensem* & *Heidelbergensem*. *Prior* tamen *Dominicanorum* dixit, in fidei articulis capitalibus nullum esse dissidium, prædicari enim ab omnibus unum Deum, unum Christum, unam fidem, unum baptismum, & obtulit tandem se adducto concionatore suo, in amicum colloqvium descensurum esse. Cum idem diceret *Franciscanorum Guardianus*, reversi ut jussi erant, *Dominica Invocavit*, & die *Martis* & *Jovis* proxima, itemqve *Dominica Reminiscere* disceptationes continuarunt, dirigente & interrogante ut plurimum per *Scheurlinum* Senatu. Impediri tamen non potuit vehementia collocutorum, & monachi qverebantur, se ab altera parte duriter tractari. Inde occasionem sumserunt, cum *die Martis post Reminiscere* redire juberentur, ut comparitionis loco, scriptis ad Senatum literis, sese excusarent, obtendentes, iniqvum esse judicium, & ex colloqvio disputationem orituram esse adversus Cæsareum edictum. Protestantur itaqve contra omnes innovationes, & ad Academias supra nominatas, vel ad ordinarium suum denuo provocant. Auditus inde fuit nomine qvinqve collegarum, Osiander, qvi habita oratione duarum horarum spatio sententiam de XII. articulis defendit. Paulo post *Dominica Oculi*, Senatus monachis & prædicatoribus qvinqve monasteriorum, concionandi & confessiones audiendi munere interdixit, & die Mercurii seqventi *Prior Augustinianorum* monasterium Senatui tradidit. Hæc in relatione typis excusa *qvatuor qvaternionibus* exhibentur. Nulla vero mentio fit *Præpositorum Pessleri & Böhmeri*, qvorum libellum anno præcedenti editum recensui, ita ut per prædicatores omnia acta sint. Qvod vero articulos ipsos attinet, respondit Osiander & collegæ ex sententia Lutheri (illum enim Wittembergæ docentem audiverat) nunqvam tamen allegato ejus nomine, verum omnia ex scripturis probans. De justitia autem differens jam tum phrasi sua usus est. Respondit enim Franciscano, qvi triplicem justitiam statuerat, *unam esse justitiam*, i. e. *Deum ipsum & Christum esse verbum qvi fide comprehensus in nobis sit justitia nostra*. Fidem tamen describit qvod non sit absqve operibus ex charitate profectis; his si careat, non magis esse fidem qvam pictus homo sit homo. Monachi svetis suis dogmatibus, &

scripturarum detorsionibus insistebant. Memorabile est qvod Franciscanus in articulo de cœna Domini, cum Osiander literæ scripturæ inhæreret & inter alia ex Epistola ad Hebr. urgeret, Christum semet sacrificium præstitisse, responderit, Epistolam ad Hebræos non esse librum Canonicum, & a multis dubitari an autorem Paulum habeat. Talia dicere inter crimina Lutheri fuit; Cœlibatum & in eo castitatem ideo putavit servari posse & debere, qvia Deus illis qvi eam voveant, gratiam servandi non deneget. Hoc si praxi comprobaretur, expeditissimam hujus qvæstionis decisionem faceret. At qvi vovet, qvæ in potestate non habet, nec qvæ Deus jussit, aut promisit, tentare Deum deprehenditur. Idem Monachus potestatem Ecclesiæ circa fidem adstruxit eo, qvod alibi etiam notatum est, argumento, qvod Apostoli a formula baptismi qvam Christus præscripserat, recesserint, idqve probari posse putavit ex Actor. II. 38. Hæc Norimbergæ acta indicant, illustris illius urbis senatum plus ausum esse illo tempore, Monachis prædicationes & Sacramentorum administrationes per decretum publicum adimendo, qvam vel in Saxonia factum sit. Cives nempe primores consentientes & pronam ad obsequendum plebem habebat, cum in provinciis proceres plurimas objicerent difficultates, & aulicæ cautelæ non parva injicerent impedimenta. Isto anno 1525. Wenceslaus Linccius qvi jam olim in Augustiniano cœnobio Norimbergæ vixerat, & concionatus erat, inde vero Altenburgum delatus uxore ducta, cucullum exuerat, & pastoris munus susceperat Norimbergam vocatus est, primus, ut perhibetur, urbis pastor Evangelicus a Senatu scilicet confirmatus: antea enim prædicatores Præpositorum arbitrio constituebantur, qvalis fuerat Osiander & alii. Vixit autem Linccius ad annum usqve 1547. & in munere suo obiit. Epitaphium ejus qvem puer coluit, *Selneccerus* refert:

Autorem vitæ dum viveret atqve salutis
Asseruit, docuit, glorificavit, habet.

Argentoratensis etiam Senatus) In admonitione ad Helvetios mense Aprili 1524. nomine ministerii & fratrum Argentoratensium excusa Tit. Verwarnung der Diener des Worts und der Brüder zu Straßburg an die Brüder von Landen und Städten gemeiner Eidgenoßschafft/ adversus *Conradi Trægarii Provincialis Augustinianorum* ca-

calumnias, agnoscitur Senatum anno 1523. causam *Matthiæ Cellii* cum is ad Episcopi tribunal citaretur, neglexisse; illi vero cives die Erbare Bürgerschafft/ modeste tamen adstitisse; nunc autem a plurimis veritatem doctrinæ etiam in Senatu probari, & promoveri, & pulchre cum civibus consentire ab his etiam omne obsequium Magistratui exhiberi. Cæterum scopus hujus scripti is potissimum est, ut Trœgeri jactantiam deprimant, qvi provocasse ministros Argentoratenses ad disputationem, hanc vero ab illis recusatam esse gloriari dicebatur. Referunt igitur illum centum theses edidisse, de qvibus disputaturus esset: qvas cum vidissent ministri, misisse ex Senatoribus viros insignes, & se ad disputandum, adhibitis doctis aliqvibus & prudentibus, & evitato plebis concursu, obtulisse, idemqve etiam Senatus nomine ab eo postulatum esse; Verum illum excepisse, etsi paratissimus sit ad disputandum, sine licentia tamen Episcopi, ut ordinarii, id minime ausurum esse, cupere itaqve ut ejus consensus a senatu vel ministris impetraretur. Hoc effugium vanum esse dicunt, cum non solum publicatis thesibus & provocans ad disputationem de consensu Episcopi nihil monuisset, aut pactus esset, sed & qvod Episcopus omne controversiarum examen evitaret. Addunt Trœgerum tandem ita se excusasse, qvod de articulis illis non Argentorati sed Friburgi in Helvetiis (*Uchtlandia*) disputaturum se esse constituisset: accusant eum ambitionis, dum provincialis officium præter morem continuaret, & a Legato Pontificio præmia expectaret, si adversus Evangelium traditiones hominum assereret; hanc nunc viam esse honores & opes adipiscendi & a paupere Luthero multos ditatos fuisse (der arme Luther hat vielen zu reichlicher Nahrung geholffen.) Ex centum vero Trœgeri paradoxis summatim & breviter illud tantum, in qvo fundamentum totius litis versari dicunt, tangunt, qvod scripturam judicem ferre nolit, & autoritati Ecclesiæ eam subjiciat, imo Apostolos homines fuisse & errasse dicat Petri exemplo: Ecclesiam vero ab omni errore immunem pronuntiet. Idem clamare alios, ita ut nuper Doctor *Murnarus* Dominica Palmarum pro concione ita fuerit locutus: Dicere vobis aliqvid deberem de institutione Sacramenti: Sed vos creditis Evangelio, ego vero illi non credo, sed solum iis, qvæ recepit Ecclesia. Huc itaqve omnia ajunt recidere, si enim Evangelii veritas libere præ-

dicetur & innoteſcat tunc totum illud, qvod Antichriſtianum vocant regimen in fumum & ventos abire, monachos nempe, moniales, ſacerdotes, tonſuras, campanarum pſalmodiarum perpetuos ſtrepitus, aqvæ, ſalis, palmitum, herbarum conſecrationes, candelas, chriſmata, extructiones tot templorum & altarium, baptiſmum campanarum, lotiones Altarium, præbendas, anniverſaria, miſſarum fundationes, coactam etiam confeſſionem auricularem, fictam pœnitentiam, impias pro peccatis ſatisfactiones, indulgentias, diſpenſationes Romanasqve omnes nundinationes, per qvas tot ventres pigri & plurimi neqvam homines alantur. Fide enim vera & charitate renovata fore ut monachorum mendicantium patrumqve & *priorum Provincialium* impuritas & luxuria peſſum ſit itura. De iis qvæ anno præcedenti 1523. adverſus miniſtros Evangelicos Argentorati acta ſunt, & de eorum, imprimis vero *Wolffgangi Capitonis* apologia ut & de *Antonio Firnio*, Paſtore Thomano, qvi primus uxorem duxerat vid. *Scultet.* p. 171. In Alſatia vero Auſtriaci regiminis juſſu vis facta eſt Evangelii Doctoribus & auditoribus, & capitali ſupplicio in qvosdam hoc anno 1524. animadverſum. *V. Scultet.* d. 187. idem p. 199. Epiſtolam Capitonis d. 4. Maj. 1524. ſcriptam adducit, in qva, qvæ ab Epiſcopo & Canonicis ipſe cum aliis paſſus ſit, memoratu digna, legi poſſunt.

Ad §. CLXXXI. *in fine*) Ex libello Lutheri adverſus Eraſmum bona cum lectorum, ut ſpero, gratia addenda adhuc eſſe exiſtimavi qvædam, ex qvibus & mens ejus, qva ad inveteratas opiniones oppugnandas motus eſt, & alia qvædam maxime notabilia cognoſcuntur. Objicienti Eraſmo argumentum illud, qvod hodie qvoqve tritiſſimum eſt, mihiqve ipſi a magnis ex adverſa parte viris ſæpiſſime objectum, de conſenſu tot eruditiſſimorum Theologorum per plurima ſecula, de ſanctitate Doctorum & martyrum, de miraculis, & aliis ejusmodi, qvæ ad autoritatem & venerationem movent, ita reſpondet Tom. III. f. 179. Fateor, mi Eraſme, non immerito te iſtis omnibus moveri, ego ultra decennium iſtis ſic motus ſum, & nullum alium arbitrer eſſe, qvi æqve ſit iſtis permotus, eratqve mihi incredibile ipſi, hanc Trojam noſtram, tanto tempore, tot bellis invictam, poſſe aliqvando capi. Et teſtor Deum in animam meam, perſeveraſſem, & adhuc hodie ſic moverer, niſi urgente conſcientia & evidentia rerum me in diverſum cogeret. Potes ſane cogitare, nec mihi ſaxeum eſſe pectus

pectus, atqve si saxeum esset, tamen tantis fluctibus & æstibus luctatum & collisum potuisse liqvescere, dum id auderem, qvo facto, videbam omnem illorum autoritatem, qvos recensuisti, super caput meum, velut diluvium inundaturam. Sed non est nunc locus, meæ vitæ aut operum historiam texere, nec ut nos ipsos commendaremus, hæc suscepta sunt, sed ut gratiam Dei extolleremus. Qvis sim & qvo spiritu & consilio in istas res raptus sim, illi commendo, qvi scit hæc omnia, suo, non meo arbitrio libero gesta, qvamvis & ipse mundus jam dudum sensisse deberet. Et plane in odiosum locum me isto exordio conjicis, ut nisi me ipsum jactavero, & tot Patres vituperavero, non facile me expediam, sed breviter dicam, eruditione, ingenio, multitudine, autoritate, & omnibus aliis, etiam te judice, cedo. Qvid autem sit ostensio spiritus, qvid miracula, qvid sanctimonia, hæc tria si a te reqviram, qvantum ex literis & libris tuis te novi, imperitior & ignorantiot videberis, qvam ut ulla syllaba qveas ostendere. Aut si urgeam & postulem, qvemnam inter omnes illos, qvos jactas certo possis monstrare, sanctum fuisse vel esse, aut spiritum habuisse, aut vera miracula edidisse, arbitror te multum, sed frustra sudaturum esse. Multa loqveris ex usu & publicis sermonibus accepta, qvæ non credis, qvantum amittant fidei & autoritatis, si ad judicium conscientiæ vocentur. Verum est proverbium, multos in terra pro sanctis haberi, qvorum animæ sunt in inferno. Sed donemus tibi, si vis, etiam omnes fuisse sanctos, omnes habuisse spiritum, omnes fecisse miracula. (qvod tamen non petis) Hoc mihi dic, an in nomine aut virtute liberi arbitrii, aut ad confirmandum dogma de libero arbitrio ullus eorum fuerit sanctus, acceperit Spiritum, ediderit miracula? Absit (inqvies) sed in nomine aut virtute Jesu Christi, & pro dogmate Christi, facta sunt hæc omnia. Qvid igitur sanctimoniam, spiritum, miracula eorum pro dogmate liberi arbitrii adducis? pro qvo data & facta non sunt. Nostra igitur sunt illorum miracula, spiritus & sanctimonia, qvi Jesum Christum, non autem vires aut opera hominum prædicamus. Qvid jam mirum, si ii, qvi sancti, spirituales, mirabiles fuerunt, aliqvoties carne præventi, locuti sunt & operati secundum carnem, qvando id & ipsis Apostolis sub ipso Christo non semel accidit? Neqve enim tu negas, sed asseris, liberum arbitrium non esse spiritus aut Christi negotium, sed humanum, ita ut spiritus qvi Christum clarifi-

» rificaturus promissus est, utiqve non posset liberum arbitrium prædi-
» care. Si ergo Patres aliqvando liberum arbitrium prædicaverunt,
» certe ex carne (ut fuerunt homines) non ex spiritu Dei sunt locuti,
» multo minus pro eo miracula ediderunt. Qvare inepta est allegatio
» tua de sanctimonia, spiritu & miraculis patrum, qvod ex iis non libe-
» rum arbitrium, sed Jesu Christi dogma, contra liberi arbitrii dogma
» probetur. Post alia qvædam ad phrases Patrum & Theologorum qvæ
» allegari solent hæc regerit fol. seq. Ego vero contrarium vobis facile
» ostendam, qvod viri sancti, qvales jactatis, qvoties ad Deum oraturi
» vel acturi accedunt, qvam penitus obliti incedant liberi arbitrii sui, de-
» sperantes de semetipsis, ac nihil nisi solam & puram gratiam longe alia
» meritis sibi, invocantes, qvalis sæpe Augustinus, qvalis Bernardus, cum
» morituros diceret, perdidi tempus meum, qvia perdite vixi. Non vi-
» deo hic allegari vim aliqvam, qvæ ad gratiam sese applicet, sed accusa-
» ri omnem vim, qvod non nisi aversa fuerit. Qvanqvam illi ipsi san-
» cti aliqvando inter disputandum aliter de libero arbitrio locuti sunt,
» sicut video omnibus accidisse, ut alii sint, dum verbis aut disputationi-
» bus intenti sunt, & alii, dum affectibus & operibus, illic dicunt aliter,
» qvam affecti fuerunt ante, hic aliter afficiuntur qvam dixerunt ante,
» ex affectu vero potius qvam ex sermone metiendi sunt homines tam pii
» qvam impii.

Ad §. CLXXXII. *Guthelmus Nesenus*) Erasmus, eos qvi Gvilielmi nomen gerebant, fato qvodam amicos sibi esse scribere solitus, in epistola ad *Gvil. Budæum* anno 1516. data Lib. I. epist. 16. inter omnes hunc Nesenum *optimarum literarum confectatorem ardentissimum* vocat, *sibique sic unice deditum, ut Pyladem suum optimo jure appellare possit.* Duæ ad eum epistolæ Erasmi extant Lib. V. 28. & X. 31. in qvarum posteriori Anno 1518. illum, Parisiis tunc versatum adhortatur, ut Germanus Gallos eruditione vincere satagat. Eundem in collegio trilingvi, qvod Lovanii sua opera constituerat, lectorem habere voluit, sed in literis ad *Ludovicum Vivem* anno 1519. Lib. XXI. ep. 20. qveritur obsistere monachos & inqvisitores *Nesseno*, Pomponici Melæ Geographiam gratis profiteri aggresso, nihilo remissioribus studiis, qvam si parasset totam urbem incendio miscere. Sed *Nesenus* Evangelicæ veritati majori cum libertate animum applicans, & in Saxoniam concedens

dens Erasmi favore excidit: Lutherus cum morte ejus valde turbatus, dixisset. *O utinam possem resuscitare mortuos*, calumniam passus est, ac si resuscitationem ejus serio tentasset, qvo mendacio aliqvi ex ejus insectatoribus mire delectati sunt, ut eum summa vanitate miraculorum donum sibi arrogasse criminarentur. Nesenum eleganti epicedio honoravit *Jacobus Micyllus* non infelix illius temporis Poeta. Cum Neseno eodem periculo implicitum fuisse Priorem Wittenbergensem (*Brisgerum* Augustinianum) intelligitur ex Epistola Lutheri ad Langum Lib. II. p. 309. ubi tamen pro *Gvilielmo* mendose legitur *Georgius Nesenus*, is (dicit) misere periit magno nostro mœrore magnoqve hostium tripudio forte & majore blasphemia Evangelii nostri & nominis Christi, pene qvoqve occidisset Sathan Priorem nostrum, nisi miraculo insigni fuisset servatus. „ „ „

Ad §. CLXXXIII. *Commentarius in Psalmos)* Cœpit prælectiones suas in Psalterium, sed secunda ut ipse memorat vice, anno 1519. ut supra §. LXIII. paucis notavi. Continuavit laborem in an. 1521. interruptus enim fuit itinere Wormatiensi, neqve tamen ulterius qvam ad finem Psalmi (secundum numerum Hebraicum) XXI. Latin. XX. pervenit, dum vero post comitia in arce lateret Psalmum XXII. qvo passio Christi clarissime præfiguratur explicavit. Dedicationi ad *Fridericum* Electorem annus 1519. & dies VI. Cal. April. adscriptus est, licet serius & post disputationem demum Lipsiensem publicatio secuta sit. Accessit commentarius in Psalmum XXII. (ut dixi) in arce compositus, & nunc omnia conjunctim in Tomis Latinis reperiuntur, ea qvidem prolixitate, ut Tomi II. Jen. dimidiam pene partem constituant. Qvanta in hoc opere vis & copia eluceat piæ & spiritualis eruditionis, deprehendent, qvi cum attentione & Spiritus divini auxilio legerint. Laudanda vero magnopere etiam est summa viri modestia, cujus tum in præfatione tum in conclusione insignia dat documenta. Et in præfatione qvidem Friderico Electori debitas laudes tribuit, *qvod exemplum in provehendis literis omnibus factus sit Principibus, ejusqve liberalitate artes & lingvæ non solum Wittenbergæ floreant, sed & sincera Christi Theologia triumphet, opinionibus & qvæstionibus hominum cessantibus*; dein beneficia ab illo sibi ad id tempus exhibita celebrat, collatum in se, impensis Electoris, Doctoratus honorem, *insigne illud* (ait)

ostentationis meæ, cujus me pudet & tamen gestari oportet, ita volentibus illis qvibus me obedire par est. Protectionem etiam Principis gratus agnoscit, scribit enim & eo qvidem tempore, ubi de Leone X. adhuc bene sperabat: *Scit universa tua ditio, longe majorem Principi pro me sollicitudinem, qvam mihi ipsi fuisse. Ego, pro mea temeritate, aleamjeci, extrema semper tentare & expectare paratus. Nam & hac occasione fore sperabam, ut a docendis aliis submotus, angulum mihi invenirem, deserto, qvod odiebam, publico: sed perstitit tuæ Celsitudinis officium, & cum ego cuperem pati, qvæ illi ardebant inferre, neutris cessit, qvod cupitum est: Sed nondum finis, placet tamen iterum eventus iste, vel hoc nomine, qvod nulli Christiano non debeat esse molestissimum, tantum in Ecclesia Christi qvorundam audere impudentiam, ut sub nomine venerabilis potestatis Ecclesiæ, suis fœdis cupiditatibus præsumant successum, & qvo qvis Pontificum est clementior, melior, eruditior, eo isti impii impostores majora sibi pollicentur portenta, sub ejus titulo promovenda. Nam qvot manifestis mendaciis, in hac una levicula causa, Sacrum Leonis X. nomen, ad terrendum unum fraterculum, dirasqve suas Tyrannides stabiliendas, prophanarunt, conspurcaruntqve?* Laboris vero sui difficultatem, suæqve operæ tenuitatem postea adducit, scribens: Jam secundo in Wittemberga tua Psalterium profiteor, urgentibus & exigentibus optimis auditoribus, qvibus debitorem me esse non possum negare. Verum ita profiteor, ut nolim ab ullo id de me præsumi, qvod nullus adhuc præstare potuit sanctissimorum & doctissimorum patrum, id est, Psalterium in omnibus legitimo sensu suo intelligere & docere. Sat est, aliqvot, & eosdem ex parte intellexisse; Multa sibi reservat Spiritus, qvo nos semper discipulos habeat, multa solum ostendit, ut alliciat, multa tradit, ut afficiat, & (ut beatus Augustinus præclare dixit) nullus unqvam ita locutus est, ut ab omnibus in omnibus intelligeretur, multo magis ipse Spiritus Sanctus solus omnium suorum verborum intelligentiam habet. Qvo circa ingenue confiteri me oportet, me ignorare, legitimam habeam necne intelligentiam Psalmorum, etsi veram esse non dubitem, qvam trado. Nam & omnia qvæ B. Augustinus, Hieronymus, Athanasius, Hilarius, Cassiodorus & alii super Psalterium contulerunt, verissima sunt, sed a sensu literæ qvandoqve remotissima, & mea qvoqve secunda hæc professio, a prima

ma longe lateqve diversa est, nec est liber in Bibliis, qvi me diligentius exercitavit, donec in eam sententiam venerim, oportere nullius interpretationem, modo pia sit, rejicere, nisi talionis lege, rursum qvis optet rejici. Defecit ille in aliqvibus, tu in pluribus, nonnulla video, non visa beato Augustino, rursum multa visuros scio, qvæ ipse non video, *& paulo post:* Scio esse impudentissimæ temeritatis eum, qvi audeat profiteri unum librum scripturæ a se in omnibus partibus intellectum? Qvin qvis audeat præsumere unum Psalmum rotunde ab illo intellectum? Vita nostra initium & profectus est non consummatio; ille melior, qvi ad spiritum propius accesserit. Si attigero Lunam, non mox & Solem apprehendisse arbitrabor, sed nec stellas minores fastidiam. Sunt gradus in vivendo & agendo, cur non & in intelligendo? Apostolus transformari nos dicit de claritate in claritatem. Et ut dicam qvod res est, tantum illis servio, qvi hæc ignorant & volunt, tum id saltem præstitisse juvabit, qvod melioribus studiis & me & auditores meos interim occuparim, qvam si super libros *Sententiarum* novas tenebras, & ranas & muscas creassem. Primas ejus in Psalmos prælectiones qvarum meminit, & qvas paulo post adeptum in Theologia Doctoratum peregit, fateor me non vidisse, neqve an extent scire: Laudat eas Melanchthon in vita Lutheri & ex eo *Melch. Adamus* his verbis: Aggressus est, officii ratione, enarrare epistolam ad Romanos, deinde Psalmos. Hæc scripta sic illustravit; ut post longam & obscuram noctem, nova lux oriri videretur, omnium piorum & prudentum judicio. Hic monstravit Legis & Evangelii discrimen: refutavit errorem tunc in scholis & concionibus freqventatum: Qvo docetur, mereri homines remissionem peccatorum operibus, & homines coram Deo justos esse disciplina, ut Pharisæi docuerunt. Revocavit igitur Lutherus hominum mentes ad Filium Dei, & ut Johannes Baptista, monstravit agnum Dei, qvi tollit peccata nostra; ostendit gratis, propter filium Dei, remitti peccata, & qvidem oportere id beneficium fide accipi. Sed redeo ad secundas prælectiones, in fine harum post absoluta nempe qvæ in Psalmum XXI. commentatus fuit, hunc addit epilogum d. Tom. II. f. 237. Finem hic facio, & ingenue ac fideliter confiteor, me plurima tentasse supra vires, nec habere hanc Apostoli gloriationem, qva ad Romanos scribit.

» bit. Non audeo aliqvid loqvi eorum, qvæ non effecit per me. Nam
» vitæ sanctimonia nihil consecutus sum, qvod tamen scio, qvam fuerit
» & sit necessarium, ne docerem anteqvam facerem; Eruditione vero
» parum; cum & ipse discipulus hactenus fuerim, non solum in Lin-
» gvis, sed & propheticis spiritibus discendis, utrunqve enim tractatori
» Scripturarum necessarium est, magis tamen Spiritus qvam lingva. Un-
» de etsi in lingva Hebraica, non uno loco me videam errasse, metuo ta-
» men ne pluribus in spiritu erraverim, qvanqvam mihi conscius non-
» sim, sinceram & catholicam fidem a me uspiam læsam, ut gloriari pos-
» sim, errores meos esse prorsus sine periculo, cum in lingva ista peritis-
» simi & maximi, in spiritu autem & summi & sanctissimi viri, errave-
» rint. Hoc didici, scripturam esse eam, qvæ nullius ingenium, nullius
» eruditionem, nullius diligentiam, nullius sanctimoniam, non in mul-
» tis partibus fallat & superet. Atqve cum omnibus etiam parvulis sit
» exposita ad satietatem usqve, magnis tamen semper sepositа est ad e-
» suriem. Ut verissime & sapientissime dixerit Gregorius, Scripturam
» esse fluvium, in qvo agnus peditat, & elephas natat. Nec in ea fœdi-
» us nec perniciosius erraverunt, qvam qvi se nihil in ea errasse præ-
» sumpserunt. Nec felicius & salubrius in ea profecerunt, qvam qvi ti-
» muerunt se in omnibus errare. Sapientia enim est, cujus principi-
» um timor Dei, qvæ intellectum dat parvulis, & sapientiam sapientum
» reprobat. Qvare meos errores sic judicet Frater meus qvisqve, ut se-
» se etiam alicubi errare non dubitet, ne forte superbus nusqvam non-
» erret. Porrigamus potius summis viribus mutuas operas in Domi-
» no, præsertim in scripturis sanctis tractandis, etiam sic errores non e-
» vademus, donec in vita hac sumus immunda. Solus hic se glorietur
» non errare in ulla parte, qvi sine peccato fuerit in hac vita. Nemo
offendi debet hac imperfectionis suæ, aut obscuritatis in scripturis Lu-
theri professione, eamqve ideo refero, ut os obstruatur calumniæ,
qvasi infallibilitatem & enthusiasmum sibi arrogasset Lutherus. In-
terim in veritate & sensu doctrinæ, qvatenus nempe ad salutem ne-
cessaria est, vel non repugnat analogiæ fidei, minime hæsitat. Ean-
dem extenuationem repetit post adjectum commentarium in Psal-
» mum XXII. fol. 267. Visum est hic tabernaculum figere & mansio-
» nem facere, & qvia video istos commentarios rapi ad typos & præ-

la,

la, cum ego mallem eos perpetuo latere, adeo multa sunt, in qvibus ipse contentus non sum, unus ultra vires suscepi, ideo sæpius nuto. Rogo itaqve pium lectorem, ut legat omnia cum summo judicio, non qvod mihi conscius sim, usqvam prava docuisse: Sententia mihi per omnia placet, sed non semper suo loco mihi venit. Erratumqve est aliqvando in Ebræa Lingva, dum occupatus & distractus variis, non totus incubui. Non me excuso difficultate & obscuritate Libri, nec parvitate eruditionis & ingenii, cur enim non abstinui? nec me aliorum exemplo solor, qvanqvam hæc sit honestissima ratio. Sed hoc anhelo, ut purus, genuinus appositusqve suo qvisqve loco sensus habeatur, qvod si potui, vel ex parte tradere, libens, temerarius, erroneus, indoctus, in multis habebor præ cæteris. Qvatuor inde locis qvædam corrigit, & his concludit verbis: Sunt multa alia præter hæc & forte majora, ipse non video, accedunt ad hæc errores Librariorum, breviter, totus commentarius mihi placeret magis, si recognitus a me primum fuisset, cum & prolixitas & verbositas magnum in eo vitium sit. Verum non nihil in illis est spiritualis eruditionis & revelationis, de qva, qvi pius est, gratias agat Domino Jesu Christo, qvi est lux nostra, benedictus, Amen.

Temperare mihi non possum, qvin ad commendandam libri ipsius lectionem qvædam ex interpretatione *Psalmi primi*, speciminis causa apponam. Scribit itaqve ad Vers. I. *Beatus Vir &c.* Inprimis id in Scripturis observandum, qvam prudenter abstineat a nominibus sectarum & personarum; Nam cum hoc Psalmo, sine dubio, Judæorum populus taxetur primo, sicut ait Apostolus: *Judæo primum & Græco.* Et Rom. III. *Scimus qvoniam qvæcunqve lex loqvitur, his qvi in lege sunt, loqvitur*; Non tamen dicit, Beatus Judæus aut beatus ille vel ille. Nec in consilio gentium, horum vel horum, sed absolute, *Beatus vir*, & *consilium impiorum, via peccatorum, sessio illusorum* &c. qvicunqve illi tandem sint; Qvia non est acceptio personarum apud Deum. Et hoc fieri fuit summe necessarium, ut verbum Dei, cum sit æternum, omnibus omnium hominum seculis conveniret. Nam & si varient per tempora, mores, personæ, loca, ritus, eadem tamen vel pietas vel impietas transit per omnia secula. Sic videmus Prophetas, adversus falsos Prophetas, Apostolos contra Pseudoapostolos, Doctores contra

» Hæreticos; eisdem Scripturis usos, cum tamen nec Prophetarum, nec
» Apostolorum nec Doctorum, aut suorum adversariorum nomen, sed
» piorum & impiorum in illis invenirent. Et post alia: Hic est ubi
» Canon perpetuus & infallibilis, atqve (qvod ajunt) Lydio lapide cer-
» tior, qvod proprium est impiorum, Deum non timere, secure de mise-
» ricordia ejus (sicuti putant) omnia præsumere. Piorum autem, cum
» Job omnia opera sua vereri, in nulla sua justitia confidere, & sanctita-
» tem suam pro stercore ducere, ideo non posse pro ea certare, se justifi-
» care aut vindicare, sed dignos esse se omnium odio & vindicta; Itaqve
» dixi, Fidei oculis & auribus opus est, ut hæc verba Spiritus audias, &
» eorum rem videas: Homo enim non potest ea intelligere. Non autem
» existimes me (pias) Ceremonias & bona opera damnare, sed opinio-
» nem, fiduciam studium illorum, pestes voco, qvod his fieri videmus, ut
» in sectas, iras, detractiones, & infinita monstra peccatorum ruant, qvæ
» omnia tegunt nomine pietatis, velo consilii sui, specie dogmatum suo-
» rum, si enim in humilitate fierent, bona certe essent. Ad *verba d. vers.*
» *1. Cathedra pestilentiæ:* Cathedram pestilentiæ possident, qvi opinioni-
» bus Philosophorum, traditionibus hominum, consiliis capitum suo-
» rum replent Ecclesiam Christi, opprimuntqve miseras animas, omisso
» interim verbo Dei, qvo solo pascitur, vivit, servatur anima. Qvosit
» ut homines aliam justitiam ignorent, qvam qvæ operibus paratur, hæc
» autem est impietas, & peccatum coram Deo. Impossibile est enim,
» ut sine periculo opera legum doceas, qvarumcunqve, nisi meliore parte
» doctrinæ & majore studio prius fidem docueris in Christum. Paulus
» ad Rom. undecim capitibus fidem fundat, & qvinqve capitibus deinde
» mores superædificat. Ad Galatas qvinqve fidem, uno sexto mores
» docet. Sic & in aliis qvoqve Epistolis facit. Christus in Evangelio
» non nisi fidem qværit. Ad verba: *In lege Domini voluntas ejus:* Vo-
» luntatem, primum hic neqve pro potentia, neqve pro stertente illo ha-
» bitu, qvem recentiores Theologi ex Aristotele invexerunt, ad subver-
» tendam intelligentiam Scripturæ, item neqve pro actu, qvem ex ea
» potentia & habitu elici dicunt, habere. Non habet universa natura
» humana hanc, intenta enim est & prona ad malum, ut divina dicit au-
» toritas, Gen. 8. Lex vero Domini est bona, sancta, justa, sequitur,
» qvod

qvod voluntas hominum sit adversaria legi, odiat legem, fugiat legem. Qvod si qvandoqve timore pœnæ aut concupiscentia promissi, simulet se diligere legem, manet tamen intus semper odium legis, nec potest eam gratuito diligere, non enim diligit, qvia bona est lex, sed qvia sibi commoda. Est autem voluntas hæc purum illud beneplacitum cordis, ac voluptas qvædam in lege, qvæ non qværit qvid lex promittat, nec qvid minetur, sed solum id qvod lex sancta, justa, bona est. Est ergo non modo amor legis, sed etiam amans delectatio in lege, qvam nullis prosperitatibus, nullisqve adversitatibus possit mundus & Princeps ejus tollere ac vincere, sed per inopiam, infamiam, crucem, mortem, infernum, victrix perrumpit, in adversitatibus enim maxime eminet. Venit autem hæc voluntas ex fide in Deum per Jesum Christum. Cæterum voluntas, qvæ metu pœnarum extorqvetur, servilis est & violenta, qvæ autem cupiditate præmiorum allicitur, mercenaria est & simulata. Illa autem liberalis, gratuita, hilaris, unde Christi populus, *Nedaboth* Ebraice, *spontanei, voluntarii, liberales* vocantur. Ex qvibus omnibus liqvet, qvod hic Psalmus, nisi de solo Christo intelligatur, speculum & meta est, ad qvam nitendum sit beato Viro, cum nullus sit in hac vita, cui non aliqvid hujus voluntatis defit, propter legem & voluntatem membrorum contrariam illi, ut Apostolus Rom. 7. qveritur, qvæ juxta Theologiam crucifigenda est, juxta Philosophiam vero pro virtute habenda. De libertate vero Christiana, propter cujus assertionem immanis illi invidia conflata est, sic loqvitur ad vers. 3. verb. *In tempore suo.* O aureum & amabile verbum, qvo asseritur libertas justitiæ Christianæ! Impiis stati sunt dies, stata tempora, certa opera, certa loca, qvibus sic inhærent, ut si proximus fame esset moriturus, non ab illis divelli possint. At beatus hic vir, liber in omne tempus, in omne opus, in omnem locum, in omnem personam, utcunqve se obtulerit casus, tibi serviet, qvodcunqve invenerit manus ejus, hoc faciet: Non est Judæus neqve Gentilis, neqve Græcus, neqve Barbarus, nullius prorsus personæ: Sed dat *fructum suum in tempore suo*, qvoties opus sit ejus opera Deo & hominibus. Ideo neqve fructus ejus habet nomen, neqve ipse habet nomen, neqve rivi aqvarum ejus habent nomen, unus non uni nec uno tempore, loco, opere, sed omnibus ubiqve per

» omnia servit ; Estqve vere vir omnium horarum, omnium operum,
» omnium personarum, & imagine sui patris, omnia in omnibus, & su-
» per omnia. Impii vero sicut Psalm. 18. dicitur, clauduntur in angu-
» stiis suis, seipsos captivant, & in operibus, temporibus, locis a se electis,
» torqvent, extra qvæ nihil rectum geri putant. Unde suorum fructuum
» æstimatores nihil faciunt, qvam ut alienos fructus mordeant, judicent,
» damnent, liberrimi & in qvocunqve tempore prompti alios reprehen-
» dere, & omnino tales in malo faciendo, qvales pii sunt in bono: Sunt
» enim & ipsi omnium horarum viri, non uno modo, non uno tempo-
» re, non uni homini, sed utcunqve sors obtulerit, aliis detrahentes ac
» nocentes, qvæ studia, si verterent ad bona, multo meliore compendio
» pii fierent. Non sane hæc dico, qvod ceremonias Ecclesiarum &
» monasteriorum reprobem, imo hæc fuit prima Religiosorum institu-
» tio, ut qvi monasterium ingressus esset, majori subjectus, disceret ni-
» hil proprie operari, sed promptus omnibus in omnibus servire. E-
» rantqve monasteria vere qvædam Gymnasia Christianæ libertatis ex-
» ercendæ & perficiendæ, sicut adhuc sunt, sicubi priscam servant insti-
» tutionem, hic inqvam erat finis & modus ceremoniarum. Nam
» qvid sunt ipsa qvoqve charitatis & misericordiæ opera, qvam liberæ
» qvædam ceremoniæ, cum & ipsa sint externa & corporalia? Et ve-
» teris legis ceremoniæ itidem erant utilissimæ exercitationes veræ &
» liberæ pietatis. At ubi cœperunt perversitatis studio in libertatis in-
» juriam usurpari, & earum prætextu vera pietas extingvi, jamqve pro
» libertate servitus tyranniseret, opus erat, ut universæ tollerentur, sic-
» ut & nunc qvoqve Pastorum piæ solicitudinis esset, tumultus ceremo-
» niales abrogare, ubi non nisi in laqveos animarum, & in offendicula
» liberæ pietatis grassantur. *Ad versum 3.* cum fructus justorum ex-
plicasset egregie monet regnum Dei *non esse in sermone sed in virtute*.
1. Corinth. IV. 2. *cœpit Jesus facere & docere.* Actor. I. 1. *erat vir po-
tens in opere & sermone.* Luc. XXIV. 19. sed seqventia Psalmi verba,
& omnia qvæcunqve faciet prosperabuntur, qvia de operibus singulo-
rum jam præcedenti versu actum est, ad Architectonicam in Ecclesia
» sapientiam accommodat, scribit itaqve: Facere esto, instituere, or-
» dinare, diversis ministeriis Ecclesiasticis distribuere, & ut Apostoli Pe-
» trus & Paulus docuere, multiformis gratiæ Dei ministratores facere;

Eccle-

Ecclesias fundare, multiplicare ut sic ipsi fideles sint plasmata, opera, facta eorum: Sic enim Galatas parturit, & Corinthios genuit Apostolus: Opus meum inqvit, vos estis in Domino. Intelligis ergo spiritualem esse hanc facturam beati viri, non palatia, non imperia, non pompas: hæc enim & gentes faciunt ac pariunt. Sed multos bonos & beatos, sibiqve similes reddere, hoc demum est facere hujus beati viri. Prosperitas qvoqve cave ne carnalis a te intelligatur, in abscondito hæc est, & penitus in spiritu, adeo ut nisi fide eam teneas, potius summam adversitatem judices. Nam Diabolus sicut solium & verbum Dei, extreme odit, ita & eos qvi ipsum docent & audiunt, totius mundi adjutus viribus persequitur. Miraculorum ergo omnium miraculum audis, qvando prosperari audis omnia, qvæ facit vir beatus. Qvid enim mirabilius, qvam qvod fideles dum occiduntur crescunt; dum minuuntur multiplicantur, dum subjiciuntur superant; dum expelluntur, intrant; vincunt cum vincuntur, sic enim mundus est victus & princeps ejus. Sic mirificavit Dominus sanctum suum, ut hoc sit summæ prosperitatis, qvod summæ est infelicitatis: Hæc est prosperitas sapientium & conversio virorum. At nunc illud Proverb. I. videmus impleri, *Aversio parvulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos*, nunc enim qvia rebus Ecclesiæ Personas & nomina fecimus, & spiritum in carnem traximus, ideo bonus status Ecclesiæ, nunc vocatur opulentia; tyrannis, impunitas; pax carnis & pompa plusqvam mundana. Vidit enim Diabolus & intellexit tandem prosperitatem hanc spiritualem, ideo cohibuit se, & alia via nos aggressus, horrenda infelicitate nostra triumphat. Et qvi bello vincebatur, pace nunc regnat; mira certe utriusqve Dei ordinatione. Scite ergo & verissime S. Hilarius dixit, Ecclesiæ esse naturam ut adversitatibus crescat, utqve prosperitatibus decrescat. At hæc sapientia crucis & nova rerum significatio non modo incognita est, sed longe omnium qvoqve horrendissima, ipsis etiam Ecclesiæ optimatibus. Nec mirum postqvam desertis sacris literis, infelices hominum constitutiones & Ratiocinaria pecuniarum cœperunt legere.

Maxime deniqve memorabilia sunt & mentem Lutheri explicant simul & historiam illustrant, qvæ ad Psalmum XVI. vers. 4. fol. 176. & seq.

seq. *non congregabo conventicula eorum de sanguine* ingenue profitetur:
" Hic plane ipse Christus qvæstiones illas infinitas de Ecclesia sua dirimit, qvam alii *virtualem*, alii *representativam*, alii aliam finxerunt,
" Christus dicit, se non congregare eos qvi sunt ex sanguinibus, sicut
" Joh I. dicitur: *Qvi non ex sanguinibus, neqve ex voluntate carnis, neqve ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Eundem locum Paulus, utubiqve ita ad Romanos & Galatas ex professo & magnifice
" tractat, ubi probat, non omnes filios carnis esse Israel, sed solos filios
" promissionis, & filios liberæ Saræ, non ancillæ Agar esse semen Abrahæ, ut Ecclesiam Christi prorsus omni persona exuat, & sicut alibi di-
" cit, in Christo, neqve sit masculus, neqve fœmina, neqve Judæus, neqve
" Græcus, neqve liber, neqve servus: Ita neqve Romanus neqve Ger-
" manus, sed qvi ex fide sunt benedicentur cum fideli Abraham. Qvare detestanda est impietas Romana, qvæ de Ecclesia somniat sua men-
" dacia, cum Ecclesia aliud esse non possit, qvam congregatio spiritualis
" hominum, non in aliqvem locum, sed in eandem fidem, spem & charitatem spiritus: Non hoc contenta, Ecclesiam alligat loco, scilicet
" Romæ, neminem esse Christianum permittens, nisi fuerit Romanus,
" impudenti temeritate contra articulum fidei statuens suum menda-
" cium. Credimus enim *Ecclesiam sanctam Catholicam esse communionem Sanctorum.* Non dicimus *communionem Romanorum* & aliorum
" qvorumcunqve locorum, Christus qvoqve dixit Luc. XVII. *Non venit regnum Dei cum observatione*, nec dicet: *Ecce hic* aut ecce illic, ecce
" *enim regnum Dei intra vos est.* Idem Matth. XXIV. *Multi venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, & seducent multos.* Tunc si
" dixerint vobis: *Ecce hic est, aut ecce illic*, nolite credere contra tam
" manifesta verba audent impii isti dicere, Ecce Roma est Ecclesia, Romæ
" est Christus, Romæ est Vicarius Christi. Qvando ergo tempora ista
" jam currunt, de qvibus Christus locutus est, & furor impietatis Ro-
" manæ Evangelio tam manifeste resistit, nec intelligens, nec intelligere
" sinens, qvid sit Ecclesia, armemus nostras intelligentias verbo Dei, firmiter credentes & certissime scientes, Ecclesiam Christi esse aliud nihil
" qvam spiritualem fidelium collectionem ubi ubi terrarum fuerint,
" & qvicqvid est carnis & sanguinis, hoc est, qvicqvid est per-
" sonæ, loci, temporis, & eorum, qvibus caro & sanguis
"

uti

uti potest, non pertinere ad Ecclesiam Dei. Ideo caveamus omni studio ne cum lupis ululemus, & cum *Romanistis romanisemus*, hæreticos eos blasphemando, qvi sub Romanæ Ecclesiæ seu curiæ potius collectione non fuerint. Christus enim & Apostoli, Petrus & Paulus, qvia viderunt necessarium esse, ut corpora & nomina eorum in aliqvo certo loco haberentur in terris; & hanc necessitatem futuram esse occasionem superstitioni & impietati huic, ut ecclesiam eisdem locis affigerent, & sic ecclesiam e spirituali collectione in temporalem traherent, prævenerunt ac sedulo nos monuerunt; Insuper ne Christum ipsum in hanc impietatem sibi pro patrocinio haberent, curavit incomprehensibili consilio, ut Jerusalem vastaretur, & conculcaretur a gentibus, qvod nisi fuisset factum, nemo prohibere potuisset, qvin locum Jerosolymitanum tanta specie & titulo præditum, pro Ecclesiæ capite erexissent. Ubi hoc prohibitum est, cœptum est Romæ id mali, titulo S. Petri & Pauli, verbis Christi, *Tu es Petrus, & pasce oves meas*, magna specie huc detortis. Verum & hic restitit Christus potenter, nec enim permisit unqvam fieri, ut Rom. Pontifici esset subjectus totus orbis, qvod tamen fieri oportuisset, si jure divino staret ille Primatus, qvia verbo & promissioni divinæ nemo potest resistere; Nec sic tamen aperimus oculos ut figmenta Satanæ videamus. Unde Petrus has fictiones pulchre prædixit. 2. Petr. 2. *Erunt in vobis Pseudo Magistri* (pene dixisset Magistri nostri eximii) in *avaritia fictis verbis de vobis negotiantes*. Qvid enim magis fictum est qvam dicere, qvod petra significet potestatem regitivam Petri, & pascere, monarchiam Papæ? Aut ad qvid valet ista monarchia, nisi ad avaritiam, qvæ suum qvæstum in nobis exercet? Qvare ut meam redimam conscientiam, neve in hora mortis meæ, & extremo judicio rationem impii silentii exposturer, His scriptis coram omnibus, qvi legunt & audiunt, & coram cœlo & terra affirmo & confiteor, Articulos istos, qvos Lipsiæ Evangelicos & Christianissimos suscepi defendendos, *Ecclesia universalis est prædestinatorum universitas*, & eos qvi ex hoc seqvuntur, dicoqve & protestor, eos fuisse impie damnatos, Conciliumqve Constantiense, qvantum in hanc partem, fuisse conciliabulum Satanæ, dum eos damnavit. Damno, excommunico, devito, detestor omnes, qvi huic concilio affuerunt & consenserunt, aut adhuc consentiunt, sive sint Papa, Episcopi, reges,

» reges, aut qvicunqve dehinc, ne ſangvine innocenti poiluar. Ulterius
» proteſtor, ſi Johannes Huſs & Hieronymus de Praga ſunt ob nullam
» aliam cauſam (ſicut videtur) exuſti; qvam propter hos articulos, fa-
» ctam eſſe eis injuriam, & Papam cum ſuis eſſe & fuiſſe crudeliſſimos &
» impiiſſimos homicidas, inimicos Chriſti & Eccleſiæ ejus. Teſtes erunt
» mihi hujus fidei & confeſſionis meæ qvicunqve hæc legerint, Ego ſane
» ignorabam Lipſiæ ſenſum articulorum eorum, qvorum verba vidi eſſe
» Chriſtianiſſima, ita non potui tum ſenſum, qvem adulator Papæ dedit
» confutare. At nunc cum extet Johannis Huſs liber, ex præcedentibus
» & ſeqventibus video, & ſenſum eorum eſſe Chriſtianiſſimum, qvid eſt
» Papa? qvid mundus? qvid Princeps mundi? ut propter eum veritatem
Evangelii pro qva Chriſtus mortuus eſt, negem? Valeat qvi valet, Pe-
reat qvi perit, Ego ſic ſentiam, Deo propitio ſemper.

Qvanta vero cum animi conſtantia Lutherus inter tot perſe-
cutiones veritatem iſtam Evangelii profeſſus ſit, paratusqve fuerit, ad
mortem pro illa ſubeundam, patet ex literis ad *Lampertum Thorn.* qvi religionis cauſa in vinculis erat, menſe Jan. 1524. datis. Lib. II. p. 182. in qvibus cum gratulatus eſſet Lamperto, *de opulenta illa & magnifica gratia, qvod pro Chriſti cauſa vincula pateretur*, hæc ſcribit: » me miſerum, qvi primus iſta docuiſſe jactor, & noviſſimus & forte
» nunqvam veſtrorum vinculorum & ignium particeps eſſe dignus ſum.
» Vindicabo tamen hanc meam miſeriam, & conſolabor me qvod ve-
» ſtra vincula mea ſunt, veſtri carceres & ignes mei ſunt, ſunt vero,
» dum & ea confiteor & prædico vobisqve ſimul compa-
» tior & congratulor.

SUP-

SUPPLENDA ET EMENDANDA.

AD Præloq. *in unico illo de Ecclesia Romana articulo*) Non possum qvin Erasmi verba adscribam, ex *purgatione adversus expostulationem Hutteni*: licet enim justo liberius controverſiarum pondera elevare videatur, agnoscit tamen summam rei in qvæstione de Pontificatu & similibus versari; Non agitur (ait) de articulis fidei; sed an Principatus Romani Pontificis sit a Christo: an Cardinalium ordo sit necessarium membrum Ecclesiæ: an confessio sit ab autore Christo: an Episcopi possint suis constitutionibus obligare ad peccatum capitale: an ad salutem conducat liberum arbitrium; an sola fides conferat salutem: an Missa possit aliqva ratione dici sacrificium. Pro his, qvæ solent esse themata conflictationum scholasticarum, nec ausim cuiqvam vitam eripere, si judex sim, nec velim in capitis discrimen venire.

Ad pag. 36. Additionum) Fortuito factum est ut Islebiæ nascerētur Lutherus. Habitabant enim eo anno parentes ejus adhuc in vico *Mora*, mater vero gravida, cum nondum tam vicinam partui se esse existimaret, ad nundinas Islebienses profecta, ibiqve filium enixa est. Notatur hoc in eleganti *historia MS.* de Ecclesia Isennacensi, a *M. Nicolao Rebban* composita. Huic anno 1611. Pastoris & Superintendentis munus Isennaci demandatum fuit, cum idem in Ducatu Coburgensi, patria sua, Romhildæ & Hilperhusæ administrasset, vir doctus & pius; cui in eadem statione nec impari eruditione & pietate filius successit, qvi non ita pridem defunctus est. Vivit tamen dum hæc scribo, alter filius *D. Johannes Rebban*, Jureconsultus & Antecessor in Academia Argentoratensi primarius, provecta licet sed vivida senecta, cujus hospitio usus sum cum literis anno 1643. & 1644. operam in illa urbe darem; Memoratur in historia illa MS. etiam avus Lutheri, qvi *Henricus* vocabatur, vulgo Heyne Luder: Mentio hic etiam aliqva facienda est *Joh. Hiltenii* monachi Franciscani, qvi ante cœptam a Luthero disputationem, a sodalibus in monasterio Isennacensi, ob puriorem do-

ctrinam & abusuum reprehensionem carceri mancipatus, & in eo ad mortem usqve detentus fuit. Commendatur in Apologia A. C. cap. *de votis monasticis* & refertur ejus vaticinium de futura anno 1516. monachorum reformatione, aliisqve casibus qvos eventus probavit: commentarius etiam ejus in Danielem allegatur: Lutherus illum Apologiæ locum citat in tractatu *de Conciliis* anno 1539. edit. qvi extat *Tomo VII. Alt. f. 273.*

Ad p. 38. Addit.) Hic ubi Maimburgium errasse notavi qvod Lutherum prius Magdeburgi qvam Isennaci scholam freqventasse scripserit, me ipsum lapsum esse fateor. Nam verum est Lutherum Islebia primum Magdeburgum missum fuisse, ætatis anno decimo qvarto, sed non nisi annum ibi commoratum esse. Hoc ipse ad Spalatinum scribit *Lib. I. ep. 139.* Isennacum inde anno 1498. venit, & post qvadriennium, in Erfurtensem Academiam migravit. Matthesius id refert, & Razenbergius in *MS.* ut & *Historia MS. Isennacens.*

Ad p. 40. Addit.) Inter Præceptores Lutheri numerandus est *Jodocus*, qvem vulgato ejus temporis more *Doctorem Isennacensem* vocabant. Extat ad eum epistola Lutheri Erfordiæ anno 1518. data, qva suas theses paulo ante editas in scriptis defendit, cum minus recte valentem alloqvi non posset. Edidit Jodocus ille *Summam Philosophiæ naturalis* anno 1517. qvam nuper inter alios ex Bibliotheca Wurzensi mecum humanissime communicatos libros inspexi. Illi Eobanus Hessus hoc præfixit elogium:

Garrula stelliferum mimri definat orbem
Fama Syncusium composuisse Senem.
Vulcani Clypeos Asiam Europamqve ferentes
Adsent; invenit fabula prisca fidem.
Qvandoqvidem exiguo naturæ summa libello
Tam bene compositum en docte Jodoce tibi.

Ad p. 59. Addit.) De Episcopo hoc in Chronico Hermanni Bonni sive Carionis a Melanchthone Latine edito, *Part. V. Oper. fol. 705.* post narrationem eorum, qvæ Erasmus, rogante Friderico Electore, de Luthero Coloniæ judicaverat, hæc adduntur. In eandem sententiam scripsit ad Fridericum Electorem & *Laurentius Episcopus Wurceburgensis*, qvi se multorum eruditorum judicia explorasse affirmavit.

Ad p. 62. Addit.) Communicatum mecum fuit ab Illustri qvodam amico exemplum mandati qvod Carolus, tunc Hispaniarum Rex,

Rex. *Hoiero Comiti Mansfeldensi* Cæsar Augustæ X. Jun. 1518. dederat, qvod notis secretis *(cifras* vocant) magna ex parte scriptum fuit; accesserunt autem explicationes interlineares, ita ut integer mandati sensus pateat. Is hic est: ut Comes ad Comitia Augustana iret, & Maximilianum Caroli avum adductis rationibus hortaretur, ut electionem suam in regem Romanorum in his comitiis procuraret: hoc enim se impense cupere, non ob suum commodum, sed pro gloria Germaniæ, & domus Austriacæ, & pro augmento fidei Christianæ. Addit se magnam pecuniæ summam (eine treffentliche Summa Geldes) Cortevillæ, ministro in aula Cæsaris residenti concredidisse, qvæ Principibus distribueretur: Mandat præterea ut Cardinalis Gurcensis Jacobi Villingeri, Johannis Renneri (Meister Hans Renners/ qvi Secretarius Imperatoris erat) officiis uteretur, omnes etiam Principes Caroli nomine conveniret, eorumqve opem ad obtinendam desiderium suum imploraret: imprimis Electores, Fridericum Saxonem & Joachimum Brandeburgicum, & Georgium Saxoniæ Ducem. Ex his confirmatur Spalatini narratio, & judicium de Friderici virtute & magnanimitate, qvi neqve blanditiis neqve pecunia expugnari potuit, ut qvod legibus Imperii adversari existimabat, ullo modo admitteret, imo cum pleriqve jam cederent, ipse tamen sua constantia locum teneret, eaqve simul uteretur prudentia ut nihilominus Cæsaris offensam vitaret, alioqve postea tempore, & justo atqve legitimo modo fidem & officia Austriacæ familiæ præstaret. An consistere cum his possint qvæ Varillasius in historia Cevrii de Maximiliani consiliis, Ferdinandum nepotem secundogenitum Carolo præferre volentis, commentatur, non abs re dubitari potest.

Ad p. 75. Addit.) Non debet omitti *Eccii* testimonium de Friderico Electore, cui tamen jam ob causam Lutheri succensebat, in tractatu contra Carolostadium anno 1520. edito. In hoc eum cum non solum *potentissimi & sapientissimi Principis* elogio honorat, sed & bis veluti sveto cognomine vocat *Salutem Germaniæ.*

Ad §. aa. & §. XLVII.) Hic ubi mors Tezelii memoratur, si tanti est, de sepultura ejus notari posset, esse, qvi corpus ejus Lipsia, ubi in Dominicanorum cœnobio Paulino decessit, & sepultus fuit, Pirnam, qvam patriam habebat, avectum tradiderunt; sed decepit eos tabella, in templo oppidano, in qvo ille asino insidens & indulgentias vendens ludibrii causa pictus conspicitur. Positam autem hanc esse

oportet post Georgii Saxoniæ ducis, Pirnæ domini, mortem, qvi Tezelio annos plusqvam viginti supervixit, & se vivo in ditione sua memoriæ ejus illudi non permisisset. Debetur hæc admonitio schedis *V.C. Jacobi Thomasii.*

Ad §. LVI.) Qvanqvam fat longa digressione de liticula Eccii & Carolostadii in *Addit. a pag. 83. ad 98.* egerim, nactus tamen postea sum tractatus utriusqve, qvibus se mutuo super ista scholastica distinctione inter *totum* & *totaliter* prosciderunt, ea qvidem vehementia, qvam Lutherus nec in Carolostadio probabat. Edidit hic epistolam anno 1519. ad *Levinum ab Emden* Jureconsultum, & *Fridericum de Salzen*, Medicum Elector. Brandeburg. hoc titulo: *Adversus ineptam & ridiculam inventionem Joh. Eccii argutatoris, qvi dixit Lipsiæ cum urgeretur, bonum opus esse a Deo totum sed non totaliter.* Respondit Eccius anno 1520. d. 3. Decembr. suumqve tractatum dedicavit *Gervasio Vaim* Memmingensi Svevo, Parisiis Theologiam in Sorbona legenti, qvem Germaniæ decus vocat. Longum & superfluum esset enarrare, qvibus argumentis Carolostadius distinctionem illam improbet, Eccius tueatur, in summa, qvantum scripta utriusqve capio, verbis magis qvam re differre, aut statum qvæstionis non exacte satis concepisse qvi dicat, haud multum erraverit. De Bernardi loco, *totum in illo, totum ex illa*, mire digladiantur. Licet autem cooperationem hominis post primam gratiam non neget Carolostadius, non vult tamen eam in causarum ordinem & gradum evehere, sed venerationi qvam homines Deo debent, convenire statuit, ut pro passivo atqve inde pro non meritorio habeatur, qvicqvid homo agit etiam gratia præveniente & adjuvante, adeoqve bonum opus *totum & totaliter* Deo adscribi vult, sic ipsum Christum de cujus cooperatione dubitare impium sit, dixisse, *Pater in me manens ipse facit opera.* item: *verba qva loqvor non a me ipso loqvor.* Qvasi ipse nihil faceret aut loqveretur; tanto magis decere homines, ut nihil sibi arrogent, nec inepta conjugatorum vocabulorum interpretatiuncula, dum *totum* & *totaliter* distingvunt, se juxta Deum collocent & prædicent. Blasphemam itaqve & hæreticam distinctionem illam vocat, ne in dialectica qvidem Schola ferendam, & ut somnium obscurum & commentum ignobile spernendam. Citat loca Scripturæ, preces Ecclesiæ publicas, dicta etiam Patrum; & ad ea, qvæ aliud innuere videantur commodas desiderat interpretationes: Volo, inqvit, lectorem diligenter libros autorum legere:

gere: neqve tamen id statim illi persvasum esse, omnia qvæ autores dixerunt, utiqve esse perfecta. Adhibendum acre judicium, nam & labant aliqvando & oneri cedunt, & nonnunqvam indulgent ingeniorum acuminibus, neqve semper intendunt animum: nonnunqvam ad commodum opinionum, qvas tutantur, Scripturas præter nativum sensum pertrahunt, aliqvando defatigantur. Summi sunt, homines tamen. Accidit qvoqve iis, qvi qvicqvid apud illos reperierunt intelligendi legem putant, ut deteriora imitentur. Modestie tamen & circumspecte de tantis viris pronuncio, neqve eos damno, sed delectum diverse sentientibus appono. Imo in uno autore unum alio est receptius, & stylo & moribus ingenii congruentius, & deligenda svadeo, qvæ lectorem non fallunt. Eccius fatetur distinctionem illam *totius & totaliter* non reperiri apud Patres, sed tutatur se exemplo Athanasii *de homousio*, & in voce *personæ*. Interim ita se sentire profitetur; etsi concedat bonum opus *totum* esse a Deo, non excludi tamen debere liberum arbitrium, sed qvod gratia & liberum arbitrium sint *una causa totalis*. Dein hoc modo sese explicat: Teneo primo motionem seu inspirationem prævenientem esse a solo Deo: & ibi liberum arbitrium habet se passive: Secundo *velle* illud, de qvo Apostolus, & qvod Bernhardus *consensum*, Augustinus *acqviescentiam* vocat, seqvens priorem inspirationem, est partim a Deo, & partim a libero arbitrio, Psalmista vocat, *auditum: Hodie si vocem ejus audieritis*, in hoc consistit: facere qvod in se est ad bonum; in hoc consistit ratio meriti de congruo. Tertio in eodem instanti Deus infundit gratiam, qvæ est justificans, cooperans, &c. & ad illam habet se liberum arbitrium etiam mere passive: ob id Bernhardus dixit qvod illius tantum capax esset. Subjungit tabellam, in qva Dei & hominis operationes in conspectum sistit. Alibi scribit: Opus meritorium est effective & partialiter a libero arbitrio: licet magis principaliter a Deo, ideo plus solet attribui Deo, qvam libero arbitrio eoqve trahit vocem *perficere*, per qvam vulgata versio *Philipp. II. 13.* expressit Græcum ἐνεργεῖν. Carolostadius vero exponit *operari*. Sed Eccius mavult magno Erasmo (uti eum vocat) assentiri, qvi vertit *efficere*. Licet vero dum in Hiscoldi, monachi ut scribit *profugi* (Carolostadius *venerandum patrem & hominem multi studii* nominat) libellum invehitur, & Schultherri responsum defendit, hujus similitudinem de duobus qvi fundum pro indiviso possident, & de duobus fratribus Ducibus, qvi uni nobili feu-

dum conferunt, defendat, paulo post tamen ait: Semper mihi constans dico, liberum arbitrium effective concurrere ad bonum opus, licet ad bonam motionem habeat se tantum passive. Carolostadius illa & plurima iterata defensione, refellit anno 1520. qvam vocat *Confutationem ad epistolam defensivam Eccii, & το effective* ab hominis voluntate & libero arbitrio prorsus removet, licet concedat voluntatem agere, currere, operari, sed id *effective & totaliter* esse Dei miserentis, & cum Paulo semper dicendum, *gratia Dei sum, qvod sum*, non *partim* sum, sed *totus* & *totaliter*: item *sufficientia nostra a Deo est*. 2. Cor. III. 5. id est, omnis sufficientia. Consentit (ait) homo, sed consensus est donum Dei, consentire non est agere. Bernardus durius locutus est, cum hominem dixit *socium Dei*. Hieronymus etiam ita explicandus (v.g. cum dicit *nostrum est rogare, nostrum incipere*) ut qvæ homini tribuere videatur, ad Deum tamen referenda esse, utiqve non neget; Deus enim dat ut rogare & incipere possimus. Bernardi dicta facilius ad veram sententiam trahi posse, qvia *cogitare, velle, perficere*, omnia Deo tribuat, & peragi dicit in nobis: unde seqvitur nos non nisi receptive operari, & qvæ bona a nobis fiunt, radiorum instar esse a Sole reflexorum: aut ut alibi loqvitur, *Deus in genere causæ efficientis, & præparatur; voluntas instrumentaliter operatur. Si Deus non infunderet, voluntates non reperet, si nulla esset voluntas, Deus voluntati non infunderet.* Magnas hæc ipsa controversia post annos plus qvam triginta turbas in Ecclesiis Saxonicis dedit, collisis inter se Theologis Augustanæ Confessionis primariis. Defenderunt autem contra *Georgium Majorem*, *Victorinum Strigelium*, *Justum Menium*, & alios, operationem Dei totalem & homini in actu conversionis non nisi mere vel pure passivam facultatem tribuerunt Principes Saxonici Joh. Friderici filii, publico scripto, & præ aliis *Nicolaus Amsdorffius*, Exepiscopus Numburgensis, qvi tum Isennaci ut Consiliarius Ducum Ecclesiasticus & Generalis veluti Superintendens vivebat, ibiqve diem suum obiit, ut alio loco, si Deo visum fuerit, dicemus. Nitebantur inter alia maxime dicto Paulino *1. Cor. II. 14.* ubi homo animalis dicitur *non percipere* sive *non recipere* (δ δέχεται) ea, qvæ sunt spiritus: negant tamen hominem ut truncum & lapidem considerari debere. Ita ipse Flacius in apologia sua scripsit: *non dixi nihil agentem* sed *audientem, attendentem, cogitantem verbum Dei.*

Ad

Ad §. LX. pag. 134. Qvantum crimen imputetur Luthero ex dubitatione illa de Epistola Jacobi, satis notum est, ita ut post tot veteres dudum refutatos nuperrime *Johannes Dezius*, Jesuita Gallus in concionibus suis henoticis, Argentorati habitis, magnum argumentum inveniſſe se putaverit, qvo Protestantes, qvi Lutheri illam opinionem non sequuntur, ad deserenda etiam alia ejus dogmata permoveret. Sed qvæ hujus argumentationis debilitas sit, non est, ut a me demonstretur; per instantiæ tamen modum ex historia qvam tracto aliqvid afferendum esse duxi. Incidi in libellum qvem qvidam *Johannes Buchstabius* Scholæ Magister Friburgensis in Helvetia, sive Uchtlandia anno 1528. edidit, titulo: Eigentliche und gründliche Kundschafft ꝛc. in hoc tractat de iis, qvæ in colloqvio Bernæ inter Zvinglium & adversarios habito, non satis ex parte Romanensium videbantur defensa esse, & speciatim qveritur injuste actum fuisse cum Catholicis, qvod ipsis non fuerit permissum Epistolam ad Hebræos rejicere, (ex qva tamen male scilicet ut ait, intellecta) omnia contra Sacrificium Missæ tela desumserint Zvingliani. Hi vero vice versa non fuerint prohibiti, libros *Sapientiæ*, *Ecclesiastici*, *Tobiæ*, *Baruchi*, *Machabæorum* & *Apocalypsin* pro Apocryphis habere. Qvemadmodum ergo liberum est Romano Catholicis, ut de Epistola ad Hebræos hodie non dubitent, ita & Protestantibus liberum fuit, & adhuc est, a Lutheri dubitatione dissidere: qvanqvam jam dudum ostensum fuit, qvod pertinaciter illi non inhæserit.

Ad §. LXII.) Ex libris Wurzensibus, qvos supra memoravi, hæc qvoqve ad disputationis Lipsiensis historiam pertinentia adscribo, qvæ non ingrata lectoribus fore confido: Eccii veteratorium ingenium Carolostadius seqventi narratione arguere voluit: Vidi, conspexeruntqve multi, qvendam Prædicatorem splendido cucullo, inter concionem auditorii sedentem pone Lipsicos Theologos, qvi per manus subsidiarias Eccio misit schedam, qvæ sagittas afferebat, propulsandas in reverendum & doctissimum Patrem, Martinum Lutherum, Doctorem & Theologiæ professorem Wittenbergæ primæ virum celebritatis. Schedam illam, ac qvæ comportabat missilia in suggestu expansam reponit dissimulatim; disjectis dehinc impetu manibus, miro artificio ita spectat deorsum schedam, qvod eum aliud prorsus agere putares. Hoc ipsum artificium legendi ad pedes recondita, recto præcipue capite, præacutis ac oppido lubibundis oculis acumen humi fi-

gen-

» gentibus, in eo homine primas habet, secundas clamor, tertias excur-
» sus ad aliena causæ, qvartas & primas Scripturarum violentus abusus.
» Illa hora schedam allatam, & qvæ continebat, tanqvam sua, domiqve
» efformata, velutiqve perspectissima denuntiat, ac in Martinum con-
» torqvet. Ad hæc respondet Eccius, admonitum se fuisse, Schedas,
» qvarum aliqvas qvidam ex Prædicatorum ordine (albis scil. indutus)
» alias laici (ut putat) Germanice qvippe scriptas submiserint, ut jube-
» ret Lutherum deponere pyxidem, qvam in catenula deferebat digito
» medico, qvia illic haberet qvasdam fascinationes & præstigias, & dæ-
» monium qvoddam familiare, se ægre rem credidisse, deniqve Deo con-
» fisum esse, pro cujus causa (uti dicit) laboraverit, monitum se etiam
» esse ait, ut a veneno sibi caveret, qvod Wittenbergenses ei pararent.
» Qvis verisimiliora scribat, legentium arbitrio permittitur. Vanis-
simam de Luthero suspicionem fuisse, nemo sanus dubitabit. Et Ec-
cius contemnere debuisset ineptissimum figmentum. Sed idem jam an-
tea in epistola ad Electorem, ut ex *Tomo I. Alt. f. 289.* alibi notavi, men-
se Nov. 1519. insinuaverat, *non sine indicio* (ut alicubi Tullius loqvitur)
pusilli animi, & ipsa malevolentia jejuni atqve inanis. Acerbe qveritur
Carolostadius, qvod Eccius Lipsiæ apud Electorem Brandeburgicum
convivatus, publice dixerit, Carolostadium tam rudem esse disputa-
torem, ut nec cum indoctissimo comparari possit. Ad id regerit Ec-
cius, se Principi docto & erudito de Carolostadio & Luthero interro-
» ganti hæc respondisse: Illum minus aptum esse disputatorem, qvod
» pronunciatio ei esset gravis, aspera & hiulca, memoria vel nulla vel
» parva, discursus modicus. Multo apriorem esse Lutherum, vegetio-
» rem memoria, ingenii acumine & eruditione, voce facili, mores ad
» disputandum accommodatiores, sed culpat etiam hujus excandescen-
tiam. In præfatione tamen ad Gervasium, Carolostadium vocat vi-
rum minoris eruditionis qvam Lutherus, sed ad injurias propensiorem
qvi omnino disputare nesciat, sed clamare, & injuriari, & ex schedâ
» domi meditata legere, & ex libro altero tertio & qvarto prælegere, ut
» infantiorem disputatorem nunqvam audiverit. Eccius in tractatu suo
» etiam *Zasii* JCti mentionem facit, opinione ejus se juvari credens: Li-
» benter (scribit) in hac re judicium patiar clarissimi Doctoris Zasii,
» qvem (Carolostadius) credit mihi offensum, ob hoc qvod dum in
» tractatu de juramento, ubi nihil non tribuo Zasio, ejus sententiam de
» fide hosti non servanda, patentiorem qvam volebam, non traxissem,

fide

Grammaticorum qvorundum susurris excitatus, in me calamum aculeatum exacuit. At ejus est & eruditionis & integritatis, Zasius ut facile depravationem Carlstadii deprehendat, & exemplum mei familiaris comprobabit, secundum eruditam ejus & absolutam dividui & individui explicationem, qvam bis eo præceptore audivi, qvi etiamsi esset mihi infensior, venerarer tamen sicut præceptorem, qvod toto ferme sexennio cum Augustale jus civile profitentem avide & cum admiratione audiverim. Verum Zasius edita anno 1519. declaratione Eccium nihilo mitius tractavit & Carolostadii partes tueri non est veritus. Merentur verba viri ea ætate doctissimi & gravissimi adscribi. Qvomodo tu ab evidenti culpa te defendas, qvi cum nulla necessitate, non dico, qvam injuste contra doctissimum, & vitæ integritate probatissimum virum Martinum Lutherum, veteris, id est veræ Theologiæ non pœnitendum assertorem inter alia scripseris: voluntatem esse in anima, sicut reginam in regno. Cæterum cum clarissimus vir Andreas de Bodenstein, fide & doctrina cumprimis perspectus, te elegantissimis suis confutationibus urgeret, Tu conclusiones tuas declarando, istam tuam reginam voluntatem ita veste nuptiali denudasti, ut in vigesimo (credo) dicto, eam paulo minus ancillam relinqveres. Extant etiam Eccii & Carolostadii libelli, qvibus ante disputationem Lipsiensem inter se pugnarunt: illius qvidem excusus Augustæ Vind. Cal. Aug. 1518. hujus vero responsio d. 28. Augusti eo qvo acceperat die, (ut memorat) scripta.

Ad p. 108. Addit.) Cum ante finitam hanc Additionum compilationem *orationem Mosellani*, ut primum edita & infelici illi Ottoni Packio d. 3. Jul. 1519. inscripta fuit, nactus sim, non potui non sequentia summe pie & elegantia hic inserere: Postqvam enim Hieronymi & Augustini modestas dissensiones retulisset, itemqve Gregorii & Basilii erga Arianos, qvos *fratrum* nomine dignati sunt, mansvetudinem laudasset, ita porro differit: Utinam ejusmodi moti exemplis & nos hodie divinæ sapientiæ armis tantum fideremus ut præ his plerasqve humanæ Philosophiæ rationes, non magni penderemus aut saltem non immodice adeo in rem Theologicam inveheremus. Cum pleriqve haud scio an non recte existiment, ex hac curiositate, qvasi segete pullulascere qvæstiones omnes ac λογομαχίας, circa qvas factiosi insaniunt, qvasqve Paulus toties monet fugiendas. Qvid autem? inqvies, Non ethnici ethnicó-

rum qvoqve rationibus sunt revincendi, & suo veluti gladio jugulandi? Non Basilius ethnicos & ipse legit, & aliis legendos præcipit? Præcipit omnino, sed idem Arrianæ factionis turbulentissimas turbas μαθήμασι τοῖς ἔξωθεν acceptas refert. Et Hieronymus qvidem ethnicorum Scriptorum curam, & ipse pene dixerim immodice habuit, & aliis in epistola ad oratorem Magnum permittit. At idem Philosophos *hæreticorum Patriarchas* pulchre vocatos testatur, & Pelagiani erroris non alios prædicat authores: ut vel ex hac diversitate appareat, qvam sit periculo plenum, in externarum disciplinarum rationibus exhibendis, modum non servare: Mihi post Paulum, qvem in qvovis theologiæ tractatu exemplum satis idoneum habemus, in hoc genere Græci circumspectius, sinceriusqve versari videntur. Inprimis Origenes, Basilius, Gregorius, Athanasius & Chrysostomus. Neqve enim Latini præsertim recentiores, adamatæ captivæ capillos perinde abradunt, ungvesqve resecant, ut non inter reginæ sapientiæ pedisseqvas, pro alienigena qveat agnosci. Qvod si in alterum omnino sit peccandum, malim eqvidem nascentis ecclesiæ Theologorum exemplo, evangelicæ doctrinæ simplicitate contentus externarum disciplinarum subsidio carere, qvam ultra justi tractatus septa transiliens, in paganismi suspicionem cadere. Et ne nostri seculi fœlicitati parum videar gratus, superioribus annis magnus ille literarum Princeps *Erasmus*, & *Jacobus Faber* Stapulensis in Psalmorum expositione adeo dissenserunt, ut nominatim alter alterum impeteret. Sed qvam Christiane ab Erasmo respondeatur, nescit nemo, qvi modo mirabilem ejus apologiam legerit. Nam homo cordatissimus in eas angustias detrusus, ut, vel impietatis crimen esset agnoscendum, vel cum magni nominis amico publice in arenam descendendum, objectis maluit respondere, qvam tot hominum millibus male de se suspicandi occasionem relinqvere. Sed ea religione rem temperat, ut dum crimen partim refellit, partim excusat, & vicissim aliqva in adversario coactus subnotat, nullo tamen verbo hominis existimationem lædat, aut fœdæ fraternæ charitatis immemorem declaret. Qvo minus laudandus esset *Faber*, si tantum beneficium non agnoscens, bellum iteraret. Qvod eum pro singulari ejus, cum eruditione, tum pietate minime commissurum, constanter credimus. Hæc vos moveant exempla. Ad tantorum hominum imitationem vestram hanc pugnam componite. In hoc sitis toti, non ut alter alterum rixoso clamore opprimat, ut inscitiæ

tiæ infamia notabilem reddat, ut parta utcunqve victoria vulgi applausum domum referat, ut postremo apud suos triumphet; sed, ut suas ratiocinationes ex arcanæ Scripturæ sacrario depromptas, placide committat, nomen alter alterius conservare studeat, ac deniqve vel veritatis suffragio adversarium ab errore vindicet, vel veritati ostensæ docilem se præbeat. Alioqvi, si in rixam vobis res abit, qvid adeo interest inter theologum disputatorem, & animæ prodigum gladiatorem, nisi qvod hic de vita periclitatur, ille pro vanissima nominis gloria, vaniore clamore decertat? Immo audimus vulgo aliqvos eo temeritatis labi, ut vel ad incendii periculum usqve, nugas suas sese defensuros pertinacissime jactent; cum ejus rei exemplum, haud scio an qvisqvam laudare prudens possit. Certe, nec præscripserunt theologorum duces Apostoli nec veteris theologiæ proceres, sive Græci, sive Latini ejusmodi aliqvid sunt secuti. Nam qvod pleriqve horum pro Christo, proqve Evangelii fide cervicem impiis carnificum manibus porrexerunt, non arbitror ad theatricos hos dissidentium Christianorum congressus qvicqvam pertinere. Qvid autem e nostris conflictationibus, modo sanæ sint, expectamus aliud, qvam ut juxta charitatis regulam, mutuo nos juvemus? Qvid in hoc genere vincere est aliud, qvam fratrem ab errore, qvi sub veritatis imagine sæpe sese nobis ingerit, revocare? & accensam a Deo animi lucernam, non sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qvi in domo Dei sunt, ponere? Qvid autem vinci, nisi ab errore, in qvem nostra nos duxit fragilitas, in veritatis viam redire, & errantem qvasi ovem e luporum faucibus ereptam, in æterni pastoris caulas reportari? Ut magis pene in votis esse debeat vinci, qvam vincere. Nimirum, qvod qvi vincit, non suum, sed Dei donum aliis impertit, (qvid enim habemus, qvod non acceperimus?) contra qvi vincitur, veritatis lucem, qvæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, accipit, & per hoc seipso redditur melior. Magnificentius qvidem est docere alios, sed doceri utilius. Porro, errorem agnoscere, tam non est pudendum cuiqvam, ut hinc bonam sapientiæ partem ponderе putent sapientes. Qvid enim est aliud cognoscere seipsum (qvod verbum e cœlo descendisse credebat antiqvitas) qvam suam ipsius fragilitatem non ignorare & compertum habere ὅτι πολὺ ἐν μεγάροισι κακὸν ἀγαθόν τε πέτυκται? Præsertim cum nemo omnino mortalium sit ab hoc casu immunis. Immo, qvo qvisqve plus sapere sibi videtur, eo graviorum errorum labyrinthis implicatur.

» catur. In multis enim inqvit Jacobus, offendimus omnes: qvi in verbo
» non offendit, hic perfectus est vir. Solus Deus verax est: omnis autem
» homo mendax. Socrates certe ethnicus apud Platonem laudatur, qvod
» disputando vinci, qvam alios vincere maluit; & nos Christiani sanctæ
» humilitatis professores, grandem nominis jacturam facere nos arbitra-
» bimur, sic qvando aliena ope, ad veritatis frugem perducamur? Rur-
» sum, Chrysippi volumina, propterea, qvod Sophisticam ingenii osten-
» tationem referrent, publico Athenienſium decreto sunt exusta, & ad-
» huc aliqvis hujus σωφρίτας, qvam laudatam Socratis modestiam imi-
» tari mavult?

Ad §. LXIV. p. 146.) Irrepsit hic, ut in Erratis typographicis notavi, vox mendosa *Grubenhagneros*, pro qva legi debet *Grubenheimeros*, Grubenheimer) *Fossarios* nominavit Trithemius, Chron. Spanheim. & ex eo nuperrime Natalis Alexander. *Sec. XV. & XVI. Hist. Eccl. p. 430.* An vera sint, qvæ illis tribuuntur dogmata & turpitudines in fossis commissæ, defendere non ausim; neqve enim novum est, damnatos ab Ecclesia Romana fictis criminibus infamari; præsertim cum non supersunt, qvi respondere possint.

Ad §. LXXIII. p. 166.) Andreæ Prolis conciones qvasdam edidit, Petrus Sylvius Dresdensis plurimarum in Lutherum Satyrarum autor, petulantissimus anno 1530. Nominat Prolem Prælatum & Vicarium Augustinianorum, & prædicatorem gratia plenum (einen Gnadenreichen Prediger) qvem populus Dresdensis ut angelum Domini propter jucundam & beatam ejus doctrinam cupidissime audiverit; nullum ei verbum, ait, excidisse qvod ad vitam vere Christianam & piam non proficeret, neqve aliud eum docuisse, qvam qvod Deus per Prophetas & Christus per Apostolos & Evangelistas docuerit. Sed plurima interpolat Sylvius per qvæ gratiam illam & spiritum concionum, qvas prædicat, corrupit & deformavit.

Ad pag. 153. Addit.) Consulenda est historia Philippi Melanchthonis de Electione Caroli V. qvæ in fine operum ejus *Part. V. f. 729. & seqq.* invenitur. Etsi vero prolixas Electorum orationes ingeniosius forte qvam habitæ sunt retulerit, de delato tamen Friderico Saxoni imperio, ita puto volente Principe, nihil refert, nisi Trevirensis Electoris orationem eo trahere placeat, ubi tres familias, Bavaricam, Saxonicam, Marchicam commendat, ex qvibus, si Gallus displiceat, eligi possit Imperator. Speciatim vero Fridericum El. Sax. ita allo-

curus

cutus esse inducitur Trevirensis *fol. 739.* Qvoties in Germania mediocres Principes contraxerunt Regios exercitus, & res præclaras gesserunt? fuit recens Dux Saxoniæ, Albertus, qvi suis sumtibus magna ex parte bellum in Belgio gessit. Qvid? ante hunc qvantos exercitus sæpe contraxit Marchio Albertus? Patri tuo, Friderice, Duci Ernesto bellum denunciarat Rex Pannoniæ Matthias: qvantas copias, qvantum robur ex vicinis regionibus subito contraxerunt, pater & patruus tuus? Itaqve cessit vobis Pannonius sine dimicatione, qvod non feciſſet, si duorum fratrum ingenia & vires contemsissent. Qvare non dubito, posse iniri rationem electo Germanico principe, ne ei vires, copiæ, arma desint ad tuendam autoritatem domi & apud exteros.

Ad pag. 160. Addit.) Conferenda sunt qvæ Melanchthon in dicto *Chron. Car. fol. 704. & 705.* tradit, ubi Friderici Electoris elogium & qvam caute in causa Lutheri versatus sit, reperitur.

Ad §. LXXXVII.) Adversus Maimburgii bilem, qvam in Erasmum effundit, notari meretur magna ejus in Gallia existimatio, & favor Francisci I. Regis. Cum enim Ulricus Huttenus inter alia ei objiceret, qvod de Principum favore & literis ad sō multum gloriaretur: in responso supra citato, *se qvidem vanitatem illam odisse & vitare, ideoqve vix decimam partem epistolarum, qvæ Principes dicti ad se scribant, producere, interdum tamen ob improbitatem & imprudentiam obtrectatorum sese tueri bonorum ac Principum favore scribit.* Meminit autem Cæsaris & fratris ejus Ferdinandi Austriaci, item Regis Angliæ, maxime autem Francisci his verbis: *Rex Gallia toties ad honestissimas conditiones invitat, literis etiam propria manu descriptis, id qvod negant eum ter a Corona susceptu feciſſe.*

Ad §. C.) Inter libros qvos Lutherus in arce Wartenburgensi vel cœpit vel absolvit numeranda etiam est explicatio Evangeliorum homiletica sive *Postilla Ecclesiastica*, die Kirchen-Postill. Hunc librum ipse optimum omnium vocat, qvos unqvam scripserit, & qvem etiam Pontificiis non ingratum esse dicit, *in Libro pro verbis institutionis Sac. Cœnæ defendendis* anno 1527. edito, *Tom. III. Alt. fol. 739.* Mein allerbestes Buch / die Postillen / das ich je gemacht habe / welches auch die Papisten gerne haben. Alius est, ut nostrates sciunt, in qvo habentur sermones in Evangelia Dominicalia domi ad suos habiti, die Hauß-Postill. Nunqvam enim neglexit officium docendi, ita ut & in custodia illa sua singulis dominicis concionaretur in conclavi, præsente præfecto arcis & aliis, ut in *MS. Isennac.* notatum invenitur.

Ad pag. 183. Addit.) Sermonem Lutheri *de Sacramento* qvem hic allegavi refutatum invenio anno 1524. a Cochleo, ita ut 153. errores, suo more, id est, veteratorie & insulse, ex illo consarcinaverit. Qvæstio erat, *an & qvatenus Missa sit sacrificium?* Concesserat tunc Lutherus applicationem illius vocabuli ad Missam, si intelligatur de cultu, qvi Deo in sacra illa actione præstatur, qvi utiqve ad spiritualia sacrificia referri potest, qvæ Christiani fide, precibus, usu sacramentorum, patientia & bonis operibus Deo exhibent, seqve ipsos velut hostias offerunt; sed Cochleus hoc minime contentus crude urget, *Missam sacrificium esse, propter sanctam transsubstantiationem & oblationem pro nobis, ad redemtionem animæ, ad spem salutis, & sanctis; in dando autem & accipiendo non esse sacrificium, sed sacramentum.* Unde cognosci potest, qvis & tunc fuerit & adhuc hodie sit cardo controversiæ: qvamvis eum variis incrustationibus aliqvi hoc tempore occultare conentur. Si enim in transsubstantiatione & conversione consistit sacrificium, non potest dici qvod saltem commemorativum sit. Post magnum itaqve illum de Hierarchia Pontificia articulum, nil vehementius obstat consiliis de tollendo schismate, nec major odii & persecutionum in nos causa est, qvam qvod *transsubstantiationem* sive *panis in corpus Christi conversionem* ejusqve *oblationem* (tacente in tanta re Scriptura) credere nolimus, ex qva tamen tota sacerdotalis majestatis & opulentiæ machina pendet, eaqve sublata non potest non corruere.

Ad §. CXIII. p. 281.) Huc usqve *Serenissimi Regis Angliæ* ea fuit moderatio, ut de libertate conscientiæ, imo & cultus publici conqveri cives ejus non possint. Si exemplum tam illustre alii seqvi & constanter servare vellent, melior utiqve Ecclesiæ Christianæ status sperari posset, & finis fieri indignæ nomine Christiano acerbitatis. Sicut vero omnis libertas sua habet incommoda, ita & hæc iis non carebit, ob pronam hominum in sectas & factiones inclinationem. Sed pius parata sunt ex sacris literis & Spiritus Sancti auxilio remedia; nec alia desiderat pacifica Christi sponsa, Ecclesia. Qvi vero indulta libertate ad petulantiam aut rebellionem abutuntur, iis frenum potentia Principum haud immerito injicitur.

Ad §. CXIX. p. 294.) Cum novissimi in Gallia Lutheri insectatores, de loco in qvo Lutherus delituit malint nugas Cochlei & Surii, qvi *Alstadium*, & nescio qvas alias Phæacum arces nominant, seqvi qvam rei veritatem, carmen qvod in cubiculo Lutheri Wartburgensi,

Rebhae

Rebhanius supra laudatus, Isennacensium Superintendens, inscribi fecit, ex *historia MS.* appono:

Tertius Elias en Teutoniaqve Prophetæ
Lutherus, qvondam Vangionum urbe redux
Pontificis propter minas & Cæsaris iram
Hic velut in Patmo conditur exul inops.
CarLstaDII ob fVrIas aD SaXona teCtu reCVrrIt
FaVCIbVs eX saVIs rVrsVs oVesqVe mpIt.
Vile licet claro merito tamen hospite tanto
Claustrum hoc, qvod lætus lector amice vide.

A. C. N. MD XXI. IV. Maji Wartburgum deductus D. Martinus Lutherus, in hoc conclavi delituit, usq; VI. Martii A. MDXXII. qvo Wittebergam iterum abiit.

Ad §. *CXXXIII.*) Cum aliam *Wesseli* editionem ab *Adamo Petri Basileæ anno 1523.* procuratam ex Bibliotheca Wurzensi nuperrime acceperim, repetita lectione qvædam adhuc observavi, qvibus Lectorem fraudare nolo. Scripserat qvidam *Jacobus Hoeck* (angularem se vocat) Decanus Naeldvicensis ad Wesselum, ejusqve opiniones contra indulgentias taxaverat, *contradictionis magistrum* eum nominans, fassus qvidem, nihil in scripturis de iis reperiri, & dubium esse an Gregorius, ut vulgo ferunt, stationes illas indulgentiarum Romæ ordinaverit, autoritate tamen Ecclesiæ cedendum esse contendebat. Huic respondet Wesselus & ab initio refert, ut Heidelberga recusatis opimis conditionibus, veritatis saltem studio Lutetiam abiisset, ut famosissimos Magistros *Henricum Somerem & Nicolaum* Trajecti, ex Nominalibus Reales faceret; sed mutatum se ipsum in *Nominalem* fuisse, paratum etiam esse ad *Formales & Reales* transire, si fidei & veritatis ratio id exigeret. Ita objectam sibi obstinationem, & contradicendi studium a se amolitur. Postea censori autoritatem veterum opponenti inter alia sic respondet: Confiteris tu, maximas ob causas interdum te a veteribus Patrum limitibus recedere. Num igitur tibi leves aut futiles causæ videntur, qvibus ab hac nova indulgentiarum assertione, Patres ante Albertum ac Thomam (ut ipsi scripto testantur) discesserunt, asserentes nihil esse, nisi piam fraudem ac dolum non malum, qvo plebs officioso errore trahatur ad pietatem? Non ergo temporibus omnibus credebant, neqve qvi sincera solicitudine verum qværebant, hæretici fuerunt. Mihi sane non parvæ illorum causæ videntur, qvi propter indubitatam Scripturæ autoritatem, necessa-

" necessario confitendam, a probabili sententia Pontificum discesserunt.
" Apertius dico, qvamdiu mihi videtur, qvod Papa, vel Schola, vel qvæ-
" cunqve multitudo contra Scripturæ veritatem asserat, semper debeo
" Scripturæ veritatem prima sollicitudinis parte amplecti, secundo au-
" tem, qvia non probabile tantos errare, debeo diligenter veritatem
" utriusqve partis pervestigare, sed semper cum reverentia majore sacri
" canonis, qvam humanæ assertionis, qvicunqve sint assertores. Qvan-
" tos errores in materia Indulgentiarum Romana curia temere præsum-
" serit, & pestilenter publicaverit, & hodie noxiæ pullularent nisi sana
" paucorum verorum Theologorum severitas obstitisset, non opus
" omnia commemorare. Gersonis de indulgentiis sententiam laudat, sed
" ita ut agnoscat eum aliqvando variasse, officiosa pietate & modera-
tione, ne infirmos offenderet. Allegat *Antoninum* celebris, ut scribit,
doctrinæ & sanctitatis Episcopum Florentinum, qvi scripserit, ante
Bonifacium reperire se non potuisse indulgentiarum autorem. Sed de
Papa isto hæc subjungit Wesselus *p. 111.* Digna auctoritas, qvæ tanti
" viri sanctitate roboraretur. Tria grandia fecit Bonifacius ille: per-
" svasit Cœlestino cedere Apostolatum: asseruit Papam dominum
" omnium: statuit indulgentias: Intravit ut vulpes, regnavit ut Leo, de-
" functus ut canis. Et eundem plenarias voluisse fore decentenario in
" centenarium, tresqve tantum assignasse Ecclesias visitandas, Latera-
" nensem, Sancti Petri, & Sanctæ Mariæ majoris. Et hoc circa annum
" Domini MCCC. Igitur per hos MCCC. annos, ubi & qvare obdor-
" mivit illa Apostolica traditio, si sic Apostolica, ut in regula fidei stricte
" accepta, connumeranda sit? Non puto ego in regula fidei censendum,
" qvicqvid Bonifacius Octavus, vel post eum Clemens, aut Gregorius de-
" terminaverunt. Satis ad hoc venerabilis ille Gerson. Palam reve-
" rendissimus ille Antonius confitetur copias bullarum Clementis tan-
" tam continere exorbitantiam, qvod non credit fuisse bullatas, qvæ ta-
" men hodie Viennæ, Limovis, Pictavis plumbatæ in thesauro privile-
giorum reservantur. *p. 109. b.* Hœckium fatentem qvod Patres nihil
expressum in Scriptura de indulgentiis reperirent, erroris arguit, sed
falsè non minus ac pie. Ait enim: Ponit judicio meo non primus Pa-
" pa Petrus, sed per Petrum Spiritus Sanctus unicam solidam & solam
" Bullam indulgentialem qvam solidam contestatur, qvia per eandem
" abundanter ministratur in regnum Dei Salvatoris nostri Jesu Christi,
" & qvod eadem etiam sola sit, idem contestatur: Respicit nempe ad
1. Pet. I. 4. & seqq. & v. 11. Recordor hac occasione similis fere re-

sponsi

ſponſi ante annos plus qvam qvadraginta a viro, indocto licet, ſed honeſto & pio, qvi Duci Saxoniæ *Bernardi* Vinarienſis, celeberrimi copiarum Ducis, dein *Erneſti* fratris, pientiſſimæ memoriæ, tubicen, deniqve Senator Gothanus fuit, Jeſuitæ cuidam dati. Tubicen qvi tunc per Sylvam Thuringiacam, qvod viæ minus tutæ eſſent, comitari eum juſſus erat, dum variis, ut fit, ſermonibus tempus & viam fallunt, Jeſuita de religione diſſerere & exagitare comitem cœpit, inter alia ei exprobrans, qvod non crederet purgatorium. Imo vero, ait hic, ego omnino credo purgatorium. Repetenti autem Jeſuitæ, an ſerio loqveretur, & qvale crederet? reſpondit: Purgatorium Lutheranorum eſt ſangvis Jeſu Chriſti & recitavit dictum, qvod omnibus in ore eſt. *1. Joh. I, 7.* Obmutuiſſe ad hæc dicebat hominem, & flexo poſtea ad alia ſermone, de religione amplius nihil ſecum diſputaſſe. Relatum mihi ab ipſo hoc fuit, ſtatim atqve ab itinere illo rediiſſet, cum tunc in ædibus ejus hoſpitium haberem. Sed hæc ἐν παρόδῳ. Cæterum etſi Lutherus negat Weſſeli ſcripta ſibi ante cœptam contra indulgentias diſputationem nota fuiſſe, aliud tamen viſum eſt, Roffenſi Epiſcopo. In præfatione enim *defenſionis ſacerdotii ad Tonſtallum editæ Colon. 1525.* ſcribit, Lutherum ex Weſſelo & Gochio haud pauca deſumſiſſe. Sed ſimilitudo ſententiarum id ſaltem probat, qvod uno fundamento & ſpiritu in multis uſi ſint, qvi ſemper conſervavit verioris doctrinæ propagatores. In aliam cenſuram prorupit Georgius ille Wicelius acerrimus Lutheri hoſtis ex diſcipulo factus, de qvo in ſeqventium annorum hiſtoria dicendum erit. In apologia enim ſua anno 1533. edita, non improbat Weſſeli dogmata, ideoqve neq; negat Luthero cauſas fuiſſe diſputandi & contradicendi, ſed peccatum in eo eſſe contendit, qvod ſchiſma fecerit, putatqve ſatis conſuluiſſe conſcientiæ, qvi errores arguerint, & non auditi qvieverint. Verba ejus Germanica hæc ſunt: Der fromme Taulerus / deßgleichen Tuicenſis / Item Gerſon, Valla, Picus, Weſſelus, Petrus de Alliaco Card. &c. ſahen auch / daß nicht gar wohl um die Kirche ſtund / traten ſie drum aus / und machten neue Kirchen? Nein / ſondern ſie ſchreyeten darwider / daß ihnen der Hals kracht / verſchoneten nichts / erhuben ihre Stimme wie eine Poſaun, und verkündigten den Chriſten ihre Sünde / damit ſie ihre Seele retten. Erasmus das edle Perlen / ſahe dieſer Zeit an erſten beyde der Schulen und Kirchen feyle / hat aber drum noch kein eigens gemacht / auch in keines verwilligt. Weh gnug that es ihm und allen Gottsliebhabenden / daß ſolcher erbärmlich Unfall iſt und ſo lang währen ſoll / er ſchweigt oder berget es auch nicht / noch bleibt er in der Kirchen Einigkeit / unangeſehen / wie er darum von beyden Seiten verfolget wird. Alſo thät auch Reuchlinus, Mutianus, Longolius, Moſellanus, und der vielmehr / ſo da neulich verſtorben. Stapulenſis, Rhenanus, Cornelius, Crotus.

Campensis, Egranus, und der unzehlig/durch alle Lande / ja viel frommer gelehrter Bischoff/Doctores und Prediger hin und wieder / haben auch einen Mißfall an der Ungestalt der Kirchen/aber sie scheiden sich darum nicht von ihr. Sie ist gleichwohl unsere geistliche Mutter / ob sie schon etliche Mackel ohn ihren Willen empfangen hat / vielleicht ist diese Secte drum / von Gottes Zulassung / eingerissen / auf daß die Kirche/als durch Ursach derselbigen/desto ehe zu ihrer selbst Erkantnüß / Reformirung und Besserung käme. Darum aber ist diese Secte nicht gerechtfertiget.

» Latine qvoad sensum ita reddi possunt: Pius ille Taulerus, Tuitiensis, Gerson, Valla, Picus, Wesselus, Petr. de Alliaco viderunt defectus Ecclesiæ, sed ex illa non secesserunt. Clamabant qvidem ad ravim usqve, exaltabant vocem sicut tubam, scelera Christianis annuntiabant (*ex Esa LVIII. 1.*) ut animas suas liberarent. Erasmus, margarita illa pretiosissima, nostro tempore primus vidit Scholarum & Ecclesiarum vitia, neqve tamen novum aliqvid instituit, neqve aliis id agentibus accessit. Dolet vehementer, sicut omnes qvi Deum amant, ob miserabilem illam tamqve diuturnam ruinam, neqve de ea tacet, manet tamen in communione Ecclesiæ, etsi utramqve partem offendat. Ita & Reuchlinus fecit & Murianus, Longolius, Mosellanus, aliiqve nuper mortui, item Stapulensis, Rhenanus, Cornelius Grotus, Campensis, Egranus, imo innumeri ex omnibus nationibus, multiqve docti & pii Episcopi, Doctores, prædicatores variis locis improbant deformitatem Ecclesiæ, sed eam non deserunt. Est enim nihilominus mater nostra spiritualis, etsi qvasdam præter voluntatem suam attraxerit maculas: forte id Dei permissione accidit, ut tanto promptius ad agnitionem sui & ad reformationem atqve emendationem ducatur, sed non ideo secta (Lutherana) defendi potest. Refero hoc viri non minus odio in Lutheranos qvam eruditione celebris, ut argumenti machina conspiciatur, qvod ipsum Lutherum, ut fassus est, diu retinuit, & hodie multos moratur. Considerabunt ejus structuram Theologi & expendent, an sufficiat in errores declamare si adsit facultas illos reipsa corrigendi: An scientes prudentesqve in cœtu capitaliter errante communionem externam retinere salva conscientia possint? An ecclesiæ communio consistat in adhæsione illa & obedientia qvam Pontifices Romani cum clero suo exigebant? Num spiritualis mater sit ecclesia, etiam eatenus, cum maculas habet, an in novercam degeneret emendationem recusans? An Ecclesiæ, qvæ corpus Christi & capiti suo per veritatem & charitatem (hæc enim substantialia & formalia unionis vincula tradit Apostolus *Eph. IV. 15.*) unita est, maculæ illæ (qvas vocat Wicelius) errores scilicet crassissimi tribui debeant, an non potius homi-

hominibus in Ecclesia externa pro tempore versantibus, qvi doctrina & moribus aperte produnt. se non esse genuina membra & fideles matris spiritualis filios, ideoq; facile vitari possunt & debent? An separatio ab ipsa matre fiat, si ab errantibus illis præsulibus licet & pastoribus, cum moniti non resipiscunt, & monentes persequuntur, divortium fit? Interim Wicelius suæ ipsi causæ nocuit, dum vera docuisse & clamasse, fassus est, qvos nominat. & in iis Wesselum, qvos tamen illi ipsi, qvos pro Ecclesia & spirituali matre habet, rejecerunt, aliqvos etiam publice damnarunt. Deniqve si ejus argumentationi locus esset, Apostoli qvoqve schismatis rei forent, qvod ultra verba processerunt, cœtusqve Christianos constituerunt a Judæis separatos, & Synagogam pro matre spirituali amplius non agnoverunt.

Ad §. CXXXIX.) De initiis Evangelicæ doctrinæ in potenti tunc & celeberrima Magdeburgensi urbe legi potest Dresserus in *Chron. Sax. f. 515. & sqq.* ubi *de Melch. Mirizio* Augustiniano, *Joh. Frizhans* Franciscano, *D. Eberh. Widensee*, qvi Halberstadio pulsus Magdeburgum venerat, tum de Senatus & civium gestis multa notatu non indigna refert. Reperitur præter libellum a Dresscro allegatum, qvem Frizhansius, cum vim a fratribus metuens ex monasterio Magdeburgensi Wittembergam confugisset ad Senatum & cives scripsit: alius qvoqve, *adversus Mensingium* Dominicanum Paulinum Lipsiensem de Missa anno 1527. publicatus & D. Widensee tunc Ducis Holsatiæ concionatori inscriptus. In hoc inter alia urgenti Mensingio, Ecclesiam & Doctores audiri debere, ita respondet: Audiemus vos, si prædicatis verbum Dei, etsi diaboli essetis, *Matth. XXIII.* sed si peccata qvasi ex verbi divini autoritate arguitis ubi nulla sunt, non audimus, etsi angeli essetis. *Gal. I.* Audiemus omnem magistratum, Cæsarem & Papam, Principes & Dominos, si non imperent ultra ea qvæ Deus & Christus imperarunt. Oblitus eram dum Magdeburgensis reformationis memini *Nicolai Amsdorffii*: is enim anno 1524. a parœcianis ad S. Ulricum missoqve ad Electorem ea de causa Ulrico Emdenio pastor vocatus, & postea Superintendens ministerii factus est, eiqve muneri annos septendecim præfuit, donec Naumburgensis præsul constitueretur, qva de re aliisqve viri gestis sequentium annorum historia tractat.

De *Guttelio* pauca adhuc addenda habeo. Nactus enim qvanqvam sero sum ex bibliotheca Gothana Guttelii conciones Arnstadii habitas, vel potius epitomen earum anno 1522. Wittenbergæ impressam, adscriptus enim dies Sabbathi post Francisci (4. Octobr.) dicto anno, & in de-

dicatione ad Guntherum Comitem, refert autor, se Sabbatho post Nat. Mariæ (8. Sept.) Arnstadium fortuita occasione venisse, & rogatum esse, ut aliqvos sermones, ex veteri more, in foro haberet: id se, qvoniam muneris sui fuisset, non recusasse, proposuisse autem voluntatem Dei, ex Evangelio, septem concionibus, præsentibus civibus, magnoqve aliorum numero, absente vero Comite. Monitum inde ab amicis, ut typis publicaret, qvæ dixisset, id se nunc facere qvanqvam magna inter vivam vocem & mortuam literam sit differentia, sensum autem potius qvam verba expressisse. Libellus qvatuor qvaternionum, inscribitur: Schutz-Rede wider etliche freche Clamanten ꝛc. i.e. *Apologia adversus protervos qvosdam Clamantes, qvi Evangelii concionatores novam fidem docere, sanctos contumelia afficere, S. Jacobo contradicere, jejunia, preces & bona opera vetare vociferantur.* Ista omnia in tractatu persequitur. Septem concionum compendium exhibens ad dictum *Luc. X. 25. 1.* sive ad Evangelium Domin. XIII. post Trin. qvæ in initium mensis Sept. incidere solet. Qvanqvam vero contenta hujus libelli, qvia rarissime invenitur, excerpi mereantur, qvia tamen ejusdem sunt doctrinæ cum iis, qvæ retuli, nolui referendis iis lectori fastidium exhibere.

Ad §. CXLIX.) Incidi, postqvam illa qvæ de rebus Danicis scripsissem, in apologiam Christierni regis anno 1524. d. 10. April: *Altenburgi Libonetria*, (i.e. im Osterlande) datam & typis vulgatam, qvæ in Wurzensi Bibliotheca extat, hoc titulo: *Illustrissimi & Potentissimi Daniæ, Sveciæ, Norvegiæ Regis responsio ad duas epistolas Friderici patrui sui, autore Carolo Duplicio Steppero Novoportuensi, ad Pontificem Romanum Clementem VII. Imperatorem Carolum V. Henricum Angliæ Regem, Ferdinandum Austriacum omnesqve Reges & Principes.* Autor fuit Regis Cancellarius, vir non indoctus, (ut apparet,) nec immodestus. Multa ex hoc scripto non vulgaria afferri possent, sed longius a rebus ad religionem spectantibus abeunt, confirmant tamen ea qvæ notavi, magnasqve de Episcopis Danis, eorumqve immanibus vitiis qverelas continent, qvibus ut & aliorum ex nobilitate puniendis dum ex officio, ut asseverat, Rex incumbit, odia & motus contra se concitaverit: laudat tamen Arusiensem Episcopum *Avonem Bildium*, & *Johannem Wezium* Landensem Archiepiscopum, qvi postea Caroli V. consiliarius fuit. Miserabilis est Epilogus libelli, in qvo Rex pro solatio qvidem habet, Deum, qvicastigat, diligere, justum esse Deum, neqve de illo se qveri, majora meritum esse apud Deum, licet conscientiam bonam habeat, erga homines. *Interim* (ait) *vagor omnibus egenus; opes, divitiæ, potentia*

tia trium regnorum evanuit, juventutis impetus consenuit, soli sumus, relicti sumus, omnibus oneri, omnibus ludibrio.

Ad §. CLII.) *Johannis Brismanni* Doctoris Theol. Franciscani concio in patria Cothusii anteqvam ex ea abiret anno 1523. habita, ex Bibliotheca Gothana ad me missa est, qvæ insigne compendium Evangelicæ doctrinæ, qvam docuisse se refert, exhibet, & simul apologiam adversus *Jacobum Suedericum* Ibigaviensem (*Ilbigau* Saxoniæ Electoralis oppidulum) itidem Doctorem & ejusdem ordinis monachum. Operæ pretium est qvædam ex concione ista Latine versa producere, ut pateat, qvam sedulo jam tum calumniæ occursum fuerit, ac si aserta justificatione per solam fidem, virtutum Christianarum exercitium tolleretur. Postqvam enim primarium illud de justificatione dogma stabilisset, ita pergit: Juxta fidem etiam charitatem proximi docui, qvæ ex fide oritur, ut fructus ex arbore; impossibile enim est, ut fides absqve dilectione proximi maneat: Sicut enim cordiali fiducia, per fidem vivam Deus amatur, ita & in proximum amor nascitur, ut ei verbo & opere, autoritate, opibus, imo corpore & vita serviamus, hoc enim est præceptum Christi Joh. XIII. 34. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos &c.* O qvam altam nobis metam Christus præfixit. *In hoc cognoscent omnes, qvia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Novum est mandatum, qvod non terret & conturbat homines, sed ostendit qvid novi homines qvi absqve operibus per fidem justificati sunt, facere debeant, amare nempe proximum absqve coactione legis, ex affectu intimo cordis. Duo itaqve hæc puncta docui, fidem & charitatem conjunxi, neqveunt enim separari, nec fieri potest, ut fides non continuo ad honorem & gloriam Dei, & proximi commoda operetur. Sicuti enim per fidem in Christum intras, & per Christum ad Deum, ita per amorem exire debes ex Christo ad proximum tuum, ut illi bene facias, servias, consulas, opem feras, omnibus viribus, sicut tibi fecit Christus: dicit itaqve Joh. X. 9. *Ego sum ostium, per me si qvis introierit, salvabitur, & ingredietur & egredietur & pascua inveniet.* Hæc est Brismanni hujus hæresis, ob qvam patria expulsus fuit, ut in longinqvis regionibus salutarem propagaret doctrinam. Fatetur autem in hac ipsa concione, se per annos duodecim in Theologiæ Scholasticæ rixis demersum Evangelio vehementer restitisse, donec miseratori Deo placuerit, ut ex sophismatum cœno illum educeret.

De Isennacensis reformationis, initiis in *historia MS.* qvam supra allegavi paucula inveni ad hos annos pertinentia: autor enim prolixior est

or est in narrandis maxime iis qvæ post adventum Amsdorffii an. 1550. acciderunt. De *Caspare Aqvila* nihil reperio. Inter primos Evangelii præcones memorantur *D. Jacobus Strus* & *Thomas Neuenhagen*. Et Strausius qvidem jam anno 1523. contra purgatorium & alia ejusmodi concionari cœpit, non tamen sine erroribus: purior fuit, licet eruditione inferior Neuenhagius. Utrumqve discimus ex Lutheri ad hunc epistola, cujus qvanqvam serius, i. e. anno 1526. scripta, contenta huc referre visum est: Locutus sum cum Georgio parocho tuo, de his qvæ postulasti, mi Thoma, placetqve ut libertatem Evangelicam verbo tractes, tum ceremoniis prorsus libere utaris, contempto Satana cum suis contentiosis, sciens qvoniam Satan est: deniq; malo te, in despectum Straussii, Straussianorumqve excedere in hanc partem, qvam uno digito illis in suam partem cedere. Qvod si in te multa blaterent, tu fortiter contemne, ac neqve audias, neqve noris eos. Imparem te & longe Straussio inferiorem jactabunt: hoc tu pro laude ducas, & Deo gratias age, qvod pernicioso, contentioso qve deniqve seditioso dissimilis traducaris. Tu servito Christo, ille Satanæ servit, tantum verbo conscientias libera. Serva & id diligenter. Indignæ sunt ceremoniæ, ut propter eas contendamus, tamen ne contentiosis subjiciamur, fortiter contra eos sunt servandæ. Vale & ora pro me, cætera Georgius. 3 Septembris anno 1526. Cognosci hinc potest, qvam difficilis fuerit etiam in Saxonica ditione orthodoxæ doctrinæ propagatio. Carthusianus ille, cujus Scultetus (allegans *Chronic. Thuring. MS. in anno 1521. pag. 132.* meminit, *Henricus Plunderus* vocabatur, in monasterio *Hieronymi* nomen gesserat. Ita refert Rebhanius in *MS.* & ex epistola ejus anno 1523. ad Priorem Norimberg. edita qvædam excerpsit. In illa expostulavit cum Priore, qvod ob Lutheranismum & egressum ex monasterio sese infestaret, cum tamen ipse Prior Erfurti dixerit: *Se Lutheri libris carere nolle, etsi totum Romanum Imperium lucrari posset.* Dein ita loqvitur: Wann unsere Statuten gleich aus und in der Schrifft q gründet wären, so solte man doch aus den Clöstern gehen, und die vermeinen, von wegen des grossen Hasses und Neides, und anderer ungenandten Sünde und Schalckheit, so in denen Orden und Clöstern sind, ohn allerley wunderliche Anfechtung. Wann es die Leute wüsten, wie es zugehet, sie liessen uns nicht eine Stunde leben, und es müste kein Stein auff dem andern bleiben. Dieweil sie aber nur den äusserlichen Schein ansehen, so gefallt es ihnen wohl. Denn wir sind (als du wohl weist) gleich als die gemahlten Graber, welche auswendig hübsch scheinen, aber inwendig sind sie voller Todten-Beine und Unflat. Matth. 23. i. e. Etsi statuta nostra fundamenta in scripturis haberent, relinqvenda tamen essent monasteria, imo vastanda, propter maximam

ximam æmulationem, & invidiam, & peccata, & scelera infanda, aliasqve tentationes varias & miras. Si homines scirent, qvomodo in iis viveretur, ne ad horam qvidem vitam nobis concederent, neqve lapis supra lapidem relinqveretur. Qvia vero externam saltem speciem respiciunt, placet ea illis. Sumus autem (ut tu optime nosti,) sicut sepulchra dealbata *qvæ a foris patent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia. Matth. XXIII.* Qvam vera ista tunc fuerint, aut etiam nunc hodie sint, nolo odiose disqvirere, Deo & conscientiæ omnia patent.

Ad §. CLXI.) Post illa qvæ de Bennonis apotheosi scripsi adeptus sum ex libris Wurzensibus *Emseri historiam de vita Bennonis* Lipsiæ editam & Georgio Duci Sax. dedicatam. An. 1512. adeoqve qvinqve annis ante cœptam a Luthero disputationem. Vellem ut a pluribus legerentur insulsi & superstitiosissimi literatoris, qvem Luthero veluti Achillem opponit Maimburgius, ineptiæ. Mihi (fateor) qvicqvid mitius de illo ejusqve eruditione sentiebam, lectio libri penitus excussit. Hic laudes Hildebrandi sive Gregorii VII. exitiosi Germaniæ ac universæ Ecclesiæ hominis invenias *c. 21. & sqq.* cui fere unus ex Episcopis Germanis Benno adhæsit; sed habet Emserus ejus perversitatis socios. At si qvis credat qvæ de Bennone *c. 25. & sqq.* referuntur, illi persvaderi potest & veneration esse, qvicqvid mendax Græciæ & Judæorum & Turcarum absurditas confinxit. Ea tamen omnia carmine non ineleganti celebrat Emserus, etiam canonizationis, qvam vocant, moram, excusat, post tot labores & sumtus eo anno 1512. nondum obtentæ, qvæ etiam nonnisi in Lutheranismi odium post annos duodecim secuta est. Causam rejicit in mutationes & cunctationes Pontificum, & ut putat in divinam providentiam; interim pro sancto & mirifico, conqvisitis, qvæ excogitare potest, argumentis, jam tum Bennonem venditat, in eo tamen maxime falsum esse apparet, qvod teste Emsero moriturus dixerit, *precibus suis effectum esse ut cultus Ecclesiæ Misnensis perpetuus sit futurus.* Non abs re erit, illum cultum, qvem Emserus miris modis prædicat & sine exemplo esse contendit, describere, ut de ingenio illorum seculorum insigne exhibeatur specimen; qvanqvam Ernesti Elect. & Alberti Ducis fratrum munificentiæ potissimum debeatur augmentum superstitionis, qvod Emserus refert, nec ullibi, nec Romæ qvidem, reperiri notat; nempe ut *nullum diei, aut noctis tempus cantu & deorum* (ita loqvitur) *hymnis ac laudibus vacet.* Id autem hoc modo præstabatur: Hora meridiana duodecima (secundum minorem computum) pueri

Scho-

„ Scholastici minores præcinunt vigilias, id est, preces pro defunctis: hos
„ seqvuntur illico octo qvi vocantur Principum Capellani, canuntqve e-
„ asdem vigilias, vesperas, & completorium usqve ad horam secundam:
„ succedunt Canonici & universus clerus, vigilias (ubi dies postulat) &
„ pensum legitimum, vesperas & completoriũ absolvunt: succedunt qvi
„ grabati vocantur, qvia ad grabatum sive sepulchrum Principum consi-
„ dent, hi qvoq; vigilias, vesperas & completorium decantant, & alternis
„ diebus de passione Christi & compassione virginis matris, tertio qvoq;
„ die historiam transfigurationis Christi. Hic superveniunt Octaviani,
„ ab octava hora noctis qva canere incipiunt, nomen habentes: psallunt
„ autem ad mediam usqve noctem. Excipit hos chorus major, matutinas
„ canens: alii inde grabati horas perseqvuntur ubi vesperi desierant; red-
„ eunt principum Capellani, & matutinas horas *magna Dea* (ita scribit)
„ canunt, & prima de ea Missa, altera pro mortuis celebratur, cantillant
„ ad hanc minores pueri. Illucescente die primæ & reliqvæ horæ, ut mo-
„ ris est, peraguntur. Seqvuntur duæ aut tres Missæ, corpori Christi, cru-
„ ci, & diis tutelaribus sive Patronis destinatæ, dein summum sacrificium
„ peragitur: reliqvum ad meridiem usqve tempus psallendo consumi-
tur. Hæc est illá religio qvam Emserus laudat, interim pietati Princi-
pum, qvi incauti & meliora non edocti opes suas, longe melius ex insti-
tuto Christiano impendendas erogarunt, nihil detractum cupio. Fe-
cerunt qvod tunc recte se facere putabant, meliora posteri præstiterunt
majori luce illuminati.

Hucusqve scribendo perveneram, laborqve meus & typographorum ad finem properabat, cum in *Actis Eruditor. Lips. Mensis Augusti* hujus anni 1687. excerpta *ex historia Eccles. Natalis Alexandri Dominicani Parisiensis* observo. Itaqve librum celeriter allatum cupide pervolvi: sed statim mihi in mentem venit Virgilianum illud - - - - - - *ab uno* [illegible]

Disce omnes. - - - -

Cochlei nempe Surii & similiũ sycophantiæ utramq; pag. scriptoribus his novellis faciunt, qvi nescio qvo œstro perciti, in omnibus pene Europæ regionibus veteres & centies explosas recoqvunt adversus Lutherum & Lutheranismum criminationes. Nam paucos ante menses etiam *Anglus* qvidam anonymus Oxfordiæ duas edidit dissertationes de *Spiritu Lutheri & de cælibatu Sacerdotum*, qvæ effreni maledicendi licentia superare Gallos videntur. Sed non est ut singulis commonstremus, ubi vel vetera exscripserint mendacia, vel nova finxerint. Qvæ enim *Maimburgio* & *Varillasio* dicta sunt, illa *Monachus* iste & *Anglus*, & millæ ejusdem genii sibi qvoqve dicta esse intelligant, & tandem diffidere autoribus suis incipiant. Illorum autoritate imponere possunt imperitis, iisqve qvos a librorum nostrorum lectione arcent, sed neu conscientiæ suæ satisfacient, nec qvenqvam ex nostratibus decipient, cui veritas ex irrefragabili optimorum autorum testimonio innotuit. Nullum illa a mendaciis & cavillis præsidium qværit, sed se ipsam probat.

Finio

Plinio Commentarium ad librum primum Maimburgianum, & Additiones, & Supplementum. Vellem equidem, ut dispositionis & elocutionis ἀκριβεία & politura lectoribus judiciosis & delicatis satisfacere potuissem: sed, ut in Præloqvio monui, a me exigenda non sunt omnia ornamenta, qvæ a viris, qvi ætatem in literis consumserunt, præstantur. Operam dedi, ut exhiberem, qvæ pro ingenii viribus, tum pro instituto & conditione mea potui. Ante omnia vero veritatis & bonæ fidei, in referendis qvæ ad historiam pertinent, rationem habui. Ex dogmatibus Lutheri, per hos annos publicatis, retuli, qvantum opus fuisse existimavi, candide & adscriptis ejus verbis. Judicium aliqvod meum ubi interposui, aut ad objecta respondi, curæ fuit, ut id modeste facerem. Mihi tamen non minus qvam aliis scripsi: nec dissimulo, me, ut gravitas causæ popposcit, singula controversiarum, qvæ tangenda fuerunt, puncta ita expendisse, qvasi statuendum mihi nunc esset, in qvas partes ire deberem. Id meditationis & examinis genus etsi periculosum esse videatur, nec omnibus forte expediat, putavi tamen pro qvalicunqve rerum, qvam habeo, notitia, nihil magis ad firmandam in veritatis professione mentem conducere. Agitur de animæ salute, qvam qvi non summa inqvirit diligentia, & inventam omnibus rebus præfert, Christianus dici potest, re non est. Horrendæ sunt vituperationes & minæ, qvas qvotidie, & nescio qvo omine freqventius hoc tempore qvam a multis annis factum est, ab illa parte audimus, qvæ nos pro hæreticis, imo (qvæ impudentia scriptorum ex inimica gente est) pro *diaboli discipulis* palam pronuntiat, protrito illo maxime, imo si summam disputationum consideremus, unico argumento, qvod *extra Ecclesiam*, qvalem scilicet ipsi soli se habere ajunt, *non sit salus*. Sunt tamen, qvi ne sola nitantur decretoriæ illius formulæ pronuntiatione, nova indies procudunt vaframenta, aut veteres recoqvunt argutias, qvibus nostra refutent, sua incrustent. Experimur qvo eventu vibrentur tela ista. Plerosqve qvidem prosterni apparet, qvod major illis seculi ejusqve præsentium commodorum, qvam futuræ æternitatis respectus est: aliqvos tamen injecti istis artibus conscientiæ scrupuli subvertunt. Cautiores itaqve nos calliditas & insectatio adversariorum facere debet, ut veritati accurate & unice studeamus. Id qvidem ut facerem, a teneris annixus sum, senecta-

tamen mea tantoqve propius instans in tribunali divino comparitio acriori ad id urget stimulo. Itaqve libros illos ad qvos commentor, aliosqve ejus generis plurimos, non curiositatis aut temporis fallendi causa, sed ita lego & examino, ut paratus sim ad refellenda falsa & acceptanda qvæ vera sint: id enim Apostolico monito convenire credo, qvo jubemur omnia explorare. Mirifice vero lætor (id qvod in elaboratione hujus commentarii sæpe mihi per Dei gratiam contigit) cum specioſe licet & subtiliter ex adverso excogitata & prolata perveſtigans, nihil deprehendo, qvod ejus, in qva natus & educatus sum & adhuc versor, Ecclesiæ fidem convellere valeat. Suæ qvemqve conscientiæ, adhibitis legitimis eam instruendi modis, fidere & obseqvi debere, mihi indubitatum est: Ut vero autoritatem & dictamina hominum in causa salutis æternæ pro lege agnoscam, huc usqve persvadere mihi non potui. Sit expeditior illa via, & in tempore & loco ad commoda hujus vitæ & qvietem politicam utilis, magnamqve habeat speciem; qvamdiu tamen non ostenditur a Deo ad salutem adipiscendam præscripta esse, & ad beatam æternitatem ducere, non potest mentem tranqvillare. Hæc enim ex verbo Dei suoqve intelligit testimonio, qvod sua qvisqve fide vivat: illa autem altiori qvam humanæ autoritatis fundamento niti debet. Ita sentiens, ut dixi, ad laborem hunc scribendi accessi, ut mihi ipsi qvoqve scriberem, utqve in veritate tam historica qvam dogmatica magis magisqve firmarer. Sophistarum artes in hoc negotio locum minime habere debent: defendere enim, non ludi causa, sed adseverantis specie, verbis aut scriptis, qvæ cor intus neget, si excusari (qvod nescio) in qvibusdam rebus possit, in religione utiqve non potest. Consentire in hac lingva menti debet, mens lingvæ; aut non est religio, sed hypocrisis & sycophantia. Habeatur licet ab aliis pro stultitia aut hæresi qvod credimus, dicendum tamen cuivis vere Christiano est cum Paulo (*Act. XXVI. 24.*) coram tribunali qvocunqve, maxime illo qvod Synagogæ dictaturam imitatur & superat: *Confiteor qvod secundum sectam, qvam dicunt hæresin, deservio patrio Deo meo, credens omnibus qvæ in lege & Prophetis scripta sunt.* Hanc ergo benignitatem a legentibus, iis etiam qvibus diversus de capitibus religionis sensus est, in conclusione operis hujus nunc peto, ut me serio & bona fide agere existiment. Facta qvæ retuli, documen-

mentis ſuis conſtant. Nihil a me confictum, detortum aut depravatum eſt; ignobile id ſemper & ubiqve, in ſacris vero execrabile eſſe judico. Eandem autem qvam pro me exorare cupio æqvitatem, aliis offero & præſto. Neminem ſicuti non poſſum, ita nec volo cogere, ut adverſus conſcientiæ ſuæ dictamen iis, qvæ trado, adſtipuletur. Neqve illico & ſine discrimine damno diſſentientes. Qvo loco illos habeam qvi verborum ſtrophis, dein ſi non ſuccedat, armatis illis & cruentis doctoribus, qvorum fama ad nos pervenit, raptare nos in ſuos cœtus obtorto collo volunt, celare non potui. At ſpero, imo confido, eſſe inter adverſantes, etiam ex primoribus ſacri & civilis ordinis, qvi perſvaſi (erronee licet) de ſuæ ſectæ veritate, non niſi hujus cauſa, eoqve qvi eam profitentes decet modo, nobiscum agere velint: ita ſcilicet ut ab omni vi & dolo abſtineant, & ſi qvos argumentis ſincere propoſitis permovere non poſſint, ex ſua ſinant Deum colere & ſalutem ſperare ſententia, qvam ex divina revelatione concepiſſe ſe credunt, cujusqve publicam alicubi profeſſionem ſtipulati ſunt. Ea moderatione in Germania omnes eſſe oportet, in qva ſanctiſſimis pacis legibus modus poſitus eſt, intra qvem, diverſa licet circa religionem ſentientes, tranqville vivere & pro communi patria conſilia & vires jungere poſſumus & debemus. Exteris itaqve potiſſimum, qvorum bilis in nos deſpumat, & qvi, ubi poſſunt, moliuntur aut civibus noſtris ſuggerunt ſuæ methodi, qva unitatem religionis domi procurant, exempla, in commentario hoc meo oppono, qvæ conducere exiſtimo ad repellendas calumnias, qvibus reformationem religionis, qvam *Lutheraniſmum* vocant, diffamare ſparſistot hiſtoriis & libellis non ceſſant.

Potuiſſem commodiori & accuratiori ordine in ſcribendo uti, ſed dum libri Maimburgiani veſtigia premo, aliqvando & meo evagor arbitrio, facile fieri potuit, ut & turbatus ſit ordo, aut allatum ſit, in Additionibus præſertim, qvod tenue & minutum haberi poſſit, vel in repetitionem otioſam degeneret. Sua nempe qvemqve voluptas trahit. Ita qvæ mihi notatu digna, nec lectu injucunda viſa ſunt, aliis forte levia eſſe videbuntur, aut faſtidium parient. Ita fert humana conditio, & ut palati ſic ingeniorum infinita eſt diverſitas. Neqve tamen nocitura eſſe credo, qvæ non proſunt, nec facile liber eſt, in qvo non ſint qvæ abundent, aut abſint qvæ deſiderantur. Repetitionis vero vitium ætati, cui fere adhæreſcit, condonari peto.

Cæterum qvod Epilogi officium est, κεφάλαιον δὲ τοῖς λεγομένοις (*Hebr. VIII, 1.*) brevem instituti & scopi, dein rerum præcipuarum recapitulationem subjungo. Scriptoris Galli librum primum integrum Latine versum, sed in partes sive commata distinctum exhibui. Qvæ vera attulisse visus est, in Commentario & Additionibus intacta reliqvi, eoqve ipso tacite, aliqvando & expresse, approbavi. Ubi omisit qvæ tradi debere existimavi, supplevi; ubi errasse eum judicabam, correxi. Materia utriqve in universum eadem, mihi laxior, pro libertate qvam habui, & pro eo qvod delegi scriptionis genere. Itaqve duplo plura sunt & ultra, qvæ ego ex autoribus MS. & editis congessi: horum etiam stant fide. Qvæ vero ipse aut conjecto aut statuo, censuræ legentium subducere non possum. Id in Præloqvio agnovi, & judicia acerba & indecentia deprecatus sum; feram autem qvaliacunqve, incertus an calumniis respondendi molestiam subiturus sim. Obstat senecta & inanis contentionis tædium, corrigam tamen qvæ erronea esse demonstrabuntur: immunem enim a lapsu inepte me venditarem. Præcipua vero rerum capita, ex qvibus judicium de religione pendet, & circa qvę ab adversario plerumqve discrepo, hæc esse videntur. Statum Ecclesiæ ante annum 1517. bonum & legitimum præsupponit Maimburgius; ego miserum & correctione dignissimum, non tam ex meo qvam illorum judicio assero, qvorum testimonia rejici non possunt, cum earundem fuerint partium, imo partium capita. Nam Adriani VI. Pontificis confessio utiqve ab illa Ecclesia accipi debet, cujus is summus fuit antistes, imo ex ejusdem hypothesi infallibilis. Indulgentiarum impugnationem justissimam, nulloqve qvam veritatis studio a D. Martino Luthero inceptam fuisse, probatum, uti spero, dedi; monstravi etiam, qvam imprudenti consilio, sed Deo sic gubernante, Lutheri monitis fuerit repugnatum. Ipsius dein Lutheri ortum, studia, mores ita descripsi, ut neqve dotibus qvas a Deo habuit detraxerim, neqve illi plus qvam fas fuit, tribuerim: hominem enim fuisse nævosqve suos habuisse non dissimulavi. Doctrinam ejus non subita inspiratione, sed meditatione & profectu incrementa & progressus habuisse trado, nec tanto hominum numero promiscue & temere, sed ita placuisse, qvatenus divinæ veritati ex productis sacrarum literarum, qvæ eo usqve spretæ fere & neglectæ erant, testimoniis & operante intus in-

men-

mentibus Spiritu S. congruere fuit deprehensa. Pontificis Romani supremam circa fidem & regimen Ecclesiæ potestatem trepide qvidem ab initio, sed apertius postmodum *in* dubium vocasse Lutherum, dudum omnibus constat. Qvibus id argumentis fecerit, non potui tacere, sicut nec qvæ pro defendendo illo potentatu, dicta, scripta & gesta sunt. Hic cardo tunc, aliud licet ab initio agente Luthero, sed & hoc dirigente Deo, factus fuit, & hodie est, litis & schismatis, qvod tantis calamitatibus per duo pene secula orbem Christianum involvit, tantoqve constitit sangvine. In hoc, qvicqvid de dissensu in dogmatibus multa cum acerbitate disputetur, tota hæc malorum congeries, sed & alterutrius partis conscientia & salus vertitur. Nam qvi potestatem Pontificiam divini juris esse statuunt, neqve tamen iis evincunt probationibus, qvæ Deo & conscientiæ hominum satisfaciant, interim eam per anathematum fulmina, & per Regum ac Principum subsidiaria arma populis obtrudunt, illi, inqvam, (sic urgente hypothesi) gravissime peccant. Imperium enim illegitimum sibi rapiunt, & pro libertate non illicite nitentes bonis, honoribus, vita, & qvantum in se est, etiam salute æterna spoliant. Sic grassantes Anti-Christi charactere se ipsos insignire, licet in multis dogmatum capitibus aut mitius aut plane non errarent, gravissimis argumentis ex Protestantium parte dudum ostensum est, & nunc qveqve, ut ex libris recens editis apparet, magna allegatur evidentia: inter qvos laudari utiqve merito debet Viri clarissimi *Samuelis Pufendorffii* tractatus novissimus *de habitu Religionis Christianæ ad vitam civilem*. Utinam hæc æqvo & integro judicio considerarent, qvi uno illo præsidio Hierarchico nituntur, & intra cancellos Tridentinorum decretorum Ecclesiam Christi coarctant! Hæc est illa qvæstio, cujus, (qvam recte sic formatæ, hic non disputo) decisio aut tyrannidis Anti-Christianæ reos facit Hierarchiæ violentos propugnatores, aut rebellionis eos qvi obsequium ei denegant. Ab hoc crimine Protestantes absolvi non posse agnosco, nisi ex iis, qvæ majores nostri pro se allegarunt, & nos qvotidie contendimus, appareat, demonstratum non esse, qvod utiqve ab adversa parte demonstrandum erat, divinum qvod jactatur, Pontificiæ potestatis jus. Eo enim non probato, liberum omnibus fuit salva republica, & illæsa cujusqve conscientia, post deprehensos

abusus, nucleum veritatis Christianæ retinere, & putamina circumpositorum curiositate nimia dogmatum, multo magis qvæ ad honores saltem & commoda cleri augenda inventa fuerunt, rejicere; posteaqvam præsertim nullis precibus & submissionibus impetrari potuit excessuum & errorum emendatio. Sane qvantumcunqve pro zelo suo exarserit Lutherus, ea tamen his septem prioribus annis, & multis qvi secuti sunt, imo ad finem usqve vitæ, fuit moderatione, ut Pontificum, Episcoporum & Prælatorum dignitatem & functionem, licet eo qvo invaluerat modo per homines introductam esse ostenderet, tolerare tamen, agnoscere, & conservare vellet, si modo defectus qvidam enormes corrigerentur, & dogmatum puritas stabiliretur, permissa & promota verbi divini prædicatione & lectione, usuqve Sacramentorum Ecclesiæ ad debitam formam restituto. Satis itaqve & tunc charitati & concordiæ datum fuit. Qvia tamen nec auditus ipse est, nec obtineri ea postea potuerunt majoribus auspiciis, frustraqve fuere tot consultationes & comitia, totqve bellorum molimina, *male* profecto merentur de republica & religione, qvi causam post toties repetitas pactiones, in illud præcipitium denuo absqve necessitate adducunt, ut vel tyrannos vel rebelles esse oporteat, qvi circa sacra dissentiunt. Aliud egerunt Pacificationum in Germania Augusti & magni autores, Cæsares & proceres; aliud Reges & Principes optimi, qvi in partes venerunt, aut subditis libertatem sacrorum indulserunt. Vitarunt extrema ista, Deoqve judicium pia cum submissione detulerunt, cujus etiam providentia & benignitate factum est, ut in ipso schismate, etsi de regimine & qvæ ab eo dependent controvertatur, (cui cætera fere prætextus causa accedunt) in multis tamen & summis religionis capitibus consensus manserit, & verbi divini testimonia conservata fuerint, per qvæ operante Spiritu S. eo tempore eoqve modo, qvem Deus destinavit, errores corrigi possunt, qvod nulla nec astutia nec vis humana effecerit. Huic ergo viæ tutissime insistitur, nec aliam Deus ab Ecclesiæ aut Reipublicæ capitibus exigit, imo intempestivum zelum raro impunitum sinit: magno enim ille cum periculo exercetur, ut aut falsa pro veris imperentur, aut cum zizaniis etiam triticum evellatur.

Cæterum defectus & errores, qvorum causa disputatum illo tem-

tempore fuit, qvanqvam ab innumeris ante me adducti sint, intelliguntur tamen denuo ex illis, qvæ ex Lutheri scriptis hoc septennio editis retuli, nempe de *indulgentiis*: de *purgatorio*: de *Missa*: de *integra Sacræ Cœnæ distributione*: de *conjugio Clericorum*: de *statu vitæ monasticæ*: de *viribus humanæ rationis & voluntatis in adipiscenda salute*: de *justificatione per fidem* & de *bonis operibus eorumqve meritis*: item de *invocatione sanctorum*. Diffusa fuit per hæc omnia & alia, qvæ seqventibus annis majori contentione auctoqve qvæstionum numero ventilata sunt, disceptatio de *autoritate definiendi in articulis fidei*, sive de *regula credendi*. Lutherus sacris literis solummodo obseqvium deferebat, eas in patriam lingvam translatas omni populo legendas offerebat, interpretationes nec veteres nec novas admittebat, qvam qvæ ex ipsis Scripturis inter se collatis peti possunt. Hoc intolerabile ex adversa parte videbatur, qvæ plebem ignoratione mysteriorum optime frenari putabat, & pontificibus infallibilem de iis omnibus pronuntiandi potestatem asse asserebat, specioso sub prætextu, qvod sublato tali tribunali, litium nullus finis futurus esset. Hæc & plura qvæ eo recidunt, exuna illa contra indulgentias cœpta a Luthero disputatione exorta, jam intra annos illos septem inauditis mutationibus causam dederunt. Per has patefactum est arcanum persvasionis, qvo Majestas sacerdotalis per tot secula steterat. Ita Germania finitimæqve provinciæ, imo & remotissimæ, excusso jugo tot seculis tolerato, in plurimis religionis & doctrinæ articulis, & in cultu publico ac disciplina, eam sibi sacrorum formam constituerunt, qvæ cum veteribus abusibus collata, nova qvidem haberi posset, sed piæ antiqvitati primorum, post Christi doctrinam orbi annunciatam, seculorum qvam maxime convenire videretur. Ita tamen animati erant, idqve publice postulabant non solum qvi reformationem moliebantur, sed & æqvissimi qviqve ex iis qvi vetera retinebant, ut convocato generali aut Nationali concilio de modo reformationis optime & tutissime deliberaretur & definiretur. Sed de forma & potestate concilii in novas postea lites itum est, ut seqventium annorum historia ostendit. Ita qvod pacis Ecclesiasticæ remedium sperabatur, confirmandi schismatis momentum maximum fuit. Ista, qvatenus in tempus illud septem annorum incurrunt, tractavi ut potui, cum fide certe, nec sine labore & assi-

assiduitate. Qvæ autem Maimburgius falsa & invidiosa opposuerat, aliorumqve qvorundam sophismata, in Annotationibus meis ostendi & correxi. Felicem me æstimabo, si qvalicunqve hac opella mea Dei gloria & veritatis & pacis amor promoveatur. Summa enim votorum est, in qvibus finem nunc scribendi facio, sicut initium ab iis habui, ut ii qvibus Lutheranismus inter crimina reputatur, vel palmam porrigant veritati, si eam, qvod animitus opto, agnoscant, vel non condemnent nec perseqvantur, qvos legitimo & Christiano modo erroris convincere neqveunt: Nostri vero qvi Lutheranorum nomen, etsi ignominiæ causa olim inventum, qvatenus tamen veritatem Evangelicam ministerio Lutheri ab erroribus purgatam indicat, non refugiunt sed honori potius ducunt, ut adversus renovatas indies calumnias & instantes forte brevi acriores persecutiones animum pia constantia roborent, dignosqve orthodoxa fide fructus vitæ ferant. *Det Deus* (1. Tim. VI, 14—16.) *qvi vivificat omnia, ut servemus mandatum sine macula, irreprehensibiles, in adventum Domini nostri JESU Christi, qvem suis temporibus* (proximis, uti speramus!) *ostendet beatus & solus potens, Rex Regum & Dominus Dominantium, qvi solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem, qvem nullus hominum vidit, sed nec videre potest: cui honor & imperium sempiternum, AMEN.*

FINIS.

Index Addit.

illis

INDEX ADDITIONUM.

A.

Abbas Sublasiensis, declamat in Concilio Pisano contra Pontificem 19.

Academia Paris. appellatio & censura contra Pontifices 14.15.23.

Academiarum defectus 137.

Adriani VI. Papæ consilia de reformatione & Lutheri de illis sententia 308. & seq.

Ægidii Viterbiensis oratio ad Jul. II. in Concil. Lateran. 20. & seqq.

Æpinus. Johannes Pastor Evang. Hamburgens. 267.

Albertus Card. Mog. ejus luxus taxatur a Georg. Arnoldo 29. ejus æmulum fuisse Fridericum El. Sax. negatur 53. & seqq. de concilio promovendo admonetur a Guttelio 273.

Albertus Episcopus Augustæ Prætoriæ allegatur, in articulo de libero arbitrio 91. & seqq.

Albertus Sax. Dux laudatur a D. Breitenbachio 34.

Albertus Borussiæ Dux, ejus ætas, matrimonium, liberi, contra Varillasium vere narrantur 310. & seqq.

Aleander Hieronymus qvædam de ejus actis & morte 159. & seq. it. 161. 386.

Alexander VI. Pp. jubilæum promulgat 25. cognoscit de indulgentiis Freibergensibus 30. & seq.

Alexander VII. Pp. damnat Jansenii propositiones 97. de contritione & attritione sententiam suspendit 98.

Almainus Jacobus Paris. refutat Cajetani librum de primatu Papæ 129.

Alstet 172.

Altenburgum, recipit doctrinam Evangelii 238 & seqq.

Altingius Henricus, ejus historia de reform. Eccles. in Palatinatu 56. 168 172. 240.

Amsdorfius Nicolaus 342. 355.

Anabaptistæ, qvid cum iis Lutherus & Melanchthon egerint 211. seqq. exeunt Wittenberga 214. Joach. Camerarii de iis relatio ibid. Friderici El. pium in causa Anabapt. dictum 215.

Anglia v. Henricus VIII. & 350.

Angli anonymi liber in Luther. 360.

Aquila Superint. Salfeld. 293.

Arcimboldi diploma indulgentiarum 35. & seq. pecuniam in Dania collectam aufert ei Christiernus 290.

Argentoratenses acta qvædam circa reformationem 320.

Arnaldus Antonius 93. 95.

Arnoldus Georgius D. Historia ejus MS. de Mauritio Elect. Sax. 20. & alibi.

Augustinus Alfeld. ejus scripta 127. defendit primatum Pontificis & Missam.

ſam. Luthero rogum minatur 128. alia 129.

Auguſtiniani hymnus de duobus Bruxellis combuſtis 298.

Auguſtinianus Prior Norimbergenſis Evangelicis prædicatoribus conſentit 318. Nota: Prioris illius nomen (qvod poſt editionem additionum & ſupplementi comperi,) vocabatur *Wolfgangus Volprechtus*, nam Linorius prædicator erat.

B.

Baazius Joh. ſcriptor Svecus de reformatione 284. & ſeqq.

Bennonis Epiſc. Miſn. vita ab Emſero deſcripta 359. & ſeq.

Biblia: verſio Lutheri, vide Emſerus & Lutherus.

Bona Eccleſiaſtica: ſententia de iis Hieronymi a Coſta 256. & ſeq. de abuſu eorum jam olim ab Hieronymo notato 158. de jure Pontificum in ea ejusdem Coſtæ diſqviſitio 259.

Bona opera, qvæ ſit earum cauſa efficiens, qvod meritum 84. & ſeqq. ex Guttelio 272. & ſeq. add. 303. 305. 307. 330.

Bonifacius VIII. homo malus 24. ex Platina.

Boria Catharina, qvædam de ea 293. & ſeqq.

Bornerus Caſpar D. Lipſ. 170.

Brisenbachius Joh. D. ſcribit contra indulgentias, & de poteſtate Pontificis 31. & ſqq.

Brentius Joh. 58. ejus hiſtoria 264. ſq. reformatio Halis Sveviæ ab eo procurata 265.

Brugerus Eberhardus Prior Auguſtin. Wittemberg. dein Paſtor Altenb. 239. periculum adit. 325.

Brismannus Johannes Cotbuſienſis D. ejus concio 357.

Briſſonetus Guilielmus, Epiſc. Meldenſis, Lutheraniſmi reus, terretur 299.

Bullingerus. 26.

Bugenhagius Johannes, ſeu Pomeranus D. ejus hiſtoria 200. & ſeq. 267.

C.

Cajetanus Card. ejus oratio in concilio Lateran. 22. acta cum Luthero Auguſtæ 67. & ſqq. liber pro primatu Pontificis 129. legatio in cauſa Electionis Caroli V. 151.

Calixti II. Pp. literæ ad Fridericum III. pro defenſione poteſtatis Pontificiæ 12. 13.

Camerarius Joachimus 199. 267. 296.

Capito Wolfgang. ſcribit Luthero & de eo 189. & ſeqq.

Capnio. Joh. Reuchlin. ejus lis cum monachis aliaqve ex Altingii MS. 116. & ſeqq. Lutheri ad eum epiſtola 119. primus Comœdias in Germania ſcripſit ibid. ejus mors 120. Laus ab Eraſmo ibid. culpatur a Gretſero 121. amicorum epiſtolæ ad eum 123. Hutteni de eo carmen 124. & ſeqq. Johannis Henr. Maji liber de vita Reuchlini ibid. legatio ejus Romana 126. 127.

Caroloſtadius: de ejus ſententia & diſpur.

put. Lipſ. circa liberum arbitrium 84.& ſeqq. alia 101.102. 109.110.219. 308. de diſputatione cum Eccio & ſcriptis contra eum 340.& ſeqq.

Carolus V. de electione ejus varia 148. & ſeqq: cur cunctatus ſit in opprimendo Luthero 174.& ſeqq. ſecreta qvædam ejus mandata de electione ſua.339. ex oratione Trevirenſis in electione ejus qvædam 349.

Carolus VIII. R. Gall. vaticinium Savonarolæ contra eum ob non reformatam Eccleſiam 24. culpatur a Joh. Breitenbachio ob interceptam ſponſam Maximiliani 33.34.

Caſſander Georgius ejus doctrina de S. cœna ejusqve veteri ritu ex Rabano, & aliis 253.

Cellarius Johannes, relatio de diſput. Lipſ. 90.

Cellarius Martinus, ſive Borrhaus Anabapt. 213. 214.

Chemnitius Martinus 86.

Chriſtiernus II. Daniæ Rex, ut ſævitiam excuſaverit 285. audit concionem Lutheri: mors Reginæ, ejus uxoris 290. apologia Chriſtierni 356.

Chroſnerus Alex. ab Emſero Dreſda pellitur 233.

Chytræi Davidis D. Theolog. hiſtoria 262. & ſeq.

Ciconia, ſive *Storch*, Nicolaus Anabapt. 214.

Clemens VI. ejus Bulla de indulgentiis 24. 25.

Clerus: ejus vitia agnoſcit Rhadinus 131. deſcribit Weſſelus 245. Guttelius 270.

Cochleus 142. 262. & alibi: verum nomen & patria ejus, acerbiſſimum in Lutherum ſcriptum 301.302.

Colloqvium ſive diſputatio Lutheri cum diabolo a calumnia defenditur. 178. & ſeqq.

Comitia Auguſtana 61. Wormatienſia 171.

Concilia: Piſanum ejusqve acta contra Julium II. 16.18. 20. de Concilio Lateranenſi Richerii relatio. 22. concilium optat Guttelius 273.

Conciones, qvales ante Lutherum fuerint: 170.275.276. ex Guttelio.

Confeſſio an ſit de jure divino 176. & ſeq. ejus defectus ex Guttelio 271.

Coppenius Torgavienſis 293.

Cordemoyus, Abbas, refutatur 178. & ſeqq.

D.

Daumius Chriſtianus 278.

Decius Philippus ſcribit pro concilio Piſano 16.

Didymus Farentinus, i. e. Melanchthon 132.

Didymus Gabriel, Altenburgi, poſtea Torgaviæ Evangelium docet 238. & ſeq.

Dietenbergerus Joh. edit. N.T. Emſeri, & vertit Teſt. Vetus Coloniæ 231.

Dietericus Conradus, D. narrat reformationem Ulmenſem 265.

Diſputatio Lipſ. 103. & ſeqq.

Dominicanorũ Bernatium facinus 115.

Dmco Joh. Carolostadius, ejus doctrina & vita 297. & seq.

E.

Ecclesia, ejus leges qvomodo obligent ex Petro de Marca & aliis 256. Ecclesiæ vocabulum & opes, prioribus seculis, ex Costa, autore Gallo 257. 258. Ecclesiæ status ex Guttelio 269. autoritatem Ecclesiæ scripturis præferunt pontificii qvidam 321. ejus architectonica scientia, item afflictionum usus 333. qvæ sit vera Ecclesia 334. qvatenus mater sit aut erret 354.

Eccius Joh. scribit ad Carolostadium 59. laudatur a Schultherro 89. objicitur ei a Luthero qvod Carolostadio assenserit de libero arbitrio 101. reprehenditur ejus doctrina moralis 134. scripta de qvæstione super toto & totaliter 341. & seq. laudat Erasmum 341. veteratoria ejus mens a Carolostadio descripta & responsio Eccii 343. & seq. Eccii censura in Carolostad. & Lutherum 344.

Eleemosyna primum & antiqvissimum peculium Ecclesiæ Christianæ 257.

Emserus Hieron. putatur autor esse orationis Rhadini. 132. edit notas in versionem N. T. Lutheri 121. & & sq. refutat Lutheri sententiam de fide & operibus insulse & maligne 225. & seq. exscripsit Luth. versionem 227. dubitat an lectio scripturæ populo permitti debeat. ibid. iteratur editio Emserianæ versionis 231. de morte ejus 231. 333. liber ejus de vita Bennonis. 359

Eobanus Hessus. 199.

Episcopus: mores eorum ante reformationem 143. qverelæ Lutheri de eorum abusibus 235. Episcoporum & presbyterum differentia qvalis, ex authore Gallo 257. mali mores ex Guttelio 275.

Emsmus Roterod. Luthero de ei sententia an. 1516. 44. Erasmi de thesibus Lutheri judicium. 61. laudat Melanchthonem. 63. & seq. epistola ejus ad Lutherum. 79. 80. item de Luthero ad Spalatinum 81. judicium de stylo & ingenio Hutteni ibid. epistola ejus ad Fridericum El. de Luthero 111. item ad Albertum Moguntinum. 113. culpatur a Gretsero 121. ejus literæ ad Spalat. de Friderico E. 149. dicta & acta ejus Coloniæ de Luthero 160. & seq. epistola ad Peutingerum de pacificatione religionis ex sententia Joh. Fabri. 161. & seq. literæ ad Pellicanum. 166. sententia de S. Cœna 167. idem de confessione 176. & narratio de concione qvadam ridicula 178. laudat Eobanum Hessum 199. & Euricium Cordum. 200. adulatur Leoni X. 211. svadet compositionem inter Pontificios & Lutheranos 281. & seq. refutatur a Luthero in doctrina de autoritate Ecclesiæ, sanctitate, miracu-

raculis, 322. & seqq. laudat Nesenum 324. ejus judicium de qvæstionibus circa religionem 337.

Erfurtum: Prædicatores Evangelici 199. & seq.

Ericus Dux Brunsvic. mittit Luthero potum 173.

Ernesti, Electoris Sax. laus 142.

Ernesti Sax. Arch. Magdeb. gesta & mors. 142. & seqq.

Ernestus Bavarus Archiep. Salisburg. 122.

Enricius Cordus 200.

Ezardus Frisiæ comes Evangelicæ doctrinæ favet 199.

F.

Faber: Felix Fabri monachus Ulm. laudator Alexandri VI. 26.27. Joh. Faber Constantiensis vicarius resistit Samsoni indulgentiarum præconi. 76. judicium de compositione religionis 162. Stapulensis, periculum ob religionem 299.

Fabricius Georgius 143. & alibi.

Farellus Guilielmus 299.

Fechtius Johannes 124.

Fides infusa & acqvisita, ex Eccii sententia. taxata a Melanchthone 134. 135. Lutheri locus ex Ep. ad Rom. 224. & seq. Guttelii doctrina de fide 271. 273. Phrasis sola fide salvamur justificeatur a Luthero 302. & seqq. Ingolstadiensium sententia non multum discrepans 306. de fide ante omnia docendum 330. concio de fide D. Brismanni 357.

Forchemius Georgius, Ecclesiastes Erfurtensis, veneno sublatus creditur 200.

Franciscus de Paula, vaticinatur de infelicitate Francisci I. R. Gall. 23.

Freiberga, lis inter Canonicos & monachos de indulgentiis An. 1496. p. 30. & seqq.

Fridericus El. Sax. an æmulus fuerit Alberti Brandeburg. Mog. 54. ejus gesta in comitiis Augustanis 1518. p. 61. 62. gratia apud Maximilian. I. Cæs. 62. elogia Fridericiex Christophoro Scheurli tractatu. carmen Richardi Sbrusii: Joh Reuchlini, Spalatini, Aventini testimonia 71. & seqq. de ejus notho Sebastiano a Jessen 78. religiositas ejus a Scheurlo relata 83. dictum de libero arbitrio, teste Spalatino 98. ex eodem narratio gestorum Elect. in Electione Caroli 148. dictum ejus pium in causa Anabapt. 215. opes & magnificentia in exstruendis & dotantis Ecclesiis atqve ædificiis 261. insigni elogio a Luthero honoratur 325. aliæ ejus laudes a Spalatino & Eccio 329. item a Melanchthone 348. & qvæ in electione Caroli V. de eo dixerit Trevirensis 349.

G.

Georgius Dux Sax. cognoscere vult in lite indulgentiarum an. 1491. p. 35. concionem Lutheri Dresdæ habitam improbat 46. expostulat

lat cum Ep. Merſeburg. de diſput. Lipſ. 99. 100. Vei ad eum literæ: de conſilio ejus circa reformationem 171. fidem Luthero vult ſervari in comitiis 172. præfationem edit in verſionem N.T. Emſeri Luthero contumelioſam 216. divitiæ ejus 262.

Goſuinus Halenſis 240.

Gratia, de auxiliis gratiæ, congregatio Romana ſub Clemente VIII. & de ea relatio 95. & Innocentii VIII. decreta ibid. & 97.

Grubenbeymeri, i.e. Foſſarii, pro hæreticis habiti in Bohemia 348.

Gretſerus Jacobus, Jeſuita 131.

Guſtavi, Sveciæ Regis ſcriptum apologeticum pro reformatione 286.

Guttelii Caſparis D. Auguſtiniani ſcripta & geſta 268. & ſeqq. non vult Lutheranus, Martinianus nec Eccianus vocari 269. concionatur Zuiccaviæ 278. ejus conciones Arnſtadienſes 356.

H.

Hæreſes & turbæ oriuntur, ſi veritas docetur. 136.

Hala Sax. & arx Mauritiana. 144.

Hala Svev. reformatio. 265.

Halberſtadium: initia doctrinæ Evangelicæ. 199.

Hamburgenſium reformatio. 267.

Hausmannus Nicolaus Paſtor Zviccavienſis. 278. 280.

Helvetii diſſvadent electionem Franciſci Gall. R. in Imp. 152. & ſeq.

Henricus VIII R. Angl. judicia de eo Maimburgii, Ferrandi nuperi ſcriptoris Galli, D. Burneti. 204. & ſqq. item Pomerani. 206.

Henricus Dux Sax. ejus hiſtoria MS. & qvædam ex illa. uxor ejus favet Evangelicæ doctrinæ, poſtea & ipſe. 199.

Henricus Dux Brunſvic. criminatur Electorem Sax. refellitur a Lutherō. 53.

Heideccerus Joh. Henricus. 97.

Heidelberga: Lutheri ibi habita diſputatio ab Alringio deſcripta. 56. & ſqq. Theologi qvi cum eo diſputarunt. 57. populus canit canticum de juſtificatione, dum Miſſa celebratur. 292.

Huſſus Joh. paſtor Vratislav. Evangel. 29. ejus diſputatio publica. literæ ad eum Lutheri. *ibid.* gener ejus Staphylus. 212.

Hiltenii Jot. hiſtoria. 337. & ſeq.

Hiſcoldus Matth. de diſp. Lipſ. 89. 341.

Hottingerus Joh. Henricus. 75. 76.

Huſſus defenditur à Lutherō. 336.

Huttenus Ulricus. Eraſmi de eo verba. carmen de Capnione. 124. & ſeqq.

Hutterus. D. 87.

I.

Janſenius Cornelius. 96.

Indulgentiæ. Clementina de iis conſtitutio. 24. 25. prædicantur in Helvetia. 75. diſceptatur de iis inter Tezelium & Myconium. 191. 192.

Ingolstadienſis Academia.121. damnat Seehoferi theſes, refutatu a Luthero. 306.

Innocentius VIII. dat indulgentias Freibergæ 29. & ſeq.

Innocentius X. Pp. damnat Janſenii propoſitiones. 97.

Jodocus Iſennacenſis D. 338.

Johannes Fridericus Dux. Sax. poſtea Elector, ejus iter Duſſeldorphienſe 194. & ſeqq. falſa de eo narratio Varillaſii. 296.

Iſennacum qvædam de reformatione. 293. hiſtoria MS. Rebhanii. 337. 357. 358.

Julius II. ejus Capitulatio & Juramentum. 15.

Juſtificatio, canticum de ea Pauli Sperati, & duæ de iſto cantico Hiſtoriæ. 292.

Juſtus Jonas; qvis fuerit. 179.

L.

Langius Joh. Lembergius oratio in diſp. Lipſ. & encomium Lutheri. 109.

Leo X. cantilenæ in eum & verſus Pariſ. ſparſi. 60. 61. Helvetiis commendat Samſonem indulgentiarum præconem. 76. varia ejus de electione Caroli V. conſilia. 150. hiſtoria vitæ, electionis, geſtorum & mortis ejus ex Varillaſio. 206. ſqq. Lutherus eum excuſat & laudat. 326.

Leiſnicenſium ſtatutum cum Lipſienſi confundit Varillaſius. 260.

Lex qvatenus ſervari poſſit.

Libertas Chriſtiana. 331.

Liberum arbitrium qvid & qvale. 84. 86. Sententia Alberti Epiſc. Auguſtenſis. 91. expenſa. 92. item Arnaldi & Malebranchii. 93 & ſeqq. Eccii & Caroloſtadii conſenſus, judice Luthero. 101. Guttelii de libero arbitrio ſententia. 272. it. Lutheri adverſus Eraſmum. 323. Zaſii dictum contra Eccium. 345.

Linccius Wenceslaus, Paſtor Altenb. 239. alicubi Priorem Auguſtinianorum Norimbergæ fuiſſe perhibetur, ſed id incertum eſt, qvanqvam ambulatorium potuerit eſſe id officium. Alius erat Prior anno 1524. & 1525. vide ſupra voce *Auguſtiniani*. ejus mors & epitaphium. 320.

Lipſienſium ſtatus ſub Georgio Duce 260.

Livonia ſive Rigenſes Præſules, item Principes ſive magiſtri, & acta circa reformationem. 313.

Ludovici El. Palatini dictum Wormatiæ de fide Luth. ſervanda. 172.

Ludovici XII. conſultationes adverſus Pontificem. 16. legatio & mandat. ad concil. Piſan. 17.

Lutherus: narrat veram diſputationis a ſe cœptæ cauſam. anno 1541. p. 28. ejus annus natalis & horoſcopus. 36. freqventat ſcholam Ilennacenſem. 36. character ejus a Varillaſio deſcriptus. 38. expenditur. 39. de nomine Luther & Luder, ex libro

libro Statut. Theol. Wittenb. 40. amat & callet Musicam. 41. Scripta qvædam ejus ante an. 1517. & censura de Erasmo. 44. Concio ejus Dresdæ habita, displicet Georgio Duci Sax. laudatur a Gynecæi præposita matrona. 46. respondet refutationi Tezelianæ. 50. historia disputationis Heidelbergæ habitæ ex Altingii MS. 57. 58. de gestis Lutheri Augustæ an. 1518. contra Varillas. 67. 69. de nomine Lutheri, qvatenus liqvidum, vel liqvefactorem significet ex Erasmo. 78. Lutherus non vult Lutheranos a se appellari. ibid. allusio ejusdem ad lutum. 79. acris cum Eccio expostulatio epistolica. 100. Epistolæ de Capnione. 127. defenditur a Melanchthone contra Rhadinum 132. & seqq. judicium ejus de translatione Imp. Romani ad Germanos 153. & de Imperii potestate in Papas. 154. ejus iter Wormatiense, & qvæ locutus sit in monasterio Reinhartsbrun. 172. & seq. venenum ei parari creditum est. 173. de colloqvio ejus cum diabolo, Cordemoji tractatus examinatur & inde extructæ calumniæ refutantur. 178 & seqq. concio ejus de Sacramento an. 1520. habita. 183. argumenta ex hac & aliis libris contra Missam. 183. & seqq. Lutheri epistolæ & libertas styli & jocorum excusantur. 203. scribit ad Melanchthonem de Anabaptistis. 212. Lutheri sententia de fide & bonis operibus ex præfat. in Epist. ad Rom. 224. & sq. defendit versionem suam N. T. adversus Emserum & alios. 228. 230 speciatim qvod verterit *sola fide*. 229 libellus de seculari potestate defenditur. 232. excerpta ex eo. 233. & seqq. verat resisti Magistratibus vi utentibus in causa religionis. 235 notabilis ad Gabr. Didymum epistola. 239. gaudet de scriptis Weselii. 252. Leitnicens. statutum commendat. 261. concionatur Zviccaviæ. 259. non vult ut vi resistatur Cæsari. 283. dissimulatio ejus in promovendis Doctoribus ex veteri ritu & religione. 284. falsa de ejus amoribus & nuptiis cum Boria ex Varillasio. 293. & seqq. Lætatur audito cantico a Sperato composito, & lacrymat. 297. aliqva ejus ad matrimonium inclinatio. 299. Lutheri hymnus de Augustinianis Bruxellis combustis latine redditus. 298. Lutheri ultimum scriptum adversus Cochleum, & qvædam de comitiis Wormat. 301. seq. defendit phrasin sola fides &c. 302. & sqq. & bonorum operum verum ostendit fructum. 303. 305. patrum autoritatem scripturæ postponit. ibid. hujus defendit peripeteiam. ibid. monachorum hypocriticam paupertatem irridet. 304. scripta de bon. oper. usu legis & Evangelii. 305. de mercatura, 306. censuræ in Ingolstadienses. ibid. & seqq.

seqq. sententia ejus de Lege qvatenus servari possit. 307. nec magistratum nec Ecclesiæ gubernationem sustulit Lutherus. 308. Lutherus pauper multos ditavit, dictum ab Argentoratensibus in scripto publico. 321. Lutheri responsio ad objectionem Erasmi de autoritate & antiqvitate Ecclesiæ. item de miraculis & sanctis. 322. seqq. Patrum dissensum & titubationes notat. 324. falsum est qvæ de tentata resuscitatione mortui Neseni ei affinguntur. 325. Commentarii Lutheri in Psalmos summe laudandi. 325. & seqq. extenuat dotes suas 326. 328. in Patrum explicationibus multa desiderat, non tamen culpat. 327. vitæ suæ defectus agnoscit. 328. errores item in explicatione scripturæ. ibid. Excerpta ex Comment. in Psal. I. de justitia vera. 330. de legis natura & observatione. 331. de libertate vere Christiana. ibid. de Architectonica Ecclesiæ gubernandæ scientia. 332. de afflictione fidelium. 333. de damno ex externa Ecclesiæ felicitate. ib. de vera Eccles. forma. 334. cum refutatione Romanæ jactationis. 335. damnat Constant. Concilii decreta. 336. Hussum defendit. 336. qvædam de nativitate & genere Lutheri. 337. studia puerilia. 338. ubi corrigitur locus. p. 38. Præceptor Lutheri D. Jodocus Isennacensis. 338. excusatur ejus opinio de Epistola Jacobi, ex libro qvodam Helvetico. 343. huc referre debet qvod p. 320. ex scripto Norimb. allegatum fuit de Postilla Luth. 349 sermo de Sacramento, ejusqve refutatio a Cochleo susceptа. 350. de Wartemburgo, ubi latuit Lutherus, & carmine in ejus cubiculo. 350. 351. epistola Lutheri ad Thom. Neuenhagen. 358.

Ludolfus Hiobus. 384.

M.

Magdeburgenſis urbis reformatio cœpta 355.

Magiſtratus: de ejus officio, & de poteſtate circa ſacra Lutheri monita 233. & ſeqq.

Majerus Joh. Frid. D. edit. orat. Selnecceri de Luthero III.

Maiernus Petrus Plebanus Francof. 125.

Maimburgius: de ejus morte & teſtamento, item qverela de Jeſuitis 10. de poteſtate Pontificis, & qvod labi & errare poſſit, tractatum ſcripſit p. 66. poteſtatem ejus in libro de vita Gregorii elevat 155. notatur in rerum Danic. narratione 290.

Majus, Joh. Henricus ejus de Schwebelio monitum 168.

Malebranchius Theol. Pariſ. 93.

Mansfeldius Comes Hoierus, Caroli V. legatus 339.

Marcus Stubnerus Anabapt. 213.

Margaretha Auſtriacæ dictum de Luthero 163.

Maximiliani I. Cæſ. legatio & mandatum ad Concil. Piſan. 17. ut Fri-

derico El. faverit 62. qvid ſenſerit de Luthero & de Pontificibus 63.

Maximiliani propoſitio in Comitiis Conſtantienſibus anno 1507. de Gallis & de juribus Imperii in papatum 157.

Mecum, Fridericus Myconius, ejus hiſtoria, negotium cum Tezelio de indulgentiis 191. & ſeqq. ejusdem diſputatio cum Johanne Corbachio Düſſeldorffii habita 194. ſeqq. confeſſio fidei compendioſa de fide & ſanctificatione, de cultu ſanctorum, de jejuniis 196. 197. Corbachius cedit & amicus fit, ſed poſtea mutatur 197. 198.

Meieri Cancell. Mog. qverela de Pontificum exceſſibus ad Æneam Sylvium 11.

Melanchthon Philippus vertit conſilium Lutheri anno 1545. de reformatione datum & mittit El. Palatino, mutatum tamen & interpolatum 9. laudatur ab Eraſmo, Moſellano. Card. Sadoleto 64. 65. culpatur a Greteſero 121. ſcribit contra Thomam Placentinum, ſub nomine Didymi Faventini pro Luthero 132. explicat qvid in ſtudio Philoſophiæ Lutherus deſideret ibid. & ſq. Scholaſticæ Theologiæ vitia exponit 133. epiſtola ejus ad Fridericum El. de anabaptiſtis 212. falſum eſt eum piſtoris opificium exercuiſſe, Caroloſtadii impulſu 219. Melanchthonis judicium de commentario Lutheri in Pſalmos 327.

Mersburg. Epiſc. Adolfus Anhaltinus 99. 226. Vincentius Schleunitius ibid.

Miltenbergenſium perſecutio 297. ſeq.

Miſnenſis Epiſc. Joh. a Salhauſen indulgentias rejicit 30. 48. alter Sleinizius infenſus Luthero 169. 226. cultus ſuperſtitioſus in templo cathedrali Miſnenſi 359. 360.

Miſſa: Lutheri argumenta contra eam, qva ſacrificium eſſe perhibetur 182. & ſeqq. Norimbergenſium Præpoſitorum ſententia 315. caput controverſiæ, inter Lutherum & Cochleum 350.

Moibanus Ambroſius D. 291.

Molina Ludovicus ejus ſententia de gratia 95. 97.

Monachi, de potentia Monachorum qverela Eraſmi 113. de eorum avaritia vetus obſervatio 259. eorum vitia ex Guttelio 275. qvatenus retineri monachatus poſſit ex eodem 277. monachatus cum annexis omnibus cadit, ſi veritas Evangelii prædicetur 322. Monachorum vitia ab Henrico Carthuſiano Iſennacenſi deplorata 358.

Munzerus Thomas 215.

Mutianus Rufus vir doctus 74. 75.

N.

Naſſovii comitis dictum ad ſacerdotes de Luthero 163.

Natalis Alexandri calumniæ in Lutherum 360.

Neſenus Gvilielmus, qvis? ejus mors 324. & ſeq.

Neuenhagen Thomas, Eccleſiaſtes Iſennacenſis 358.

Nimitſchenſe cœnobium, & de virginibus ex eo exeuntibus 293. & ſqq. diverſum a Niemeccenſi ibid. 293.

Nobilitas ſive ordo Eqveſtris, an bonis Eccleſiaſticis inhiaverit 169.

Norimberga: initia reformationis; ſcriptum duorum Præpoſitorum 314. ſeqq. item Prædicatorum 317. ſeqq. Colloqvium inter prædicatores ex utraqve parte inſtitutum 318. ſeqq. noto hic obiter, qvod poſt excuſas Additiones & Supplementa comperii Præpoſitos Beslerum & Bohmerum fuiſſe inter præſides colloqvii.

O.

Occamus 136.

Oecolampadius præceptor Wolffgangi Palatini 57.

Oſiander Andreas ejus genus & ſtudia 264. autor ſcripti Norimbergenſium prædicatorum nomine editi 318. ejus phraſes notatæ ibid. & 319.

P.

Papatus defenſus ab Auguſtino Alfeldenſi & Card. Cajetano 129. oppugnatur a Melanchthone 137. de jure imperatorum in Papas ex Luthero 154. & ſeq. epicriſis de utriusqve juribus 156. Gallorum Dominatus in Papatum 157. & ſeq. falli poteſt & corrigi debet Papa, ex doctrina Weſſeli 243. de jure Pontificum in bona Eccleſiæ 259. an Romana ſola ſit Eccleſia, & de Pontificum poteſtate 335. an petra ſit Petrus, & Papa ibid.

Pallavicinus 97. & alibi.

Pallaeotus Camillus 144.

Paulus Langius 77.

Paulus Scriptoris, Franciſcanis purioris doctrinæ præguſtum habet 164.

Paulus Venetus notatur 75.

Pellicani Conradi hiſtoria 164. & ſqq. ſententia de S. Cœna 168.

Peregrinationum abuſus 271.

Perſecutiones Evangelicorum 322.

Petrus Moſellanus 64. oratio in diſput. Lipſ. 103. ejus hiſtoria 104. & ſeqq. Lutherus eum amat 104. mors & epitaphium 105. relatio de diſp. Lipſ. per epiſtolam ibid & ſeqq. excerpta ex ejus oratione Lipſ. 345. & ſeqq.

Pfefferkorn Judæus, Capnionis adverſarius 314. alius Halenſis 120.

Pfeffingerus Degenhardus 62. 77. Johannes ibid.

Pflugius Julius 105.

Philippus Haſſiæ Landgravius, qvædam ad reformationem pertinentia incipit; ejus diſceptatio cum Monacho Marpurgenſi 309. & ſeq.

Philippus qvidam Rhetor Wittemb. fanaticus 219.

Piſtoris Simon D. 103.

Pius II. Pp. ſive Æneas Sylvius, Richerio notatus 14.

Plieningius Theodorieus 121.

Pœnitentia; reqviritur a Varillaſio ad indulgentias 35.

Polentius Georgius Epiſcopus Sambienſis, ejus epitaphium 312.

Poliander Johannes ex Eccii famulo fit

Lutheranus 110. Comperi post excusas additiones & supplementa, Johannem Poliandrum Herbipoli in Cathedrali Ecclesia concionatorem an. 1525. fuisse, & inde a Senatu Norimbergensi vocatū inter præsides fuisse colloqvii illo anno inter prædicatores utriusqve partis fuisse, ex parte Evangelica an idem fuerit de qvo p. 110. agitur conjicio qvidem, sed definire anteqvam certius explorem non audeo.

Prædestinationis dogma qvomodo tractandum ex Guttelio 271.

Pratensis Antonius Galliæ Cancellarius 60. 300.

Prierias: qvomodo scriptum ejus contra Luth. æstimatum fuerit 61.

Principes: eorum vitia indicat Lutherus & emendationes præscribit 236 237. raros fore scribit in cœlo, ein Wildpret im Himmel ibid.

Proles Andreæ, ejus conciones 346.

Prophetiæ novæ, qvomodo judicandæ ex D. Spenero 216. & seqq.

Prussia v. Borussia.

Purgatorium. Wesseli de eo sententia 250. & historia qvædam 352. 353.

R.

Razebergius Matthæus historia ejus MS. de Luthero & bello Smalcald. 36. 172. & passim.

Rebhan Nicolaus, autor historiæ MS. Isennacensis 337.

Reformatio, vi non debet peragi, ex sententia Lutheri 235. ejus necessitas & utilitas ex Guttelio 275. abusus & licentia per eam invecta, ex eodem 276. ejus impedimenta 276. an impedientibus vi resistere liceat consilium Lutheri & sociorum 283.

Religionis libertas, ejus commoda & incommoda 350.

Reuchlin v. Capnio.

Riarius: Raphael Card. & historia Riariorum ex Varillasio 70. de gentis ejus vitiis 244.

Richardus Simon. autor Critices N. T. sugillat versionem Lutheri 231.

Richerius Edmondus ejus qverelæ de Pontificum excessibus & Ecclesiæ defectibus 14. 15. respondet Gvicciardino, pro Pisanis Cardinalibus 20. impugnat concordata inter Papam & regem 23.

Ruffi, Rousset fratres 299.

S.

Sacerdotium duplex statuit Wesselus ordinis & comune Christian. 246.

Sacramenta ex Wesselo 251.

Samius Conradus Ulmens. Pastor. 266.

Sanctorum communio ex Wesselo. 250

Samsonis, indulgentiarum in Helvetia nundinatio, Bernæ præcipue 75.

Sanzamorius Ludovicus 96.

Satisfactio, ex Wesselo 219.

Savonarola, Hieron. vaticinatur Carolo VIII. mala 24. ejus historia ex variis autoribus 145. & seqq.

Schuzgeierus Casparus Franciscanus, Lutheri adversarius 165.

Scherzerus D. 87.

Scheurlus Christophorus, ejus scripta 71. 83. acta in reformatione Norimberg. 318. & seqq.

Schulcherr, Joh. Ulric. relat. de disput.

put, Lipſ. & ſententia de toto & totaliter 89. examinatur 90. alia ejus relatio 110. 341.

Schwebelius, num fuerit Zvvingl. 168.

Scriptum qvæ ſit legitima explicatio, ex Guttelio 272. & ſeq. de ejus perſpicacitate & autoritate 303. & ſeqq. blaſphemum contra ſcripturam dictum Murnari. 321.

Seckendorff. Henricus Gottlob 56.

Sedunenſis Cardinalis Luthero favere creditus. 190.

Seeboferus Arſacius 306.

Selneccerus Nicolaus D. oratio de Luthero nuper recuſa 111.

Sickingius Franciſcus 126. 169. ſeq. 268.

Sixtus IV. 30. 144.

Sleidanus Johannes; apologia ejus a ſe ipſo compoſita, & a Frid. Hortledero aucta. 17. de variatione ſtyli ex Varillaſio. 8.

Snepfius Joh. 58. ejus hiſtoria 267.

Spalatinus Georgius, ejus ortus, vita, libri, officia, mors 42. & ſeqq. fit paſtor Altenburgenſis 239.

Spenerus D. ejus ſententia de liberi arbitrii viribus 88. & de novis revelationibus 216. & ſeqq.

Spenti Pauli canticum de juſtific. 292.

Stationarii deſcripti 270.

Staupizius Joh. Lutherum Georgio Duci commendat absq; ſucceſſu 45.

Storch Nicolaus Anabapt. 215.

Struſius docet Iſennaci, non ſatis pure 358.

Sturmius Caſpar 171.

Svecia, de ejus reformatione ex Baazio 284. & ſeqq.

Svevia, fœderis Svevici deſcriptio, male a Varillaſio relati 68. 69.

T,

Teutlebius Valentinus, de eo ejusq; familia digreſſio 115. & ſeq.

Tezelius Joh. narratio Lutheri poſtrema de eo 1541. p. 27. formula indulgentiarum qva uſus eſt 35. an recte laudetur a Varillaſio: 46. ejus neqvitiæ & impudentiæ exempla 47. illuditur ei & pecunia aufertur a nobili qvodam 48. ejus ſcriptum & theſes adverſus Lutherum 49. 51. 52. 53. dictum leve ante mortem 109. Acta ejus cum Frid. Myconio 191. ejus ſepultura 319.

Theologia Scholaſtica & moralis 109. 133. 134. 135. 136.

Thomas Aqvinas, periculoſum eſſe ab eo diſſentire qveritur Eraſmus 111. Thomiſtæ & aliæ ſectæ. 133. 135. 138.

Thomas Rhadinus, Thodiſcus declamat Romæ in Lutherum, excuſat vitia cleri. 130. 131. reſpondet acriter Philippo Mel. 139. & ſeqq. de Lutheri interitu fruſtra lætatur & Carolo Cæſari gratulatur 140. ſqq.

Thomaſius Jacobus, ejus annotata de diſp. Lipſ. 109.

Thurzo Joh. Epiſc. Vratisl. literæq; ad eum Lutheri & Melanchth. 290. 291

Totum & totaliter, digreſſio de illa diſtinctione ab Eccio in diſp. Lipſ. prolata 84. & ſeqq. alia de illa qvæſtione ex Caroloſtadii & Eccii ſcriptis 340. & ſeqq. renovata is iſta inter Lutheranos ipſos 342.

Tragarius Conradus, Auguſtinianus,

refutatur ab Argentoratensi ministerio 320. & seqq.
Turcæ: an bellum in eos dissvadeat, Lutherus 139. & ex Gutelio.

V.

Varillasius, citatur passim, refellitur in historia Alberti Moguntini, & descriptione Magdeburgensis urbis & diœceseos 54. 55. de Comitiis Augustanis, & Lutheri ibi gestis. 56. 57. item de fœdere Svevico 68. 69. ubi numerus peditatus fœderatorum erronee scriptus poni debet. 10075. i. e. dena millia, septuaginta qvinqve: alii Varillasii errores, aut maligna judicia 76. 77. 108. 152. 169. 171. 174. & seqq. 188. 203. comparatio ejus inter Lutherum & Melanchthonem 204. censura iniqva in libr. Luth. de seculari potestate, ineptum de rebus Saxonicis judicium 232. & seq. error de statuto Leisnicensi 260. item de cœnobio Nimitschensi, & de Catharina Boria 293. & seqq. item in historia Electorum Saxon. 296. in rebus Gallicis 300. in historia comitior-Norimberg. 308. in narratione de Alberto Borussiæ Duce 310. sqq. it. de Carolo V. 339.
Veus Hieron. judicat de Luthero 179.
Vicelius Georgius: ejus Censura in Lutherum examinata 393. & seq.
Ulmensis reformatio qvando & a qvibus cœpta 265. & seq.
Urbanus Regius, Theol. 122.
Umstadiensis Episc. Thurzo: pastor Hessus, Moibanus 291.
Ursinus, *Latinus*, Robertus Archiep. & Card. Rheginus 150. & seqq.

W.

Wartemburgum, locus in qvo Lutherus latuit, & qvædam de eo 350. Rebhanii carmen.
Wesselus Groningensis, ejus historia ex Altingio 240. & seq. doctrina ejus de fide 241. & seq. de potestate & autoritate item de vitiis Paparum 243. & seqq. de opibus Ecclesiæ 244. de cælibatu ibid. de Cleri & Prælatorum excessibus. 245. de jure & usu clavium. ibid. de indulgentiis 246. de sacerdotio duplici ibid. de ceremoniis Ecclesiæ ibid. de sacramentorum usu. 247. de Philosophia ibid. de pœnitentia vera 248. de confessione ibid. de satisfactionibus. 249. de sanctorum comunione. 250. de Missa 251. de purgatorio ibid. de virginitate ibid. alia ex Wesselo, aliaqve libri editione 351. & seq. de Wesselo Georg. Vicelii judicium 353.
Wittenberga, omen de Academia ex concione Fleccii monachi. 74. de fundatione & structura Ecclesiæ omnium Sanctorum ex Spalatino & Scheurlo 83. 261.
Wormatiensis Episcopus, Joh. Dalburgius laudatur 119. 120.
Würzburg. Episcop. Laurentius a Bebra amat Lutherum & Friderico El. commendat, elogium Episcopi ex Spalatino 59. vid. etiam p. 62.

Z.

Zasius Uldaricus, Lutherum laudat, Eccio infestus 102. reprehendit Eccium 345.

Zeunerus Wolffgang. literæ de Guttelio 278.

Zuiccavia, de hujus urbis reformatione & Lutheri atqve Guttelii concionibus ibi habitis 278. & seqq. historia & literæ MS. ibid.

Zvinglius Huldricus 75. an ante Lutherum Evangelium docuerit 221.

F I N I S.

Correctio

Qvanqvam magna diligentia adhibita fuit, ut errores descriptoris & typographici evitarentur, qvidam tamen irrepserunt, qvos (sicut & eos qvi relegentem Autorem fugerunt) Benevolus Lector emendare rogatur.

PAg. 25 lin. 2. pro *n. 39.* leg. *139.* lin. 15. *pertinebat.* p. 27. lin. 2. pro *n. 139.* legendum *n. 2.* p. 45. lin. 1. *ti-met.* p. 66. lin. 3. *a Satana.* p. 72. ad marg. leg. § *36.* p. 81. lin. 2. post *ram* dele comma. p. 84. lin. 6. *debuissent.* p. 89. lin. 32. *composita.* p. 99. l. 29. *qvum.* p. 105. l. 9. *Carolus.* p. 109. in summario: *& Stupitium.* p. 120. l. 32. *Barnimi.* p. 126 l. 15. *gnssatur.* p. 129. lin. 1. 2. 3. 4 virgulatæ esse debent, qvæ allegantur ex epistola Melanchthonis. p. 131. l. 3 retrahatur semicolon ad verbum *necne.* p. 137. l. 24. *Hochstratanum.* p. 144. in summario: *Augustiniani.* p. 146. l. 19. T. *Grubenhaymeros.* Grubenheymer. p. 152. l. 15. post *fide:* dele: *qvæ.* p. 156. ad lin. 29. in margine notari debuit *Additio.* p. 190. in summario: post *Monachi* ponatur comma. ibid. lin. 21. autoribus. p. 191. l. 14 post *excitari*, pon. se. p. 195. lin. 5. *percipiebant.* lin. 21. pro *commendatione* leg. *contemplatione.* p. 196. lin 1. leg. *fol. 395.* lin. 5. & p. 241. in summar. & lin. 2. ut & alibi *Patmon* eliso h. p. 200. lin. 34. pro *ad* leg. *at.* p. 202. lin. 3. *& alios.* p. 209. lin. 3. *sancte.* p. 212. lin. 23. *sub discessum.* p. 223. lin. 26. *ut ipse.* p. 243. lin. 9. *abominabile.* p. 281. lin. 16. verba *utraqve* usqve ad seqq. parentheſi includenda sunt. p. 296. lin. 15. irritæ. p. 297. lin. 16. auferatur signum parentheseos, & legatur *qvæ Germanicæ* lin. 18. deleatur idem signum & *nam*, legaturqve *sed Latinæ.* p. 301. lin. 3. *reprehendere.* p. 306. in summar. *communione.* p. 315. lin antepen. pro *& jam* leg. *etiam.* p. 320. lin. 18. *Seehoferum.* p. 328. lin. antepen. *Patmo sua.* p. 337. lin. 8. *Croneb rgius.* p. 344. lin. 18. *postulasti.* p. 351. lin. 12. *Retractationem.* p. 376. in marg. ponatur. §. *148.* p 388. lin. 6. *viginti qvinqve millium.* lin. 13. Marstall. p. 390. lin. 19. *Seehoferus.* p. 398. lin. 16. *D. Mart. Geierus.* p. 413. in summar. leg. *consilia.* p. 427. lin. 33. *Warmiensem.* p. 437. in summario: *opinio.* p. 452. lin. 10. pro *qvem* lege *tum.* p. 454. lin. 15. *Erasmo.* p 461. lin. 26. *finiri.* p. 463. lin. 35. *Casparus Tauberus.* p. 464. lin. 28. *in inermes.*

COR-

CORRIGENDA IN ADDITIONIBUS.

PAg 5. lin. 9. poſt 1525. lege: ad annum 1546. p. 18. lin. 29. pagina in Richerii libro mendoſa eſt, & numerari debet 398. p. 33. lin. 11. qvanto. p. 34. lin. 29. obloqventes. p. 35. lin. pen. dele punctum poſt *Nuncium*. p. 38. lin. 13. Gallico. p. 47. lin. 18. celebrari. p. 49 lin. 1. Lipſia. lin. 3. dimittit. p. 50. lin. 8. poſt *eſt*: allegari debuit. Tom. I. Alt. p. 58. & ſqq. p. 54. lin. 29. tantæ. p. 57. l. ſ. debitæ. p. 68 lin. 12. ullo. p. 69. lin. 7. numerus peditum eſt 10075. p. 71. lin. 6. poſt *recuſam*: claudatur parentheſis. p. 76. lin. 7. Forlivio. p. 77. lin. 9. munere. p. 79. lin. ult. poſt *me* lege nec. p. 84. lin. 1. poſſim. p. 85. lin. 5. dele: ut. lin. 15. mere. p. 87. lin. 8. voluntatibus. p. 88. lin. 19. poſt *poenitere* ponatur comma. item lin. 27. poſt *ſelit*. p. 94. lin. 1. auſer comma poſt *rejicit*. p. 95. lin. 8. doceat. p. 108. lin. 23. comma poſt *errat*. p. 111. lin. 22. Sycophantica. pag. 116. lin. 26, 31. Hochſtratanus. p. 117. lin. 6. eo usqve. p. 119. lin. 27. qva. p. 133. lin. 24. ille. p. 135. lin. 11. appellationes. p. 137. lin. ult. pro invehitur in ſublatas ſcholas, legendum: qveritur de ſublatis ſcholis. p. 138. lin. 23. offenderit. ibid. lin. ult. pro *tam* lege *jam*. p. 140. lin. 5. libertatis. ibid lin. 13. enumeret. p. 145. lin. 32. pro Lorium lege Corium. p. 150. pro Cordine leg. (: ordine.. ibid. lin. 25. Joſſinum. p. 151. lin. 25. poſt *Archiepiſcopo* ponatur comma. p. 152. lin. 13. Amsdorffius. p. 153. lin. 10. Helvetios. p. 158. lin. 20. aliorum. p. 159. lin. 9. Aleander. p. 164. lin. 30. diſputationis. p. 165. lin. 22. poſt *factus* auſer comma. p. 176. lin. 28. confitendi. p. 177. lin. 2. timidior. p. 179. lin. 15. Cordemoyus. p. 181. lin. 25. pro cominatio leg. contumelia. lin. 31. pone comma poſt *machinam* auſer poſt *primariam* & lege: primarium. pag. 182. lin. 19. pro *autea* leg. *autem*. p. 186. lin. 27. leg. Patmon. p. 188. lin. 32. leg. aſe ſgnoſci. p. 189. lin. 32. Prieriatis. p. 190. l. 3. Gerolseck. p. 195. lin. 26. intelligendus eſt verſic. undecimus. p. 198. lin. 18. jucundius. p. 199. lin. 21. auferendum eſt punctum poſt *eſt*, & intelligitur Scultetus. p. 205. l. 13. hyperaſpiſtes. p. 209. lin. 29. in Germaniam. ibid. lin. 32. punctum poſt *ornatam*. p. 210. lin. 8. arroſerunt. p. 216. lin. 4. oppidulum. p. 222. lin. 19. comma poſt *ratione*. p. 224. lin. 1. ſignificat. lin. 7. pluries. lin. 12. non ſolum electos. p. 226. lin. 19. Germanicam. p. 231. lin. 18. pro *qſos* lege *qſa*. p. 237. lin. 15. qva ipſe. p. 238. lin. 21. Patmo. p. 240. lin. 30. collegio. p. 241. lin. 34. qvadam. p. 245. lin. 6. cenſurarum. ibid. lin. 18. ubi ſunt. p. 259. lin. 14. eſſent. p. 261. lin. 13. mortem. p. 266. lin. 3. effectum. lin. 13. Eccleſiaſticæ. p. 271. lin. 6. nervoſe. lin. 9. illd. p. 273. lin. 10. tollendum comma poſt *erogationes*. p. 282. lin. 13. Montioji. p. 283. lin. 22, 23. omittatur *ad defenſionem ſuam*. poſt pag. 283. numerus paginæ mendoſus eſt & poni debet. 284. p. 284. lin. 19. Baziii. p. 289. lin. 19. Chriſtiernus. p. 290. lin. 8. in Svecia. p. 292. lin. 18. propagata. pag. 296. lin. ult. tutus. p. 298. lin. 9. rhytmis, comma. lin. 14. martyriiqve. lin. 20. pro *exſibilat*. lege *explodit*. p. 301. lin. ult. pertinent. p. 304. lin. 30. ſocaria, (et.

Reliqva, in poſterioribus præſertim paginis, qvæ ob inſtans nundinarum tempus relegi accurate non potuerunt, æqvi Lectoris emendationi commendantur.

Buchbinder-Lehrwerkstätte
Nikolausheim
Dürrlauingen vor Günzburg

Digitized by Google